


EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD



175

Broukhusius (Jan Broekhuys)

Adelung I 382
Graesse II 157.

Sum
Diderici Jacobs
Brem: 1721
17 Novembr




EX OFFICINA WETSTENIANA. CIↃ IↃ CC VIII.

ALBII TIBULLI

EQUITIS ROM.

QUAE EXSTANT,

Ad fidem VETERUM MEMBRANARUM
sedulo castigata.
Accedunt NOTAE, cum VARIAR. LECTIONUM Libello,
& terni INDICES;
quorum primus Omnes Voces TIBULLIANAS
complectitur.





AMSTELAEDAMI
Ex OFFICINA WETSTENIANA.

CIↃ IↃ CC VIII.

LECTORI ERUDITO

S. D.



NOn morabor tua tempora longo ſermone, mi Lector: nec tamen inſalutatum te praeterire eſt animus. Tibullum tibi ſiſto, poëtam & nobilem & venuſtum, & oris vere Romani, anxia cura ſtudioque acri a me expolitum. Cujus rei quum ſpem feciſſem in nuperis Propertianis, non deſtitit ex eo tempore David Hoogſtratanus, Vir doctiſſimus, & poëticae facundiae gloria florentiſſimus, quotidianis me hortatibus admonere, datam quodammodo fidem ut liberarem; otio me abundare, neque iis auxiliis deſtitui, quae ad hunc laborem feliciter perficiendum neceſſaria putarentur. Parui amico recte monenti, & vocatis ſub ſigna copiolis operi me adcingere coepi. Neque erant nulla in mundo, quae ſalebroſum iter emollirent: nam & interpretes poëtae omnes evolveram; & ſi quid in aliis ſcriptis ſuis, vel inluſtrandis vel emendandis his carminibus, ſalutiferae opis adtuliſſent viri alii eruditi, haud indiligenter ſua quodque ſede enotaveram. Tres quoque libros poſſidebam manu exaratos; nec non varias lectiones ex codicibus Romanis a Juſto Lipſio conlectas, & manu Jani Douzae patris deſcriptas ad marginem editionis Plantinianae A. 1569. quem mihi libellum dono olim dedit Caſpar Brantius, vir doctus, &

probus ac pius. Accedebat princeps editio, Venetiis procurata A. 1475. Nec parum profuerant variantis scripturae excerpta, praecipue ab Achille Statio & Jano Gebhardo prodita. Sed plura & majora nobis suppeditavit amicorum propensa benignitas, suis hic laudibus haudquaquam defraudanda. Binos codices mihi tale nihil expetenti ultro obtulit Vir Amplissimus Joannes de Witt, urbi Dordracenae nuper a tabulario, ex illis suis inmensis thesauris, quorum usum, qua erat morum comitate atque officiosa humanitate, omnibus Musarum cultoribus quasi communem reddiderat. Heinsiana omnia, non minimum decus hujus editionis, e bibliotheca Viri Amplissimi Caroli Crucii, Consulis Lugdunensis, depromta sunt. ad quae etiam pertinent Recognitiones Antonii Perreji, loco non suo positae in indiculo veterum librorum. Illa vero, cum bona fratris sui venia, nobiscum communicavit Clarissimus Vir Petrus Burmannus, egregius ille pereuntium literarum stator ac vindex, quem ego in germani fratris loco non solum diligo, verum etiam amo. Colbertini codicis variantes lectiones Lutetiae diligentissime excerpsit Vir Reverendus, & castissimo studiorum cultu insignis, Jacobus Gallaeus, Campensis ecclesiae pastor disertissimus ac vigilantissimus. Beneficio ejusdem Gallaei debemus excerpta ab Antonio Clementio conlecta ex editione, quae Regii Lepidi prodiit A. 1481. itemque ex editione Brixiensi A. 1486. ad cujus posterioris oras adleverat docta manus, sed nobis parum nota, diversas lectiones ex codice manuscripto excerptas. Joannes Ulricus Meurerus, Vir doctissimus atque officiosissimus, misit ad nos Oxonio usque varias

lectio-

lectiones e codice Gulielmi Laudi, Archiepiscopi Cantuariensis, descriptas; nec non variantes in Tibullo lectiones e libris scriptis excerptas ab M. Antonio Poccho. Nos Viris praestantissimis publice gratias agimus, paria officia libenter praestituri, ubi locus & occasio poposcerint. His autem manipulis instructi quid effecerimus, non est nostri pudoris palam jactare. Tutemet, mi Lector, videbis, si cum aliis editionibus hanc nostram opellam conferre non piguerit. Conjecturis admodum parce indulsimus, nec nisi certissimis, & quae se facile probent vel morosis Timonibus. In ceteris libros secuti sumus, quamvis saepe parum concordes, interdum & absurdos. Sed hic judicii res erat. Tu vale, & laboribus nostris perfruere.

SELE-

SELECTA

CLARORUM VIRORUM

DE

AULIO TIBULLO

JUDICIA.

P. Ovidius Naso L. 3. Amor. Eleg. 9.

MEmnona si mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas tristia fata Deas;
Flebilis indignos Elegeïa solve capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in extructo corpus inane rogo.
Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.
Aspice, demissis ut eat miserabilis alis,
Pectoraque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt sparsi lacrimas per colla capilli,
Oraque singultu concutiente sonant.
Fratris in Aeneae sic illum funere dicunt
Egressum tectis pulcher Iüle tuis.
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quam juveni rupit cum ferus inguen aper.
At sacri vates, & Divûm cura vocamur:
Sunt etiam qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum Mors importuna profanat:
Omnibus obscuras injicit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit, Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Aelinon in silvis idem pater, Aelinon altis,
Diciturinvita concinuisse lyra.

Ad-

Adjice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis;
Hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.
Diffugiunt avidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum, Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt;
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid nunc sacra juvant? Quid nunc Aegyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nullos esse putare Deos.
Vive pius: moriere pius. cole sacra: colentem
Mors gravis a templis in cava busta trahet.
Carminibus confide bonis. jacet ecce Tibullus.
Vix manet e toto parva quod urna capit.
Tene, sacer Vates, flammae rapuêre rogales,
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa Deorum
Urere, quae tantum sustinuere nefas.
Avertit vultus Erycis quae possidet arces.
Sunt quoque, qui lacrimas continuisse negent.
Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
Mater; & in cineres ultima dona tulit:
Hinc soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas dilaniata comas.
Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque priorque
Oscula: nec solos destituêre rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
Sum tibi. vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, Quid, ait, tibi sint mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen & umbra,
Restat; in Elysia valle Tibullus *erit.*
Obvius huic venias hedera juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte Catulle, tuo.

Tu quoque, si falsum temerati crimen amici,
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
His comes umbra tua est, si quid modo corporis umbra est.
Auxisti numeros, culte Tibulle, *pios.*
Ossa quieta precor tuta requiescite in urna:
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Idem L. 1. Amor. Eleg. 15.

Donec erunt ignes arcusque, Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, *tui.*

Idem L. 3. Art. Amat. ℣. 334.

Et teneri possis carmen legisse PropertI;
Sive aliquid Galli, sive Tibulle *tuum.*

Idem Remed. Amor. ℣. 763.

Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli,
Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?

Idem L. 4. Tristium, Eleg. 10.

Virgilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedêre meae.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi.
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

C. Vellejus Paterculus L. 2. Hist. C. 36.

Paene stultum est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quae maxime nostri aevi eminent, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, & consecutus Sallustium Livius, Tibullusque *& Naso, perfectissimi in forma operis sui.*

M. Fabius Quintilianus L. 10. Instit. Orat. C. 1.

Elegia Graecos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus.

P. Pa-

P. Papinius Statius L. 1. Silv. 2. ℣. 252.

Hunc ipse choro plaudente Philetas,
Callimachusque senex, Umbroque Propertius antro,
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Nasô Tomis, divesque foco lucente Tibullus.

M. Valerius Martialis L. 8. Epigr. 70.

Sed tamen hunc nostri scit temporis esse Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

idem ibidem Epigr. 73.

Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli:
Lesbia dictavit, docte Catulle, tibi.

Joannes Baptista Pius Annot. poster. C. 115.

Princeps Elegorum poëtarum est dubio procul Albius Tibullus, *quia vere, non dissimulanter aut obnoxie amantem agit: modo superbit, modo supplicat, annuit, renuit, minatur, intercedit, dedignatur, devovet, orat, inconstans est, quod voluit non vult, quod optavit refugit, secum dissidens, ut in vera Cupidinis rota illum circumagi credas. Non deest tamen in tanto lepôre verborum suus nitor, & reconditarum rerum cognitio.*

Lucius Joannes Scoppa L. 1. Conlect. C. 31.

Tibullus *poëta candidissimus, atque amator felicissimus, non tam misere, quam lepide concinnéque suos decantavit amores: cujus poëma tersum & emunctum quoties in manus sumo, non modo afficior amore, sed ipsum etiam depereuntem videre videor.*

Angelus Politianus Nutric. ℣. 539.

Ut tersi memorat pia Musa Tibulli,
Musa sibi primos quae jure adsciscit honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.

 Bar-

Bartholomaeus Riccius L. 1. de Imitatione.

Catullum, Tibullum, *Lucretium*, *Horatium*, *Maronem*, *tantum abeſt ut boni omnes non magnopere laudent, ut eos etiam nullo fine ſuſpiciant, mirentur, colant.*

Idem eodem libro, paullo poſt.

Primum autem locum in Elegia Tibullum *ſcribendi ſuavitate ſibi vindicare putamus. neque ſit nunc, qui illi aut Ovidium, aut Propertium conferat. quorum uterque omnino quasdam Elegias conſcripſit, quae admodum non contemnantur. in ceteris vero, quarum longe major eſt numerus, alter aut ſe juſto demiſſius agit, aut ita cum numeri tum verborum nullo prorſus delectu habito verſus pangit, ut ſaepius quicquid in buccam in carmen conjiciat: alter vero, aut rei difficultate, aut numero quodam aſperiore paulo horridior habetur. Cum in* Tibullo *paene lectiſſima omnia, & propterea etiam facillima legantur, cadantque ita ejus numeri leniter, ut magis concinne cadere non poſſint: ac, in quo primam laudem acquirit Elegia, hic ita apte vagetur, itaque compoſite diverſa connectat, ut in re multiplici, ac pervaria, integrum tamen ac perpetuum, quam longum eſt, filum exſiſtat. Quod Franciſcus Molſa planiſſime ſenſit, qui ad hujus imaginem optime omnium verſus faciebat.*

Julius Caeſar Scaliger L. 6. Poëtic. C. 7.

Facilius e Tibulli *locis expediemus cenſuram noſtram. Uniformis ille paene totus eſt, vixque diſcedens ab ſe ipſo eodem paene gyro concluditur. Audis enim caſas, focos, rura, nemora, praela, ſpicas, ſacra tum ſaepe, tum multum. Omnium vero cultiſſimus, nec redundans in Elegia.*

Joachimus Camerarius in Elementis Rhetoricae.

Ego vero quoties Tibulli *carmina lego, nihil amplius requiro neque venuſtatis, neque elegantiae: doctrinam autem & eruditionem admiror. Omnia arte ſtudioque ſummo elimata mihi viden-*

dentur: itaque in maxima facilitate, illa tamen cura elaborationis & diligentiae conspicitur. Verba optima, sententiae exquisitae, compositio omnibus, ut ajunt, numeris perfecta. Ex quo necesse est hoc consequatur, carmina ut sint & canora, & splendida, & concinna.

Adrianus Turnebus L. 16. Adverf. C. 19.

Tibullus, *ille politus suavisque poëta, & quidam Phoebeus olor, in quo sincerus esse videtur & ingenuus Latini sermonis sapor, nullo peregrino vitiatus succo.*

Lucas Fruterius L. 1. Verisimil. C. 6.

Ecce iterum ad Tibullum *relabimur, nimis enim auctor ille nobis placet cum dictionis puritate, tum proprii sermonis elegantia. Dicant & sentiant alii quod velint. Ego non vereor, quod scio quosdam velle, ne* Tibullus *noster illi secundus fiat, cujus facilitas & luxuria antiqui temporis doctissimis parum omnino grata fuit, quantum ex illorum scriptis colligere est nobis. Sed nos, credo, cum haec nimis anxie persequimur, doctiorum de his judicio parum fidimus, quorum eandem esse opinionem certe dubitandum est nemini.*

Jacobus Sannazarius L. 2. Eleg. 1.

Battiaden docti sectatur Musa PropertI:
Flaccus Pindaricos dividit aure modos.
Passeris exsequias fracto canit ore Catullus:
Tu Nemesin laudas, culte Tibulle, *tuam.*

Joannes Pierius Valerianus Serm. de studiorum conditione.

Sermones ait hic, vates Venusine, securi
Caedi posse tuos; crassos accusat, & odit.
Est cui sit docti libertas dura Catulli:
Virgilio ingenium qui demat, propter Homerum:
Qui tibi mollitiem vitio det, terse Tibulle.

Justus Lipsius L. 1. Var. Lect. C. 21.

Tibullus *elegans cumprimis poëta, & in cujus purissimis scriptis nativa quaedam & vernacula Latinae linguae munditia relucet.*

Isaacus Casaubonus Lection. Theocritic. C. 17.

Conferant autem studiosi poëticarum amoenitatum Idyllium hoc cum poëtae cultissimi Tibulli *elegia quarta, libro primo. Nam illa videntur ad Theocriti imitationem dicta,*

Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.

Franciscus Modius Silv. carm. 15. ex persona Tibulli.

Ut Cidnus nullas sordes, nitidissimus amnis,
Volvit, & a limo purus ubique fluit:
Sic mea, Romanas inter castissima Musas,
Undique nativo culta decore nitet.
Ergo aliae placeant ornatu trans mare sumto:
Nostra suo, & patrio si placet una, sat est.

Laevinus Torrentius Comment. in Horat. L. 1. Od. 33. ℣. 1.

Albi] *Hunc Albium* Tibullum *fuisse, cujus Elegi nunc quoque tantopere, & sane non immerito, ob summam elegantiam, & Latini sermonis puritatem, a doctis omnibus laudantur, nemo temporum peritus negaverit. Hoc dolendum (quod etiam Horatii hic testimonio satis constat) multa illius tersissimi poëtae carmina desiderari.*

Janus Gulielmius Quaest. in Plauti Rudent. C. 5.
ad Jacobum Cortinium Cissaeum.

Tibulli *lectione valde delector: opinor & tu J. Cissaee, qui ejus poëtae veneres & lepôres omnes felicissime expressisti.*

Ste-

Stephanus Paschasius lib. Icon. epigr. 91.

Pervolvas reliquos vates quos Roma tulit; nil
Tersius est numeris, culte Tibulle, *tuis.*

Andreas Schottus L. 1. Nodor. Ciceron. C. 7.

Tibullus *autem elegans Latini sermonis poëta.*

Idem ibidem C. 8.

Priusquam poëtam de manibus depono, operam illi demus, ut mutuum praestent. Est enim purus, & elegans, bonusque Latinitatis auctor Tibullus, *Eques & ipse Romanus, qua tempestate, ut hodieque, nobilium quam plebejorum cultior ac politior sermo fuit.*

Idem Observ. Human. L. 2. C. 13.

Scitus & elegans tum in verbis, tum in numeris Tibullus: *sed qui e Graecis pleraque fontibus expresserit.*

Idem L. 1. Tullian. Quaest. C. 14.

Media aetas, quod aureum Latinae linguae saeculum appello, brevis admodum, ut res hominum sunt, exstitit. Scriptores tamen plurimos repperit, qui ob dicendi elegantiam aetatem ferre, ad posterosque transmitti potuerunt. In hac unus M. Tullius Cicero familiam sic duxit, ut non modo princeps, verum etiam vox ipsa eloquentiae, caelestisque in dicendo vir *a Quintiliano diserte appelletur. Ejus aequales Caesar, Sallustius, Cornificius, moxque T. Livius. Poëtae vero Terentius, Catullus, Virgilius, Horatius,* Tibullus, *Propertius, & Ovidius, diserti quidem homines ac venusti.*

Daniel Heinsius praefat. Monobibli.

Liberrimum primo scribendi genus Elegia fuit, quam delicatissimis induerunt Graeci numeris. Quos, cum alii, tum vel maxime ingeniosus Naso immutavit. qui cum ingenii sui fraenos

ubi-

ubique laxat, ne nequicquam declamasse videatur, artem, ut Romanus, constringit, legemque & aequabilitatem versuum praescribit sibi, cui ubique fere obtemperat. Sic cum tersissimo Tibulli *filo animam addat, cultum non sustulit tamen.*

Franciscus Vavassor lib. de Ludicra Dictione.

In hoc artis poëticae genere singulares & eximios uno eodemque Augusti saeculo quatuor constat extitisse, quorum alius alium, tanquam aetatis pariter & gloriae successor, exceperit, Gallum, Tibullum, *Propertium, &, qui se istis jure optimo quartum annumerat, Ovidium. At statim ab obitu Ovidii, Vellejo historico satis duo fuerunt,* Tibullus *& Naso, quos esse dixerit in forma operis sui perfectissimos. Quanquam centum post annis nec plures, nec alios, quam qui ab Ovidio ipso memorati sunt, Quintilianus protulit, oratori legendos, quem informaret: credo, quod ab Ovidiano tempore ad suam usque aetatem, tanto intervallo nullos nactus sit, memoria satis & commendatione dignos. Jam Galli, qui duriuscule putatur scripsisse, nihil pervenit ad nos, injuria & iniquitate temporum.* Tibullum, *ita ut erat, accepimus, excultum atque expolitum.*

Caspar Barthius L. 4. Adversf. C. 11.

Et quis melior Tibullo *expositor, quam* Tibullus, *qui tot seculis parem non habuit, ac ne imitatorem quidem; quem sane nostra secula legant? Et saepissime miratus sum hoc fatum Romanae Elegiae, & floruisse & defloruisse una aetate Amatoriam ejus Venerem, quantum quidem ad nos pertinet: nam Martialis & Papinii aetate, quod ex ipsis & Plinio etiam Juniore constat, talia non pauci scripserunt. Verum cum ipsis fere nominibus & hi & sequentis aevi interierunt.*

Idem L. 8. Epidorp. 46.

Vt ebria absque veste Cypris incedit,
Eum locutus est Tibullus *in morem,*

Idem

Idem Animadv. ad Papin. Stat. L. I. Silv. 2. ℣. 32.

Pulcre talia enarrantur a suavissimo & veri genii Poëta, Tibullo, *L.* 3. *Eleg.* 4.

Fredericus Taubmannus Comment. ad Culicem, ℣. 410.

Tibullus, *politissimus ille suavissimusque poëta*, *& quidam Phoebeus olor.*

Hugo Grotius L. I. Farraginis.

O Elegia, meo nil concessura Tibullo!
O, quibus aequatur Bilbilis ipsa, joci!

Ferdinandus Furstenbergius, Episcopus & Princeps Paderbornensis ac Monasteriensis.

Forsitan hic segetes, cantataque bella Maroni:
Triverat hic calamos Tityrus ante suos.
Forsitan his lusit Naso leve carmen in hortis:
Materies illic Cynthia vatis erat.
Hic sevit vites, hic legit poma Tibullus,
Et lucente foco, quod satis esset, erat.

Idem in epicedio Sidronii Hosschii.

Hoc meruit justi monumentum Belga doloris,
Proximus ingenio, culte Tibulle, *tuo.*

Paganino Gaudenzio nella Letteraria Historia.

Di Delia à honor cantò versi d'amore
Il buon Tibullo *cavalier Romano,*
Il cui giocondo stil non unquà vano
Rileggo con diletto à tutte l'hore,
Ammirando il desir con tal ardore,
Che vorrei pur seguirlo à mano à mano
Disprezzando l'asprezze, e' l canto strano,
Di chi pensa difficil far rumore,

*** *Per*

Per esser nominato alto poëta.
Ma l'aspra altezza ardita fosca involta
Del lettor non può render l'alma lieta.
Per non dir, che la Musa dolce colta
Il fauellar di Venere non vieta,
Anzì spiace senz' essa, e resta incolta.

Il medesimo.

Tibullo aggradito da Delia per la poesia.

Quando Delia seguir incominciai
Con dedicarle la servitù mia,
Con professar l'ossequio in rima pia,
E ver lei sparger qual poëta rai;
Non potrei con parole esprimer mai,
Con che benevolenza e cortesia
Aggradisse l'honor di poesia
Col dirmi, Sempre caro à me sarai,
Perchè la virtù tua tanto mi piace,
E tanto stimo d'Elicona il fonte
Donante fama che l'oblio disface,
Che ver te le mie voglie saran pronte,
Vive, ed accese d'amorosa face,
Per far al rio martor ingiurie ed onte.

Egidio Menagio nelle sue Osservationi
sopra l'Aminta del Tasso.

Tralascio di dire, che quella repetizione delle medesime sillabe fù da Tibullo, *Poeta elegantissimo, non pur schivata, mà anche affettata.*

Il Signor Gravina nel Discorso delle Favole antiche.

Tibullo *è pieno di soauità, di grazia, di tenerezza, di passione, di purità, e d'eleganza, tanto nel numero quanto nelle parole, maravigliosa, e perfetta.*

René

René le Pays,
dans ses oeuvres nouvelles T. 2. aprés avoir parlé d'Horace.

Deux autres Muses, soeurs des premieres, vescurent a mesme temps, & charmerent tous les esprits par leur douceur. Ce furent celles de Tibulle & de Properce, qui acquirent tant de gloire à chanter les beautez de Delie & de Cynthie. Ces deux poetes galands eurent pour amis les plus honnestes gens de leur siecle. Tibulle *ayant le corps aussi beau que l'esprit, avoit une disposition heureuse à gagner le coeur de tout le monde: & quoy que Properce ne fût pas si beau garçon, il n'estoit pas moins aimé de tous ceux qui aimoient le vray merite. Que cette Cynthie estoit heureuse d'avoir un amant si tendre, & qui sçavoit si bien expliquer sa tendresse! Et que cette Delie a eu de gloire d'estre aimée d'un homme, qui pouvoit apprendre à toute la posterité combien elle estoit aimable!*

Le Pere René Rapin,
dans ses Reflexions sur la Poëtique.

Tibulle *estant d'ailleurs si exact, si elegant & si poly dans ses Elegies, ne le paroist pas fort dans son Panegyrique de Messala: tant il est difficile de bien louer.*

Petrus Lotichius Secundus.

Talis in Aonidum patria, silvisque beatis,
Perfluit aeternus sancta vireta liquor.
Illic largifluas vatum chorus omnis ad undas
Inter odoratum ludit amatque nemus.
At myrti vacua solus gemit unus in umbra,
Quem circum lacrimis omnia plena madent.
Hunc quondam facilem pharetrato semper Amori
Ipsa Venus campos duxit in Elysios.
Hoc duce carpe viam. Sed enim tu mente pudica,
Caste puer, castis carmina finge modis.
Ipse quidem, nec vera nego, Sulmonis aquosi
Ad Musas propius monstrat alumnus iter:
Sed tantum superat facundi Musa Tibulli,
Quantum voce alias Daulias ales aves.

ERRATA in CONTEXTU.

pag. 67. *l.* 1. *p.* 69. *l.* 4. *p.* 104. *l.* 4. *p.* 373. *l.* 2. *pro* impia *corr.* inpia
72. *l.* 3. *pro* Tityus *corr.* Tityos
123. *l.* 2. impreſſo inpreſſo
137. *l.* 4. impediat inpediat
182. *l.* 1. impune inpune. *ſic & pag.* 240. l. 1.
209. *l.* 2. impoſuiſſe inpoſuiſſe
221. *l.* 2. impoſuit inpoſuit

IN NOTIS.

Pag. 23. b. *lin.* 28. *omnibas* l. omnibus
ibid. b. *lin.* 41. *ſcribir* l. ſcribit
26. a. *lin.* 13. BT l. ET
60. a. *ſub finem*, *ſuſpenſis* l. ſuſpenſis
65. a. *lin.* 11. *illis* l. ullis
72. b. *lin.* 6. *Arbitrium* l. Arbitrum
79. b. *lin.* 17. *efficientis pro effectu* l. effecti pro efficiente; & *ibid. l.* 19. *cjuſdem* l. ejuſdem.
98. b. *lin.* 33. *Numeſianus* l. Nemeſianus
111. b. *ſub finem*, *ſciere* l. ſcire
151. b. *lin.* 35. SOLLICITAVIT l. SOLLICITAVIT
152. a. *lin.* 29. *res* l. rex
162. b. *lin.* 8. *perniem* l. perniciem
227. b. *lin.* 21. *ex neſcio qua comoedia deperdita*, l. Milit. glorioſ. Act. 3. ſc. 1. ℣. 127.
230. b. *lin.* 10. *gerendarum* l. genendarum
238. b. *lin.* 32. *dipthongis* l. diphthongis
242. a. *lin.* 18. *dies ſit amarior nocte*, l. nox ſit amarior die.
245. a. *lin.* 20. *eo* l. ea
258. b. *lin.* 29. *agreſtri* l. agreſti
260. b. *lin.* 21. *genitrix* l. genetrix
301. b. *ſub fin.* I SA. l. IPSA
314. b. *lin.* 16. *genitrix* l. genetrix
339. b. *lin. ult.* *aureo* l. argenteo
340. a. *lin. ult.* *Helioniadaſque* l. Heliconiadaſque
349. a. *lin.* 32. *advehetur* l. adveheretur
388. b. *lin.* 18. *acripidem* l. acripedem.

ALBII

ALBII TIBULLI

LIBER PRIMUS.

ALBII TIBULLI] Gentis Albiae, hujus dico equestris, perexigua memoria est in historia Romana; nulla omnino futura, absque nostro poeta foret. Celebrior fuit illa consularis, cognomento CARRENAS, multis gestis honoribus & varia fortuna insignis. Exstiterunt & alii ALBII, sed obscuri illi, atque ignotiores. *Statii Albii Oppianici* infamis memoria est in Cluentiana Ciceronis. hinc & colonum illum novimus *Statium Albium*, hominem valentem, quo admissario utebatur Sassia illa Oppianici. *Albium Sabinum* commemorat idem Tullius L. 13. ad Attic. epist. 14. itemque *L. Albium Sex. filium Quirina*, orat. pro Quintio. plures, sed & his ipsis obscuriores, sparsim reperire est in antiquis Inscriptionibus apud Gruterum ac Reinesium. Amisit autem hic noster eques suum sibi praenomen, nulla (ut arbitror) perquisitione iterum reperiundum. Est enim verosimile in libro illo unico, unde ceteri in Italia traduces prodierunt, literam singularem, quae praenomen signaret, aut vetustate fuisse exesam, aut librarios harum rerum incuriosos tamquam minime necessariam neglexisse. Nisi quis capillum promittat, ac divinando conjiciat A, hoc est *Auli*, praenomen habuisse: atque hoc elementum ab insequente comparis naturae elemento vel fuisse absorptum, vel potius e binis coaluisse in unum: complures hujus generis errores posse ostendi, nec hodie quidem omnes sublatos. sic Noctium Atticarum inlustrem scriptorem AGELLIVM dici, qui sit A. GELLIVS. sic factum fuisse TAMPIVM ex T. AMPIO, apud Ciceronem L. 6. ad famil. epist. 12. itemque SVETTIVM, qui S. VETTIVS fuerit, L. 13. ad Attic. Ep. 12. sic ejusdem operis L. 6. epist. 2. recte nunc legi, virtute Petri Victorii, *vetabat autem Auli lex, jus dici de ita sumta pecunia*, ex monstrosa scriptura *vetabat autem Alexius.* sic legem *P. Ennii* apud Festum Pompejum perhiberi, quae sit lex *Penni.* sic tribunum *Caelium* vocari, qui fuerit *C. Aelius*, apud Macrobium L. 6. Saturn. C. 3. Haec, inquam, & plura his similia si quis divinarit, respondebo, mihi non liquere. Ceterum quae de rebus deque vita poetae nostri ex Petro Crinito ac Lilio Gyraldo circumferri solent, scias ea partim esse incerta, partim etiam aperte falsa. Quae tamen ipsa magnos alias viros in societatem erroris pertraxerunt, dum temerariis horum finitorum rationibus inducti Tibullum, itidem ut Nasonem, natum volunt anno illo funesto, qui Hirtii & Pansae Coss. caede est nobilitatus. quum tamen hic illo viginti ferme annis fuerit posterior. sed est hominum multorum in fovendis erroribus admirabilis quaedam pertinacia. Jam anni sunt plus quam centum ac viginti, postquam Janus Douza, vir undequaque magnus & Batavici nominis praelustre decus, elegante disputatione ad Paullum Melissum Schedium perscripta, hanc tantam in temporum supputatione aberrationem certis ac firmis rationibus ita evertit, veramque Elegiae Romanae aetatem ita constabilivit, ut vel Pyrrhonem ipsum in adsensionem tracturus fuisse videatur. Sed Douzae quis auscultavit? imo vero Douzae libellum quis legit? Sane docti homines non pauci in eas se induerunt angustias, unde regredi numquam potuerunt, hanc unam ob caussam, quod vulgatas naenias secuti neglexissent monentem meliora. id quod cuivis liquere potest, in iis vitae Albianae particulis, quae ad calculum minime dubium vocari queunt. Mihi vero ne toties luctandum esset cum erronea supputatione, visum fuit publice quoque utile fore si Douzae commentatio non prolixa una cum his nostris meditatiunculis recentaretur. Eam legant suadeo, atque expendant secum, qui his chartis nostris manum admovere non dedignabuntur. Sic enim fiet ut multa evadant liquida atque clara, quae vel tenebris horrere videbantur, vel a viris doctis violenter erant alio detorta, dum semel calculo prave posito errores erroribus contegere coguntur. id quod nos in loco monebimus. Vitam poetae ex libris scriptis primus sibi protulisse visus

fuit Josephus Scaliger; ignarus, opinor, jam olim exhibitam in principe editione Venetiis procusa anno a reparata salute 1475. & in Regiolepidina A. 1481. Illam vitam & nos in quatuor libris invenimus, Scaligerana hic illic meliorem. est autem talis.

Albius Tibullus, eques Romanus, insignis forma cultuque corporis observabilis, ante alios Corvinum Messalam oratorem dilexit: cujus & contubernalis fuit, & Aquitanico bello militaribus donis ornatus est. Hic multorum judicio, & maxime Quintiliani, viri in studio literarum acerrimae licentiae, inter elegiographos principem obtinet locum. Epistolae quoque ejus amatoriae, quamquam breves, omnino utiles sunt. Obiit adolescens, tempore Virgilii, ut indicat epigramma infra scriptum.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut Elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Versus sunt Domitii Marsi, testis oculati. obiit autem Virgilius A. V. DCCXXXV. C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone Coss. mense Septembri. illum brevi, ut Marsus ostendit, secutus est noster Albius, puta vel ejusdem anni exodio, vel certe initio anni subsequentis. Epistolae, quas commemorat Vitae scriptor, soluto sermone fuisse scriptae videntur, quum ab Elegiis aperte sejungantur. Nullo enim jure brevia illa poëmatia, quae solent in quartum librum conjici, pro his ipsis Epistolis accepit Barthius L. 3. Adv. C. 6. quamquam deinde, mutata mente, Sulpiciae Caleni dedit, L. 59. C. 16. sed de his in loco non incuriose disputabitur.

I.

DIVITIAS alius fulvo sibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa soli.

Me

1. DIVITIAS ALIUS] Hanc Elegiam ordine primam esse, sed tempore postremam, edicit Scaliger. Haud est ita. etenim toto hoc libro non nisi Deliae amores decantantur, nondum haerente in Nemesi animo. Deliam vero fuisse primum Albii nostri ignem perspicue ostendit Naso L. 3. Amor. Eleg. 9. qua deflet illius mortem:

Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque priorque
Oscula: nec solos destituere rogos.
Delia discedens, Felicius, inquit, amata
Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, Quid, ait, tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.

Itaque loco legitur vere suo. scripta est autem in praediolo Pedano, ubi libenter erat poëta, pertaesus credo urbis, & simul

Malis bene esse ne videret civibus.

Hic ille vacuo ab ambitione atque avaritia animo Musis vivebat & sibi, diligentem praeterea operam ponens in studiis sapientiae Socraticae. auctor horum, qui unus optime noverat, Horatius noster L. 1. Epist. 4.

Albi, nostrorum Sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?

nam *silvas* ne pro aliquo nemore capias, providit Helenius Acro, qui monet *libros philosophorum sic appellari.* Debebat addere, *Academicorum.* sic enim praeiverat ipse Flaccus L. 2. Epist. 2.

Adjecere bonae paullo plus artis Athenae:
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum.

Nec tamen verum est, sic appellari: sed *silvarum* nomine intelligi spatia Academiae, & sermones Socraticos. quod ipsum satis signanter exprimit vis epitheti, qua *salubres* appellantur.

1. FULVO SIBI CONGERAT AURO] minus recte *conferat* legitur apud Diomedem grammaticum L. 3. cap. de Poëmatis generibus; *Elegia est carmen compositum hexametro versu pentametroque, alternis invicem positis: ut,*

Divitias alius fulvo sibi conferat auro,
Et teneat culti jugera multa soli.

Quod genus carminis praecipue scripserunt apud Romanos Propertius, & Tibullus, & Gallus, imitati Graecos Callimachum & Euphorionem. Haec ille. Sed in scriptis Tibulli codicibus miro consensu *congerat* est exaratum. quod *congerendi* verbum commode inlustratum dedit Janus Gebhardus.

2. JUGERA MULTA] libri scripti fere habent *jugera magna*, & hos secutae principes editiones, Veneta, Brixiensis, & illa quae

Regii

Me mea paupertas vitae traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus:

5 Nec

Regii Lepidi procurata est. juvare etiam videtur Cicero Accus. 5. in Verr. C. 47. *cui civitati majores nostri maximos agros atque optimos concesserunt, quam immunem esse voluerunt.* Valerius quoque Flaccus *magna* dixit pro eo quod est *multa*, L. 5. ℣. 274. de Perse:

Jamque aderat magnis regnum urguens millibus urbi,
Primaque in adversos frustratus praelia muros
Constiterat.

Sed Achilles Statius in suis omnibus invenit *multa*, itemque Scaliger in eo quo usus est libro. nec aliter habebant Angeli Colotii excerpta in Heinsianis. Et sic citavit Diomedes L. 3. eo, quem modo produximus, loco. Sane *multa jugera* veteres dixisse, potius quam *magna*, ex eo apparet, quod *pauca jugera* frequenter dixerint, numquam *parva.* credo, propter nomen mensurae omnibus aequabilis. Horatius L. 2. Od. 15.

Jam pauca aratro jugera regiae
Moles relinquunt.

Scriptor Elegiae in obitum Maecenatis, ℣. 34.

Maluit umbrosam quercum, nymphasque canentes,
Paucaque pomosi jugera certa soli.

quo loco *nymphas* nobis *canoras* nuper fabricavit Theod. Gorallus. si ex libris, laudo: sed monitum oportuit. Plura in rem nostram Achilles congessit, bono dilectu. Nec semper esse idem, *multa* & *magna*, ostendit Cicero orat. post reditum in senatu, C. 1. *cum multa vobis, magna populo Romano, innumerabilia parentibus, omnia Diis immortalibus debeamus.* Tamen *magna jugera* hic legi vult Wil. Goesius ind. in Scriptores Agrarios, verbo *Jugerum.* tu vide, & expende.

3. Me mea paupertas] extenuantis est, & Nemesin metuentis. *Paupertas* dicitur fortuna mediocris, cui nihil deest. bene Porphyrio in Horat. L. 2. Epist. 2. ℣. 199. PAUPERTAS *honestae parsimoniae nomen est, & usurpatur pro fortuna mediocri.* Valerius Maximus *mediam* appellavit, L. 4. C. 4. quod caput *de paupertate laudata* inscribitur: *Quid ergo mediam fortunam, quasi praecipuum generis humani malum, diuturnis conviciis laceramus? quae ut non abundantibus, ita fidis uberibus Poplicolas, Aemilios, Fabricios, Curios, Scipiones, Scauros, hisque paria robora virtutis alduit.* Cicero Agrar. 2. C. 24. *tum, cum haberet haec respublica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornatos.* Horatius L. 3. Od. 29.

Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis & ostro,
Sollicitam explicuere frontem.

Itaque parum hic praesidii est illis, qui dicunt poëtam ideo ruri vixisse, quia in urbe non posset, avitis opibus in damnosas libidines profusis. Ille vero profitetur in fine hujus carminis, sese, composito quod in posterum sit satis, velle medium digitum ostendere & divitiis simul & egestati. Sed nemo melius Flacco nostro, in ea, quam sub hoc ipsum tempus ad Albium suum scripsit, epistola:

Non tu corpus eras sine pectore. Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam sapere, & fari ut possit quae sentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumena?

Ecce imaginem Albianae rusticationis. *Ars fruendi* est illa, quam *oeconomicen* appellant: ne tu frustra cum Gallis artem hic aliquam perdendi intelligas, ac nepotandi.

3. Me mea] hujusmodi geminationes veteribus perfamiliares fuerunt: quod & hic Muretus monuit, & Gifanius in Conlectaneis Lucretianis. Sed damnarunt juniores. Inique damnarunt: nisi forte eos meliore fuisse aure putas, quam Lucretium, quam Ciceronem, quam Virgilium. Istius est persimile huic nostro, pro Coelio C. 31. *fecit me mehercule invito, & multum repugnante, sed tamen fecit, nomen amici mei de ambitu detulit.* & L. 1. de Offic. C. 18. *contraque in laudibus, quae magno animo & fortiter excellenterque gesta sunt, ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus.* & dial. de Amic. C. 21. *Rarum genus, & quidem omnia praeclara rara.* Illius autem L. 3. ℣. 21.

Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adspergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat.

L. 5.

L. 5. ℣. 1336.

Sic, quos ante domi domitos satis esse putabant,
Effervescere cernebant in rebus agundis.

L. 6. ℣. 626.

Una nocte vias quoniam persaepe videmus
Siccari, mollisque luti concrescere crustas.

Hujus vero, L. 2. Geor. ℣. 328.

Avia tum resonant avibus virgulta canoris.

L. 1. Aen. ℣. 403.

Haud aliter puppesque tuae, pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.

L. 3. ℣. 183.

nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Sed manu est ferendum, non sacco, ut ajebat Corinna. alioqui facile sexcenta tanta ex uno Tullio coacerventur, ne quis hanc figuram solis poëtis adamatam putet. Quo magis mirari libet Servium, ad postrema Maronis verba notantem, *Haec compositio jam vitiosa est, quae majoribus placuit: ut, Anchisen agnovit amicum; &, Sale saxa sonabant.* Etiam ad L. 2. ℣. 27. scripserat ita: DORICA CASTRA] *Mala est compositio, ab ea syllaba incipere, qua superius finitus est sermo. Plerumque & cacephaton facit, ut hoc loco.* Quae verba exscripsit Isidorus L. 1. Orig. C. 33. Videlicet Theodosiani aevi palatum acutius sapiebat, quam veteris Romae beata simplicitas. multo melius multoque subtilius super hoc numerorum quasi condimento disputavit Jo. Jovianus Pontanus, vir perfectissimus, in Actio dialogo. illum consulito: nec poenitebit.

4. EXIGUO LUCEAT IGNE FOCUS] ita Scaligeri codex; & complures Achillis Statii, non probantis. est & in excerptis Antonii Perreji, & M. Antonii Pocchi. sed *assiduo* in suis invenit Gebhardus: & nos quoque vidimus in quinque libris. in uno suo Nic. Heinsius. quibus accedunt tres illae editiones antiquissimae, calamo exaratis membranis non deteriores. Neque aliter citavit Marius Victorinus L. 3. Art. Gram. capite de Metro Choriambico; & scriptor vetus, cujus fragmentum jungi fere solet cum Censorini libello de Die Natali, capite 14. comprobarunt etiam adlusione aperta duo praeclari viri. nam quem *assiduum* noster focum dixit, eum *perennem* vocat Martialis L. 10. Epigr. 47. ubi inter vitae praecipua commoda ponuntur

Non ingratus ager, focus perennis.

Papinius autem vividiore epitheto *pervigilem* nominavit, L. 4. Silv. 5. ℣. 13.

Nos parca tellus, pervigil & jocus,
Culmenque multo lumine sordidum
Solantur, exemtusque testa
Qua modo ferbuerat Lyaeus.

Sed ajunt, *exigui* epitheton bene convenire cum tenuitate poëtae. Ostendant igitur, *lucendi* verbum non discordare ab exiguitate ignis. nam eo verbo poëtae Latini semper de ignibus magnis utuntur. Virgilius L. 5. Aen. ipso initio:

Interea medium Aeneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae jam infelicis Elissae
Conlucent flammis. quae tantum accenderit ignem
Caussa latet.

L. 11. ℣. 143.

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces. lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.

Libro eodem, ℣. 209.

tunc undique vasti
Certatim crebris conlucent ignibus agri.

noster L. 2. Eleg. 5. ℣. 49.

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.

Auctor Ciris, ℣. 175.

Saepe etiam tristis volvens in nocte querelas,
Sedibus ex altis coeli speculatur amorem:
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.

Lucanus L. 9. ℣. 995.

quos nunc Lavinia sedes
Servat, & Alba Lares, & quorum lucet in aris
Ignis adhuc Phrygius.

Idem poëta ejusdem libri ℣. 185.

Sic, ubi depastis submittere gramina campis,
Et renovare parans hibernas Appulus herbas,
Igne fovet terras; simul & Garganus, & arva
Vulturis, & calidi lucent buceta Matini.

Claudianus L. 2. in Eutrop. ℣. 472.

longe spectari e puppibus urbes
Accensas: lucere fretum, ventoque citatas
Omnibus in pelago velis haerere favillas.

Papinius L. 1. Theb. ℣. 655.

an illud
Lene magis cordi, quod desolata domorum
Tecta vides? ignique datis cultoribus omnis
Lucet ager?

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 842.

Quos omnes levibus plantis & lampada quassans
Progenies Atlantis agit. lucet via late
Igne Dei.

Martialis L. 3. Epigr. 58.

Cingunt serenum lactei focum vernae,
Et larga festos lucet ad lares silva.

L. 10. Epigr. 96.

Pasci-


SPES PVBLICA.

Nec Spes deſtituat, ſed frugum ſemper acervos
Praebeat, & pleno pinguia muſta lacu:

Ipſe

Paſcitur hic, ibi paſcit ager: tepet igne maligno
Hic focus, ingenti lumine lucet ibi.

Pulcra tralatione extulit Papinius L. 1. Achill. ℣. 120.

At tunc venatu rediturum in limine primo
Opperiens, properatque dapes, largoque ſerenat
Igne domum.

Sane inter vitae ruſticae beatitates haud inmerito numerabant luculentum caminum, non ſine Liberi patris muneribus, & frugalis menſae caſtitate. Virgilius Eclog. 5. ℣. 69.

Et multo inprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit, ſi meſſis in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariuſia nectar.

Eclog. 7. ubi Corydon fontes, & herbae mollitiem, & arbutum aeſtivam laudaverat, reſpondet Thyrſis, ℣. 49.

Hic focus, & taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, & aſſidua poſtes fuligine nigri.
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Juvat videre Scythas illos ruricolas in nivibus ſuis laetos, & genio ludum dantes, apud eumdem divinum poëtam L. 3. Geor. ℣. 376.

Ipſi in defoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra: congeſtaque robora totaſque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, & pocula laeti
Fermento atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Quae perpulcre eſt imitatus Honoratus Faſitellus, epiſcopus Inſulanus, vir multis nominibus laudatiſſimus:

At dies brevioribus
Rapta cum ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidae nivis
Imbriumque potentem,
Tum foco ſilüa integra
Advoluta hilarat domum:
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque & latera indidem
Uſtulamus ad ignem.

tum quae inibi ſunt plura, eruditae venuſtatis pleniſſima. Neque vero ab hac ſuavitate ruſticandi abhorruit Cato ille cenſorius, apud Tullium hoc modo ediſſerens in cognomine dialogo, C. 14. *Me vero & magiſteria delectant a majoribus inſtituta: & is ſermo, qui more majorum a ſummo adhibetur in poculis: & pocula, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minuta atque rorantia, & refrigeratio aeſtate, & viciſſim aut ſol aut ignis hibernus. quae quidem in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem, quam maxime poſſumus, vario ſermone producimus.*

5 Nec Spes destituat] Majuſcula litera *Spes* ſcribi debet, quippe quae in deorum numero cenſeatur. noſter L. 2. Eleg. 7. ℣. 10.

Spes facilem Nemeſim ſpondet mihi: ſed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam.

Naſo L. 1. Pontic. Epiſt. 6. ℣. 27.

Spes igitur menti poenae, Graecine, levandae
Non eſt ex toto nulla relicta meae.
Haec Dea, cum fugerent ſceleratas numina terras
In Dîs inviſa ſola remanſit humo.

tum paullo poſt:

Haec Dea quam multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſita paſſa perire nece.

Sed de Spei numine certiora nos docet Cicero L. 2. de Legib. C. 11. *Quoniamque exſpectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes conſecrata eſt.* Hanc Romani credebant mortalibus ſingulis, ſimul atque in lucem forent editi, una cum Genio Bono adeſſe praeſto. quare & SPEM GENIALEM vocarunt, ut in nummis & lapidibus ſaepe reperitur. Talis erat *Spes* illa, quam Ferrariae in tabula marmorea grandi vidit, atque in Hercule ſuo Prodicio commode inluſtravit, Stephanus Vinandus Pighius, vir inter primos Belgarum eruditus. Tamen melius, ni fallor, huc facit *Spes* alia, quam ego *Ruſticam* fuiſſe opinor, ſive *Agreſtem*. Ea expreſſa eſt in lapide ſpatioſo apud Boiſſardum, T. 4. Antiq. p. 130. atque inde tranſiit in theſauros Gruterianos, CII. 1. Mulier eſt ſtolata, corolla florea crinem redimita, dextram tenens in exigua columella, ſpicas quinque ſiniſtra geſtans cum duobus papaverum capitibus. ad pedes ſtat alveare; ex ſummo alveari prominent duae roſae, unum caput papaveris, ſpicae quatuor. in baſi haec verba:

M. AVR. PACORVS. AEDI
TVVS. SANCTAE. VENE
RIS. IN. SALVST. HORTIS
SPEI
ARAM. CVM. PAEMENTO
SOMNIO. MONITVS. SVM
TV. SVO. D. D.

sed hunc Pacorum etiam negotiatorem fuisse, indicat ad caput deae sarcina, in qua merces conligatae. Horatius Spem in comitatu Fortunae ponit, L. 1. Od. 35. ℣. 21.

Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Vtcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

quod cave accipias tamquam a poëta confictum ex decoro. Apud Sortes Praenestinas cultam quoque Spem fuisse, & Jovem puerum, & Cupidines, in multis variisque antiquitatis monumentis ibidem vidit noster ille Pighius. id quod sua aetate fieri stomachabatur Plinius L. 2. C. 7. ubi de Deo: *innumeros quidem credere, atque etiam ex virtutibus vitiisque hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut (ut Democrito placuit) duos omnino, Poenam & Beneficium, majorem ad socordiam accedit. Fragilis & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suae memor, ut portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret.* Plures Romae fuisse *Spei* aedes innuit Frontinus lib. de Aquaeduct. p. 104. *Partem tamen sui Claudia prius in arcus, qui vocantur Neroniani, ad Spem Veterem transfert.* paullo post, de Aniene vetere: *Rectus vero ductus, secundum Spem Veterem veniens, intra portam Esquilinam in altos rivos per urbem deducitur.* Antea dixerat: *Prius tamen pars Juliae ad Spem Veterem excepta, castellis* CCLII. *montis usibus diffunditur.* Erant & Horti Spei Veteris; & Spei aedes in Foro Olitorio extra portam Carmentalem; itemque alia intra portam Capenam; & templum Spei novum in regione septima Viae Latae. de quibus consuli potest Alexander Donatus L. 1. Romae C. 9. L. 2. C. 25. L. 3. C. 13. 18. 23. Ceterum quod noster se nolit a Spe *destitui*, in eo proprie loquitur & signanter. Est enim *destituere* eorum, qui non exsolvunt promissa, atque etiam malo mactant quos induxerunt. Cicero pro Sex. Roscio C. 40. *At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit, (quod tametsi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verum novem homines honestissimos, ejusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude & perfidia fefellit.* Aliis verbis rem eamdem Catullus extulit, Carm. 27.

Certe tute jubebas animam tradere, inique me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre & nebulas aërias sinis.

5. FRUGUM SEMPER ACERVOS] vocula *semper* non abundat, neque est otiosa; ut bene vidit Bernardinus Cyllenius, qui primus est ausus Albio nostro manum admovere; homo, quantum illa ferebant tempora, & doctus & diligens. Jurisconsulti quidem *fruges* vocant frumentum & legumen; quibus addunt silvam caeduam, vitem, atque olivam. Sed alii latius acceperunt, &, quidquid ex fructu terrae in alimoniam vertitur, *fruges* vocaverunt, inprimis vero foetus arboreos. apud Plinium libri quinti decimi caput primum inscribitur *naturae frugiferarum arborum:* ubi, postquam de olea actum est copiose, reliquarum arborum fructus, ne pinea quidem nuce exclusa, longo ordine recensentur. Minucius Felix: *Ecce arbusta frugifera, ecce jam seges cana, jam temulenta vindemia, imbri corrumpitur, grandine caeditur.* Auctor Nucis, ℣. 19.

At postquam platanis sterilem praebentibus umbram
Uberior quavis arbore venit honos;
Nos quoque frugiferae (si nux modo ponor in illis)
Coepimus in patulas luxuriare comas.

inibi plura Nic. Heinsius notavit. Hae fruges quum diversis temporibus & percipiantur, & ad conservationem condantur, merito poëta *semper* addidit; qua voce perpetuam quamdam signavit autumnitatem, praeter proventum aestivum. Docte atque erudite utraque voce usus est Jo. Jovianus Pontanus, praeclarus scriptor, L. 4. de Prudent. C. 19. *Omnino autem prudentis est proprium, naturam rerum imitari, quae frugum ipsarum fructus ad maturitatem tempore suo perducit: quippe qui nisi maturi fuerint, nullo modo probantur.*

6. PINGUIA MUSTA] Servio si credimus, parum proprie hic loquitur noster poëta. ille enim sic scripsit ad L. 2. Georg. ℣. 7. MVSTVM *numero tantum singulari dicimus, sicut &* VINVM: *licet Ovidius abusive dixerit*

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boves.
Non agnamve sinu pigeat foetumve capellae
Desertum oblita matre referre domum.
Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.

Nam

rit MUSTA. *Sed hoc ille plus fecit, quod &* MUSTIS *dixit.* Dixit sane *mustis* Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 15. ℣. 11.

Vivet & Ascraeus, dum mustis uva tumebit.

Musta vero aliquoties legitur apud eumdem; atque etiam apud Martialem. vide sis Priscianum L. 6. p. 711. & Vossium nostrum L. 1. de Analog. C. 38. Nec tamen vocula haec tam poetica est, ut eam refugerint soluti sermonis scriptores. Plinius L. 15. C. 1. *Consequens earum vindemia est, arsque vel major olei musta temperandi.* recens oleum appellat *musta olei.* sed eumdem vide L. 23. C. 1. ubi de *mustis* proprie dictis.

11. NON AGNAMVE SINU] expressit T. Calpurnius Eclog. 5. ℣. 39.

Te quoque non pudeat, cum serus ovilia vises,
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, & nondum stare paratos.

13. PASTOREMQUE MEUM LUSTRARE] Passeratius conjiciebat *pastorumque deum*, h. e. Pana: aut certe *pastoremque deum*, ut significetur Apollo Nomius. Gebhardus, illum rejiciens, acutior sibi videtur si *pastorem* interpretetur ipsum Pana; *meum* vero exponat, mihi propitium. deinde neque ipse sibi placet. Nos simpliciter intelligamus, videlicet & pecus simul lustratum fuisse & pastorem. Quae & Barthii mens fuit L. 4. Adv. C. 11. In veteri Kalendario Rustico, mense Aprili, legitur OVES LVSTRANTVR. ea lustratio fiebat Palilibus, quae erant undecimo Kalendas Majas. Ovidius pulcerrime descripsit L. 4. Fastor. ℣. 721. sqq. hinc paucula in rem nostram libabimus.

Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra
Uda prius spargat, virgaque verrat humum.
Frondibus, & fixis decorentur ovilia ramis;
Et tegat ornatas longa corona fores.
Caerulei fiant vivo de sulphure fumi;
Tactaque fumanti sulphure balet ovis.
Ure maris rores, taedamque, herbasque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libaque de milio milii fiscella sequatur:
Rustica praecipue quo Dea laeta cibo est.
Adde dapes mulctramque suas: dapibusque resectis
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, dic, pecori pariter, pecorisque magistris:
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.

ita oves: pastores autem ipsi aqua lustrabantur atque igni. Noster L. 2. Eleg. 5. ℣. 87.

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. a stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulae sollennes potus acervos
Incendet, flammas transilietque sacras.

Propertius L. 4. Eleg. 4. ℣. 71.

Urbi festus erat, dixere Parilia patres.
Hic primus coepit moenibus esse dies.
Annua pastorum convivia, lusus in urbe,
Quum pagana madent fercula deliciis.
Quumque super raros foeni flammantis acervos
Trajicit immundos ebria turba pedes.

Et hi quidem de igne: de aqua Naso nos docuit, illo quem modo indicavi loco, ℣. 725.

Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales
Saepe tuli plena februa casta manu.
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas;
Virgaque roratas laurea misit aquas.

simpliciter Albius noster defungitur L. 2. Eleg. 1. ℣. 17.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes.
Vos mala de nostris pellite limitibus.

Hoc erat *pastorem lustrare*; quod illi neglexerunt, nec Cyllenius bene pervidit. In omni autem sive agri sive pecoris lustratione simul pro pastoribus ac familia fiebat. Cato de R. R. cap. 141. *Uti tu morbos visos, invisosque, viduertatem, vastitudinemque, calamitates, intemperiasque prohibessis, defendas, averrunces-*

que,

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florea serta lapis.

Et

que. Utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire sinas. Pastores, pecuaque salva servassis, duisque bonam salutem valetudinemque mihi, domo, familiaeque nostrae. Satis opinor ex hisce constat, vulgatam lectionem non debere mutari. Tamen in Thesauro Basilii Fabri nuper recocto, in voce *Pales*, legitur *pastoremque Deum*, addita ratione, *nam pastor Deus Apollo νόμιος est.* Restat ut doceamur, quid sit, *lustrare Nomium Apollinem.*

14. SPARGERE LACTE PALEM] aliquanto operosius T. Calpurnius Eclog. 5. ℣. 24.

Sed non ante greges in pascua mittito clausos,
Quam fuerit placata Pales. tum cespite vivo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca, tepidos tunc hostia cultros
Imbuat: atque etiam, dum vivit, ovilia lustra.

Noster recte *placidam* vocat Palem, quae parvo contenta sit, lacte puta ac libo, & pulte agresti. Paullus, ille qui Festum bona parte sui male truncavit, sacra ei fieri dixit pro partu pecoris. atque ita etiam Naso, inter multa alia hujus Deae beneficia, L. 4. Fastor. ℣. 771.

Sitque salax aries; conceptaque semina conjux
Reddat; & in stabulo multa sit agna meo.

Alii pro pabulo facta crediderunt. Servius in L. 3. Geor. ℣. 1. TE QUOQUE MAGNA PALES. *Invocat Deam pabuli, dicturus de animalibus: sicut de frumentis dicturus, & vitibus, Cererem invocavit & Liberum.* ——— ——— *Pales autem, ut diximus, Dea est pabuli: quam alii Vestam, alii Matrem Deûm vocant. hanc Virgilius genere feminino appellat. alii, inter quos Varro, masculino genere. Huic sacra solvuntur undecimo Kalendas Majas die, quae Palilia vocantur.* Valerius Probus, ibidem loci: *Pales, Dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia, transposita litera; quae si suo loco esset, Palilia potius dicerentur. qui dies natalis est urbis Romae, quae a pastoribus est condita. Hujus autem, cujus Deae esset, etiam ritus declarat. nam & ignes transiliunt, accensis stramentis more agresti, & hunc diem colentes lacte libant, qui fructus ex pecore tollitur.* voculam unam mutavi, pudenter, ut puto, & sensu sic volente: nam vulgo editur, *ibi hunc diem colentes*, prorsus inconditè. Est omnino praeses dea omnis rei agrariae, quamquam praecipue pecuariae. Unde & *pastoriam* vocabant. Florus L. 1. C. 20. *Sallentini Picentibus additi, caputque regionis Brundusium inclito portu, M. Attilio duce. Et in hoc certamine, victoriae precium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.* Factum hoc fuit A. V. CCCCLXXXVI. M. Attilio Regulo, L. Julio Libone Coss. Huic Deae Pana fere socium jungebant in cura pastoritia. Arnobius L. 3. *Armentorum & pecorum gregibus Pales praesunt Inuusque custodes: & cur saeva contagia, & pestilentes morbos ab aestivis avertere cessatione inimica non curant?* Pani quoque fiebat lacte, itidem ut Pali; in eodem ferme habitantibus sacello. Noster L. 2. Eleg. 5. ℣. 27.

Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agresti lignea falce Pales.

Erat & Priapus in hoc censu, ipse quoque foeturae studiosus. Virgilius Eclog. 7. ℣. 33.

Sinum lactis, & haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.

& Silvanus, qui saepe jungitur cum Priapo. Horatius L. 2. Epist. 1. ℣. 143.

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem brevis aevi.

adscripsi paullo copiosius, quo & tempus simul nosceres.

15. STIPES DESERTUS] ita omnes libri. nisi quod Gebhardus in quarto Palatino *defectus* invenit. Hoc Barthius pro vero ac genuino est amplexus, atque ex Prudentio & Festo probare sategit, L. 4. Adv. C. 11. Non debebat. nam sicut pro eo quod est *infigere*, dixerunt *inserere*; ita *deserere* hic valet *defigere*. quo verbo usus est noster L. 4. Carm. 1. ℣. 84.

Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos,
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo.

Cicero pro C. Rabirio C. 4. *Quamobrem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? tune, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere: qui in campo*

Mir-

Martio, comitiis centuriatis, auspicato in loco crucem ad civium supplicium defigi & destitui jubes: an ego, qui funestari concionem contagione carnificis veto? C. quoque Gracchus *destituendi* verbo utitur, in fragmento orationis de legibus promulgatis, quod Gellius nobis servavit L. 10. C. 3. *idcirco palus destitutus est in foro: eoque adductus suae civitatis nobilissimus homo M. Marius. vestimenta detracta sunt, virgis caesus est.* sic & L. Seneca lib. de Vita Beata C. 27. *Praebeo me non aliter, quam rupes aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctus non desinunt undecumque moti sunt verberare.* Ovidius *defodere* dixit L. 2. Fastor. ỷ. 641.

Termine, sive lapis, sive es defossus in agro
Stipes, ab antiquis sic quoque numen habes.

Vide Gifanii Conlectanea in verbo *Depangere.* Hos autem stipites hosque lapides sacros falsse deridet vir sanctissimus Coelius Lactantius L. 1. Divin. Instit. C. 20. ubi de Termino: *Et huic ergo publice supplicatur, quasi custodi finium Deo: qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de iis dicam, qui colunt talia? nisi ipsos potissimum lapides, ac stipites esse.*

16. SEU VETUS IN TRIVIO FLOREA SERTA LAPIS] lapis compitalis, sertis recentibus coronatus. Propertius L. 1. Eleg. 4.

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.

Lucretius L. 5. ỷ. 1201.

Nec pietas ulla est, velatum saepe videri
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras.

Apulejus Apolog. *Nullum in villa ejus delubrum situm, nullus locus aut lucus consecratus. Et quid ego de luco & delubro loquor? Negant vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus ejus aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* ambitiosius etiam idem ille Afer ipso initio libr. 1. Floridor. & doctissimus Arnobius L. 1. adversus gentes, medio ferme volumine, in his verbis, *Venerabar (o caecitas) nuper simulacra*, &c. Ceterum *florea serta* partim librorum habent, partim *florida.* illud maluerunt doctiores. & sane *florea* dici videntur, quae ex floribus fiunt, aut contexuntur: in *floridis* autem esse translatio quaedam, quae jucunditatem significet, & pulcritudinem, atque amabilitatem. sed exemplis res fiet clarior. Plautus Aulul. Act. 2. Sc. 8. ỷ. 15.

Nunc tusculum emi, & hasce coronas floreas:
Haec imponentur in foco nostro Lari.

Virgilius L. 1. Aen. ỷ. 430.

Qualis apes aestate nova per florea rura
Exercet sub sole labor.

Martialis L. 8. Epigr. 77.

Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea serta caput.

Prudentius Romano, ỷ. 1022.

Huc taurus ingens, fronte torva & hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus, deducitur.

Apulejus Apolog.

Florea serta, meum mel, & haec tibi carmina dono:
Carmina dono tibi, serta tuo Genio.

Nunc de usu atque vi voculae *floridus* pauca item videamus. Catullus Hymenaeo Juliae, ỷ. 57.

Tu fero juveni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris e gremio suae
Dedis.

Ibidem ỷ. 133.

Jam licet venias, marite:
Uxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut,
Luteumve papaver.

idem ille delicatissimus Romanae Veneris pullus, Carm. 65. ỷ. 16.

Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
Jucundum quum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi.

Ovidius L. 3. Metam. ỷ. 790.

Candidior nivei folio, Galatea, ligustri;
Floridior pratis; longa procerior alno.

Cicero in Bruto, C. 82. *in quo etiam illud quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias. natura quaedam, aut voluntas ita dicendi fuit.* Quintilianus L. 2. Instit. Orat. C. 5. *Quod si potuerit obtineri, non ita difficilis supererit quaestio, qui legendi sint incipientibus. Nam quidam illos minores, quia facilior eorum intellectus videbatur, probaverunt: alii floridius genus, ut ad alenda primarum aetatum ingenia magis accommodatum.* Cicero L. 3. Tusc. Quaest. C. 18. *Si quem tuorum afflictum moerore videris, huic acipenserem potius, quam aliquem Socraticum libellum dabis? hydrauli hortabere ut audiat voces potius, quam Platonis? expones, quae spectet florida, & varia? fasciculum ad nares admovebis? incendes odores? & ser-*

Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolae ponitur ante Deo.

Flava

fertis redimiri jubebis, & rosa? Plinius L. 36. C. 6. *Sunt autem colores austeri, aut floridi. utrumque natura, aut mixtura evenit. Floridi sunt, quos dominus pingenti praestat, minium, Armenium, cinnabaris, chrysocolla, Indicum, purpurissum. ceteri austeri.* Haec singula (sunt enim non unius naturae) bene qui perpenderit, facile videbit inter *floreum* & *floridum* quid sit discriminis. Sed librarii scribae saepenumero confuderunt, praesertim in poëtis. ideo semel monendum fuit, ne chartis annosis plus fidei habeatur, quam sincero sermoni. Haec dum scribo, paene excidit hoc ipsum Albii nostri distichon jam olim exposuisse virum eruditum Jacobum Nicolaum L. 2. Epiphyll. C. 18. non ubique nobiscum facientem.

17. NOVUS EDUCAT ANNUS] *annum novum* vocat novam tepentis veris clementiam, poma in flore nascentia molliter foventis, & materna cura educantis ad maturitatem. Atque ita *annum* vocabant quamlibet anni partem, addito epitheto discretionis gratia. Sic autumnum Horatius *annum pomiferum* dixit, L. 3. Od. 23. ŷ. 8.

Nec pestilentem sentiet Africum
Foecunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.

Sic *hibernum annum* idem poëta hiemem appellat, Epod. 2. ŷ. 29.

At cum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque comparat.

ibi Porphyrionem vide. *inversum annum* vocaverat L. 1. Sat. 1. ŷ. 36. ubi de formica:

Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, & illis utitur ante
Quaesitis patiens.

horrentem Papinius L. 4. Theb. ipso initio:

Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
Phoebus, & angustum cogebat limite verno
Longius ire diem.

frigidum Maro L. 6. Aen. ŷ. 311.

ad terram gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris inmittit apricis.

Sulpicia nostra L. 4. Carm. 8.

Atque Eretino frigidus annus agro.

annus formosissimus, verna amoenitas. Virgilius Ecl. 3. ŷ. 57.

in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

annus letifer, pestilitas aestiva ardente Sirio. Virgilius L. 3. Aen. ŷ. 139.

subito cum tabida membris,
Corrupto coeli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque lues, & letifer annus.

Papinius L. 7. Theb. ŷ. 709. de Amphiarao jam jam tellure hauriendo:

Innumeram ferro plebem, ceu letifer annus,
Aut jubar adversi grave sideris, inmolat umbris
Ipse suis.

denique *annus*, simpliciter, annuas temporum vices complectitur apud Lucanum L. 9. ŷ. 437. ubi de Africae parte illa sterili apud Syrtes:

Temperies vitalis abest: & nulla sub illa
Cura Jovis terra est: Natura deside torpet
Orbis, & immotis annum non sentit arenis.

Horum quaedam Jo. Passeratius libavit, ante nos, Conject. C. 7. cui quamvis nihil debeamus, tamen indicandum fuit propter ardelionum nationem inportunam.

18. AGRICOLAE PONITUR ANTE DEO] haec est vera scriptura: quamquam plures libri habent *Deum.* sed *Deus agricolae* quis putet Latine dici? tolerabilius Colotii codex, prodente Achille Statio, *agricolam Deum* habebat; id quod & in excerptis erat M. Ant. Pocchi. alii *agricolas Deos* maluerunt; in quibus Barthius L. 4. Adv. C. 11. & Jo. Pricaeus not. in Apuleji Apologiam p. 132. qui & interpretes hoc non advertisse indignatur. Male uterque. non enim cuncta ruris numina hic una compellatione complecti debuit poëta, qui singulorum tam sollicite meminerit, Palis, Termini, Larum compitalium, Spei, Cereris, Priapi, Larum agrestium, &c. ac deinde addiderit ex ritu solenni *Adsitis Divi*, postquam singulis peculiari ac suo honore fecisset. igitur *Deus* ille *agricola*, cui nunc pomum libatur, certus quidam Deus fuerit oportet, cujus in manibus hortorum dona, ut Propertius meus loquitur, maxime probarentur. Is autem erat Vertumnus; ne

quis

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores.

Pomo-

quis hic vel Liberum patrem quaerat, vel Apollinem Nomium, vel Silvanum, Liberamve, aut Pana. Clariſſimis verbis ipſe Vertumnus apud Naſonem, L. 14. Metam. ℣. 687. ſub perſona aniculae Pomonam demulcentis:

Quid, quod amatis idem? quod, quae tibi poma coluntur,
Primus habet; laetaque tenet tua munera dextra?
Sed neque jam foetus deſiderat arbore demtos,
Nec quas hortus alit cum ſuccis mitibus herbas;
Nec quidquam, niſi te.

pariter ille idem Aurelii mei ore molliſſimo, L. 4. Eleg. 2. ℣. 13.

Prima mihi variat liventibus uva racemis,
Et coma lactenti ſpicea fruge tumet.
Hic dulces ceraſos, hic autumnalia pruna
Cernis, & aeſtivo mora rubere die.
Inſitor hic ſolvit pomoſa vota corona,
Quum pirus invito ſtipite mala tulit.

Vides poëtam noſtrum ex more priſco dediſſe Vertumno id, quod deinde tranſiit & ad Pomonam, Vertumni uxorem. Feſtus Pompejus hoc oſtendit: *Maximae dignationis flamen Dialis eſt inter quindecim flamines: & cum ceteri diſcrimina majeſtatis ſuae habeant, minimi habetur Pomonalis, quod Pomona leviſſimo fructui agrorum praeſidet pomis.* Nocuit Vertumno tmeſis & trajectio verbi *ponitur ante:* quae tamen non eſt valde inſolens. Horatius L. 1. Sat. 3. ℣. 92.

Aut poſitum ante mea quia pullum in parte catini
Suſtulit eſuriens.

imo & extra carmen non refugit Tullius ſic loqui, L. 3. de Offic. C. 17. *Prudentia eſt locata in dilectu bonorum, & malorum: malitia (ſi omnia, quae turpia ſunt, mala ſunt) mala bonis ponit ante.* De libatione primitiarum res eſt nota, & multis notata. unius Plinii verbis contenti ſimus, L. 18. C. 2. *Ac ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent.*

19. CORONA SPICEA] Horatius Carm. Saec. ℣. 30.

Fertilis frugum pecoriſque tellus
Spicea donet Cererem corona.

Videntur & alii Dii rurationis praeſides coronas ſpiceas geſtaſſe. Aperte hoc teſtatur noſter poëta in fine hujus libri, Eleg. 11. ℣. 22.

Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.
Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam,
Seu dederat ſanctae ſpicea ſerta comae.

Sed hic non agitur de corona, quae crines redimiret. ſequitur enim ſtatim, *quae templi pendeat ante fores*, tamquam proprium inſigne Deae ſpiciferae & frugiferae. Apulejus initio L. 6. Metam. *Videt ſpicas frumentarias in acervo, & alias flexiles in corona: & ſpicas hordei videt. Erant & falces, & operae meſſoriae modus omnis; ſed cuncta paſſim jacentia, & incuria confuſa, &, ut ſolet, aeſtu laborantium manibus projecta. Hic ſingula Pſyche curioſe dividit, & diſcretim remota rite componit.* videlicet ſuo quodque loco collocatura, & coronam quidem in foribus, quo liqueret Cereris eſſe templum; id quod ipſa, nullo conſpecto ſigno, primulum accedens ignoraverat. In aliis Diis ratio eſt eadem. De Baccho Propertius L. 3. Eleg. 15. ℣. 37.

Ante fores templi crater antiſtitis auro,
Libatum fundens in tua ſacra merum.

De templo Auguſti magnus magiſter L. 3. Geor. ℣. 26.

In foribus pugnam ex auro ſolidoque elephanto
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini:
Atque hic undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentis aere columnas.
Addam urbis Aſiae domitas, pulſumque Niphaten,
Fidentemque fuga Parthum verſiſque ſagittis,
Et duo rapta manu diverſo ex hoſte tropaea,
Biſque triumphatas utroque ab litore gentis.

De templo quod Apollini Daedalus poſuit Cumis, L. 6. Aen. ℣. 20.

In foribus letum Androgeo: tum pendere poenas
Cecropidae juſſi (miſerum) ſeptena quotannis
Corpora natorum, ſtat ductis ſortibus urna:
Contra elata mari reſpondet Cnoſſia tellus.

& quae plura iſtic ſequuntur, multo pulcerrima. De templo Martis Ultoris Ovidius L. 5. Faſtor. ℣. 559.

Proſpicit armipotens operis faſtigia ſummi:
Et probat invictos ſumma tenere Deos.
Proſpicit in foribus diverſae tela figurae;
Armaque terrarum milite victa ſuo.

Pomoſisque ruber cuſtos ponatur in hortis,
  Terreat ut ſaeva falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
  Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.

Tunc

Hinc videt Aeneam oneratum pondere ſacro,
  Et tot Iuleae nobilitatis avos.
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem:
  Claraque diſpoſitis acta ſubeſſe viris.

Hanc aedem Auguſtus fecerat, &, originis ſuae memoriam conſervaturus, Venerem quoque Genetricem in valvis expreſſerat. quod ex ejuſdem poëtae Triſtibus docemur (quamquam & in Faſtis docuit) L. 2. ℣. 295.

Venerit in magni templum, tua munera, Martis;
  Stat Venus Ultori juncta viro ante fores.

Adde his, ſi lubet, fores regiae Solaris, ipſo initio L. 2. Metam. & valvas porticus Apollinis Palatini apud Propertium L. 2. Eleg. 23. ℣. 12. Etiam in Cereris fanis caelatas fuiſſe fores ſacris argumentis, non eſt cur dubitemus. Sed hic templum ruſticum deſcribitur, frugali cultu paganiſque munditiis ſimplex, & ſacra tantum corona conſpicuum.

21. CUSTOS PONATUR IN HORTIS] Lambinus *donatur* legebat, in Horat. L. 1. Sat. 8. ℣. 3. & Lucas quoque Fruterius Epiſt. 5 adſentiente Livinejo. Mihi non perſuadent. video enim conjunctivo modo paſſim uſum poëtam in ſuperioribus. ſed & hoc illi mutilarant, inique refingentes paullo ante,

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona.

quum *tibi ſit* foret dedicantis, ut recte monuit Paſſeratius. dein *poni* dicitur Priapus verbo proprio, quod ſedem notat certam ac ſtabilem, ubi ille perdius & pernox excubias agat contra fures, tam volantes, quam ambulantes. Sic ipſe de ſe praedicat Carm. 23.

Hic me cuſtodem foecundi villicus horti
  Mandati curam juſſit habere loci.

& Carm. 63.

Parum eſt, miſellus fixerim quod hic ſedem,
Agente terra per Caniculam rimas
Siticuloſam ſuſtinens die aeſtatem.
Parum, quod imos perluunt ſinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt noſtros,
Rigetque dura barba vincta cryſtallo.
Parum, quod acta ſub laboribus luce
Parem diebus pervigil traho noctem.

Hinc noſter poëta, credo miſertus numinis ficulnei, minus incommodam ei ſtationem optat, hujus libri Eleg. 4.

Sic umbroſa tibi contingant tecta, Priape,
  Ne capiti ſoles, ne noceantque nives.

22. SAEVA FALCE] minaci, terribili. in tertio meo eſt *curva falce:* ut apud Virgilium L. 7. Aen. ℣. 179.

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro; Italusque, paterque Sabinus
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnuſque ſenex, Janique bifrontis imago
Veſtibulo adſtabant.

& L. 1. Geor. ℣. 508.

ſqualent abductis arva colonis,
Et curvae rigidum falces conflantur in enſem.

Ovidius *incurvam* vocavit L. 1. Amor. Eleg. 15. ℣. 12.

Dum cadet incurva falce reſecta Ceres.

ſed hic liber noſter nullum habet ſuffragatorem. Gebhardus ex ſuis Palatinis, ſed corruptis & vitioſis, ita haec nobis concinnavit:

Terreat ut ſcaevas falce Priapus aves.

nec eo contentus, Propertium inſuper duobus locis depravavit, ut fidem faceret ſcilicet huic tam bello commento. Miror, hominem antiquarium non vidiſſe *aves ſcaevas* ad auguria & auſpicia pertinere, atque eaſdem eſſe quas *ſiniſtras*. vulgata autem lectione quid erat ſimplicius?

23. FELICIS QUONDAM, NUNC PAUPERIS AGRI] ager *felix* non eſt fertilis, ac fructuoſus, quod Ach. Statius volebat; ſed copioſus, & dives, atque opulentus, atque ideo *pauperi* oppoſitus, ut bene oſtendit Joſ. Caſtalio Dec. 9. Obſ. C. 7.

24. FERTIS MUNERA VESTRA LARES] *veſtra*, vobis debita. ſic libri ſcripti. editiones primae *noſtra* habent, minus recte. *ferre* autem *munera* Virgilius dixit, L. 5. Aen. ℣. 248.

Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in navis ternos optare juvencos,
Vinaque, & argenti magnum dat ferre talentum.

itemque Horatius L. 4. Od. 8.

Neque





Neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium
Quas aut Praxiteles protulit, aut Scopas.

& Naso Amor. L. 3. Eleg. 6. ℣. 66.

Ne me sperne, precor, tantum, Trojana propago:
Munera promissis uberiora feres.

Lares, qui sequuntur, sunt *rustici*, sive *agrestes*. Horum munera ex parte describit T. Calpurnius Eclog. 2. ℣. 64.

Nos quoque pomiferi Laribus consuevimus horti
Mittere primitias, & fingere liba Priapo:
Rorantesque favos damus, & liquentia mella,
Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.

& ante illum Tiresias apud Venusinum poëtam, non sine acri morsu, L. 2. Sat. 5. ℣. 12.

dulcia poma,
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

ex parte, dixi: erant enim plura. ture his Laribus fiebat, & mola salsa, & horna fruge; & vitula, & agna, & porca. vitulam atque agnam hic loci videmus. de porco, de favis, & libis, infra agitur Eleg. 11. reliqua memorat Horatius L. 3. Od. 23.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente luna, rustica Phidile,
Si ture placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca: &c.

deinde addit:

te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.
Inmunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia,
Mollibit aversos Penates
Farre pio & saliente mica.

accedebant coronae praegrandes velando foco. Festus: *Donaticae coronae dictae, quod his victores in ludis donabantur; quae postea magnificentiae caussa institutae sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt cum Lares ornantur.* ut jam nihil dicam de vini libatione in mensis secundis. Atque haec omnia sancte servabant, Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies quum erat, pro sua quisque copia. quod praecipit Cato lib. de R. R. cap. 143. Erantque hae caerimoniae inter legitimas religiones. Cicero L. 2. de Legib. C. 11. quo loco contra Persarum magos egerat pro templis urbanis: *Eamdemque rationem luci habent in agris. Neque ea, quae a majoribus prodita est cum dominis, tum famulis, posita in fundi villaeque conspectu, religio Larum, repudianda est.* Apud Gruterum VICUS LARUM RURALIUM memoratur in lapide luculento p. CCLI. column. 3. quem vicum in quarta decima Urbis regione trans Tiberim ponit P. Victor. Hos inter Lares praecipui fuisse videntur Silvanus & Priapus. Horatius Epod. 2. ℣. 17.

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpurae,
Qua muneretur te Priape, & te pater
Silvane, tutor finium.

Atque hujus quidem habitum nos docet Maro Eclog. 10.

Venit & agresti capitis Silvanus honore,
Florentis ferulas & grandia lilia quassans.

ubi *ferulas* cave pro baculo accipias, quod quidam voluerunt. obstat epitheton *florentes*. obstat & cupressus, quam Silvanus portat apud eumdem poëtam L. 1. Geor. ℣. 20.

Et teneram ab radice ferens Silvane cupressum.

Huc faciunt duo insignia antiquitatis monumenta apud Jo. Jac. Boissardum: alterum T. 4. p. 134. alterum T. 6. p. 30. in quo SILVANUS LITTORALIS dicitur. cujus rei caussa huc non pertinet. Sed proprio ac peculiari honore SILVANUS LARUM vocabatur, & SILVANUS SANCTUS SACER LARUM, & SILVANUS CUSTOS, itemque SILVANUS SALUTARIS. quae nomina reperies in antiquis Inscriptionibus. Erat autem Silvanus Latinum numen, non aliunde invectum: quam ob rem majore quoque cura Latinos agricolas complecti credebatur. Virgilius L. 8. Aen. ℣. 600.

Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos
Arvorum pecorisque Deo lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.

De Priapo, foecunditatis ac foeturae auctore, nihil nunc attinet multa coacervare. In saxo Albae Juliae effosso PANTHEUS vocatur, Inscr. p. XCV. 1. Detestatur Prudentius L. 1. contra Symmach. ℣. 111.

Hic Deus, & patrio praenobilis Hellesponto,
Venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos.
Sinum lactis, & haec votorum liba quodannis
Accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

Albii nostri mentem non male perspexit Nobilissimus Janus Douza, flos ille terrae patriae, Comment. in Horat. C. 7.

Tunc vitula innumeros luſtrabat caeſa juvencos:
Nunc agna exigui eſt hoſtia magna ſoli.
Agna cadet vobis: quam circum ruſtica pubes
Clamet: Io meſſes, & bona vina date.
Adſitis, Divi. neu vos de paupere menſa
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.

Ficti-

26. NUNC AGNA EXIGUI EST HOSTIA MAGNA SOLI] noſtri ſcripti, & omnis vetus editio, *hoſtia parva* habent. Sed merito Muretus & Scaliger, ex ſuis, *magna* praetulerunt; videlicet pro ruſculi exiguitate, & tenuitate rerum accifarum. Sic & alii ſcriptores boni loquuntur. Cicero pro rege Dejotaro C. 8. *Atque antea quidem majores copias alere poterat: nunc exiguas vix tueri poteſt.* Ovidius L. 6. Faſtor. ℣. 264.

Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtae,
Tunc erat intonſi regia magna Numae.

& L. 1. Triſt. Eleg. 9.

A quibus adveniat Miletida ſoſpes ad urbem,
Offenſi quo me compulit ira Dei.
Hanc ſi contigerit, meritae cadet agna Minervae.
Non facit ad noſtras hoſtia major opes.

Livius L. 5. C. 47. de M. Manlio, cui ob defenſum contra Gallos Capitolium univerſi ſelibras farris & quartarios vini contulerant, *Rem* (inquit) *dictu parvam, ceterum inopia fecerat eam argumentum ingens caritatis; cum ſe quiſque victu ſuo fraudans, detractum corpori atque uſibus neceſſariis ad honorem unius viri conferret.*

28. IO MESSES, ET BONA VINA DATE] Barthius magis impleturum poëticas aures opinatur, ſi legatur *& date vina bona*; atque ita & ſonum verſiculi malle, & conſuetudinem poëtae; L. 4. Adv. C. 11. Mihi ſecus videtur: non quo Barthio plus ſapiam, ſed quia aurium judicium eſſe ſolet liberrimum.

29. ADSITIS DIVI] Deos ad ſacras dapes atque epulas ſolenniter invitabant, eoſque non invitos adeſſe credebant. Ovidius L. 6. Faſtor. ℣. 306.

Ante focos olim longis conſidere ſcamnis
Mos erat; & menſae credere adeſſe Deos.

videlicet Deos Penates, & Lares, quorum ſedes apud focum. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 62.

Bina boum vobis Troja generatus Aceſtes
Dat numero capita in navis. adhibete Penatis
Et patrios epulis, & quos colit hoſpes Aceſtes.

noſter Genium invitat L. 2. Eleg. 2. ℣. 5.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent flavas mollia ſerta comas.
Illius puro deſtillent tempora nardo:
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

Venerem Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 9.

Tempeſtivius in domo
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comiſſabere Maximi,
Si torrere jecur quaeris idoneum.

alios Deos magnos alii. Dido apud Maronem L. 1. Aen. ℣. 731.

Jupiter (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc laetum Tyriiſque diem Trojaque profectis
Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.
Adſit laetitiae Bacchus dator, & bona Juno.

Aeneas L. 3. ℣. 219.

Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Laeta boum paſſim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo cuſtode, per herbas.
Inruimus ferro, & divos ipſumque vocamus
In praedam partemque Jovem. tum litore curvo
Exſtruimuſque toros, dapibuſque epulamur opimis.

Horum quaedam ante nos libaverat vir elegantis doctrinae Jo. Paſſeratius lib. Conjectur. C. 12. aliud autem egit Gebhardi jejunitas.

29. NEC VOS E PAUPERE MENSA] in multis Ach. Statii libris, in omnibus Palatinis, in noſtris tribus, in tribus item editionibus antiquis, erat *neu vos.* tum & *de*, pro *e*, habebant Statiani, ac bini de noſtris: unuſque Heinſianus. utrumque recte. *Menſa pauper* eſt frugalis, dapibus inemtis apparata, non ſumtuoſa; atque ideo Diis acceptior. Papinius L. 1. Silv. 4. ipſo fine.

qua nunc tibi pauper acerra
Digna litem? nec ſi vacuet Mevania valles,
Aut praeſtent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam. ſed ſaepe Deis hos inter honores
Ceſpes, & exiguo placuerunt farra ſalino.

erant enim exiguo contenti. *Quocirca*, ajebat

bat Varro in Manio, *oportet bonum civem legibus parêre, Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.*

30. NEC E PARVIS SPERNITE FICTILIBUS] omnis scriptura, omnisque editio vetus constanter *nec e puris* habent. Et sane, non quam *parva* essent illa vasa referebat, sed quam essent *pura*. nam, ut noster pulcre dixit, *casta placent Superis*. de exilitate ut constaret, satis erat *fictilia* vocasse. Hac mente Euclio ille Plautinus, Aulul. Act. 2. Sc. 3. initio:

Ubi tu es, quae deblaterasti jam vicinis omnibus,
Meae me filiae daturum dotem? heus Staphyla, te voco:
Ecquid audis? vascula intus pure propera atque elue.
Filiam despondi ego: hodie nuptum huic Megadoro dabo.

& Ergasilus ejusdem Captiv. Act. 4. Sc. 2. ℣. 81.

jube
Vasa tibi pura apparari ad rem divinam cito.

itemque Naso L. 6. Fastor. ℣. 310.

Venit in hos annos aliquid de more vetusto:
Fert missos Vestae pura patella cibos.

Reges illi primi, & populus pauper, quum praeter tenuem ex argilla supellectilem aliud haberent nihil, in caerimoniis ac religionibus Deorum hac quoque ipsa uti cogebantur. Cicero Paradox. 1. C. 3. *Quaero a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc remp. tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates? ——— ——— Quid a Numa Pompilio, minusne gratas Diis immortalibus capedines, ac fictiles urnulas fuisse, quam filicatas aliorum pateras arbitramur?* Juvenalis Sat. 6. ℣. 342.

Et quis tunc hominum contemtor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numae, nigrumque catinum,
Et Vaticano fragiles de monte patellas
Ausus erat?

Hinc solens more suo jocum captavit Plautus Captiv. Act. 2. Sc. 2. ℣. 40.

Quin etiam ut magis noscas: Genio suo ubi quando sacruficat,
Ad rem divinam quibus est opus, Samiis vasis utitur:
Ne ipse Genius surripiat. proinde aliis ut credat vide.

Crescentibus deinde & publice & privatim divitiis, crevit simul in inmensum luxuria: tamen, quod miremur, remansit in sacris memoria ac veneratio frugalitatis antiquae, adusque ultima tempora exspirantis paganitatis. Varro lib. 4. de L. L. *Capulae a capiendo; quod ansatae, ut prehendi possint, id est capi. Harum figuras in vaseis sacreis ligneas & fictiles antiquas etiam nunc videmus.* paria addit de *pateris*. Cicero L. 3. de Nat. Deor. C. 17. *Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo, meliora me didicisse de colendis Diis immortalibus jure pontificio, & majorum more, capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Laelius, quam rationibus Stoicorum.* & L. 6. de Republ. *Oratio exstat Laelii, quam omnes habemus in manibus, quam sympuvia pontificum Diis immortalibus grata sint, Samiaeque, ut is scribit, capedines.* Valerius Maximus L. 4. C. 4. in fine: *Exsurgamus potius animis, pecuniaeque adspectu debilitatos spiritus pristini temporis memoria recreemus. Namque per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & aeternos Vestae focos, fictilibus etiamnum vasis contentos juro; nullas divitias talium virorum paupertati posse praeferri.* Haec ille Tiberii imp. temporibus. at sub Antoninis Apulejus, in Apologia: *Eadem paupertas etiam populo Romano imperium a primordio fundavit. proque eo in hodiernum Diis immortalibus simpulo & catino fictili, sacrificat.* Itaque nemini mirum videri debet, si hunc morem publicum in sacris domesticis sequerentur homines paullo religiosiores. tamen apud multos jam tunc in desuetudinem venisse, non est cur negemus. Docet hoc Cicero Accus. 4. in Verr. C. 21. *domus erat ante istum praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent, etiamsi praeterea nihil esset argenti; patella grandis cum sigillis ac simulacris Deorum; patera, qua mulieres ad res divinas uterentur; turibulum. haec autem omnia antiquo opere & summo artificio facta.* ibidem C. 22. *apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne Penatium, hospitaliumque Deorum, ex hospitali mensa tollere. sed tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis avulsis reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit.* & C. 24. *Menses octo continuos opus his non defuit, cum vas nullum fieret, nisi aureum. Tum illa, ex patellis & turibulis quae avellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ut ea ad illam rem nata esse diceres.* Ecce delicias ab Albiana simplicitate multum diversas.

31. Fr-

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
  Pocula, de facili compoſuitque luto.
At vos exiguo pecori fureſque, lupique,
  Parcite. de magno praeda petenda grege eſt.
Non ego divitias patrum fructuſque requiro,
  Quos tulit antiquo condita meſſis avo.
Parva ſeges ſatis eſt: ſatis eſt, requieſcere tecto
  Si licet, & ſolito membra levare toro.

Quam

31. FICTILIA ANTIQUUS PRIMUM] Naſo L. 8. Metam. ℣. 664.

Ponitur hic bicolor ſincerae bacca Minervae,
Conditaque in liquida corna autumnalia faece,
Intubaque, & radix, & lactis maſſa coacti;
Omnia fictilibus. poſthaec caelatus eadem
Siſtitur argilla crater.

Sed & ipſi reges libenter utebantur, non tantum homines agreſtes. Martialis L. 14. Epigr. 98.

Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus:
  Lautus erat Tuſcis Porſena fictilibus.

de Numa jam vidimus: de Agathocle alii narrarunt. pro *primum*, in Wittiano priore *primus* eſt. quod quamvis non diſpliceat, tamen homoeoteleuton probare non poſſum.

34. DE MAGNO EST PRAEDA PETENDA GREGE] verbum *eſt* aberat a quibuſdam Statianis, & ab uno meo. ſed ego non auſim delere. ſaepe noſter ſic ſolet, & quidem in pentemimeri. Tamen valde placet ſcriptura unius Heinſiani, *de magno praeda petenda grege eſt.*

35. FRUCTUSQUE REQUIRO] fruges intelligit: id quod ſatis declarat *meſſis condita* in proximo. Cicero Agrar. 2. C. 23. *Itaque hoc perſcriptum in monumentis veteribus reperietis, ut eſſet urbs, quae res eas, quibus ager Campanus coleretur, ſuppeditare poſſet: ut eſſet locus comportandis condendiſque fructibus: ut aratores, cultu agrorum defeſſi, urbis domiciliis uterentur: idcirco illa aedificia non eſſe deleta.* lib. de Senect. C. 19. *Sin proceſſeris longius, non magis dolendum eſt, quam agricolae dolent, praeterita verni temporis ſuavitate, aeſtatem auctumnumque veniſſe. Ver enim tamquam adoleſcentiam ſignificat, oſtenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus & percipiendis accommodata ſunt.* Et ſic locis innumeris Accuſationis tertiae in C. Verrem. Alibi tamen *fruges* a *fructibus* ſecrevit idem Tullius: ut L. 2. de Offic. C. 3. *Neque enim valetudinis curatio, neque navigatio, neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio & conſervatio, ſine hominum opera ulla eſſe potuiſſet.* Macrobius, meliorum ſpoliis onuſtus, quid *fruges* & *fructus* proprie dicantur, pulcre diſcriminat L. 1. Sat. C. 17. *virtus Solis eſt, quae fructibus, effectus ejuſdem eſt qui frugibus praeeſt.* Verbum autem *condere* eſt mere ruſticum: itaque decôre hic ponitur. Cicero Accuſ. 2. in Verr. C. 2. *Itaque ad omnes res Sicilia provincia ſemper uſi ſumus, ut, quidquid ex ſeſe poſſet efferre, id non apud eos naſci, ſed domi noſtrae conditum jam putaremus.* apud eumdem Cato in cognomine dialogo, C. 7. *Age, ut iſta divina ſtudia omittamus, poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos vicinos, & familiares meos, quibus abſentibus numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non ſerendis, non percipiendis, non condendis fructibus.* Hinc venuſte Horatius tranſtulit ad diſciplinam bene vivendi, L. 1. Epiſt. 1. ℣. 12.

Quid verum, atque decens, curo, & rogo: & omnis in hoc ſum.
Condo, & compono, quae mox depromere poſſim.

alibi *frumenta condere* proprie dixerat.

37. PARVA SEGES SATIS EST] Erat in excerptis M. Ant. Pocchi, *Parva ſatis menſa eſt.* ut videatur dicere, exili menſa & toro non ſplendido ſe eſſe contentum. Sic & alii in commodis vitae privatae & quietae. Horatius L. 2. Od. 16.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

& apud eumdem gurges ille Tigellius, L. 1. Sat. 3. ℣. 13.

Sit mihi menſa tripes, &
Concha ſalis puri, & toga quae defendere frigus,
Quamvis craſſa, queat.

Ovidius

Quam juvat inmites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu:

Aut,

Ovidius, de Baucide, L. 8. Metam. ℣. 660.
mensam succincta tremensque
Ponit anus. mensae sed erat pes tertius impar:
Testa parem fecit.
Ego tamen (ne quid mentiar) illam Pocchi scripturam non habeo pro genuina: nec de mensa poëtam loqui arbitror, sed de fruge in annum provisa.

37. SATIS EST REQUIESCERE LECTO] Otiosa est *lecti* vox, quum sequatur *toro*. Minima mutatione *tecto* reponebat Lucas Fruterius, probante Passeratio. malebat tamen Nic. Heinsius *fesso*, not. ad Ovid. L. 1. Fastor. ℣. 287. Invitus a viro illustri discedo: sed mihi Tibullus in mentione segetis persistere videtur, & tectum intelligere stramineum: qualia fere sunt villarum modicarum. Varronis frustillum est ex Menippea περὶ φιλαργυρίας: *Etenim quibus seges praebeat domum, escam, potionem, quid desideremus?* Servavit Nonius Marcellus in voce *Seges*. ita & de sua villa Horatius L. 2. Sat. 6.
Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquae fons,
Et paullum silvae super his foret.
&, quod propius huc facit, Damasippus Stoicus Horatium increpans Sat. 3. ibid. ℣. 10.
Atqui vultus erat multa & praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Varro lib. 7. de L. L. *Non solum vestiti esse volumus, ut vitemus frigus, sed etiam ut videamur vestiti esse honeste: non domum habere, ut simus in tecto & tuto solum, quo necessitas contruserit: sed etiam ubi voluptas retineri possit.* Noster vero satis sibi fore dicit, si habeat ubi sit in tecto & in tuto.

38. SOLO MEMBRA LEVARE TORO] Scaliger hoc *solo* intrusit ex suis excerptis; addens, *solum torum sibi superesse ait.* Parcamus memoriae viri excellentis. Non tanta fuit nostri equitis egestas. *solito* habent omnes omnium libri. nec mirum, solito ac suo toro gaudere velle eum, cui post longas militiae jactationes fixum atque inmotum sedebat, ut ne usquam nisi in agello suo consenesceret. Pulcre suavissimus Catullus, Carm. 28.
O quid solutis est beatius curis?
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque adquiescimus lecto.
Hoc est, quod unum est pro laboribus tantis.
& magno malo suo doctus, infelix Naso, L. 1. Trist. Eleg. 10. ℣. 37.
Non haec in nostris, ut quondam, scribimus hortis:
Nec consuete meum lectule corpus habes.
L. 3. ejusdem operis, Eleg. 3. ℣. 39.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris,
Et fient ipso tristia fata loco?
Nec mea consueto languescent corpora lecto?
Depositum nec me qui fleat, ullus erit?

39. QUAM JUVAT INMITES VENTOS AUDIRE CUBANTEM] dulce est cernere, ut Lucretius ait, quibus ipse malis careas. Hinc saepe tempestas mala, quem domi continet, invitat ad voluptatem, & hilaritatem. Horatius Epod. 13.
Horrida tempestas coelum contraxit: & imbres
Nivesque deducunt Jovem.
Nunc mare, nunc siliae
Threïcio Aquilone sonant. rapiamus, amici,
Occasionem de die:
Dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
ita hoc carmen ediderunt viri docti, ut sit tricolon. sed in optimo libro Graeviano dicolon est: & sic veteres quoque magistri sciverunt. Ceterum *Quam juvet* malebat Heinsius, quia sit optantis. At ego in re praesenti poëtam loqui existimo. sic Horatius Epod. 2. ℣. 61.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido:
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!

40. DOMINAM TENERO CONTINUISSE SINU] Gebhardus in sexto Palatino, qui ceteris emendatior ferebatur, *detinuisse* invenit: quod & Angeli Colotii habent excerpta. Placet; & sequor. *Detinere*, longius solito tenere. P. Lentulus, apud Ciceronem, L. 12. ad famil. Epist. 15. *Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem, detinuisse nos, & demorati esse, dum classis Dolabellae certior fieret de adventu nostro.* Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. ℣. 59.
Detineo te: fortasse tu profectus alio fueras.

Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos imbre juvante sequi.

Hoc

ad rem nostram Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 650.

Nec male deliciis odiosum conscia tardis
Detinet; & longa jungitur ipsa mora.

Papinius L. 3. Silv. 1. ℣. 42. ad Herculem:

sed quem te Maenalis Auge
Confectum thyasis, & multo fratre madentem
Detinuit.

Festive Grotius ille, summum decus Batavici nominis, in mollissima Elegia, qua Hiemis commoda commendavit:

Dicite, Chaldaei, roseis cur vecta quadrigis
Tardior hiberno tempore surgat Eos?
Memnonis illa suum mater complexa maritum
Dulcia productae gaudia noctis amat.
Jam matutini praesertim frigora coeli
Dum timet, in tepidos & fugit usque sinus.

42. SECURUM SOMNOS IMBRE JUVANTE SEQUI] haec est vetus & vera lectio: quamquam in multis libris *igne juvante* reperitur. quod qui tam cupide amplectuntur, cogitare debebant *imbrem* & *ignem* crebro confundi in vetere scriptura. apud Valerium Flaccum L. 5. ℣. 416. vulgo legitur:

densaeque sequuntur
Pliades, & madidis rorant e crinibus ignes.

ingens portentum, si ex aqua rorentur ignes. qua ratione permotus felicissimus ille poëtarum Latinorum sospitator Nic. Heinsius *imbres* rectissime & verissime reposuit. illum tu, si me audis, videre debes Not. in Ovid. L. 10. Metam. ℣. 508. Pariter peccarunt librarii in fragmento Prognosticorum Germanici Caesaris ℣. 19.

Horridus at gelidos portendit Aquarius ignes.

vidit Grotius noster, & signo frigidissimo *imbres* suos reddidit, jure merito. sequitur enim continuo.

Hibernaeque cadunt pluviae, concretaque grando.

Est autem hic nostri locus de Sophocle desumtus: quod ostendit nobis Tullius L. 2. ad Attic. Epist. 7. *Nunc vero cum cogar exire de navi, non abjectis, sed receptis gubernaculis; cupio istorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus Sophocles,*

κἂν ὑπὸ ϛέγῃ
Πυκνᾶς ἀκούειν ψεκάδος εὐδούσῃ φρενί.

vertunt Latine: *& utique sub tecto confertim labentem audire pluviam, sopito & quieto animo.* Hoc unum deerat voluptati, quam ex platani Lyciae amoenitate capiebat Mucianus. illam describens Plinius L. 12. C. 1. aperte firmat Albii nostri desiderium. *tam digna* (inquit) *miraculo, ut Licinius Mucianus ter consul, & nuper provinciae ejus legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodevicesimo comite: large ipsa toros praebente fronde, ab omni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, laetiorem, quam marmorum nitore, picturae varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem.* Sane vix umquam suavius dormitur, quam densis pluviae guttis tegulas tectorum quasi in numerum converberantibus. Etiam in mari hoc accidit, non nimium commoto, ubi ad pluviam accedit fremitus subterlabentium undarum. Expertus loquor: & mecum facit nobilissimus scriptor Petrus della Valle, Epist. 11. *La notte havemmo la fortuna molto gagliarda: ma noi, per essere il vascello cosi grande, e benissimo armeggiato con trè ancore grossissime, non la conoscemmo niente; e solo sentimmo il mormorio grande delle onde, che con lo strepito de i tuoni, e'l folgorar de' baleni del cielo, più tosto ne invitava a dormire, che ne desse fastidio.* Sed & lene cujusvis aquae murmur somnum conciliat. Horatius Epod. 2. ℣. 25.

Labuntur altis interim ripis aquae:
Queruntur in silvis aves:
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Credis & Medicis? Naturam illi hac in parte aemulantur, ubi faciendus est somnus citra opem remediorum. Cornelius Celsus L. 3. C. 18. de insania: *Omnibus vero sic affectis somnus & difficilis, & praecipue necessarius est. sub hoc enim plerique sanescunt.* —— —— *Confert etiam aliquid ad somnum silanus juxta cadens.* Usus hac arte Antonius Musa, in Maecenatis insomnia illa triennali. Seneca lib. de Provident. C. 3. sed iniquior, ut solet, in virum magnum: *Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, & morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quaeritur? Mero se licet sopiat, & aquarum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit*

Hoc mihi contingat. sit dives jure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest Hyadas.
Quem labor assiduus vicino terreat hoste:
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Jam modo non possum contentus vivere parvo,
Nec semper longae deditus esse viae:

Sed

bit in pluma, quam ille [M. Regulus] *in cruce.* Exciderat monere, Petrum quoque Victorium *imbre* hic *juvante* legere, quo loco Sophoclis verba restituit apud Ciceronem. certe *imbre* disertim habent Angeli Colotii excerpta, & duo Vaticani, apud Nic. Heinsium. Sed supra omnes membranas & papyros movet me Grotii nostri auctoritas, ita haec Albiana exprimentis in Hiemis Commodis:

Quam juvat insomnem ventos audire gementes,
Tutaque in angusto membra levare toro;
Et dominam fovisse sinu, si nocte suprema
Frigidus hibernas moverit Auster aquas!

44. Tristes ferre potest pluvias] Illas *pluvias* cur deseram, & *Hyadas* malim, fecit perspicacia summi viri Nicolai Heinsii. quem tu videre debes capite Adversariorum primo.

45. Quem labor assiduus] huc revocavi hos duos versiculos (qui parum apte in ipso hujus Elegiae initio legebantur) hortante Scaligero, & sensu ita postulante.

46. Martia cui somnos classica pulsa fugent] nota *pulsa* hic poni pro eo quod est inflata. nam classicum canebatur vel tuba vel cornu. Isidorus L. 18. C. 4. *Classica sunt cornua, quae convocandi caussa erant facta, & a calando classica dicebantur.* Seneca Oedip. ℣. 733.

Sonuit reflexo classicum cornu,
Lituusque adunco stridulos cantus
Elisit aere.

sed *classicum* a classe derivat Asconius Pedianus in Ciceronis Divination. C. 17. & pro tuba capit. Virgilius L. 7. Aen. ℣. 637. *Classica jamque sonant.* Servius Maurus: *Bene posuit amphibologiam. nam* classicum *dicimus & tubam ipsam, & sonum.* Classicum *autem est flexilis tuba.* Praeclara sunt quae de *classico* docet Lipsius L. 4. de Militia Romana, dial. 10. Quomodo cani soleret sub pugnae tempus, videre potes apud Dionem Cassium L. 47, in descriptione praelii Philippensis, quo concidit quod reliquum erat libertatis Romanae. nostrum vero equitem non arbitror loqui de signo pugnae capessendae, sed de cantu buccinae, ad quem singulae vigiliae nocturnae ordinabantur. Hoc ni sit, cur de *fugato somno* quiritetur? Silius L. 7. Punic. ℣. 154.

Haec secum, mediam somni quum buccina noctem
Divideret, jamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.

Propertius L. 4. Eleg. 4.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem;
Ipsaque in Oceanum sidera lassa cadunt.
Experiar somnum.

Horatius Epod. 2.

Neque excitatur classico miles truci:
Nec horret iratum mare.

noli turbari, quod classicum hic, sive tubam audis. expediet te Flavius Vegetius L. 3. C. 8. *Quia inpossibile videbatur in speculis per totam noctem vigilantes singulos permanere, ideo in quatuor partes ad clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. A tubicine omnes vigiliae committuntur: & finitis horis a cornicine revocantur.* In antiquis Horatii scholiis, quae Jac. Cruquius edidit, EXCITATUR, *ad pugnam*, legitur. id quod secutus est Andreas Dacerius. sed ego Silio consulari haerere malo. neque enim pugnabatur quot diebus: sed quot noctibus vigilabatur.

47. Jam modo non possum contentus vivere parvo] hanc locutionem non intellexit Bernardinus Cyllenius; ideo & ridicule exposuit. quem dum carpit Lucius Joannes Scoppa, ipse nihilo saniora adfert L. 1. Collectan. C. 31. etiam Carolo Sigonio aqua haesit L. 2. Emend. C. 59. nec feliciter processit Caspari Barthio, novum nescio quem sensum quaerenti, L. 4. Adv. C. 11. primus Joannes Brodaeus vidit deesse alteram negationem, ut sit, *non possum vivere non contentus*, L. 8. Miscell. C. 14. quomodo & Simeo Bosius accepit Animadvers. in Cicer.

 L.

Sed Canis aeſtivos ortus vitare ſub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

O

L. 14. ad Attic. Epiſt. 5. recte ſane. & ſic locutos eſſe optimos quoſque ſcriptores prolatis exemplis praeclare docuerunt P. Manutius Comment. in L. 1. Cicer. ad famil. Epiſt. 9. & M. Antonius Muretus L. 10. Var. Lect. C. 7. nec improbabat Scaliger; ſed tamen excerptorum ſuorum ſcripturam, *Quippe ego jam poſſum*, ut certiorem, praeferebat. At illa excerpta tanti eſſe non debent, ut propterea elevetur fides omnium aliorum codicum ſcriptorum, quotquot in hunc diem innotuerunt. & pro ratione nobis eſſe debet recte loquentium conſuetudo, quamvis ejus conſuetudinis certa ratio reddi non queat. Vocula *parvo* ponitur ſubſtantive, ut loquuntur magiſtri, pro re non lautiſſima. Cicero L. 12. ad Attic. Epiſt. 19. *Equidem jam nihil egeo vectigalibus, & parvo contentus eſſe poſſum.* Lucretius L. 5. ℣. 1121.

Quod ſi quis vera vitam ratione gubernet:
Divitiae grandes homini ſunt, vivere parce
Aequo animo. neque enim eſt umquam paenuria parvi.

Horatius L. 2. Od. 16. ℣. 13.

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leves ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

divinus Maro L. 2. Geor. ℣. 472.

illic ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, exiguoque aſſueta juventus,
Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Claudianus L. 1. in Rufin. ℣. 200.

Semper inops, quicumque cupit. contentus honeſto
Fabricius parvo ſpernebat munera regum:
Sudabatque gravi conſul Serranus aratro:
Et caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.
Haec mihi paupertas opulentior; haec mihi tecta
Culminibus majora tuis.

vides lineas a magno magiſtro ductas L. 6. Aen. ſub finem:

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas cladem Libyae, parvoque potentem
Fabricium: vel te ſulco, Serrane, ſerentem?

Fortes hi & ſapientes viri, neque fortunae ictibus temere expoſiti. recte Horatius L. 2. Sat. 2. ℣. 107.

uterne
Ad caſus dubios fidet ſibi certius? hic, qui
Pluribus adſuerit mentem, corpuſque ſuperbum:
An, qui contentus parvo, metuenſque futuri,
In pace, ut ſapiens, aptarit idonea bello?

Juvit morari in tenui negotio; in quo tamen ipſo meditatio eſt non tenuis ſapientiae.

50. AD RIVOS PRAETEREUNTIS AQUAE] Venuſte pingit vitae ruſticae tranquillam ſecuritatem, quam hominibus ſecundum naturam viventibus praeſtat animi innocentia. Neque enim facile inpurus quivis ſolitudini ſe committat, ſub arborum umbra ſomnulum capturus in molli gramine. Haeret intus ſempiterna ſcelerum comes mala conſcientia.

Non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem:
Non avium, citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.

ut praeclare Horatius noſter, ille optimus, ille certiſſimus vitae magiſter, L. 3. Od. 1. Hanc ſibi nunc vivendi rationem ſequendam Tibullus proponit, aequiſſimo animo relinquens *beatae fumum, & opes, ſtrepitumque Romae.* qua quidem vita nihil convenientius ſapientiae ſtudioſis, & Muſarum ſacerdotibus, bonaeque mentis candidatis. Teſtes ſunt, quotquot olim exſtiterunt bene de rebus humanis meriti mortales. Teſtis omnium mortalium, poſt ſacros ſcriptores, ſapientiſſimus Virgilius, L. 2. Geor. ℣. 485.

Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes;
Flumina amem ſilvaſque inglorius. o, ubi campi,
Spercheoſque, & virginibus bacchata Lacaenis
Taygeta! o, qui me gelidis in vallibus Haemi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra!

urbaniſſimus Flaccus, ecce, quam libenter ruſticatur, in agello modico omnium deliciarum oblitus, L. 1. Epiſt. 14. ℣. 32.

Quem tenues decuere togae, nitidique capilli:
Quem ſcis inmunem Cynarae placuiſſe rapaci:
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni:
Coena brevis juvat, & prope rivum ſomnus in herba.

quam

O quantum eſt auri potius, pereatque zmaragdi,
Quam fleat ob noſtras ulla puella vias.
Te bellare decet terra, Meſſala, marique,
Ut domus hoſtiles praeferat exuvias.

55 Me

quam invitus patitur diem ſibi in urbanis aliorum negotiis perire, L. 2. Sat. 6. ℣. 59.

Perditur haec inter miſero lux, non ſine votis.
O rus, quando ego te adſpiciam? quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis
Ducere ſollicitae jucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata, ſimulque
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?

Ipſe C. Maecenas, Horatio ſuo hac in parte minus beatus, hortis ſuis intra muros delectabatur, inque eorum umbraculis magnae urbis curam deponebat. Poëta vetus, quem ego ut Pedonem fuiſſe Albinovanum credam, nondum adduci poſſum, quamquam eum plus ſemel hoc nomine citaverim, ſecutus vulgi opinionem; is igitur vetus poëta, in epicedio Maecenatis, ſic tetigit:

Majus erat potuiſſe tamen, nec velle triumphos.
Major res, magnis abſtinuiſſe, fuit.
Maluit umbroſam quercum, Nymphaſque canentes,
Paucaque pomoſi jugera certa ſoli.
Pieridas, Phoebumque colens in mollibus hortis,
Sederat argutas garrulus inter aves.

quem locum poëta non tam vetus cultiorem, ni fallor, atque inluſtriorem reddidit. is eſt Franciſcus Marius Molſa, in illa ſua cygnea cantione:

Et dulci referat Muſarum ut captus amore
Suſtinui patriae linquere tecta puer.
Mollibus utque olim vitam dum degimus hortis,
Regales potui deſeruiſſe domos.
Utque ſub umbroſae quercus, platanique virentis
Maluerim denſa delituiſſe coma,
Quam Tyria pictum chlamyde, auroque intertextum
Captatis vulgi plauſibus urbe vehi.

51. O QUANTUM EST AURI PEREAT, POTIUSQUE SMARAGDI] Concinnior erat ordo in libro Ach. Statii,

O quantum eſt auri potius, pereatque ſmaragdi.

atque ita divinaverat Joannes Livinejus, homo non jacente aure. ſubeſt & ratio Tibullo noſtro familiaris: amat enim fere voculam encliticam *que* cum verbis jungere, atque collocare. Sed quod Achilles *pereant* reponendum cenſet, mihi quidem non probatur, propter enallagen numeri. Ceterum *zmaragdi* ſcribendum eſt: quo modo ſcripſit caſtius Latium, & nunc quoque legitur in veteribus monumentis. Vide, ſi operae eſt, quae notavimus ad Propert. L. 2. Eleg. 13. ℣. 43. Ingens erat hujus gemmae precium. Lucretius L. 4. ℣. 1122.

Scilicet & grandes viridi cum luce zmaragdi
Auro includuntur, teriturque Thalaſſina veſtis.

etiam in coelo ſuus illis conſtabat honos, ſi quid credimus poëtis. Ovidius L. 2. Metam. ℣. 24.

Protinus ad patrios ſua fert veſtigia vultus:
Conſiſtitque procul. neque enim propiora ferebat
Lumina. Purpurea velatus veſte ſedebat
In ſolio Phoebus claris lucente zmaragdis.

non poenitebit Plinium conſuluiſſe L. 37. C. 5.

54. UT DOMUS HOSTILES PRAEFERAT EXUVIAS] Mos Romanus, quem ex ultima antiquitate deducit Maro L. 7. Aen. ℣. 183.

Multaque praeterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque ſecures,
Et criſtae capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque roſtra carinis.

Exauxit ſolenni illa ſua grandiloquentia Papinius, in deſcriptione templi Martis, L. 7. Theb. ℣. 53.

bellorum ſolus in aris
Sanguis, & incenſis qui raptus ab urbibus ignis.
Terrarum exuviae circum, & faſtigia templi
Captae inſignibant gentes, caelataque ferro
Fragmina portarum, bellatriceſque carinae,
Et vacui currus, protritaque curribus ora.
Paene etiam gemitus.

Humanius profatur Umber meus L. 3. Eleg. 7. ℣. 23.

Quum tibi Romano dominas in honore ſecures,
Et liceat medio ponere jura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hoſtes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Recte dixit *onerare*, quod ex Virgilii verbis

 jam

Me retinent vinctum formosae vincla puellae:
Et sedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
Dum modo sim, quaeso segnis, inersque vocer.

Ipse

jam est ostensum. Haec autem spolia, atque has exuvias, publica egregiae virtutis monumenta, si aedes venderentur, fas non erat refigere emptori. Plinius L. 35. C. 2. *Aliae foris & circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quae nec emtori refigere liceret: triumphabantque etiam dominis mutatis ipsae domus: & erat haec stimulatio ingens, exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Id quod accidit M. Antonio, quum invasisset in domum Cn. Pompeji in Carinis. Atque hoc diu tenuisse, testis est Suetonius Ner. C. 38. ubi incendium urbis describitur: *Tunc, praeter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae, Deorumque aedes ab regibus, ac deinde Punicis ac Gallicis bellis votae dedicataeque: & quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat.* Plura huc pertinebant, viris doctis hic illic notata. Tu praeter alios vide Desid. Heraldum L. 1. Digress. ad Tertullian. C. 13. Jo. Lud. de la Cerda in Virgil. L. 7. Aen. ℣. 183. & Nicol. Abramum in Cicer. Philipp. 2. C. 28.

55. ME RETINENT VINCTUM FORMOSAE VINCLA PUELLAE] noster infra Eleg. 10. ℣. 79.

Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit.

& Sulpicia, L. 4. Carm. 5. ℣. 14.

Nec tu sis injusta, Venus. vel serviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.

verbum *vinciendi* pari significatu ad amorem transtulit Ovidius Epist. Acont. ℣. 86.

Sed neque compedibus, nec me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.

& L. 4. Fast. ℣. 224.

Phryx puer in silvis facie spectabilis altis
Turrigeram casto vinxit amore Deam.

itemque Maro L. 8. Aen. ℣. 394.

Tum pater aeterno fatur devinctus amore.

& Catullus Carm. 58. ℣. 33.

Ac domum dominam voca,
Conjugis cupidam novi
Mentem amore revinciens.

Paullo aliter Lucretius L. 1. ℣. 35. Venerem adfatus,

belli fera moenera Mavors
Armipotens regit: in gremium qui saepe tuum se
Rejicit, aeterno devinctus volnere amoris.

57. NON EGO LAUDARI CUPIO] Omnes Achillis Statii codices *curo* habebant magno consensu: id quod nos quoque in quinque scriptis invenimus, inque illis primitus cusis, & in excerptis Pocchi, ac Perreji, & Lipsii: in septem scriptis Nic. Heinsius. Sane haud idem esse *non cupere*, & *non curare*, liquet ex utriusque verbi germana significatione. Est enim *non cupere*, carere aequo animo iis rebus, quas non habeas: *non curare* vero valet contemnere, atque pro nihilo ducere, nec pili facere. Prioris exemplum est apud D. Ausonium Idyll. 2. ℣. 24.

Felicem scivi, non qui, quod vellet, haberet:
Sed qui per fatum non data non cuperet.

alteram exponit Cicero L. 1. ad famil. Epist. 9. ubi de Q. Metello L. F. quem post reditum fracto animo fuisse & demisso inimici sui dictitabant: *Est vero probandum, qui & summa voluntate cesserit, & egregia animi alacritate afuerit, neque sane redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse.* quod quale sit, dicet tibi Naso L. 1. Pontic. Epist. 3. ℣. 63.

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditus conditione dati.

vides neglexisse, atque etiam sprevisse hostile beneficium. Sed ad rem. Horatius L. 2. Epist. 2. ℣. 182.

Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant: est qui non curat habere.

Persius Sat. 3. ℣. 78.

quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse quod Arcesilas, aerumnosique Solones.

Habemus nunc veram scripturam, insititia ista non paullo meliorem. Superest, aliquid ut dicamus de verbo *laudari*, quod perperam trahitur ad laudationes funebres, quae mortuis apud rogum vel pro rostris fieri solerent. Falsum hoc totum est, atque inane. Ait poëta, nolle se cum Messala ire militatum, dummodo Deliam suam fovere possit: quod si contingat, nihili se facere quantum

est

est laudationum castrensium, atque adeo nec segnitiei atque inertiae notam defugere. Videlicet

Tutius est jacuisse toro, tenuisse puellam,
Threïciam digitis increpuisse lyram:
Quam manibus clypeos, & acutae cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.

Erant hae laudationes acre incentivum egregiae virtutis, non minus quam ipsa praeda. Stare cum imperatore pro tribunali, ab eo collaudari verbis honorificis, praemiis donari palam, inspectante toto exercitu, majus erat quiddam, quam nos hodie vel cogitatione adsequi possumus. Mos autem ipse Romanae originis; &, ut par est credere, cum ipsa urbe natus. certe pro novo non est habitus in Tarquinio Prisco. Macrobius L. 1. Saturn. C. 6. *Tarquinius Demarati exsulis Corinthii filius Priscus, quem quidam Lucumonem vocitatum ferunt, rex tertius ab Hostilio, quintus a Romulo, de Sabinis egit triumphum, quo bello filium suum annos quatuordecim natum, quod hostem manu percusserat, & pro concione laudavit, & bulla aurea praetextaque donavit.* Haec in adolescentulo regio. exinde & manipulares suos, qui fortiter fecissent, hoc honore mactarunt, ut quisque fuit maxime comis ac beneficus imperator. de T. Quintio Livius L. 2. C. 60. *Huic tantae concordiae ducis exercitusque non ausi offerre se Aequi; vagari populabundum hostem per agros passi. Nec ullo ante bello latius inde actae praedae. ea omnis militi data est. Addebantur & laudes, quibus haud minus quam praemio gaudent militum animi.* Satis notabile est, quod de M. Manlio refert idem ille egregius scriptor L. 5. C. 47. post defensum noctu Capitolium: *Luce orta, vocatis classico ad concilium militibus, ad tribunos, quum & recte & perperam facto precium deberetur; Manlius primum ob virtutem laudatus donatusque, non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari: cui universi selibras farris, & quartarios vini, ad aedes ejus, quae in arce erant, contulerunt.* & hic Manlius triennio ante consul fuerat. de T. Manlio L. F. ex eadem familia, qui singulari certamine ingentis staturae Gallum stolide ferocientem dejecerat, torquemque ejus respersum cruore collo circumdederat suo, haec sis vide L. 7. C. 10. *Romani alacres ab statione obviam militi suo progressi, laudantes gratulantesque ad dictatorem* [T. Quintium Pennum] *perducunt. Inter carminum prope modum incondita quaedam militariter joculantes, Torquati cognomen auditum; celebratum deinde posteris etiam, familiaeque honori fuit. Dictator coronam auream addidit donum, mirisque pro concione eam pugnam laudibus tulit.* Sallustius Jugurth. C. 8. *Sed postquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, & ipse revorti domum decrevit; donatum, atque laudatum magnifice Jugurtham in praetorium adduxit.* Ritum describit A. Hirtius lib. de bello Afric. C. 86. ubi C. Caesar ab oppido Thapso recedens, *Postero die, divina re facta, concione advocata, in conspectu oppidanorum milites collaudat: totumque exercitum veteranorum donavit. praemia fortissimo cuique, ac bene merenti, pro suggestu tribuit.* Etiam triumphantes in more positum habebant. Ovidius L. 2. Pontic. Epist. 1. ubi de triumpho Tiberii Neronis:

Atque ita victorem, cum magno vocis honore,
Bellica laudatis dona dedisse viris:
Claraque sumturum pictas insignia vestes,
Tura prius sanctis imposuisse focis.
Justitiamque sui caste placasse Parentis,
Illo quae templum pectore semper habet.

Neque vero ob virtutem solum laudabantur: sed & propter operam in castrensi opere impigre navatam. Caesar L. 5. de bello Gallico C. 2. *Circuitis omnibus hibernis, singulari militum studio, in summa rerum omnium inopia, circiter sexcentas ejus generis, cujus supra demonstravimus, & longas viginti octo invenit constructas, neque multum abesse quin paucis diebus deduci possent. Collaudatis militibus, atque iis qui negotio praefuerant, quid fieri velit, ostendit.* Hinc factum, nostri Albii verbis,

Laudis ut assiduo vigeat certamine miles.

L. Lucullus, super laudes & dona militaria, bonam quandoque pecuniae summam adjiciebat, uti videre est apud Horatium L. 2. Epist. 2. haud longe ab initio. fecit & C. Caesar, ut scribir auctor Commentarii de bello Hispaniensi, C. 26. Sed totum hunc morem collaudandi & donandi luculentissime descripsit Polybius L. 6. C. 37. Cujus viri exactissima diligentia facit, ut putem Graecis fuisse ignotum. Quocirca videndum, si satis ex vero Macedoni Alexandro adscripserit Curtius L. 9. C. 1. *Alexander tam memorabili victoria laetus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis, milites quoque, quo promtioribus animis reliqua belli munia obirent, pro concione laudatos docuit, quidquid Indis virium fuisset, illa dimicatione prostratum.*

57. Mea Delia] ita dictam hanc mulierem

Ipſe boves, modo ſim tecum mea Delia, poſſim
Jungere, & in ſolo paſcere monte pecus.
Et, te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis in inculta ſit mihi ſomnus humo.

Quid

rem a verbo δηλοῦν, h. e. apparere, quaſi quae praeter reliquas Romanas adoleſcentulas propter pulcritudinem & corporis excellentiam eminuerit, narrat nobis Bernardinus Cyllenius. cui credet, qui volet. Vero nomine *Planiam* fuiſſe nominatam, auctor eſt Apulejus in Apologia, pulcerrimo libello, hiſce verbis: *Hic illud etiam reprehendi animadvertiſti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur, ego eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera adcuſent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit: & Ticidam ſimiliter, quod quae Metella erat, Perillam ſcripſerit: & Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet: & Tibullum, quod ei ſit Plania in animo, Delia in verſu*, &c. quae verba imitatione venuſtiſſima expreſſit Angelus Politianus, vir ſupra ſaeculum ſuum eruditus, in illa ſilva admirabili, cui titulum fecit *Nutricia*, ℣. 538.

Et qui Smyrnaeis poterat contendere plectris
Valgius, ut terſi memorat pia Muſa Tibulli.
Muſa ſibi primos quae jure adſciſcat honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Solvat, & ambiguam faciat certamine palmam.
Plania materiam teneri dat, & Hoſtia cantus
Nomine ſuppoſito.

Catullum, Ticidam, pluresque alios Madaurenſi philoſopho memoratos, ibidem reperies. Ceterum *Plania*, in loco Apuleji, criticis ſuſpecta eſt; & ſubpoſitam putant. Caſaubonus *Flavia* malebat, quamquam timide: quod & Colvio placuit, aut *Planca*. in Fulvii Urſini codice *Plantia* legebatur, teſte Scipione Gentile. ſolus Jo. Pricaeus nihil mutavit, eo quod *Plania* in lapidibus viſatur. Ita eſt: Apud Gruterum SEX. PLANIVS HERMES reperitur in lapide praegrandi, itemque SEX. PLANIVS HYACINTHVS, p. CCXLI, columna quarta. ibidem in tumulo Maturae,

AVFIDIVS. GENITOR. GENVIT. ME. PLANIA. MATER.

p. DCCLXVI. 7. denique M. PLANIVS legitur p. DCCCCXX. 18. Eſto igitur *Plania* nomen Romanum: ſed ſic, ut Deliae datum fuerit vel a domina, vel a patrono. Erat enim libertinae conditionis. id quod perſpicuum fiet ex locis compluſculis ipſius noſtri poëtae.

59. MEA SIM TECUM MODO DELIA] pro *ſim*, legitur in ſex libris inque editione prima *ſi*. minus recte. ſed concinnior eſt verborum collocatio in uno Statiano, *modo ſim tecum mea Delia*. dulcis & blanda iteratio vicinae in proximo compellationis, *Non ego laudari curo, mea Delia*, &c.

60. IN SOLO PASCERE MONTE PECUS] ſic recte ſcripſerunt cum Scaligero Muretus, Paſſeratius, Gebhardus. in libris & primis editionibus, hic *in ſolito* legitur diſtinctim, (id quod Achilli temere placuit) illic *inſolito* juncta voce. *Solus mons*, deſertus, ſolitarius. Virgilius L. 11. Aen. ℣. 569. de Metabo, Camillae patre:

Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipſe manus feritate dediſſet:
Paſtorum & ſolis exegit montibus aevum.

Propertius L. 2. Eleg. 15. ℣. 7.

Sola eris, & ſolos ſpectabis, Cynthia, montes.

tum paullo poſt:

Sic me nec ſolae poterunt avertere ſilvae.

Sulpicia infra L. 4. Carm. 13. ℣. 12.

Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in ſolis tu mihi turba locis.

idem mendum in Valerio Flacco haeſit olim, nunc elutum ab Nic. Heinſio, L. 5. ℣. 376.

Regina, attonito quamquam pavor ore ſilentem
Exanimet, mirata tamen, paullumque reductis
Paſſibus in ſolo ſtupuit duce.

antea *inſolito* legebatur, ſenſu vel nullo, vel pravo. ſed tu Flaccum ipſum ſis inſpice.

62. MOLLIS ET INCULTA SIT M. S. H.] ita nos in quinque libris invenimus; & in ſuis omnibus Gebhardus. In aliis, Mureti puta ac Paſſeratii, erat *Mollis & in nuda*. unde Douza filius faciebat *in dura*; ut opponantur haec, *mollis ſomnus*, *dura humus*. non male, ſi vetus ſcriptura addiceret. Princeps editio, & illa quae Regii Lepidi prodiit, disjunctis vocibus *Mollis & in culta* habent. Sic divinaverat Gruterus L. 1. Suſpic. C. 15. ut *culta hu-*

Quid Tyrio recubare toro ſine amore ſecundo
Prodeſt, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumae, nec ſtragula picta ſoporem,
Nec ſonitus placidae ducere poſſit aquae.
Ferreus ille fuit, qui, te quum poſſet habere,
Maluerit praedas ſtultus, & arma ſequi.

Ille

humus ſit humus trita, & calcata pedibus, *qua facit aſſiduo tramite vulgus iter*, ut meus inquit Umber. ſed hujus inventi viro praeclaro gratiam faciemus, propter alia majora in rem literariam beneficia. Omnium optime, niſi me aures fallunt, codices Statiani, *Mollis in inculta*, quod & Heinſius in ſecundo Vaticano invenit, & in binis quoque Anglicanis. Et ſic Jovianum Pontanum legiſſe ſcimus ex Antonii Perreji excerptis. pariſſime Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 524.

Clauſa tibi fuerit promiſſa janua nocte:
Perfer in inmunda ponere corpus humo.

vide quae de hiſce vocum geminationibus ſupra notavimus ad ℣. 3. Geminabantur autem in ſimili compoſitione vel praecipue praepoſitiones. qua de re aliquid monuimus ad Propert. L. 1. Eleg. 3. ℣. 36. ſed parce ac frugaliter. mille talia diligens veterum lector facile obſervaverit.

64. QUUM FLETU NOX VIGILANDA VENIT] Servius in L. 1. Geor. ℣. 29. *An deus inmenſi venias maris*] *id eſt, an pro Neptuno coli te velis. &* inmenſi maris, *cujus menſura non poteſt comprehendi.* Venias *autem aliquanti pro* ſis *accipiunt, ac ſi Graece diceret* ὖσα, *ſive* ὑπάρχουσα. Ire *veteres pro* eſſe *dicebant.* Verum loquitur: & ſic paſſim poëtae uſurparunt. Ceterum haec in nonnullis libris, & in principe Veneta, aliter diſtinguuntur; & ſic quidem, ut alium quoque ſenſum efficiant; hoc modo,

Quid Tyrio recubare toro ſine amore ſecundo
Prodeſt? cum fletu nox vigilanda venit.

quaſi tu dicas, Nox adeſt, non illa quidem ſuavi ſopore tranſmittenda, ſed cum vigilia cumque fletu & lacrimis exanclanda. Hoc peperit confuſio adverbii *quum*, & *cum* praepoſitionis: quae & hodie iiſdem literis exarari ſolent, non ſine crebra legentium haeſitatione.

65. STRAGULA PICTA] vide ſis Marcelli Donati Dilucidationes Livianas; Matth. Raderum in L. 2. Martial. Epigr. 14. & Salmaſium Not. in Fl. Vopiſcum p. 398. Ceterum *ducere ſoporem* eſt, ſomnum conciliare. quam locutionem commode inluſtravit J. Fr. Gronovius L. 2. Obſerv. C. 1.

67. FERREUS ILLE FUAT] Scaliger huc intruſit ferreum illud *fuat*, omnibus libris invitis. ideo autem intruſit, quod hos ſex verſus continuos contenderet per hypotheſin, ſive, ut in ſcholis loquuntur, potentialiter eſſe poſitos. At tam diſtincta & perſonae, & rei, & locorum deſcriptio, qui potuit per hypotheſin deſignari? Vides hic hominem, nuper Deliae amatorem, ambitione atque avaritia ductum, relicta domina, exercitui Romano praefuiſſe, in Cilicia rem feliciter egiſſe, praedas magnas feciſſe, oppida manu cepiſſe, atque agrum hoſtilem late tenuiſſe. Hunc ego hominem fuiſſe arbitror C. Soſium C. F. T. N. qui C. Soſius initio belli civilis praetor fuit, ut videre licet apud Ciceronem L. 8. ad Attic. Epiſt. 6. & L. 9. Epiſt. 1. deinde a M. Antonio Syriae & Ciliciae praefectus, Aradios oppugnatione fameque & morbis confectos ſubegit: Antigonum regem, qui praeſidium Romanum, quod apud ſe erat, occiderat, praelio victum Hieroſolymis (quo confugerat) vi expugnavit. Judaeos avariſſime ac crudeliſſime vexavit, regno Herodi Aſcalonitae conceſſo. Antigonum cruci adligatum (quo ſupplicio nullus umquam rex a Romanis erat affectus) flagris cecîdit, ac demum ſecuri percuſſit. auctores Dio Caſſius L. 49. L. 51. Joſephus L. 14. Ant. Jud. C. 25. 26. L. 15. C. 1. & L. 1. de bello Jud. C. 13. qui tamen Joſephus caedem Antigoni non C. Soſio, ſed M. Antonio inputat. inciderunt autem res illae in A. V. DCCXV. Appio Claudio Pulcro, C. Norbano Flacco Coſſ. inque annum proxime ſequentem, M. Agrippa, L. Caninio Gallo Coſſ. quo tempore Tibullus noſter annum agebat ferme ſextum ſupra viceſimum. Romam reverſus C. Soſius A. V. DCCXIX. triumphum obtinuit. quem triumphum exprimit num-

 mus

Ille licet Cilicum vinctas agat ante catervas,
Ponat & in capto Martia caſtra ſolo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Inſideat celeri conſpiciendus equo.
Te ſpectem, ſuprema mihi quum venerit hora:
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis & arſuro poſitum me, Delia, lecto,
Triſtibus & lacrimis oſcula mixta dabis.
Flebis. non tua ſunt duro praecordia ferro
Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.

Illo

mus argenteus, Pighio noſtro deſcriptus, cum Romae capite, & quadriga triumphali, in qua togatus cum ſceptro ; adjunctaeque literae, C. SOSIUS. C. F. Equidem nihil ego hic mihi adcredi poſtulo, ſi quiſquam vel certiora protulerit, vel ſaltem probabiliora. nam de ovatione Meſſalae quae effutit Gebhardus ad Eleg. 7. ℣. 7. haud dicam dolo, perſolae ſunt nugae.

67. POSSIT] ſcripti, & antiquitus cuſi, *poſſet.* quod verum eſſe liquet ex iis, quae modo diximus.

71. ARGENTO CONTEXTUS TOTUS ET AURO] paludamentum deſignat, auro & argento denſum. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 525.

horrentia cujus
Diſcolor arma ſuper, ſqualentesque aere lacertos,
Barbarica chlamys ardet acu.

Ach. Statius in vetere libro *contectus* invenerat. & ſic loquitur auctor Commentarii de bello Hiſpanienſi, C. 26. *Hoc die A. Baebius, & C. Flavius, & A. Trebellius, equites Romani Aſtenſes, argento prope tecti equites ad Caeſarem transfugerunt.*

74. TE TENEAM MORIENS DEFICIENTE MANU] expreſſit Naſo in epicedio noſtri poëtae, ubi Nemeſis ad hanc Deliam,

Quid, ait, tibi ſunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.

Clyte apud Valerium Flaccum L. 3. ℣. 326.

Aſt ego non media te ſaltem, Cyzice, vidi
Tendentem mihi morte manus; aut ulla monentis
Verba tuli.

& maritus ille apud Jacobum Wallium, poëtam omnium Jeſuitarum longe cultiſſimum, L. 1. Eleg. 6.

Dilecti Manes, & adhuc pars altera noſtri,
Occurrens animo nocte dieque meo:
Si me, dum poteras aliquid moribunda tenere,
Gaudebas gelida poſſe tenere manu.

Cetera tutemet videbis: ſunt enim tanti. ambitioſius, ut ſolet, Papinius L. 5. Silv. 1. ℣. 170.

Jamque cadunt vultus, oculisque noviſſimus error,
Obtuſaeque aures, niſi cum vox ſola mariti
Noſcitur. illum unum media de morte reverſa
Mens videt: illum aegris circumdat fortiter ulnis
Immotas obverſa genas, nec ſole ſupremo
Lumina, ſed dulci mavult ſatiare marito.

ad priorem hujus membri verſiculum,

Te ſpectem, ſuprema mihi quum venerit hora,

eleganter adluſit eximius ille etiam inter primos Jacobus Sannazarius L. 1. Eleg. 3. ℣. 15.

At ſi (quod potius cupio) tibi fata dediſſent,
Lumina formoſa condere noſtra manu:
Tunc, mihi cum caros vultus ſpectare liceret,
Atque anima tecum jam fugiente loqui:
Ipſa meos tumulo manes laniata vocares,
Inque tuo legeres oſſa minuta ſinu.

75. FLEBIS ET ARSURO] vide ſis Joannem Kirchmannum L. 1. egregii operis de Funer. Roman. C. 5. & L. 3. C. 2.

77. NON TUA SUNT DURO PRAECORDIA FERRO VINCTA] in libris quibuſdam eſt *Juncta.* ſed in vocibus ſimilibus vix eſt diſcernere quid ſit verum, niſi ſenſum verborum adcurate perpendas. Sic enim utrumque fere ſcribebant illi poſteriores, *iuncta*; ut non nimis ſit proclive dignoſcere *juncta* ne ſit, an vero *vincta*, ſi vocula ſtet ſola. Ego hic *vincta* malo, potius quam *juncta.* ſic Cato

to

Illo non juvenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne laede meos: sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Interea

to *dolia vincire plumbo* dixit lib. de R.R. cap. 39. Lucretius L. 3. ℣. 417.

Hoc anima atque animus vincti sunt foedere
semper.

hic quoque *juncti* olim legebatur. Cicero L. 7. ad Attic. Epist. 18. *Caesarem quidem, L. Caesare cum mandatis de pace misso, tamen ajunt acerrime dilectum habere, loca occupare, vincire praesidiis.* Obiter dicam, non placere mihi istic *vinciri*, quod Malaspina, & nuper Graevius noster malebant. dicit Tullius, ni fallor, Caesarem stationes suas ita disposuisse, ut loca occupata iis inter se quasi devincirentur atque connecterentur, neque aditus esset ullus, qua irrumpere possent Pompejani. Sed ad rem. *auro lacertos vincire* dixit noster Albius hoc ipso libro, Eleg. 10. ℣. 69. Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 31.

Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

Propertius L. 3. Eleg. 3. ℣. 43.

Me juvat & multo mentem vincire Lyaeo,
Et caput in verna semper habere rosa.

ibidem Eleg. 19. ℣. 11.

Namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
Non habet ultores nox vigilanda Deos.

apud eumdem Vertumnus L. 4. Eleg. 2. ℣. 43.

Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre
Me notat, & junco brassica vincta levi.

utriusque autem verbi differentiam, *vinciendi* dico & *jungendi*, perspicue proposuit L. 2. Eleg. 12. ℣. 25.

Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret ulla dies.
Exemplo junctae tibi sint in amore columbae,
Masculus & totum femina conjugium.

Vide sis Nic. Heinsium ad Nason, L. 3. Trist. Eleg. 10. ℣. 25. Sequitur in Tibullo, *nec in tenero stat tibi corde silex.* quae continuatio est tralationis prioris a ferri rigore ductae. Saepe ita loquuntur probatissimi quique scriptores, inprimis poetae. Ennius Andromacha:

sed quasi ferrum aut lapis
Durat, rarenter gemitum conatur gravem.

ut haec quidem recte emendavit Douza F. nam apud Nonium inquinata sunt in voce *Rarenter.* Noster infra, Eleg. 11. ℣. 59.

Ah lapis est ferrumque, suam quicumque
puellam
Verberat.

Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 6. ℣. 59.

Ille habet & silices, & vivum in pectore ferrum,
Qui tenero lacrimas lentus in ore videt.

& L. 3. Trist. Eleg. 11. ℣. 3.

Natus es e scopulis, nutritus lacte ferino;
Et dicam silices pectus habere tuum.

Ibidem L. 1. Eleg. 7. ℣. 41.

Et tua sunt silicis circum praecordia venae;
Et rigidum ferri semina pectus habent.

& L. 4. Pontic. Epist. 10. ℣. 3.

Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
Duritiae confers, Albinovane, meae?

L. 7. Metam. ℣. 32. Medea:

Hoc ego si patiar, tum me de tigride natam;
Tum ferrum & scopulos gestare in corde fatebor.

& Byblis L. 9. ℣. 612.

Haec nocuere mihi. neque enim de tigride natus;
Nec rigidas silices, solidumve in pectore ferrum,
Aut adamanta gerit: nec lac bibit ille leaenae.

plura dabit Gebhardus, hoc loco. atque illo etiam meliora Jo. Lud. de la Cerda, utilis ac cordatus scriptor, ad Virgil. L. 4. Aen. ℣ 365. & Caspar Barthius ad Papin. L. 4. Theb. ℣. 340.

81. Tu manes ne laede meos] Noli indulgere enormi dolori & planctu: noli crines conscindere, genas radere, pectus nudum lacerare. His enim rebus manes carorum offendi putabant, & torqueri. Ita recte Scaliger exposuit: & ante illum Turnebus L. 16. Adverf. C. 4. Papinius L. 2. Silv. 6. ℣. 96.

quid terga dolori,
Urse, damus? quid damna foves, & pectore
iniquo
Vulnus amas? ubi nota reis facundia raptis?
Quid caram crucias tam saevis luctibus um-
bram?

apud eumdem Priscilla marito Abascantio, sive is Abascantus fuit, L. 5. Silv. 1. ℣. 180.

Parce precor lacrimis, saevo nec concute planctu
Pectora, nec crucia fugientem conjugis umbram.

Hoc ut ne sibi accideret, vetat poeta inmoderatum luctum: non tamen, ut eam velit ni-

Interea, dum fata ſinunt, jungamus amores.
Jam veniet tenebris Mors adoperta caput.
Jam ſubrepet iners aetas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.

Nunc

nihil dolere. quî enim ſciret carum ſe fuiſſe ſuae, ſi ſub humum iret indeploratus? Cicero lib. de Senect. C. 20. *Solonis quidem ſapientis elogium eſt, quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum & lamentis vacare. vult, credo, ſe eſſe carum ſuis.* & lib. de Amicit. C. 3. de Africano minore: *quam autem civitati carus fuerit, moerore funeris indicatum eſt.* Quintilianus Declam. 10. *Igitur, judices, nemo miretur, ſi ad tam crudelem, ad tam immitem patrem umbra non venit. Sciebat ubi lacrimas, ubi poſſet invenire ſingultus, a quo magis deſideraretur. Namque iſti ferreum pectus, & dura praecordia, nec ſunt de orbitate ſenſus. Quid enim inhumanius patre, quid inveniri truculentius poteſt? Invidit matri, ne filio frueretur: nec hoc ideo fecit, quia videre ipſe malebat. ne viventem quidem adhuc & incolumem tam blanda tamque debita pietate proſequebatur, ut defuncto ſervaturus affectum etiam ſepulti pater videretur.*

83. DUM FATA SINUNT] Seneca Herc. fur. ℣. 177.

Dum fata ſinunt,
Vivite laeti. properat curſu
Vita citato, volucrique die
Rota praecipitis vertitur anni.

illud *vivite laeti* Horatio debetur, L. 2. Od. 16.

Laetus in praeſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare.

cujus & hoc eſt, L. 2. Sat. 2. ipſo fine:

vivite fortes,
Fortiaque adverſis opponite pectora rebus.

Feſtive M. Varro Vae victis, περὶ φιλονεικίας:

Properate vivere puerae,
Quas ſinit aetatula ludere,
Eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.

ſervavit Nonius Marcellus in voce *Puerae.* Sic autem ordinarunt Varronis editores noviſſimi: recte, an ſecus, equidem ignoro. quamquam verſiculos fuiſſe facile concedam.

85. NEC AMARE DECEBIT] Gebhardus ex uno Palatino, & Comelini membranis, *licebit* reponit: idque ei magis rem ſpectare videtur, quia ſenum amores non tam deterreantur inhoneſto, quam inhibeantur impotentia. Nos quoque *licebit* invenimus in priore Wittiano, & in principe editione: nec tamen tanti putavimus, ut veterem ac receptam lectionem inmutaremus. cui lectioni interpretem dabimus Gebhardo non deteriorem, atque artis amatoriae paullo etiam prudentiorem, P. Naſonem, L. 1. Amor. Eleg. 9. ℣. 3.

Quae bello eſt habilis, Veneri quoque convenit, aetas.
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Vide & ride Chlorin illam, quam provecta jam aetate non tempeſtive laſcivientem inſectatur Horatius L. 3. Od. 15.

Te lanae prope nobilem
Tonſae Luceriam, non citharae decent;
Nec flos purpureus roſae,
Nec poti vetula faece tenus cadi.

vulgo (ut hoc tribus verbis moneam) editur *vetulam*: ſed *vetula* ex ſcriptis protulit Gulielmus Canterus L. 6. Nov. Lect. C. 14. probatum Torrentio. neque aliter habebant duo Cruquii codices; & praeſtantiſſimus ille Graevianus. Porphyrio quoque ita legebat: ſic enim exponit, *per faecem autem vetulam, vetus vinum intellige.* accedunt quatuor Lambiniani, cum codice bibliothecae Franekeranae, itemque Leidenſis bibliothecae libro ſcripto. Sed in ſemitam redeamus. Sapienter Micio ille Terentianus, qui, mulierem anum ducere perſuaſus, ipſe ſenex, tandem dat manus, fratris inportunitate coactus, Adelph. Act. 5. Sc. 8. ℣. 21.

Etſi hoc mihi pravum, ineptum, abſurdum,
atque alienum a vita mea
Videtur: ſi vos tantopere iſtuc voltis, fiat.

Quam ſit autem probroſus, atque etiam ludibrii plenus, ſenum amor, quaſi in tabella picta oſtendit ipſe noſter Albius in fine elegiae hujus libri quintae. Exemplum memorabile tam ridiculae ſtultitiae Gallia non ita pridem vidit in poëta haud ignobili *des Iveteaux*, praeceptore regis Ludovici XIII. Hujus deliri ſenis incredibiles inſanias videbis, ſi voles, debes autem velle, apud Jo. Franc. Saracenum, elegantiſſimi inter Gallos & oris & ingenii ſcriptorem, in aureo Dialogo de

Amo-

Nunc levis eſt tractanda Venus: dum frangere poſtes
Non pudet, & rixas inſeruiſſe juvat.
Hic ego dux mileſque bonus. vos ſigna, tubaeque
Ite procul. cupidis vulnera ferte viris.

Ferte

Amore, haud longe ab initio: itemque in Miſcellaneis, quae nomen praeferunt neſcio cujus *de Vigneul-Marville*, T. 1. p. 146. ſqq. atque in illis, quae vocantur *Chevraeana*, T. 1. p. 292. ſqq. Adeo verum eſt illud Linci, in Paſtore Fido celeberrimi poëtae, & in hoc bucolico genere prope unici, Baptiſtae Guarini, Act. 1. Sc. 1.

Credi a me pur, che'l prouo,
Non è pena maggiore,
Che'n vecchie membra il pizzicor d'amore:

Quod vertit in Granida ſua noſter Hoofdius:

En weet dat grooter ſmart noyt iemand overquam,
Dan jeukering van min in leden oudt en ſtram.

86. DICERE NEC CANO BLANDITIAS CAPITE] idem ille Gebhardus tarditatis arguit Lucam Fruterium, qui noluerit *capiti* legere, nec ceperit hunc dativum recte jungi cum verbo imperſonali. Sibi habeat ſuam ſapientiam. Ablativus abſolutus hic tempus notat, & cauſſam. Horatius L. 1. Epiſt. 5. ℣. 9.

cras nato Caeſare feſtus
Dat veniam ſomnumque dies.

cras juſtitium erit, quia Caeſaris natalis eſt. Sane in libris Mureti & Achillis Statii *capite* erat: quod & nos in quatuor noſtris invenimus: in quatuor aliis Nic. Heinſius: probavitque magnus Turnebus L. 29. Adverſ. C. 30. Eodem modo Plautus loquitur Aſinar. Act. 5. Sc. 2. ℣. 84.

Cano capite te cucûlum uxor ex luſtris rapit.

pulcre ad Albii noſtri mentem Franciſcus Malherba L. 3. Poëmat. cum Muſis ſuis loquens:

Quand le ſang boüillant en mes veines
Me donnoit de jeunes deſirs,
Tantoſt vous ſouſpiriez mes peines,
Tantoſt vous chantiez mes plaiſirs:
Mais aujourd'huy que mes années
Vers leur fin s'en vont terminées,
Siéroit-il bien à mes écris
D'ennuyer les races futures
Des ridicules aventures
D'un amoureux en cheveux gris?

Lege ſis Longinum Maximianum (quem pro Cornelio Gallo habent inficeti quidam mortales) malorum temporum haud omnino peſſimum nugatorem.

88. RIXAS INSERUISSE JUVAT] Nic. Heinſius putabat τὸ *juvat* frigide inculcari poſt τὸ *pudet*: atque ideo non dubitabat ſcriptum a poëta, *rixas inſeruiſſe ſerae*, Not. in Ovid. L. 1 Faſtor. ℣. 287. Non damno viri acutiſſimi conjectationem: ſed mihi videtur in verbo *juvat* eſſe quaedam ſignificatio animi ferventis, & perlibenter facientis id quod facit. Horatius L. 3. Od. 14. ℣. 25.

Lenit albeſcens animos capillus,
Litium & rixae cupidos protervae.
Non ego hoc ferrem calidus juventa
Conſule Planco.

eſt enim cupido quaedam praecalida in ipſo *juvandi* verbo. idem ille beatiſſimus Lyrae Latinae moderator L. 3. Od. 19. ℣. 18.

Inſanire juvat. cur Berecyntiae
Ceſſant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fiſtula cum lyra.

L. 4. Od. 1. ℣. 29.

Me nec femina, nec puer
Jam, nec ſpes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

Epod. 9. ℣. 37.

Curam metumque Caeſaris rerum juvat
Dulci Lyaeo ſolvere.

Epod. 11. ipſo initio:

Petti, nihil me, ſicut antea, juvat
Scribere verſiculos, amore perculſum gravi.

Auctor Copae, qui Virgilius eſt Priſciano grammatico, ℣. 5.

Quid juvat aeſtivo defeſſum pulvere abeſſe,
Quam potius bibulo decubuiſſe toro?

Cicero L. 2. de Finib. C. 4. *in eo autem voluptas, omnium Latine loquentium more, ponitur, cum percipitur ea, quae ſenſum aliquem moveat, jucunditas. Hanc quoque jucunditatem, ſi vis, transfer in animum: juvare enim in utroque dicitur, ex eoque jucundum.*

89. HIC EGO DUX MILESQUE BONUS] Credas a Salluſtio habuiſſe, Catil. C. 60. *Interea Catilina cum expeditis in prima acie verſari: laborantibus ſuccurrere: integros pro ſauciis arceſſere: omnia providere: multum ipſe pugnare,*

ſaepe

saepe hostem ferire: strenui militis, & boni imperatoris officia simul exsequebatur. pariter C. Vellejus L. 2. C. 18. *Per ea tempora Mithridates Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu.* Cicero pro M. Marcello, C. 4. *Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones. haec enim res unius est propria C. Caesaris: ceterae duce te gestae sunt, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. hujus autem rei tu idem & dux es & comes.* His addi possunt complures ex antiquitate; atque etiam ex recentiore memoria non pauci. Quorum tamen nullum ego conferri posse arbitror cum Duce Montmorencio. cujus viri ingentem virtutem leges cum admiratione & stupore apud Michaëlem Vassorem L. 28. Histor. Ludovici XIII. Alios aliter animatos fuisse scimus, & artes imperatorias a muniis militaribus secrevisse. Frontinus L. 4. Strategem. C. 7. *Scipio Africanus fertur dixisse, cum eum parum quidam pugnacem esse dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem, peperit.*

90. CUPIDIS VULNERA FERTE VIRIS] *cupidos* ajunt dici eos qui sint avari, & *cupiditatem* pro avaritia poni. Apulejus L. 4. Metam. *Parentes autem tui de tanto suarum divitiarum cumulo, quanquam satis cupidi, tamen sine mora parabunt scilicet idoneam sui sanguinis redemtionem.* hic *cupidi* sunt πλεονεκτικοὶ, *avari*, Geverharto Elmenhorstio in Indice, & Joanni Pricaeo in Notis. Sane avaritiam numquam esse sine cupiditate facile credo: non tamen ut concedam, cupiditatem sine avaritia consistere nequire. Omnium mortalium facile cupidissimus fuit Domitius Nero: quem tamen avaritiae nemo umquam postulavit. e contrario parcum, adstrictum, sordidum, avarum fuisse scimus Sergium Galbam: at hujus cupiditates populus Romanus sensit nullas. Est igitur aliud *cupiditas*, aliud *avaritia*. Et cupiditas quidem in milite recte, ut arbitror, definietur, Adpetentia rei alienae: non ut rem illam quoquo modo partam conservet miles, (id quod solent avari) ac tueatur; sed ut suis inde libidinibus morem gerat, perdat, profundat. Sallustius Catilin. C. 12. *Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose, nimisque liberaliter habuerat. Loca amoena, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliverant. Ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere.* semper enim novo opus habent pabulo, quibus vita est, ut idem scriptor loquitur, *rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere.* Cicero Orat. pro domo sua C. 44. *At videte hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam & effrenata cupiditate. Monumentum iste numquam, aut religionem ullam cogitavit: habitare laxe & magnifice voluit: duasque & magnas & nobiles domos conjungere.* & Philipp. 14. C. 4. *Si vero coloniarum & municipiorum sine ulla dubitatione hostis* [Antonius] *est, quid tandem hujus censetis urbis, quam ille ad explendas egestates latrociniis suis concupivit? quam jam peritus metator & callidus decempeda sua Saxa diviserat?* & L. 15. ad famil. Epist. 4. ad M. Catonem: *Quae si etiam majora sunt, & in omnibus saeculis pauciores viri reperti sunt, qui suas cupiditates, quam qui hostium copias vincerent: est profecto tuum, cum ad res bellicas haec, quae rariora & difficiliora sunt, genera virtutis adjunxeris, ipsas etiam illas res gestas justiores esse & majores putare.* Haec de vocis vero significatu. Rei ipsius insignia exempla quotidie videre est, ubicumque disciplinae sanctitatem perfringit audacia & licentia. A. MDCXXX. urbem Mantuam, inopinato incursu captam, foedissimis ac crudelissimis modis diripuit & vexavit miles Caesareus. in illa miserabili strage inventus est homo manipularis & gregarius, cui pro parte praedae obvenerant octoginta millia ducatorum, quos vocant, aureorum. prodigiosa pecuniae vis, quis neget? hanc ille gurges cunctam cum pulvisculo una die in aleam effudit; jussus propterea, de sententia consilii bellici, infami laqueo turpem vitam finire, ut qui rebus suis superesse nequiret, nec fortunae muneribus sapienter uti. Cave hunc balatronem putes avarum fuisse. non fuit, mihi crede: cupidus fuit. Pulcre de toto illo perditorum nebulonum genere Jo. Jovianus Pontanus, gravissimus scriptor & sapientissimus, Lib. de Liberalit. C. 7. *Nec vero tyrannos, ac direptores urbium, eversoresque, nec templorum sacrorumque spoliatores, inter avaros numeraverim. Quippe cum inter impotentes, injustos, impios, Deorumque contemtores numerari potius debeant.* Ceterum historiam, (neque enim fabella est) quam modo adscripsi, verbis oculati testis recitat

Ferte & opes. ego composito securus acervo
Despiciam dites, despiciamque famem.

tat Michaël Vassor L. 28. Histor. Ludovici XIII.

91. FERTE ET OPES] vulnerum praemia, & amorum illices insidias. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 8. ℣. 9.

Ecce recens dives, parto per vulnera censu,
Praefertur nobis sanguine pastus eques.

Propertius L. 4. Eleg. 5. ℣. 49.

Nec tibi displiceat miles non factus amori;
Nauta nec attrita, si ferat aera, manu.

91. EGO COMPOSITO SECURUS ACERVO] haec jam supra exposuimus ad ℣. 3. Notabis autem egregiam animi aequabilitatem in nostro Tibullo, qui integris olim opibus non laetius fuerit usus, quam nunc accisis. Hoc illi praestitit seria sapientiae meditatio, divitiarum usum non in possessione, sed in animo collocantis, sua sorte contento. Praeclare Tullius Paradox. *6.* C. 1. *Animus hominis dives, non arca appellari solet. quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo. Etenim ex eo, quantum cuique satis est, metiuntur homines divitiarum modum.* Quae verba verbis aliis honeste commutavit vir disertissimus Jo. Jovianus Pontanus L. 1. de Obedient. C. *9.* *Neque certabitis ut pecunias quam maximas possideatis, solum arcae explendae intenti; sed ut ne egeatis, iisque abundetis, quae vobis liberisque vestris, familiae, cognatis, amicis, ad victum, ad cultum, & usus vitae alios necessaria visa fuerint, scientes illum esse divitiis finem constitutum, ut recte eis atque honeste possessor utatur.*

92. DITES DESPICIAM] Cicero dial. de Amicit. C. 23. *Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. Honores vero, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil esse levius existiment! itemque cetera, quae quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent.* Habes bonam argumenti partem hujus Elegiae. Sed in his verbis, *Dites despiciam*, quis ferat numerum tam segnem, tamque elumbem, ni Bavius sit? melius & mollius libri Ach. Statii, quinque item Palatini, & codex Laudianus, ac Lipsii excerpta, ut mihi liquet ex manu Douzae patris, cum duobus Heinsii Vaticanis,

Despiciam dites, despiciamque famem.

Tamen hanc verborum collocationem non probabat Gebhardus. At Tibullus probabat, quem nulli reperies similiorem quam sibi, Eleg. 4. hujus libri, ℣. 82.

Heu heu quam lento Marathus me torquet amore.
Deficiunt artes, deficiuntque doli.

L. 2. Eleg. 5. ℣. 100.

At sibi quisque dapes, & festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.

II.

ADDE merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor.

Neu

1. VINOQUE NOVOS COMPESCE DOLORES] haec est scriptura primarum editionum. quam stabiliunt omnes libri Ach. Statii; Gebhardi duo; sex nostri; & quinque Heinsiani, cum Lipsianis excerptis. Muretus in quibusdam invenerat *graves compesce dolores*, (id quod tenuerunt Aldina, Plantiniana, Gryphiana) in quibusdam aliis *novos compesce furores.* Sed nihil mutandum. super veteres aerumnas accesserat novus dolor, positi circa puellam custodes. *Compescere* autem ita dixit de Baccho, ut meus Propertius L. 3. Eleg. 15. ℣. 3.

Tu potes insanae Veneris compescere fastus,
Curarumque tuo fit medicina mero.

& Naso Epist. Paridis ℣. 229.

Saepe mero volui flammam compescere: at illa
Crevit; & ebrietas ignis in igne fuit.

2. LUMINA VICTA] alii *vincta* legunt, quod non possum probare; quamvis in re somni *vincire, devincire, abrumpere*, recte dici non ignorem. Sed *victa lumina* hic sunt, somno obnitentia, & moerori suo indulgentia, quo-

fur-

Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.

5 Nam

furtim subit obrepens sopor. Sic & alii loquuntur poëtae, nec illi de trivio. Catullus Carm. 61. ℣. 122.

Aut ut eam dulci devictam lumina somno
Liquerit inmemori discedens pectore conjunx.

Virgilius L. 9. Aen. ℣. 337.

Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat insignis facie; multoque jacebat
Membra deo victus.

Propertius L. 3. Eleg. 15. ℣. 42.

Tu modo servitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 648.

Sunt quoque quae faciant altos medicamina somnos,
Victaque Lethaea lumina nocte premant.

L. 3. Fast. ℣. 19.

Blanda quies victis furtim subrepit ocellis.

Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 242.

sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa.

3. MULTO PERFUSUM TEMPORA BACCHO] Alii *percussum tempora* maluerunt; & sic in suis fere omnibus habebat Ach. Statius. est & in duobus nostris: & in quatuor Heinsianis: inque excerptis Lipsii. probavitque Douza F. Conject. C. 1. post Franciscum Robortellum. Sed aptius videtur *perfusum*, quod in suis Muretus, in Palatinis Gebhardus invenerant; & nos in editione prima, & in quatuor scriptis. sed & sua tempestate nonnullos ita legisse monet Bernardinus Cyllenius. Vide sis Livineji notam hoc loco, & Lucam Fruterium L. 1. Verisimil. C. 5. Huic *perfundendi* verbo respondet verbum *madere* apud Nostrum L. 2. Eleg. 1. ℣. 29.

Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.

ibidem Eleg. 5. ℣. 87.

At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. a stabulis tunc procul este lupi.

Papinius L. 3. Silv. 1. ℣. 41. ad Herculem:

Pacatus mitisque veni, nec turbidus ira,
Nec famulare timens; sed quem te Maenalis Auge
Confectum thyasis, & multo fratre madentem
Detinuit.

Aliquantulo minus est *diffundi*: quod valet, in hilaritatem solvi. Ovidius L. 3. Metam. ℣. 318.

Forte Jovem memorant diffusum nectare curas
Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos
Cum Junone jocos.

ejusdem ingeniosissimi operis L. 4. ℣. 764.

Postquam epulis functi, generosi munere Bacchi
Diffudere animos.

Statius L. 1. Achill. ℣. 53. de Jove:

Oceano veniebat ab hospite, mensis
Laetus, & aequoreo diffusus nectare vultum.

& L. 4. Silv. 2. ℣. 53.

Talis, ubi Oceani finem mensasque revisit
Aethiopum, sacro diffusus nectare vultus,
Dux superum secreta jubet dare carmina Musas,
Et Pallenaeos Phoebum laudare triumphos.

est omnino verbum laetitiae, etiam citra florem Liberi patris. Cicero de Amicit. C. 13. *ut & bonis amici quasi diffundantur, & incommodis contrahantur.* Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 218.

Spectabunt laeti juvenes, mixtaeque puellae:
Diffundetque animos omnibus ista dies.

& L. 4. Pontic. Epist. 4. ℣. 7.

Ecce domo, patriaque carens, oculisque meorum,
Naufragus in Getici litoris actus aquas;
Qua tamen inveni vultum diffundere caussa
Possem, fortunae nec meminisse meae.

Apulejus L. 2. Metam. *Ad haec ego insperato lucro diffusus in gaudium, & in aureos refulgentes, quos identidem manu mea ventilabam, attonitus, Immo, inquam, domina, de famulis tuis unum putato; & quoties operam nostram desiderabis, fidenter impera.* est autem tralatio ab liquidae lucis serenitate desumta, dispulsis & discussis a sole tenebris. Lucretius initio L. 1.

tibi rident aequora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine coelum.

& L. 2. ℣. 22.

semperque innubilus aether
Integit, & large diffuso lumine ridet.

Huic vero locutioni, *diffundi vino*, pulcre convenit verbum cum primis elegans *uvescere.* quo verbo utitur Horatius L. 2. Sat. 6. ℣. 70.

prout cuique libido est,
Siccat inaequales calices conviva, solutus
Legibus insanis. seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit laetius.

Idem poeta L. 4. Od. 5. ℣. 39.

Lon-

Nam poſita eſt noſtrae cuſtodia ſaeva puellae,
  Clauditur & dura janua fulta ſera.
Janua difficilis domini, te verberet imber,
  Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.

Janua

Longas o utinam, dux bone, ferias
Praeſtes Heſperiae, dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi
  Quum ſol Oceano ſubeſt.

Sed *vino infundi*, vel *laetitia*, quid eſt? neſcivit hanc locutionem caſtior Latinitas. reperies vero apud Macrobium L. 7. Saturn. C. 3. *nam ſicut in praecipiti ſtantem vel levis tactus impellit; ita vino vel infuſum, vel adſperſum, parvus quoque dolor incitat in furorem.* paullo poſt: *illa vero ſcommata directa laetitia eum, in quem dicuntur, infundunt, ſi virum fortem vituperes quaſi ſalutis ſuae prodigum*, &c. deinde C. 5. *fartus cibo ſtomachum vel ventrem gravatur: infuſus vino fit ſimilis inſano.* Credo delicias fuiſſe illius tempeſtatis, qua praecipiti gradu in perniciem prolabebatur & corruebat ſermo Romanus. Tamen hunc hominem vir clari nominis *auctorem* vocat *decôre & perſpicue loquentem*, in Diſſertatione de comparanda L. L. Addere debebat, *ubi exſcribit meliores.* Nam id ni ſit, accedamus oportet Eraſmo noſtro, in Ciceroniano ſic cenſenti ſub Noſoponi perſona: BUL. *En tibi Macrobius.* NOS. *Aeſopicam corniculam mihi nominas: ex aliorum pannis ſuos contexuit centones; itaque ſua lingua non loquitur, & ſi quando loquitur, Graeculum Latine balbutire credas.* Longiuſcule exſpatiati ſumus; ſed cum bona, ſpero, venia lectoris non nimium moroſi.

4. INFELIX DUM REQUIESCIT AMOR] ſic ſcripti omnes. ſed primae editiones *amans* habent; quod fuit gloſſema vocis *amor*. Theocritus Idyll. 23.

  Χῶμα δέ μοι κοίλανον, ὅ μευ κρύψει τὸν ἔρωτα.

Helius Eobanus vertit:

  At tumulum mihi conde, meum qui condat amorem.

Daniel vero Heinſius:

  Et tumulum mihi conde, meum qui claudat amorem.

ſic & Propertius meus L. 1. Eleg. 17. ỷ. 27.

  Si quando veſtras labens amor attigit undas,
    Manſuetis ſocio parcite litoribus.

L. 4. Eleg. 4. ỷ. 35.

  Ille equus ille meos in caſtra reportet amores,
    Cui Tatius dextras collocat ipſe jubas.

utrobique aliquid, quod huc faciat, adnotavimus.

6. CLAUDITUR ET DURA JANUA FIRMA SERA] *firma* erat in ſeptem libris Gebhardi, & in quinque noſtris. Statius autem & Muretus in ſuis *fulta* habebant; nec non excerpta M. Ant. Pocchi; & Colotianus Heinſii, cum duobus Vaticanis. in Perreji excerptis *fulcta* erat. ſic Ovidius L. 2. Amat. Art. ỷ. 244.

  Si tibi per tutum planumque negabitur ire,
    Atque erit appoſita janua fulta ſera.

& L. 1. Amor. Eleg. 6. ỷ. 28.

  Ferreus orantem nequicquam, janitor, audis.
    Roboribus duris janua fulta riget.

recte. nam *fulcire* eſt munire. id quod operoſe demonſtrari non debet. itaque non curabimus numerum, ſed Statii ac Mureti & Pocchi Heinſiique ſcripturam amplectemur, ut altera iſta concinniorem.

7. JANUA DIFFICILIS DOMINI] ita potior pars librorum, non *dominae.* quam dominam non nimis difficilem fuiſſe, ſatis probat adpoſita cuſtodia. eſt ergo *difficilis dominus* ipſius Deliae maritus. Ach. Statius lenonem intelligebat. Omnino male. nam Deliam fuiſſe nuptam tot locis oſtendit noſter Albius, ut ſingula conquirere ſtulti foret laboris. Quinimo hac ipſa Elegia illam adhortatur ut & virum & cuſtodes fallere ne vereatur. nam quum in mulieribus libertinis ſtupra non vindicarentur; miſeri mariti cuſtodibus ſervis uxorum pudicitiam, quoad ejus fieri poterat, cogebantur tueri, niſi ſi ipſi vellent ſuarum eſſe mercium conciliatores. Inſignis eſt locus Ovidii L. 3. Art. Amat. ỷ. 611.

  Qua vafer eludi poſſit ratione maritus,
    Quaque vigil cuſtos, praeteriturus eram.
  Nupta virum timeat: rata ſit cuſtodia nuptae.
    Hoc decet: hoc leges juſque pudorque jubent.
  Te quoque ſervari, modo quam vindicta redemit,
    Quis ferat? ut fallas, ad mea ſacra veni.

ſequuntur iſtic plura, quae non invitus leges,

ges,

Janua jam pateas uni mihi victa querelis;
Neu furtim verſo cardine aperta ſones.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas. capiti ſint precor illa meo.

Te

ges, ut conſtet tibi de ratione hujus cuſtodiae. invenies & alia huc ſpectantia in libris Amorum.

7. TE VERBERET IMBER] ſaevo verbo utitur in re itidem ſaeva. Sic & magnus magiſter L. *9.* ℣. *669.*

Quantus ab occaſu veniens pluvialibus Haedis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant; cum Jupiter horridus auſtris
Torquet aquoſam hiemem, & caelo cava nubila rumpit.

quem locum ſolenni illa ſua grandiloquentia imitatus eſt Papinius L. 8. Theb. ℣. 407.

non tanta cadentibus Haedis
Aëriam Rhodopen ſolida nive verberat Arctos;
Nec fragor Auſoniae tantus cum Jupiter omni
Arce tonat; tanta quatitur nec grandine Syrtis,
Cum Libyae Boreas Italos niger attulit imbres.

Sed hoc ante me viderunt duo viri eximii, Jo. Ludovicus de la Cerda, & Caſpar Barthius. Ego autem ipſe videram, antequam illorum commentarios evolviſſem. Saepe ita fit, nec poteſt aliter, in itinere publico. *Verberandi* autem verbum de omni impetu vehemente uſurpatur. Hinc bellicis machinis dedit Cicero Philipp. 8. C. 7. *Quid? ille faceret inducias? ante conſulis oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit.* Vento Lucretius L. 4. ℣. 260.

Ventus enim quoque paullatim cum verberat, & cum
Acre ferit frigus.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. *639.*

Illam huc atque illuc nunc torquens verberat Eurus,
Nunc ſtridens Zephyris aufert Notus.

Grandini Horatius L. 3. Od. 1. ℣. *29.*

Non verberatae grandine vineae.

Poëta vetus Priap. Carm. *61.*

Nec ſum grandine verberata dura.

Dracontius Hex. ℣. 75.

Non glacies diſtricta domat, non grandinis ictus
Verberat.

Nivi Papinius L. 5. Theb. ℣. *390.*

Talis Hyperborea virides nive verberat agros
Jupiter.

Fluctibus Horatius L. 3. Od. 27. ℣. 24.

Hoſtium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Auſtri, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.

Seneca Hippol. ℣. 7.

quae Thriaſiis
Vallibus amnis rapida currens
Verberat unda.

idem Oedip. ℣. 10.

Rupemque ſaxis vaſta dirimentem freta,
Quamvis quieti, verberant fluctus maris.

Aëri Lucretius L. 4. ℣. *939.*

Interiorem etiam partem ſpirantibus aër
Verberat, hic idem cum ducitur, atque reflatur.

11. ET MALA SI QUA TIBI DIXIT DEMENTIA NOSTRA] ſaepe convicia foribus faciebant amantes excluſi, ſaepe blanditias ingerebant. Horatius L. 3. Od. 10.

Extremum Tanaim ſi biberes, Lyce,
Saevo nupta viro, me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. *6.* ℣. 73.

Vos quoque crudeles rigido cum limine poſtes,
Duraque conſervae ligna valete fores.

L. 3. Art. Amat. ℣. 581.

Ante fores jaceat: Crudelis janua, clamet:
Multaque ſubmiſſe, multa minanter agat.

initio Remediorum Amoris, ad Cupidinem:

Effice nocturna frangatur janua rixa;
Et tegat ornatas multa corona fores.
Fac coëant furtim juvenes, timidaeque puellae:
Verbaque dent cauto qualibet arte viro.
Et modo blanditias, rigido modo jurgia poſti
Dicat; & excluſus flebile cantet amans.

Propertius L. 1. Eleg. *16.* ℣. 17.

Janua vel domina penitus crudelior ipſa,
Quid mihi tam duris clauſa taces foribus?

& quae compluſcula iſtic ſequuntur. Lucretius L. 4. ℣. 1173.

At lacrimans excluſus amator limina ſaepe
Floribus & ſertis operit, poſteisque ſuperbos
Unguit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Phaedromus Plautinus ſuaves itidem nugas effutit

Te meminisse decet quae plurima voce peregi
Supplice, quum posti florea serta darem.
Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.
Audendum est. Fortes adjuvat ipsa Venus.

Illa

effutit ad ostium, Curcul. Act. 1. Sc. 1. Mellitissimus Secundus noster Juliae Eleg. 2.

Disce gradum mediis suspensum ferre tenebris,
Et per dilectas ire redire vias:
Et rigidos cithara postes mollire per umbram,
Sertaque cantatis addere cardinibus,
Dum nocturna tibi demulserit aura calorem,
Et matutinae collacrimentur aves.

12. CAPITI SINT PRECOR ILLA MEO] haec erat consuetudo satisfaciendi, si quando aliis male essent precati, illis praesentibus ut optarent in caput suum ut recideret quidquid mali in ipsos dixissent. sic Acontius optat sibi ipse morbum a Diana inmissum Cydippae, quam ipse callido commento in perjurium adegerat, Epist. ℣. 127.

Maceror interdum, quod sim tibi caussa dolendi:
Teque mea laedi calliditate puto.
In caput haec nostrum dominae perjuria quaeso
Eveniant: poena tuta sit illa mea.

Thyestes in cognomine tragoedia, ℣. 995.

quidquid est, fratri, precor,
Gnatisque parcat; omnis in vile hoc caput
Abeat procella.

vide sis M. Ant. Muretum L. 12. Var. Lect. C. 4. Tale quid hodie habent in usu Persae, non quidem in satisfactione, sed in quadam quasi devotione. Satrapae enim vel abituri peregre vel redeuntes, regis pedem dextrum, ipsi utroque genu flexo, osculantur, & fronte contingunt, (id quod fit in omni osculatione, reverentiae gratia) deinde regem a tergo circumeuntes iterum atque iterum eadem cerimonia defunguntur. ter enim repetunt. Hoc qui facit, creditur in caput suum derivare si quid regi inmineret rei sinistrae. Privatae quoquè sortis homines, in testificatione incredibilis cujusdam benevolentiae, manum circa amici caput ter rotantes, dicere solent, Si quid tibi minantur fata, id omne capiti sit meo. Auctorem habeo Petrum della Valle, virum nec futilem & rerum Orientalium prudentissimum, Persic. Epist. 4. *Il girar trè volte intorno al Rè, significa, chi lo fa, di volersi pigliar sopra di se ogni mala ventura, che al Rè potesse occorrere. Cerimonia di molto affetto, e divotione; usata di farsi solo a Principi, ò a persone sopra modo amate. E suol farsi anche privatamente con la semplice mano, intorno alla testa di chi si vuole; e soglion dire in tale atto, Ogni male, e travaglio tuo, sia sopra di me.* Mos ipse nec veteri Latio ac Sabinis incognitus fuit. Valerius Maximus L. 2. C. 4. ex. 5. *Cum ingenti pestilentia Urbs agrique vastarentur, Valesius vir locuples, rusticae vitae, duobus filiis & filia ad desperationem usque laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus, Lares familiares, ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent, oravit.*

14. FLORIDA SERTA] sic quidem nostri libri: tamen malo *florea*, quod in suis manuscriptis se invenisse testatur Ach. Statius Comment. in Catull. p. 230. Vide notata ad Eleg. 1. ℣. 16.

16. AUDENDUM EST. FORTES ADJUVAT IPSA VENUS.] Quod hic Veneri, id apud Ennium Fortunae datur, L. 7. Annal.

Fortibus est Fortuna viris data.

Terentius Phorm. Act. 1. Sc. 4. ℣. 25.

ergo istaec quum ita sint, Antipho,
Tanto magis te advigilare aequum est: fortis Fortuna adjuvat.

Nec satis audent, quibus mentis consilia parum sunt firma. ecce tibi ejusdem amabilissimi poëtae Chaeream, periculosi optati jam potitum, Eunuch. Act. 5 Sc. 8. ℣. 14.

quid commemorem primum? aut laudem maxume?
Illumne, qui mihi dedit consilium ut facerem? an me qui ausus sim
Incipere? an Fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit,
Quae tot res, tantas, tam oportune in unum conclusit diem?

Virgilius L. 10. Aen. ℣. 284.

Audentes Fortuna juvat.

Deinde Venus Fortunae facta est comes. Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 608.

Colloquio jam tempus adest. fuge rustice longe
Hinc pudor. audacem Forsque Venusque juvant.

& L. 2. Fastor. ℣. 782. de Tarquinio adolescente:

Illa favet, seu quis juvenis nova limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli descendere lecto.
Illa pedem nullo ponere posse sono.

Illa

Ardet; & injusti stimulis agitatus amoris
Comparat indigno vimque dolumque toro.
Exitus in dubio est: tentabimus ultima, dixit.
Viderit, audentes Forsne Deusne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque.

apud eumdem Hippomenes L. 10. Metam. ỷ. 586.

Sed cur certaminis hujus
Intentata mihi fortuna relinquitur? inquit.
Audentes Deus ipse juvat.

Verumenimvero quod ista Ovidiana sint huic Tibulliano simillima, ideo sibi persuasit Achilles Statius hoc totum non esse nostri poëtae γνήσιον. in quo ego eum errare ac decipi arbitror. nam certe haec Albiana illis Nasonianis tempore sunt priora. Plura in hanc rem dabit tibi Hieronymus Columna Comment. Ennian. p. 73. editionis nuper pulcerrime recentatae: & Nic. Reusnerus Symbol. Imp. Class. 1. C. 47.

18. FIXO DENTE] clavi dentata serae inserta. Bene haec exposuit Cl. Salmasius Exercit. Plinian. p. 928. nam minoris momenti sunt, quae Turnebus habet L. 16. C. 4.

19. FURTIM MOLLI DECEDERE LECTO] Vix puto Latine dici *lecto decedere*, pro eo quod est, surgere de lecto. quare unice amplector Douzae P. restitutionem verissimam, *descendere:* quam quum ille neglexerit munire auctoritatibus bonorum scriptorum, has ego partes suscipiam. Tricliniares lecti erant humiliores lectis cubicularibus. Rursus ipsi cubiculares aliis alii altiores. Varro lib. 7. de L.L. *Quod si esset analogia petenda in supellectile; omnes lectos haberemus domi ad unam formam, & aut cum fulcro aut sine eo, nec tum ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem.* Ejusdem operis lib. 4. *Quia simplici scansione scandebant in lectum non altum, Scabellum; in altiorem, Scamnum. Duplicata scansio, Gradus dicitur, quod geritur ab inferiore in superiorem.* Hos gradus a Sabinis, ut alia multa, accepisse Propertius meus credibile facit L. 4. Eleg. 4. ỷ. 85. ubi de Tarpeja:

Prodiderat portaeque fidem, patriamque jacentem,
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
Nube, ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.

Virgilius, Romani moris ubique retinentissimus, ad ipsius Jovis majestatem adcommodavit. sic enim Juno L. 12. Aen. Juturnam adfatur, ỷ. 142.

Nympha decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
Praetulerim, coelique libens in parte locarim.

Valerius Flaccus L. 6. ỷ. 45.

jam pridem infensus Anausis,
Pacta quod Albano conjunx Medea tyranno:
Nescius, heu, quanti thalamos adscendere monstri
Arserit, atque urbes maneat qui terror Achaeas.

Lucanus L. 2. ỷ. 356.

Festa coronato non pendent limine serta,
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimaeque faces, gradibusque acclivis eburnis
Stat torus, & picto vestes discriminat auro.

Et hoc quoque ab exemplo coelesti. Valerius Flaccus L. 6. ỷ. 456.

Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis
Tecta petit. visa jam dudum prosilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amorum.
Ac prior hanc blandis supplex Saturnia dictis
Adgreditur.

Silius, de Syphace, L. 17. ỷ. 71.

Virgo erat eximia specie, claroque parente,
Hasdrubalis proles; thalamis quam cepit ut altis,
Ceu face succensus prima taedaque jugali,
Vertit opes gener ad Poenos.

Nasonem vide, loco bene huc faciente, L. 2. Fastor. ỷ. 343. & L. 10. Metam. ỷ. 462. Ut autem in hac re *scandere* dicebant, & *adscendere*, & *inscendere*; sic etiam *descendere.* Plautus Asinar. Act. 4. Sc. 1. in illa ridicula lege, quam Cleaeretae lenae praescribit Diaboli parasitus, ỷ. 29.

Suspiciones omnes abs se segreget,

Neque

Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compositis abdere verba notis.

Nec

Neque illaec ulli pede pedem homini premat.
Cum surgat, neque in lectum inscendat proximum,
Neque cum descendat, inde det cuiquam manum.

Auctor Ciris ℣. 208.

Cum furtim tacito descendens Scylla cubili
Auribus arrectis nocturna silentia tentat;
Et pressis tenuem singultibus aëra captat.
Tum suspensa levans digitis vestigia primis
Egreditur.

in eodem negotio usus est Naso verbo *delabendi*; quod tantumdem valet ac *furtim descendere*; L. 3. Amor. Eleg. 1. ℣. 49.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem;
Delabique toro tunica velata recincta;
Atque inpercussos nocte movere pedes.

Apulejus L. 5. Metam. *Postquam sulcatos intrahens gressus cubile solitum conscenderit, jamque porrectus, & exordio somni prementis inplicitus altum soporem flare caeperit; toro delapsa, nudoque vestigio pensilem gradum paullulatim minuens,* &c. Ceterum Douza, ut ad illum redeamus, & vere & sagaciter hunc locum restituit ex antiqua scriptura libri Statiani, in quo erat *discedere.* quod postea & Gebhardus in Comelini membranis, & in uno suo Nic. Heinsius invenit. nam in hoc verbo saepe ita peccatum fuit. Ovidius, ipso fine L. 3. Art. Amat.

Lusus habet finem: cycnis descendere tempus,
Duxerunt collo qui juga nostra suo.

ante Nic. Heinsium *discedere* legebatur, nec probo sensu, & sermone inepto. Haeret etiam nunc idem mendum in Albio nostro, Eleg 6. hujus libri, ℣. 5.

Tunc me discedens devotum femina dixit.

nos illud suo loco eluemus. *Derepere*, quod e Frisingensibus scidis huc protulit Gruterus, vehementer placeret, nisi obstarent tot clara pro *descendendi* verbo argumenta. Ceterum in gratiam elegantium ingeniorum, & poëseos studiosorum, (neque enim ad Demeas & Timones haec ablegata volumus, nec Daraptifelaptonibus suum invidemus supercilium) non possum quin aliquid adjiciam ex cantilena quadam Petri Cornelii Hoofdii, quo viro cave credas quidquam perfectius ex hac nostra urbe umquam prodiisse. Secutus est ille, ut videbis, & Nasonem & nostrum simul Albium: sed ita secutus, ut negare audeam hos ipsos Phoebi olores aut mollius potuisse aut melius. Sic igitur Hoofdius noster, ad Venerem conversus:

Schreumende maeghden, en onervaere borsjes
Kunt ghy, wanneer 't u lust, haer' vreeze korten,
En moedt instorten.
Dan leertmen, luchtigh, ten zachten bedd' uyt styghen,
En in een' onderkeurs ter venster vaeren,
Op zang en snaeren.
Dan leertmen, zaghjens, om d'ouwde lién te mompen,
Zyn' voetjens zetten, dat het niemandt luister,
Alleen, by duister.
Dan leertmen, listigh, zyn' boel ter sluyk in laeten,
En vloeken 't kraeken van de deur en trappen,
Die 't willen klappen.

o illam auream aetatem! hodie non nisi abortus quosdam videmus poëseos eroticae, fere ex aliquo lacu Celtico petitos, eosque quam maxime distortissimos. Non linguae haec culpa est, sed artificum ineptorum.

21. ILLA VIRO CORAM NUTUS CONFERRE LOQUACES] *coram viro* est, viro praesente & vidente, nec tamen intelligente nutus & notas, de quibus ex composito convenerat inter mulierem atque amatorem. Carolus Sigonius & hunc versum, & sequentem

Blandaque compositis abdere verba notis,

nec intellexit, atque etiam corrupit, dum *addere* pro *abdere* legi vult L. 2. Emend. C. 58. contra Francisc. Robertellum, qui primus *abdere* ex scriptis libris reposuit, praeclaro judicio. Ponam ipsa Sigonii verba: *Venus docet pedem nullo ponere posse sono, cum furtim e cubiculo exit mariti. Illa eadem docet puellam cum praesente marito nutus loquaces conferre, & compositis notis blande verba addere, fallendi caussa; id est, falsis nutibus falsa verba, quae amorem prae se ferunt, & maritum decipiunt, addit.* Quis credat virum tam excellenter in literis versatum potuisse tam turpiter se dare, tantum ut rejiciat atque exagitet adversarii sui sententiam? Sed Robertelli emendationem tamquam e tripode profectam amplexati sunt homines eruditi, explosa Sigonii interpretatione. Sane

Nec docet hoc omnes: ſed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obſcura ſurgere nocte timor.

Nec

ne Ach. Statius in multis libris *abdere* invenit: in quibusdam *reddere.* Nos quoque *abdere* vidimus in altero Wittiano; quod & Colotianus, & tres Vaticani, apud Heinſium confirmant: itemque excerpta Antonii Perreji. ceteri *addere* habebant. Sed nec numerus, nec junctae umbone phalanges, ut ait poëta Aquinas, tanti hic eſſe debent, ut ratio propterea deſeratur. Saepenumero verbum *abdere* abiiſſe in *addere*, & contra *addere* in *abdere*, ſelectis aliquot exemplis oſtendit Gebhardus. Cui junge, ſi operae erit, Franc. Sylvium in Cicer. orat. pro Cluentio C. 62. Simeonem Boſium in L. 13. ad Attic. Epiſt. 20. Jo. Iſacium Pontanum in Macrob. L. 2. Saturn. C. 12. Jo. Fred. Gronovium in Senec. Thyeſt. ỿ. 994. Albium noſtrum commode expreſſit Naſo, equitem eques, L. 1. Art. Amat. ỿ. 137.

Nil opus eſt digitis, per quos arcana loquaris:
Nec tibi per nutus accipienda nota eſt.

& Epiſt. Helenae, ỿ. 81.

Ah quoties digitis, quoties ego tecta notavi
Signa ſupercilio paene loquente dari!

Plenius etiam ac luculentius L. 1. Amor. Eleg. 4. L. 2. Eleg. 5. L. 3. Eleg. 11. apud Heliodorum quoque & Achillem Tatium, aliosque Eroticorum ſcriptores, multa talia reperies, ad colloquium hoc elingue ſpectantia. Tetigit Michaël Marullus in meretrice vetula L. 1. Epigr. 42.

Donec rugoſa vultus mutante ſenecta,
Vilis amatori viſa gravisque ſuo eſt.
Tum demum faciem, & formae mala damna caducae
Conqueri, & auxilium quaerere ab arte novum.
Et modo compoſitum blanda latus arte movere;
Saepe jocis tardos ſollicitare viros.
Nunc pariter digitisque loqui, nutuque fideli,
Verbaque de tacitis mutua ferre notis.

vide noſtrum infra Eleg. 7. ỿ. 19. Naſonem L. 2. Triſt. ỿ. 453. Iſidorum L. 1. Etymol. C. 25.

24. NEC VETAT OBSCURA SURGERE NOCTE TIMOR] Non ludet operam, qui Propertium contulerit, L. 3. Eleg. 14. itemque Ovidium, L. 1. Amor. Eleg. 6. Hunc Albii noſtri locum ante oculos habuit auctor Elegiae in obitum Maecenatis, ỿ. 29.

Nocte ſub obſcura quis te ſpoliavit amantem?
Quis tetigit ferro, durior ipſe, latus?

Ceterum in libris noſtris hic, & in illis primis editionibus, ſequuntur hi duo verſus:

En ego quum tenebris tota vagor anxius urbe,
Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

in longiore, ſiquidem legitimus foret, legendum ſuſpicarer *tota vagor avius urbe:* h. e. quum vagabundus circum luſtra oberro in aviis urbis regionibus. nam certe non *anxius* vagatur, quem Venus *ſecurum* facit: & erant lupanaria fere aut in Subura, aut in Summoenio. Hinc meretrices acutus ille Hiſpanus, jocoſo nomine, *uxores* vocat *Summoenianas* L. 3. Epigr. 82.

Conviva quisquis Zoili poteſt eſſe,
Summoenianas coenet inter uxores,
Curtaque Ledae ſobrius bibat teſta.

Sed nulla cauſſa eſt, cur laboremus in emendando verſiculo inſititio, atque alienigena; quem pater ſuus formavit in effigiem verborum Ciceronis, quantum quidem ejus conficere valuit, L. 14. ad Attic. Epiſt. 8. *de Bruto ſemper ad me omnia perſcribito, ubi ſit, quid cogitet: quem quidem ego ſpero jam tuto vel ſolum tota urbe vagari poſſe.* In pentametro autem tanta eſt varietas, ut minime liceat de mangonio non ſuſpicari. Noſter ſecundus, ſecundus item Wittianus, & Colbertinus habebant,

Praeſidio noctis ſentio adeſſe Deam.

Wittianus prior,

Non mihi nocte quies, non mihi nocte ſopor.

Sed & in hoc, & in altero Wittii codice, pro diverſa lectione in margine adpinxerat recentior manus *Securum in tenebris* &c. niſi quod prior *ire* praeferret, non *eſſe.* legitur & *ipſa Venus.* Alia nihilo meliora apud alios reperies, ſi voles. Hac tanta futilium hominum licentia commotus Scaliger, totum diſtichon delevit tamquam ridiculum, & commictile. Merito ſane. In excerptis M. Ant. Pocchi notabatur: *Suppoſitus eſt Auruſpice, ut ajunt; repoſuit Pontanus, Uſque meum cuſtos ad latus haeret Amor.* Eſt hic mendum in voce *Auruſpice*; & ſcribendum, *ab Auriſpa.* Achilles quoque Statius ita ſcriptum reliquit: *Eſt in veteribus libris. κίβδηλον tamen exiſtimatur. commentum enim eſſe Auriſpae cujusdam dicitur. Pontani fuerat, Uſque meum cuſtos*

Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veſte ferat.

Quiſ-

cuſtos ad latus haeret Amor. de Pontano non multum nunc quidem laboramus: nota eſt ejus ſiniſtra liberalitas in Catullo, quod invitus dico & de tanto viro & de tali ingenio. Sed nimis ſcire velim, verum ſit, necne ſit, id quod de commento Auriſpae modo audivimus. Illo enim ſemel comperto, jam nobis ſecure liceret arbitrari ſuper aetate eorum librorum, in quibus hic verſiculus, *Securum in tenebris*, ſcriptus reperiretur. reperiri enim alios codices, qui hic loci lacunam habeant, teſtis eſt M. Ant. Muretus. Floruit autem Joannes Auriſpa, homo Siculus, non multum ab initiis ſaeculi quinti decimi, Latinae ac Graecae eruditionis nomine celeberrimus, verſu quoque & proſa oratione plurimum valere creditus; fuitque ab epiſtolis Latinis (*ſecretarium apoſtolicum* tunc vocabant) Eugenio quarto. Qui Eugenius factus eſt pontifex maximus A. 1431. mortuus A. 1446. auctores habeo Raphaëlem Maphaeum (qui ab oppido natali Volaterranus vulgo appellatur) L. 21. Comment. Urban. Angelum Decembrium L. 1. de Polit. Liter. Paullum Jovium in Elogio Jo. Franc. Poggii; & Baptiſtam Platinam in vita Eugenii IV. Vertit autem e Graeco, atque in lucem protruſit, Archimedis opera, itemque Hieroclis commentarium in Aurea Pythagorae Carmina, & Philiſci Conſolatorium ad Ciceronem in Macedonia exſulantem. Maximis hunc Auriſpam laudibus ſaepe tulit Antonius Panormita in Hermaphrodito, libello nondum edito, nec umquam edendo: unde didici, Florentiae habitaſſe, gratum & jucundum Coſmo Medici, atque inter primos Italiae eruditos numeratum. uno epigrammate defungemur: cetera enim ſunt nimis ſpurcidica.

Si quis erit priſcis aequandus, Coſme, poëtis,
Et ſi cui Phoebus Pieridesque favent:
Si quis vel loquitur, vel ſplendida facta reponit,
Mercurium videas cujus ab ore loqui:
Si quis erit linguae doctus Grajae atque Latinae,
Si non Auriſpa eſt hic, periiſſe velim.
Quisquis in hoc mecum non ſenſerit, arbiter aequus
Non fuit; aut certe Zoïlus ille fuit.

Hac ratione Zoïlum fuiſſe oportet Franciſcum Philelphum, virum ſuae aetatis multo doctiſſimum, ad quem collatus Panormita nimius nugator eſt. Is Philelphus Auriſpam hunc vix pro ſemidocto habet, L. 3. Epiſt. 37. L. 5. Epiſt. 8. 16. 32. L. 6. Epiſt. 42. Aliquanto clementius cenſebat Lilius Gregorius Gyraldus, Dial. 1, de Poëtis ſuorum temporum: *Joannes Auriſpa, Siculus, orator, in aliquo poëtarum ordine reponi poteſt, quippe qui Graece & Latine probe doctus eſſet; carmina tamen ejus, quae ipſe legi, neſcio quid Sicularum gerrarum habere videntur. fuit enim eo tempore, quo nondum exquiſitae literae in lucem redierant. Vixit autem Ferrariae ad ſummam ſenectutem, in precio habitus a noſtris principibus, qui & eum locupletem reddiderunt.* Certe inter Panormitae luſus exſtat unum Auriſpae epigramma, unde Gyraldi judicium pulcre poſſit firmari: ſed eſt hoc ipſum flagitioſe inpurum.

26. Rapta praemia veste petat] bene dixit *rapta veſte*: eſt enim *rapere* violenter tollere. noſter L. 2. Eleg. 4. ℣. 23.

Aut rapiam ſuſpenſa ſacris inſignia fanis.

Phaedrus L. 1. Fab. 16.

Rapere atque abire ſemper adſuevit lupus.

hinc *raponem* eleganter ficta voce Varro vocavit, qui juris obtentu rem raperet alienam, apud Nonium Marcellum: *Praetor noſter eripuit mihi pecuniam; de ea queſtum ad annum veniam ad novum magiſtratum, quum hic rapo umbram quoque ſpei devoraſſet.* Ad ſui temporis mores haec noſtri verba expoſuit Cyllenius: *circitores, hoc eſt urbis cuſtodes, quem nocte invenerint ſine facibus, aut in carcerem detrudunt, aut arrepto palliolo praemium expoſtulant.* Alii, non ignari *praemiatores* dici praedones nocturnos, tamen poëtam reſpicere opinantur ad conſuetum his veſpertilionibus ludum, qui veſte capta, quo praemio eam redderent, paciſcerentur, nec niſi eo ſoluto dimiſſuros minarentur. Male. *praemium* ſaepe idem eſt quod *praeda*, praeſertim in re bellica & venatica; quibus duabus artibus ſuam ferme artem comparare ſolent lavernıones. Virgilius L. 11. Aen. ℣. 78.

Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, & longo praedam jubet ordine duci.

Propertius L. 3. Eleg. 11. ℣. 46.

Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Sive petes calamo praemia, ſive cane.

Ovi-

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qua libet. insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hybernae frigora noctis;
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.

Non

Ovidius Remed. Amor. ℣. 208.

Lenius est studium, studium tamen, alite capta,
Aut lino, aut calamis praemia parva sequi.

& L. 5. Fastor. ℣. 204.

Et dederat fratri Boreas jus omne rapinae,
Ausus Erechthea praemia ferre domo.

Hinc dicti *praemiatores*; ut a praeda *praedatores.* qui quam non paciscerentur, sed potius Mercurio praesente rem agerent, ostendit ille argutus nequam apud Petronium, ubi forum describit rerum furtivarum: *Quum ergo & ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus, uti occasione opportunissima coepimus, atque in quodam angulo laciniam extremam concutere, si quem forte emtorem splendida vestis posset inducere.* tu illic plura vide. Praecedit apud nostrum, *qui corpora ferro Vulneret.* hoc vocabant *grassari*; homines ipsos *grassatores.* inlustre exemplum est apud Tacitum L. 13. Ann. C. 25. *Q. Volusio, P. Scipione Coss. otium foris, foeda domi lascivia, qua Nero itinera urbis, & lupanaria, & deverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrabat, comitantibus qui raperent ad venditionem exposita, & obviis vulnera inferrent: adversus ignaros adeo, ut ipse quoque acciperet ictus, & ore praeferret. Deinde ubi Caesarem esse, qui grassaretur, pernotuit, augebanturque injuriae adversus viros feminasque insignes, & quidem permissa semel licentia sub nomine Neronis, multi propriis cum globis eadem exercebant, & in modum captivitatis nox agebatur.* Suetonius Ner. C. 26. *Post crepusculum statim arrepto pileo, vel galero, popinas inibat, circumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. siquidem redeuntes a coena verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assueverat, tabernulas etiam effringere, & expilare, quintana domi constituta, ubi partae & ad licitationem dividendae praedae precium assumeretur. Ac saepe in ejusmodi rixis oculorum, & vitae periculum adiit, a quodam laticlavio, cujus uxorem attrectaverat, prope ad necem caesus.* His ictibus, & ictuum notis quomodo ille mederetur, docet Plinius L. 13. C. 22. *Thapsia est in Africa vehementissima. Quidam caulem incidunt per messes, & in ipsa excavant radice, quo succus confluat, arefactumque tollunt. Alii folia, caulem, radicem tundunt in pila, & succum in sole coactum dividunt in pastillos. Nero Caesar claritatem ei dedit initio imperii, nocturnis grassationibus converberatam faciem illinens sibi cum ture ceraque, & sequuto die contra famam cutem sinceram circumferens.* Juvenalis Sat. 3. ℣. 303. post rixae nocturnae imaginem nimis graphicam, quam vidisse te juvabit:

Nec tamen hoc tantum metuas: nam qui spoliet te
Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.
Interdum & ferro subitus grassator agit rem.

Ceterum *rapta praemia veste ferat* est in duobus nostris: sic tamen ut alter habeat in margine *petat*, quasi pro correctione. ego istud malo. sic modo apud Nasonem vidimus, *Erechthea praemia ferre domo.* neque aliter Propertius loquitur L. 2. Eleg. 23. ℣. 68.

Spargere & alterna communes caede Penates,
Et ferre ad patrios praemia dira Lares.

Phaedrus L. 4. Fab. 17.

Stet hoc (feretis pro justitia praemium)
Non cito dimitti, verum cruciari fame.

Ovidius Remed. Amor. ℣. 158.

Vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas:
Et refer ad patrios bina tropaea Deos.

Terentius Eunuch. Act. 5. Sc. 8. ℣. 27.

hoc si effeceris
Quodvis donum praemium a me optato: id optatum feres.

ubi Donati excerpta notant, & *donum* & *munus* tam ante factum quam post factum dari, *praemium* non nisi post factum esse. Id quod convenit praedae quoque nocturnae. Noster L. 2. Eleg. 5. ℣. 119.

Ut Messalinum celebrem, quum praemia belli
Ante suos currus oppida victa feret.

tamen quin τὸ *petat* possit ferri, non ambigo. dixit enim Propertius L. 3. Eleg. 11, loco jam nobis citato.

32. VOCET

Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes,
  Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
  Obvia. celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quaerite nomen,
  Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & inprudens adspexerit; occulat ille,
  Perque Deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
  Is Venerem e rapido sentiet esse mari.

32. VOCET AD DIGITI ME TACITURNA SONUM] Minus recte Turnebus (nam & Turnebus homo fuit) hanc digitorum concrepationem exponit de re quam facile nulloque negotio adsequimur, & levi quodam velut sono & nutu jubemus & obtinemus, L. 20. Adv. C. 13. idque confirmat hoc Martialis versiculo, L. 3. Epigr. 82.

Digiti crepantis signa novit eunuchus.

Is vero gestus erat matulam poscentis. sequitur enim statim apud Bilbilicum poëtam,

Et delicatae suscitator urinae
Domini bibentis ebrium regit penem.

Tamen haec eadem repetuntur L. 29. C. 30. unde hauserunt illi, qui Notas nobis Variorum concinnarunt. Nihil minus facit ad mentem Tibulli. tu intellige signum nocturnum, quo Delia innuerit amatori suo velle se clanculum descendere, & fores aperire. ita recte subodoratus est Gonsalius de Salas ad Petron. p. 97. contra amator sui adventus signum dabat exscreatione: noster Elegia hujus libri septima, ℣. 33.

Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
  Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit:
Et simulat transire domum: mox deinde recurrit
  Solus, & ante ipsas exscreat usque fores.

quae verba commemorat Naso L. 2. Trist. ℣. 460, ubi prolixa mimesis nostri Albii:

Scit cui latretur, cum solus obambulat ipse:
  Cur toties clausas exscreet ante fores.

interdum sibilo. Apulejus L. 8. Metam. *Sed heus tu, inquit Charite, quam probe veste contectus, omnique comite viduatus, prima vigilia fores meas tacitus accedas, unoque sibilo contentus, nutricem istam meam opperiare: quae claustris adhaerens excubabit adventui tuo. nec secius patefactis aedibus acceptum te nullo lumine conscio ad meum perducet cubiculum.*

33. PARCITE LUMINIBUS] festive: quasi metuenda foret orbitas oculorum, si quis forte duos amantes vidisset conludentes. Haec eos poena sequebatur, qui numen aliquod conspexissent invitum, quamquam ignari ipsi atque inprudentes. quam rem, & simul hunc nostri locum, clarissima perfudit luce Vir Inlustrissimus Ezechiel Spanhemius Observ. in Callimachi Hymnum Palladis, ℣. 78. Propertius L. 4. Eleg. 9, verbis vetulae sacerdotis Bonae Deae ad Alcidem, ℣. 53.

Parce oculis, hospes, lucoque age cede verendo;
  Cede agedum, & tuta limina linque fuga.

39. FUERIT QUICUMQUE LOQUAX] Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 605.

O bene, quod frustra captatis arbore pomis
  Garrulus in media Tantalus aret aqua!
Praecipue Cytherea jubet sua sacra taceri.
  Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.

Venus in fine sui Hymni, qui Homero adscribi solet, graviter comminatur Anchisae, ne jactare velit in amore se mixtum fuisse cum inmortali Dea: ni caveat, fore ut eum ardenti fulmine feriat iratus Jupiter. Nec ideo tacuit juvenis gloriarum plenus. idcirco fulminatus est, h. e. coelesti igne adflatus, ut tamen viveret. addunt & alterum ei oculum excussum. vide Hyginum Fab. 94. Servium in L. 1. Aen. ℣. 621. in L. 2. ℣. 648. ubi ita Anchises ipse:

Jam pridem invisus divis, & inutilis annos
  Demoror: ex quo me divom pater atque hominum rex
Fulminis adflavit ventis, & contigit igni.

Tale quid de Ixione, quamquam decepto in Junonis concubitu, narrat Lutatius in Papin. L. 4. Theb. ℣. 539.

39. 40. IS SANGUINE NATAM, IS VENE-

Nec tamen huic credet conjunx tuus, ut mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.

Hanc

REM E RAPIDO SENTIET ESSE MARI] Virgilius L. 5. Aen. ỷ. 799.

Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
Unde genus ducis.

Servius: *Venerem dicit a mari procreatam: &, ut fert fabula, Coelus pater fuit Saturni, cui cum iratus filius falce virilia amputasset, lapsa in mare sunt: de quorum cruore & maris spuma nata dicitur Venus. unde & ἀφροδίτη dicitur; ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id est spuma.* subjungit deinde mythologiam non adspernabilem, quam tutemet videbis: huc enim parum facit. Macrobius L. 1. Saturn. C. 8. *Saturnum in quantum mythici fictionibus differunt, in tantum physici ad quamdam verisimilitudinem revocant. Hunc ajunt abscidisse Coeli patris pudenda: quibus in mare dejectis Venerem procreatam; quae a spuma, unde coaluit, Aphrodite nomen accepit.* hic autem aliam narrat fabulae expositionem. aliam item expromit Fulgentius Planciades L. 2. Mythol. C. 4. qui & in hoc diversus a ceteris abit, quod ex Saturni virilibus exsectis natam Venerem dicat. diu ante hos omnes Naso L. 4. Metam. ỷ. 536, Veneris ipsius verbis:

Si tamen in dio quondam concreta profundo
Spuma fui, Grajumque manet mihi nomen ab illa.

Apulejus L. 2. Metam. *licet illa coelo dejecta, mari edita, fluctibus educata: licet, inquam, Venus ipsa fuerit.* & L. 4. *Jamque proximas civitates, & attiguas regiones fama pervaserat, Deam, quam caerulum profundum pelagi peperit, & ros spumantium fluctuum educavit, jam numinis sui passim tributa venia, in mediis conversari populi coetibus.* Auctor Pervigilii Veneris ỷ. 9.

Tunc cruore de superno, spumeo Pontus globo,
Caerulas inter catervas, inter & bipedes equos,
Fecit undantem Dionem de maritis imbribus.

Julius Solinus in Ponticorum fragmento:

Coeptantem, Venus alma, fove: quae semine Coeli
Parturiente salo, divini germinis aestu,
Spumea purpurei dum sanguinat unda profundi,
Nasceris e pelago: placido Dea prosata Mundo.

Omnium brevissime Ausonius Epigr. 33.

Orta salo, suscepta solo, patre edita Coelo.

Hinc Venus aptissimo epitheto *marina* Horatio dicitur L. 3. Od. 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit.

& L. 4. Od. 11. ỷ. 15.

Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis: Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem.

Noster Albius non vano commento hanc tantam laesae Veneris truculentiam adscribit moribus elementi natalis. Ceterum in *rapido mari* nihil mutandum; quamvis *rabido* maluerint Fruterius & Livinejus. Praepositio *e* abest a secundo Wittiano: aberat quoque a primo Gebhardi Palatino. id quod ille elegantius judicabat. fortasse solus. Omnes quoque codices *mari* habent: quamvis veteres magistri sciscant, nomina neutra in E venientia non factitia, in ablativo quoque E servare. Verius est, utrumque inveniri apud optimos scriptores. Lucretius L. 1. ỷ. 162.

E mare primum homines, e terra posset oriri
Squamigerum genus.

Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 3. ỷ. 13.

Ubi friget, huc evasit: quam pridem pater
Mihi & mater mortui essent: dico, jam diu.
Rus Sunii ecquod haberem, & quam longe a mari.

41. VERAX SAGA] adolescens Douza, cujus sunt elegantes in Albium nostrum notae, adludi putat ad id, quod hoc mulierum genus *veratrices* dicerentur, nostratibus *waerzegsters*: atque ita Apulejum loqui L. 9. Metam. Nos Afri scriptoris verba producemus, qualia hodie circumferuntur, eo loco, ubi de uxore pistoris cum suo sibi adultero deprehensa sermo est. *At illa, praeter genuinam nequitiam, contumelia etiam, quamvis justa, tamen altius commota atque exasperata, ad armillum revertit, & ad familiares feminarum artes accenditur: magnaque cura requisitam veratricem quamdam feminam, quae devotionibus ac maleficiis quidvis efficere posse credebatur, multis exorat precibus, multisque suffarcinat muneribus, alterum de duobus postulans:*

Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi.
Fulminis haec rapidi carmine sistit iter.

Haec

lans: vel rursum mitigato conciliari marito; vel si id nequiverit, certe larva, vel aliquo diro numine immisso, violenter ejus expugnari spiritum. Tunc saga illa, & divinipotens primis adhuc armis facinorosae disciplinae suae velitatur. Ita vulgo. At Colvius & Vulcanius *veteratricem* ediderunt; quod probavit & docte inlustravit Jo. Pricaeus, post Scaligerum in notis ad Cirin. Quinimo Philippus Beroaldus, qui primus haec Milesia enarrare est adgressus, non aliter expressit; facturus utique, si membranae jussissent. *Sicut veterator* (inquit) *vetus in malitia; ita & veteratrix femina, in astutiis & fraudibus exercitatissima. Veteratorie adverbium, significans callide, astute, malitiose. Veteratoris est confidere in mendaciis.* itaque hinc parum praesidii veratricibus. Potius *veracem* ideo vocat noster, quo persuadeat Deliae de artis certitudine, eamque faciat audaciorem ad fallendum maritum: neque enim hanc feminam esse de illis Circensibus, quarum quaestus sit aliena credulitas. Ipsum se suis oculis vidisse, quae narranti crediturus sit nemini. Certe artificio tam confidente opus habebat, ad labefactandum animum mulierculae a peregrinis & occultis vetitisque religionibus abhorrentis. nam Romani quamquam plus satis forent curiosi, tamen sacra magica tamquam detestabilia semper damnarunt, ut Apulejus notavit in Apologia, & Servius ad L. 4. Aen. ℣. 493. atque aliis locis compluribus. itemque Augustinus L. 8. de Civitate Dei C. 19.

42. POLLICITA EST MAGICO SAGA MINISTERIO] *saga*, amorum conciliatrix, lena. Nonius Marcellus: *Sagae mulieres dicuntur feminae ad lubidinem virorum indagatrices; unde & sagaces canes dicuntur, ferarum vel animalium quaesitores. Lucilius Sat.* L. 7.

Aetatem & faciem, ut saga, & bona conciliatrix.

Turpilius Boethuntibus:

Non ago hoc per sagam precio conductam, ut volgo solent.

Sed enim quum illa vetularum mendicabula magicis fere artibus rem gererent, & carminibus ac venenis humanos animos versarent; hinc factum fuit, ut *sagae* nomen ad incantatrices ac veneficas transiret. Et certe utroque artificio fungebantur turpes aniculae, magicis incantationibus, ac prurientis libidinis conciliatura. Talis erat illa Dipsas Ovidii L. 1. Amor. Eleg. 8. talis & illa Propertii L. 4. Eleg. 5. tales Petronii Enothea ac Proselenos, & Horatii Canidia. Nec memorari non debet Roderici Cotae Caelestina, quam Caspar Barthius utili consilio Latinam ex Ibera fecit. Neque aliter Busco ille planus Francisci Quevedi suam describit matrem.

43. HANC EGO] hic incipit choragium miraculorum Thessalorum, quibus pleni veterum scriptorum libri. Tu, si tanti videbitur, confer Horatium Epod. 5. & 17. Nasonem Epist. Hypsipyles ℣. 83. & L. 1. Amor. Eleg. 8. & L. 7. Metam. ℣. 179. L. 14. ℣. 43. Maronem Eclog. 8. Propertium L. 4. Eleg. 5. Senecam Med. ℣. 675. & Herc. Oet. ℣. 454. Lucanum L. 6. ℣. 431. Apulejum initio L. 1. Metam. & L. 2. ac 3. Petronium, eo loco, *Quidquid in orbe vides, paret mihi.* Claudianum L. 1. in Rufin. ℣. 146. Silium L. 8. ℣. 496. Flaccum Valerium L. 6. ℣. 439. Nemesianum Eclog. 4. de recentioribus Joannem Barclajum Euphorm. parte I., illis verbis, *Dum hoc taciti contueremur, anus decrepito squallore inculta processit.* Bernardinum Stephonium Flaviae Act. 1. Sc. 2. Nic. Caussinum Nabuchodon. Act. 2. Sc. 3. Caspar. Barlaeum Nuptiar. Aspasiae L. 1. &, quem ante omnes nominasse oportuit, Jacobum Sannazarium Eclog. 5. Horum singuli alius alio liberius, multi etiam licentius sunt exspatiati. Quocirca non est ut possis satiari admiratione sobrietatis Virgilianae: qui vir divinus quinque versiculis absolvit id, quod illorum quidam centenis aliquot lineis vix incluserant, L. 4. Aen. ℣. 487.

Haec se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas:
Sistere aquam fluviis, & vertere sidera retro:
Nocturnosque ciet manis. mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

44. FLUMINIS HAEC RAPIDI CARMINE VERTIT ITER] Res pervulgata, & nulli non poëtae largiter decantata. quam proinde testimoniis ut adstruamus, & exemplis, nihil est necesse. Sed scrupulum injicit tertius noster, in quo liquidis literis scriptum legitur *fulminis.* Ille quidem nunc solus, at qui comites olim

45 Haec cantu finditque solum, manesque sepulcris
Elicit, & tepido devocat ossa rogo.

Jam

olim habuerit plures. nam & in Aldina sic exhibetur; & Achilles Statius propter codicum suorum communem consensum sollicite cavit, ne post illa τὸ *fulminis* reciperetur; Joannes quoque Livinejus tamquam spurium eliminavit. Tamen, si lapsu facili τὸ *fulminis* potuisse enasci, ex eo quod *fluminis* fuerat, aliquis urgebit; concedat ille oportet, etiam in alteram partem valere hanc eamdem rationem. Certe pestilentes illas anus poëtae cuncti *coeloque Ereboque potentes* semper fecerunt. de sideribus retro versis modo Maronem audivimus. de solis & lunae laboribus una nobis Medea effabitur pro aliis trecentis, apud Ovidium L. 7. Metam. ℣. 207.

Te quoque, Luna, traho, quamvis Temesaea labores
Aera tuos minuant. currus quoque carmine nostro
Pallet avi; pallet nostris Aurora venenis.

itaque absurdum videri non debet, si & fulminum jactus aut stiterint aut alio verterint divinipotentes sagae. Ovidius Epist. Hysipyles ℣. 87.

Illa refraenat aquas, obliquaque fulmina sistit.

sic enim in quibusdam scriptis legi testatur Heinsius, non *flumina*. sic etiam Delrius corrigendum pridem monuerat ad verba Tragici subsequentia. Et cur bis dixerit poëta non pauper verborum rem eamdem in uno versu? Seneca Herc. Oet. ℣. 455.

Vernare jussi frigore in medio nemus,
Missumque fulmen stare.

haec nutrix: quae quamquam non inficiatur alumna Deïanira, tamen conjugis sui animum flecti his artibus posse desperat.

carmine in terras mago
Descendat astris Luna desertis licet,
Et bruma messes videat, & cantu fugax
Stet deprehensum fulmen, & versa vice
Medius coactis ferveat stellis dies:
Non flectet unum.

Claudianus, verbis Megaerae senem mentitae, L. 1. in Rufin. ℣. 159.

Ire vagas quercus, & fulmen stare coëgi;
Versaque non prono curvavi flumina lapsu.

Antiquissimae disciplinae fuit, fulmina evocare. Plinius L. 2. C. 53. *Exstat Annalium memoria, sacris quibusdam, & precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Etruria est, impetratum, Volsinios urbem agris depopulatis subeunte monstro, quod vocavere Voltam. Evocatum & a Porsenna suo rege. Et ante eum a Numa saepius hoc factitatum, in primo Annalium suorum tradit L. Piso gravis auctor: quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine.* Eumdem sis Plinium vide L. 28. C. 20. Livium L. 1. C. 31. Arnobium L. 5, ipso initio, ex libro secundo Valerii Antiatis: Plutarchum in Numa: Nasonem L. 3. Fastor. ℣. 285. Propemodum exciderat, in primo nostro *sistit* legi, non *vertit*. quod quin verum sit, ex adductis optimorum poëtarum verbis ambigere non debes.

45. HAEC CANTU FINDITQUE SOLUM, MANESQUE SEPULCRIS ELICIT] Refer ad artis potentiam, non ad criminationem. sane antiquissimi illi haud ducebant probro manes evocare, atque ex iis rerum incertos eventus sciscitari. Homerum vide Odyss. L. 11. Maronem Aen. L. 6. Senecam Oedip. ℣. 390. 550. Papinium L. 4. Theb. ℣. 413. Silium L. 13. Punic. ℣. 395. Valerium Flaccum L. 1. ℣. 730. Claudianum L. 1. in Rufin. ℣. 155. Tamen Romanis moribus abominabile semper habitum fuit, atque infame. Hac mente Nasonianam Hypsipylen cape, Medeae amare insultantem, ℣. 95.

Hanc potes amplecti? thalamoque relictus in uno
Impavidus somno nocte silente frui?
Scilicet ut tauros, ita te juga ferre coëgit:
Quaque feros angues, te quoque mulcet ope.

L. 1. Amor. Eleg. 8. de anu lena, multibiba & merobiba:

Evocat antiquis proavos atavosque sepulcris:
Et solidam longo carmine findit humum.

Remed. Amor. ℣. 253.

Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra:
Non anus infami carmine rumpet humum.

Lucanus L. 6. ℣. 728.

Perque cavas terrae, quas egit carmine, rimas
Manibus illatrat, regnique silentia rumpit.

Antoninum Caracallam tradit ex Dione Joannes Xiphilinus saepenumero per quietem nocturnam exagitari sibi visum a patre ac fratre, gladios intentantibus: cui malo ut mederetur, multorum animas ex inferis evocasse, praesertim vero patris, atque Commodi. horum autem nullum ei respondisse, extra unum Commodum, acerbe increpantem,

tem, Pergeret ocyus ad supplicium. Accedebat ad infamiam artis vanissimae inmanitas quoque dirissima victimarum humanarum, & puerorum scelerate profusus cruor. Noli hoc fabulosum putare: ita erat illa tempestate. Cicero Interrogat. Vatin. C. 6. *Et, quoniam omnium rerum magnarum a Diis immortalibus principia ducuntur, volo ut mihi respondeas tu, qui te Pythagoricum soles dicere, & hominis doctissimi nomen tuis immanibus & barbaris moribus praetendere, quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut, cum inaudita & nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos Manes mactare soleas: auspicia, quibus haec urbs condita est, quibus omnis respublica atque imperium tenetur, contemseris?* Vetus poëta in collectione Pithaei, Epigr. L. 3. sect. 2.

Fata per humanas solitus praenoscere fibras
Impius infanda relligione Sapor,
Pectoris ingenui salientia viscera flammis
Imposuit; magico carmine rupit humum:
Ausus ab Elysiis Pompejum ducere campis.

Erichtho apud Lucanum L. 6. ℣. 706.

Exaudite preces, si vos satis ore nefando
Pollutoque voco: si numquam haec carmina fibris
Humanis jejuna cano: si pectora plena
Saepe dedi, & lavi calido profecta cerebro:
Si quis, qui vestris caput extaque lancibus infans
Imposuit, victurus erat, parete precanti.

Quinimo & haruspices (quos magorum fratres Arnobius vocat L. 4.) eaedem furiae agitabant. Juvenalis Sat. 6. ℣. 548.

Spondet amatorem tenerum, vel divitis orbi
Testamentum ingens, calidae pulmone columbae
Tractato Armenius vel Commagenus haruspex:
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri.

Ceterum *eliciendi* verbum, quo verbo utitur noster, magicae est artis proprium, jam inde a Numae regis temporibus. Ovidius L. 3. Fastor. ℣. 319: ubi de Jove deducendo, qui fulminum piamina edoceret:

Hunc tu non poteris per te deducere coelo:
At poteris nostra forsitan usus ope.
Dixerat haec Faunus: par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Jupiter huc veniet valida deductus ab arte.
Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi quid agant laqueis, quae carmina dicant;
Quaque trahant superis sedibus arte Jovem;
Scire nefas homini. nobis concessa canentur,
Quaeque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt coelo te, Jupiter. unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Constat Aventinae tremuisse cacumina silvae:
Terraque subsedit pondere pressa Jovis.
Corda micant regis: totoque e pectore sanguis
Fugit; & hirsutae diriguere comae.

Livius L. 1. C. 20. *Nec coelestes modo caerimonias, sed justa quoque funebria, placandosque Manes ut idem pontifex edoceret: quaeque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur atque procurarentur: ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit.* Varro lib. 4. de L. L. *Quare una origine Inlicio & Inlicius, quod in choro Proserpinae est: & Pellexit, quod in Hermiona est, cum ait Pacuvius,*

Regni alieni cupiditas pellexit.

Sic Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo. Cicero Interrogat. Vatin. C. 6. *cum inaudita & nefaria sacra susceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos Manes mactare soleas.* Horatius L. 1. Sat. 8. de Canidia & Sagana:

scalpere terram
Unguibus, & pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt. cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent, animas responsa daturas.

Erichtho Thessala apud Lucanum L. 6. ℣. 733. ad Eumenidas:

jam vos ego nomine vero
Eliciam, Stygiasque canes in luce superna
Destituam.

Silius L. 13. ℣. 411, verbis Autonoës ad Scipionem:

Namque tibi Elysio repetita oracula campo
Eliciam, veterisque dabo inter sacra Sibyllae
Cernere fatidicam Phoebei pectoris umbram.

Papinius L. 4. Theb. ℣. 406.

At trepidus monstro, & variis terroribus impar
Longaevi rex vatis opem, tenebrasque sagaces
Tiresiae (qui mos incerta paventibus) aeger
Consulit. ille Deos non larga caede juvencûm,
Non alacri penna, aut verum spirantibus extis,
Nec tripode implicito, numerisque sequentibus astra,
Thurea nec supra volitante altaria fumo,
Tam penitus, durae quam Mortis limite manes
Elicitos patuisse refert.

paullo post, ℣. 480, idem ille vates:

Solvite pulsanti loca muta, & inane severae
Persephones, vulgusque cava sub nocte repostum
Elicite, & plena redeat Styga portitor alno.

priore carmine Barthius notabilem locum Tertulliani producit ex libro de Anima: un-

Jam tenet infernas magico ſtridore catervas:
Jam jubet adſperſas lacte referre pedem.

Quum

de diſces, hoc eodem verbo *eliciendi* in iſtorum ſcelerum commemoratione uſos fuiſſe veteres Chriſtianos. Achillis umbram quomodo caſtis precibus & ſacrificiis ſine ſanguine peractis elicuerit Apollonius, narrat in ejus vita Philoſtratus L. 4. C. 3. 4.

46. TEPIDO DEVOCAT OSSA ROGO] ad inſtruendam officinam feralem. quales ſagae a ſepulcris τυμβάδες dicebantur, notante Nannio noſtro L. 3. Miſcell. C. 20. Ovidius Epiſt. Hypſipyles ℣. 89.

Per tumulos errat paſſis diſcincta capillis,
Certaque de tepidis colligit oſſa rogis.

Horatius Epod. 17. ℣. 46.

O nec paternis obſoleta ſordibus,
Neque in ſepulcris pauperum prudens anus
Novemdiales disſipare pulveres.

Tacitus L. 2. Annal. C. 69. *Saevam vim morbi augebat perſuaſio veneni a Piſone accepti: & reperiebantur ſolo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae, carmina, & devotiones, & nomen Germanici plumbeis tabulis inſculptum, ſemiuſti cineres ac tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis ſacrari.* Hujusmodi deteſtabiles adparatus deſcribunt Apulejus L. 3. Metam. &, non ſine aliquo taedio prolixitatis, Lucanus L. 6. ℣. 533. Neque ſemper ad perniciem comparabantur: vulgo etiam his quaerebatur amor. atque hujus rei obvia ſunt paſſim exempla. unde & Magiam ipſo Fato potentiorem rebantur multi. Cordubenſis ille, eo quem modo indicavi libro, ℣. 452.

Carmine Theſſalidum dura in praecordia fluxit
Non fatis adductus amor: flammisque ſeveri
Illicitis arſere ſenes. nec noxia tantum
Pocula perficiunt, aut cum turgentia ſucco
Frontis amaturae ſubducunt pignora foetae.
Mens hauſti nulla ſanie polluta veneni
Excantata perit. quos non concordia mixti
Alligat ulla tori, blandaeque potentia formae,
Traxerunt torti magica vertigine fili.

Seneca Herc. Oet. ℣. 452.

artibus magis vaga
Conjugia nuptae precibus admixtis ligant.

Quid reſponderent Apulejo? ita ratiocinanti in Apologia: *Dic tu, quibus verbis epiſtolam finierit mulier obcantata, vecors, amens, amans.* ἐγὼ ὅτι μεμάγευμαι. ὅτι δ' ἐξῶ, αἰτία ἡ εἱμαρμένη ἔφυ. *Etiamne amplius? Reclamat vobis Pudentilla, & ſanitatem ſuam a veſtris calumniis quodam praeconio vindicat. Nubendi autem ſeu rationem, ſeu neceſſitatem, Fato adſcribit, a quo multum Magia remota eſt, vel potius omnino ſublata. Quae enim relinquitur vis cantaminibus & veneficiis, ſi Fatum rei cujusque veluti violentiſſimus torrens, neque retineri poteſt, neque repelli? igitur hac ſententia ſua Pudentilla non modo me Magum, ſed omnino eſſe Magiam negavit.* Vere, & ex medio rerum uſu prudentiſſimus Naſo, L. 2. Art. Amat. ℣. 99.

Fallitur, Haemonias ſi quis decurrit ad artes;
Datque, quod a teneri fronte revellet equi.
Non facient, ut vivat amor, Medeïdes herbae.
Mixtaque cum magicis naenia Marſa ſonis.
Phaſias Aeſoniden, Circe tenuiſſet Ulixen;
Si modo ſervari carmine poſſit amor.
Nec data profuerint pallentia philtra puellis.
Philtra nocent animis; vimque furoris habent.
Sit procul omne nefas. VT AMERIS, AMABILIS ESTO.

Sed vicit ferme delira ſuperſtitio. & noſter ſaepenumero ad haec vada obhaeſit.

47. JAM CIET INFERNAS MAGICO STRIDORE CATERVAS] de excitis umbris jam dixit ℣. 45. itaque aliud hic verbum requiritur, ad rem aliam ſignificandam. id autem verbum erat *tenet:* quomodo in omnibus ferme libris invenit Achilles Statius. & nos quoque vidimus in principe Veneta, inque binis noſtris codicibus: Heinſius in uno ſuo, & duobus Anglicanis. Perſpicue vera eſt haec ſcriptura; cui proinde controverſia moveri non debet. Plinius L. 37. C. 11. *Ananchitide in hydromantia dicunt evocari imagines Deorum: Synochitide umbras inferorum evocatas teneri.* Iſidorus L. 16. C. 14. *Sunt & quaedam gemmae, quibus gentiles in ſuperſtitionibus quibusdam utuntur. Liparia ſuffita, omnes beſtias evocare tradunt. Ananchitide in necromantia daemonum imagines evocare dicuntur. Sinochitide umbras inferorum evocatas tenere dicuntur.* Viderat aliquid quaſi per nebulam bonus Cyllenius. ſic enim interpretatur: *infernas catervas tenet*] *animarum multitudinem cum angore demoratur.* Huc reſpexit noſter Secundus L. 2. Eleg. 1, umbram Propertii adfatus:

Tu

Tu caput hoc circum pennis allapsa sonoris
Ter strepe : procumbens ter bona verba canam.
Deinde, ubi Panchaeo fumaverit ara vapore,
Placatum Lethes & mihi numen erit;
Adspersam lactis niveo te rore remittam,
Cynthia ne caro vate sit orba diu.

sed haec aliorsum ibant; procul ab infami necyomantia. Mirum autem in modum exsuscitationes atque evocationes magicas exhorrescere credebantur misellae umbrae. quanto putas gravius, si longo horarum aliquot tractu detinerentur? Apulejus L. 2. Metam. *Jam tumore pectus attolli; jam salubris vena pulsari; jam spiritu corpus impleri: & adsurgit cadaver, & profatur adolescens: Quid, oro, me post Lethaea pocula, jam Stygiis paludibus innatantem, ad momentariae vitae reducitis officia? Desine jam, precor, desine: ac me in meam quietem permitte. Haec audita vox de corpore. Sed aliquanto propheta commotior, Quin refers, ait, populo singula, tuaeque mortis illuminas arcana? An non putas devotionibus meis posse Diras invocari? posse tibi lassa membra torqueri?* Sic in sacris literis de spectro Samuelis legimus L. 1. Regum C. 28. *Dixitque ei rex, Noli timere: quid vidisti? & ait mulier ad Saül, Deos vidi adscendentes de terra. Dixitque ei, Qualis est forma ejus? quae ait: Vir senex adscendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saül, quod Samüel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit. Dixit autem Samüel ad Saül, Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Hinc, opinor, Manium doctrinam hauserunt ceterae gentes, ad sui quaeque ingenii & moris rationem, umbrarum negotia interpretantes. Quid, quod argumenta, quibus evincerent animas non interire, hinc duxerint scriptores Christiani? Lactantius, vir sanctissimus, L. 7. Divin. Instit. C. 13. *Falsa est ergo Democriti, & Epicuri, & Dicaearchi de animae dissolutione sententia. Qui profecto non auderent de interitu animarum mago aliquo praesente disserere, qui sciret certis carminibus cieri ab inferis animas, & adesse, & praebere se humanis oculis videndas, & loqui, & futura praedicere: &, si auderent, re ipsa & documentis praesentibus vincerentur.* Sed nos ad poëtas nostros reversionem faciamus; quorum scita in lucem proferre minoris est periculi. Igitur ne & post decursam mortalitatem miseri esse non desinerent, maximi beneficii loco habitum fuit, haud posse excitari. Sed & hoc ipsum a magis & sagis exspectabatur, tum naturae tum mortis jura invertentibus. Tam exoptandam quietem apud Lucanum Erichtho umbrae militis Pompejani pollicetur, siquidem verum profari velit, L. 6. Pharsal. ỳ. 762.

dic, inquit Thessala, magna,
Quod jubeo, mercede mihi: nam vera locutum
Immunem toto mundi praestabimus aevo
Artibus Haemoniis. tali tua membra sepulcro,
Talibus exuram Stygio cum carmine silvis,
Ut nullos cantata magos exaudiat umbra.

Rursum si qua umbra in tenebris liberius evagaretur, eam incantabant, ejusque sepulcrum ferro & praegrandibus saxis obsaepiebant: ut vel invita disceret conquiescere. Est in hanc rem elegans declamatio M. Fabii, ordine decima; quam tu non sine voluptate evolves, addo nec sine fruge. Nunc ad alia pergamus. sequitur apud nostrum, *magico stridore.* in primo Wittiano, & tertio ac quarto Anglicanis erat *magico sermone*; falso atque invenuste. *Stridere* & *stridor* vocabula sunt propria abominandae artis, ac rerum infernarum: & tam de sagis, quam de umbris intelliguntur. Horatius L. 1. Sat. 8. ỳ. 40.

Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste & acutum.

Lucanus L. 6. ỳ. 623.

Ut modo defuncti tepidique cadaveris ora
Plena voce sonent: ne membris sole perustis
Auribus incertum feralis strideat umbra.

quem versum laudans Priscianus L. 9. & 10, etiam hunc L. Accii profert ex Alcestide:

Quum strideret retracta rursus inferis.

Papinius L. 7. Theb. ỳ. 770. ubi vivi Amphiarai descensus ad inferos:

tunc ipse furens in morte relicta
Spicula, & e mediis exstantes ossibus hastas
Avellit: strident animae, currumque sequuntur.

Silius L. 8. ỳ. 501.

Aeetae prolem Angitiam mala gramina primam
Monstravisse ferunt, tactuque domare venena,
Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes
Fraenantem, ac silvis montem nudasse vocatis.

iterum L. 13. ubi Plutonis regnum describit, ỳ. 600.

Heic dirae volucres, pastusque cadavere vultur,
Et multus bubo, & sparsis strix sanguine pennis,
Harpyaeque fovent nidos, atque omnibus haerent
Condensae foliis. nutat stridoribus arbor.

arbor illa est taxus, moestissima & funestissima.

Quum libet, haec triſti depellit nubila caelo:
Quum libet, aeſtivas convocat ore nives.

Sola

ma. De ſtridore animarum, non item ſagarum, nonnihil ante nos notavit Janus Caſperius Gevartius in Lectionibus Papinianis, opere elegantis doctrinae pleniſſimo. Petronius in Belli Civilis ſpecimine:

Ecce inter tumulos, atque oſſa carentia buſtis,
Umbrarum facies diro ſtridore minantur.

Claudianus in ſext. Conſulat. Honorii ℣.323.

comitatur euntem
Pallor, & atra Fames, & ſaucia lividus ora
Luctus, & inferno ſtridentes agmine Morbi.

& L. 1. in Rufin. ℣. 126.

Illic umbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus.

48. JAM JUBET ADSPERSAS LACTE REFERRE PEDEM] Hujus adſperſionis in dimittendis umbris perexigua eſt memoria. nam reliquus lactis uſus in libamentis mortuorum, & in evocatione Deorum Manium, una cum melle ac cruore victimarum & mero, aliorſum pertinebat. Papinius L. 4. Theb. ℣. 545. ore Tireſiae:

Argolicas magis huc appelle precando
Thebanasque animas. alias avertere greſſus
Lacte quater ſparſas, moeſtoque excedere luco,
Nata, jube.

quem locum Papinii ad hunc noſtri Albii produxit Joannes Livinejus. De quaternarii numeri myſteriis multa diſputat Macrobius Comm. 1. in Somn. Scipion. C. 5. 6. nec fruſtra poni credibile eſt a poëta harum rerum ſolertiſſimo. etiam in choris Bacchicis poſuit Papinius L. 2. Achill. ℣. 154.

Jamque movent greſſus: thyaſisque Iſmenia buxus
Signa dedit: quater aera Rheae, quater Evia pulſant
Terga manu, variosque quater legere recurſus.

vide Ludov. Caelium L. 22. Antiq. Lect. C. 9.

49. QUUM LIBET &c.] Hanc in coelum & ſidera poteſtatem vel praecipue jactabant. Ovidius L. 7. Metam. ℣. 200. verbis Medeae:

concuſſaque ſiſto,
Stantia concutio cantu freta: nubila pello,
Nubilaque induco: ventos abigoque vocoque.

Lucanus (nam in hoc negotio ejus opera libenter utimur, de rebus incredibilibus multo etiam incredibiliora narrantis cum ſpiritu fere plusquam Hiſpanico) L. 6. ℣. 465.

nunc omnia complent
Imbribus, & calido producunt nubila Phoebo:
Et tonat ignaro coelum Jove. vocibus iisdem
Humentes late nebulas nimbosque ſolutis
Excuſſere comis. Ventis ceſſantibus aequor
Intumuit: rurſus vetitum ſentire procellas
Conticuit turbante Noto.

& quae iſtic plura ſunt prodigia, non minore hiatu decantata. Nec modeſtius de ſe ipſe Empedocles, qui praeter peritiam ventos ciendi & compeſcendi, ſerenitatem inducendi, vel pluvias, vel ſiccitates, homines etiam exſtinctos in vitam revocare poſſe gloriatur apud Laërtium Diogenem L. 8. Segm. 59.

50. AESTIVO CONVOCAT ORBE NIVES] ita quinque noſtri habent; tres item ex Anglicanis Heinſii, & Schefferi codex. id quod tantopere probavit Paſſeratius, ut *tortores* vocet qui mutaverint. multis deinde adſtruit, *orbem aeſtivum* eſſe ſpatium quod in orbem eundo ſol aeſtatis tempore emetiatur: *orbem* quoque, ſic ſimpliciter dictum, vel *annuum orbem*, poni pro anno: hinc *aeſtivum orbem* pro anni parte aeſtiva. Sane ita eſt: ſed non ideo pro tortoribus habendi, quibus potior viſa fuit ſcriptura veterum librorum, *aeſtivas convocat ore nives.* ſic in ſuis fere omnibus habebat Achilles Statius: ſic in excerptis duorum Vaticanorum Heinſius invenit: ſic in ſuis ſcriptis M. Antonius Pocchus, itemque Antonius Perrejus. & cur *aeſtivae nives* minus belle dicantur, quam *hibernae roſae?* *τὸ ore* autem valet cantu, vel murmure, vel fremitu magico. Petronius vocavit *dicta*, in illa terrifica Enotheae pollicitatione:

Quid leviora loquor? Lunae deſcendit imago,
Carminibus deducta meis: trepidusque furentes
Flectere Phoebus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent.

Sed efficacius nos juvat Naſo L. 7. Metam. ℣. 190. de Medea:

Sidera ſola micant. ad quae ſua brachia tendens
Ter ſe convertit; ter ſumtis flumine crinem
Irroravit aquis; ternis ululatibus ora
Solvit.

Ibidem ℣. 330.

Jamque neci ſimilis, reſoluto corpore, regem,
Et cum rege ſuo cuſtodes ſomnus habebat,
Quem dederant cantus, magicaeque potentia linguae.

Clau-

Sola tenere malas Medeae dicitur herbas.
Sola feros Hecatae perdomuisse canes.

Haec

Glaucus ad Circen, L. 14. ℣. 20.

At tu, sive aliquid regni est in carmine; carmen
Ore move sacro: sive expugnacior herba est;
Utere tentatis operosae viribus herbae.

paullo post, ubi de gurgite, quo sub meridiem Scylla se referebat, ℣. 58.

Hunc Dea praevitiat; portentiferisque venenis
Inquinat. huic fusos latices radice nocenti
Spargit: & obscurum verborum ambage novorum
Ter novies carmen magico demurmurat ore.

de Canente, ejusdem libri ℣. 360.

silvas & saxa movere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Ore suo, volucresque vagas retinere solebat.

sed nimii sumus in re perspicua. in libro scripto, cujus variantes lectiones vir doctus adleverat margini editionis Brixianae, ita legebatur,

Quum libet, aestivo fulgerat orbe Deos.

quod quale sit, ego quidem divinare non possum.

51. SOLA TENERE MALAS MEDEAE DICITUR HERBAS] in quibusdam libris non *herbas* inveniri, sed *artes*, notarunt Achilles & Gebhardus. prave, & contra mentem ac morem omnium poëtarum. quam in rem multa collegit Thomas Demsterus Paralipom. ad Jo. Rosini Antiquitates Romanas, L. 2. C. 10. quibus multa insuper addi possunt: inprimis locus Ovidii insignis L. 7. Metam. ℣. 215. *malae herbae* sunt venenatae & noxiae. Virgilius L. 3. Aen. ℣ 471.

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.

ubi hunc Albii nostri versum inlustrarunt, & hac mente capiendum docuerunt Germanus Valens, ac Jo. Lud. de la Cerda, viri magni. ante utrumque *mala gramina* quid essent, erudite ostenderat Jo. Brodaeus L. 7. Miscell. C. 28. Singularis est opinio Martini Delrii Comment. in Senec. Med. ℣. 270.

Egredere, purga regna: letales simul
Tecum aufer herbas.

videlicet intelligere Tibullum herbae genus *Ephemerum* Graecis dictum, quia sit adeo letale, ut eodem die enecet: *bulbum agrestem* Latinis vocari. Vix puto. aperte enim loquitur de succis multarum ac variarum herbarum, quae polleant vi certissima amorem vel jungendi vel dissolvendi. Si tamen de una aliqua herba capere libet; potius est ut *Prometheam* intelligamus, Medeae vel omnium maxime familiarem. Valerius Flaccus L. 7. ℣. 355, versibus excellentissimo ingenio condignis:

Cingitur inde sinus, &, qua sibi nulla magis vis
Fida, Prometheae florem de sanguine fibrae
Caucasium promit, nutritaque gramina tabo,
Quae sacer ille nives inter tristesque pruinas
Durat alitque cruor; quum viscere vultur adeso
Tollitur e scopulis, & rostro rorat aperto.
Idem nec longi languescit finibus aevi
Inmortale virens: idem stat fulmina contra
Sanguis, & in mediis florescunt ignibus herbae.
Prima Hecate Stygiis durata fontibus harpe
Inpulit, & validas scopulis effodit aristas:
Mox famulae constrata seges, quae lampade Phoebes
Sub decima juga foeta metit, saevitque per omnes
Relliquias saniemque dei. gemit irritus ille
Colchidos ora tuens: moto tunc contrahit artus
Monte dolor, cunctaeque tremunt sub falce catenae.

52. SOLA FEROS HECATES PERDOMUISSE CANES] sibilum hunc insuavem emolliunt ambo Wittiani, in quibus *Hecatae.* sic & quatuor Gebhardi codices, & quinque Heinsiani. neque aliter solebant Latini poëtae in nominibus Graecis, ubi euphoniae res erat. Horatius Epod. 17.

Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulixeï,
Volente Circa, membra: tum mens & sonus
Relapsus, atque notus in voltus honor.

ita praestantissimae membranae: non *volente Circe*, ut vulgo circumfertur. vide Valerium Probum L. 2. Instit. Grammat. p. 1446. Cyllenius hic *Furias* esse ait, quas poëta *canes Hecatae* adpellet: id Lucanum adfirmare L. 6.

Stygiasque canes in luce superna
Destituam.

& Horatium L. 1. Sat. 8.

Haec mihi composuit cantus, quîs fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam:
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.

Tu

Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonem. serpentes, atque videres
Infernas errare canes.

Hausit vir bonus ex Servii Commentariis in L. 6. Aen. ý. 257. Huic opinioni accessit & Turnebus L. 13. Adv. C. 12: Maronis verba: quae Servius exponit, producens:

visaeque canes ululare per umbram
Adventante dea.

Antiqua in Horatium Scholia, a Jacobo Cruquio collecta: CANES. *Furias, quae sunt canes Jovis infernalis.* Imo Jovis coelestis, & tunc *Harpyiae* dictae, ut copiose ostendit idem Servius in L. 3. Aen. ý. 209. itaque huc nihil pertinent. intelligemus canes infernas, vere canes, quae Hecaten sive Triviam aut Proserpinam comitabantur, quotiescumque magico murmure excita ad majus aliquod sacrum adparebat. neque enim illa umquam sine canibus vagabatur. Maronem jam audivimus; qui sane aliter exponi nec debet, nec potest. nunc Senecam audiamus Oedip. ý. 563. loco memorabili:

sanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit, & multo specum
Saturat cruore. libat & niveum insuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Laeva, canitque rursus, & terram intuens
Graviore Manes voce & attonita citat.
Latravit Hecates turba. ter valles cavae
Sonuere moestum. tota succusso solo
Pulsata tellus. Audior, vates ait,
Rata verba fudi. rumpitur caecum chaos,
Iterque populo Ditis ad superos datur.

Medea ý. 840.

Vota tenentur. ter latratus
Audax Hecate dedit, & sacros
Edidit ignes face luctifera.

Thyeste ý. 668.

Hic nocte caeca gemere ferales Deos
Fama est: catenis lucus excussis sonat,
Ululantque Manes. quidquid audire est metus,
Illic videtur. errat antiquis vetus
Emissa bustis turba, & insultant loco
Majora notis monstra. Quin tota solet
Micare flamma silva, & excelsae trabes
Ardent sine igne. saepe latratu nemus
Trino remugit: saepe simulacris domus
Attonita magnis.

neque abit Papinius L. 4. Theb. ý. 428.

Hujus inadspectae luco stridere sagittae,
Nocturnique canum gemitus, ubi limina patrui
Effugit, inque novae melior redit ora Dianae.

vide Theocritum in Pharmaceutria.

54. TER CANE, TER DICTIS DESPUE CARMINIBUS] auctor Ciris ý. 368.

At nutrix patula componens sulfura testa,
Narcissum casiamque herbas incendit olentis:
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, despue, virgo:
Despue ter, virgo: numero deus inpare gaudet.

Petronius: *Illa de sinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam. Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signavit. hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum, quos ipsa praecantatos purpura involverat: admotisque manibus tentare coepit inguinum vires.* Latissimi usus fuit hic despuendi ritus, in magia, in omni medicina, in piaculis, in avertendo fascino, in ominibus, in amoris conciliatione, &c. crebro memoratur Plinio, in variis ac diversissimis negotiis. deinde certatim illustrarunt viri docti, exposito simul Albiano versiculo; Achilles Statius; Andreas Tiraquellus in sextam Leg. Connub. n. 17. Turnebus L. 26. Adv. C. 6. Joan. Wouwerus ad Petron. Joannes Meursius ad Theocrit. Idyll. 6. Frider. Lindenbruch in Cirin; Casaubonus in Persii Satiram 2. ý. 33. Elias Schedius Syngram. 2. de Diis Germanis C. 44. & fortasse alii complures.

56. SI IN MOLLI VIDERIT IPSE TORO] a primo Gebhardi Palatino aberat praepositio *in.* abest quoque a primo nostro. nec habebant secundus & quartus Anglicanorum: non etiam Wittianus prior. nempe perierat absorpta ab elemento principe voculae *molli.* id ita esse indicio est meus codex tertius: in quo paullo aliter aberratum fuit, geminata litera *m*: *sim moli viderit ipse thoro.* Mirificam vero vim carminum, quibus perficeretur

Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
Omnia: de me uno sentiet ipse nihil.
Quid credam? nempe haec eadem se dixit amores
Cantibus, aut herbis solvere posse meos.
Et me lustravit taedis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.

Non

tur ut Deliae maritus vigilans, & videns, oculorum fidem sibi ipse denegaret. & tamen, quod est portentosius, olim hoc ipsum citra incantationem praestitisse mulierem non rusticam videbis, si voles, apud Joannem Boccatium, Giornata 7, del Decamerone, Novella *9*.

60. AMORES CANTIBUS AUT HERBIS SOLVERE] *cantus*, sive *carmina*, & *herbae* in rebus magicis apud poëtas tam frequenter conjunguntur, ut putidum foret exempla coacervare. alterum sine alterius ope vix quidquam valere putabant. *Solvendi* autem verbum in hoc negotio est proprium ac peculiare. Virgilius L. 4. Aen. ℣. 487.

Haec se carminibus promittit solvere mentis,
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas.

Horatius Epod. 5. ore Canidiae, ℣. 71.

Ah, ah, solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.

Maronis locum exprimit magus ille apud Hoofdium nostrum, Act. 3. Velzii, Sc. 4.

Ontbinden kan ik de ghemoeden; van de min:
En andren weder stuur ik harde zorghen in.

huic verbo contrarium est *vinciendi* verbum. Terentius Hecyr. Act. 1. Sc. 2. ℣. *93*.

Hic animus partim uxoris misericordia
Devinctus, partim victus hujusce injuriis,
Paullatim elapsus Bacchidi.

Lucretius L. 1. ℣. 35. ad Venerem:

Nam tu sola potes tranquilla pace juvare
Mortaleis: quoniam belli fera moenera Mavors
Armipotens regit: in gremium qui saepe tuum se
Rejicit, aeterno devinctus volnere amoris.

Virgilius L. 8. Aen. ℣. *394*. de Venere & Vulcano:

Sensit laeta dolis & formae conscia conjunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore.

hinc porro aliae tralationes, *vincula*, *compages*, *nodi*, *retia*, *plagae*, *laquei*: & hujus generis plura, quae longum sit enumerare. noster supra Eleg. 1. ℣. 55.

Me retinent vinctum formosae vincla puellae.

qui locus non debet sollicitari. Plautus, fatis libero joco, Epidic. Act. 2. Sc. 2. ℣. 32.

Tum meretricum numerus tantus, quantum
in urbe omni fuit,
Obviam ornatae occurrebant suis quaeque amatoribus:
Eos captabant. id adeo, quî maxime animum
advorterim:
Pleraeque hae sub vestimentis secum habebant
retia.

Lucretius L. 4. ℣. 1142.

Nam vitare plagas in amoris ne laciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

Ovidius Epist. Acontii ℣. 45.

Ut partem effugias, non omnia retia falles:
Quae tibi, quam credis, plura tetendit Amor.

ibidem ℣. 85.

Sed neque compedibus, nec me compesce catenis:
Servabor firmo vinctus amore tui.

L. 3. Art. Amat. ℣. 591.

Dum cadit in laqueos captus quoque nuper
amator;
Solum se thalamos speret habere tuos.

61. ET ME LUSTRAVIT TAEDIS] facibus ex taeda, cum admixto sulphure ac bitumine: forte & cruore. praecedebat lotio sollicita, mactata simul ove nigra. Sparsim haec reperire est apud poëtas. paucis exemplis defungemur. de face, sive taeda, Ovidius L. 7. Metam. ℣. 259.

Multifidasque faces in fossa sanguinis atra
Tinguit: & intinctas geminis accendit in aris.
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulfure
lustrat.

taedam diserte vocat Juvenalis Sat. 2. ℣. 157.

cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum taedis, & si foret humida laurus.

de lotione, hostia, & sulfure, Papinius L. 4. Theb. ℣. 414.

Letheaque sacra,
Et mersum Ismeni subter confinia ponto
Miscentis, parat ante ducem, circumque bidentum

Visce-

Visceribus laceris, & odori sulfuris aura,
Graminibusque novis, & longo murmure purgat.

de bitumine Horatius Epod. 5. ℣. 79.

Priusque coelum sidet inferius mari
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

Virgilius Eclog. 8. ℣. 82.

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

omnium clarissime facundissimus Claudianus, Panegyrico Honorii, in sexto ejus consulatu, ℣. 324.

Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum
Sulfure caeruleo nigroque bitumine fumat,
Circum membra rotat doctus purganda sacerdos,
Rore pio spargens, & dira fugantibus herbis
Numina, purificumque Jovem Triviamque precatus,
Trans caput aversis manibus jaculatur in Austrum
Secum rapturas cantata piacula taedas.

totam lustrationem breviter complexus est Aurelius Nemesianus Eclog. 4. ℣. 62.

Quid prodest, quod me pagani mater Amyntae
Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulfure lauros;
Cum sic in Meroën totis miser ignibus arsi?

versu ultimo *totis ossibus* ex vetere libro rectissime reposuit Barthius. sed & *in Meroë* postulat Latini sermonis consuetudo. Horatius Epod. 14. ℣. 9.

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teïum.

61. 62. NOCTE SERENA CONCIDIT AD MAGICOS HOSTIA PULLA DEOS] vides tempus, victimam, numina, quibus sacrum hoc factum. noctu quidem, ut semper: sed sublustri & serena. qua de re dixi quod satis sit ad Propert. L. 2. Eleg. 1. ℣. 73. Hinc Valerius Flaccus, capto amore Medeae Coaste, Choatrarum duce, Deos inferos & Charontem atque Hecaten gaudere ait quietam sibi noctem concedi ac tutam, postquam ille acriore cura domitus nihil jam de umbris evocandis cogitaret, L. 6. ℣. 155.

Maximus hos inter Stygia venit arte Coastes:
Sollicitat nec Martis amor; sed fama Cytaeae
Virginis, & paribus spirans Medea venenis.
Gaudet Averna palus, gaudet jam nocte quieta
Portitor, & tuto veniens Latonia coelo.

hostia erat, agnus pulli velleris. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 736.

huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Seneca Oedip. ℣. 556.

Nigro bidentes vellere, atque atrae boves
Retro trahuntur. flamma praedatur dapes,
Vivumque trepidat igne ferali pecus.

Silius L. 13. ℣. 404.

Nec cunctata diu vates, mactare repostis
Mox umbris, inquit, consueta piacula, nigras
Sub lucem pecudes, reclusaeque abdere terrae
Manantem jugulis spirantum caede cruorem:
Tunc populos tibi regna suos pallentia mittent.

reclusa terra est fovea, sive scrobes magica, in quam deflueret victimarum cruor. Papinius L. 4. Theb. ℣. 451. postquam de nigris hostiis breviter dixit:

Principio largos novies tellure cavata
Inclinat Bacchi latices, & munera verni
Lactis, & Actaeos imbres, suadumque cruorem
Manibus: aggeritur, quantum bibit arida tellus.

Sed nemo haec distinctius perscripsit Porphyrio Platonico; cujus ex libro de Responsorum philosophia luculentum locum producit Eusebius Pamphili L. 4. Praeparat. Euangel. C. 4. Sequuntur Dii Magici: quos noster satis habuit generatim nominare. atque ita etiam Lucanus fecit L. 6. ℣. 577.

Illa magis, magicisque Deis incognita verba
Tentabat, carmenque novos fingebat in usus.

Turnebus in Albio nostro Plutonem intelligit, & Hecaten, & Proserpinam, L. 16. Adv. C. 4. nimis, ni fallor, anguste. Maro L. 4. Aen. ℣. 510.

crinis effusa sacerdos
Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae.

multo etiam plures Medea invocat, apud Nasonem L. 7. Metam. ℣. 192.

Nox, ait, arcanis fidissima, quaeque diurnis
Aurea cum Luna succeditis ignibus Astra;
Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
Adjutrixque venis; Cantusque Artesque magarum;
Quaeque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis;
Auraeque, & Venti, Montesque, Amnesque, Lacusque,
Dique omnes nemorum, Dique omnes noctis adeste.

His adde duos poëtas Hispanos, propinquo inter se sanguinis vinculo conjunctos, Annaeum

Non ego, totus abeſſet amor, ſed mutuus eſſet,
Orabam: nec te poſſe carere velim.

naeum Senecam Med. ℣. 740, & Annaeum Lucanum L. *6.* ℣. 730. niſi te terret Iberica ferocitas, & ipſa carminis truculentia.

63. NON EGO, TOTUS ABESSET AMOR, SED MUTUUS ESSET, ORABAM] ſic Glaucus apud Naſonem, Circen adfatus, L. 14. Metam. ℣. 23.

Nec medeare mihi, ſanesque haec vulnera mando:
Hac ope nil opus eſt: partem ferat illa caloris.

Reſolutorii ſacri imaginem nobis dedit Jo. Jovianus Pontanus Parthenopaei L. 2. Carm. 1. & Hieronymus Amaltheus, poëta nitidiſſimus, ac plus verae gloriae meritus uno perpuſillo carminum libello, quam multis ac magnis voluminibus multi Anſerum nepotes. Quocirca recte atque ordine a nobis factum putamus, qui praeclari viri monumenta paucis abhinc annis novo cultu recentavimus.

III.

IBITIS Aegeas ſine me, Meſſala, per undas,
O utinam memores ipſe, cohorsque mei.
Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.
Abstineas avidas Mors, precor, atra manus.

5 Ab-

1. IBITIS AEGEAS SINE ME, MESSALA, PER UNDAS] M. Valerius Corvinus Meſſala omnium ſuae aetatis mortalium clariſſimus eſt habitus, longeque laudatiſſimus, ingenio ſummo praeditus, pari judicio atque eloquentia. accedebat probitas, conſtantia, fortitudo, cura & ſtudium reipublicae incredibile: quibus virtutibus effectum eſt, ut eum jam tum adoleſcentem mirifico quodam amore complexus fuerit M. Tullius, teſte luculenta illa epiſtola ad Brutum perſcripta, quae eſt quinta decima libri illius ſingularis. Poſt interitum Caſſii & Bruti, quorum ſe partibus conjunxerat, quum ipſe a multis dux expeteretur, maluit Caeſaris clementia uti, quam ulterius pertendere in republica mutuis odiis evertenda. Quae res Caeſari adeo grata fuit atque jucunda, ut Meſſalam deinceps in paucis carum habuerit, ejusque opera ſit uſus & fortiſſima & fideliſſima. Docet haec inluſtris ſcriptor C. Vellejus L. 2. C. 71. *Protinus Meſſala, fulgentiſſimus juvenis, proximus in illis caſtris Bruti Caſſiique auctoritati, cum eſſent qui eum ducem poſcerent, ſervari beneficio Caeſaris maluit, quam dubiam ſpem armorum tentare amplius. Nec aut Caeſari quidquam ex victoriis ſuis fuit laetius, quam ſervaſſe Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Caeſarem fuit.* Hunc tantum virum Albius noſter domi coluit, militiae eſt ſecutus; inque ejus contubernio bonam partem aetatis contrivit. In hac vero expeditione Syriaca quo minus ſequeretur Meſſalam, in cauſſa fuit corporis aegritudo in itinere maritimo contracta. qua aegritudine inplicatus, neceſſe habuit ſubſiſtere apud Inſulam Corcyram. Sed refecta deinde valetudine, ſubſecutus ducem ſuum in Ciliciam ac Syriam, Aegyptum quoque perluſtravit. cujus rei fidem nobis facit Elegia hujus libri octava. Miſſus eſt autem Meſſala in Syriam cum imperio extraordinario A. V. DCCXXIV. ut luculenter eſt oſtenſum ab Eminentiſſimo Noriſio Cenotaph. Piſan. diſſert. 2. cap. 16. §. 7. qua tempeſtate Albius noſter annum agebat aetatis quartum ſupra triceſimum. nam qui Hirtio & Panſa Coſſ. natum contendunt, hoc eſt A. V. DCCX. videant illi, qua ratione idonea hoc ipſum carmen dari queat puero non niſi quatuordecim annos habenti, & jam veteri Deliae amatori.

3. PHAEACIA] Corcyra, a Phaeacibus populis ita dicta. qui Phaeaces quum prius Hyperiam habitarent, a Nauſithoo in Corcyram ſunt deducti (quae & Scheria dicebatur) propter aſſiduas Cyclopum depraedationes. fuit autem Nauſithous Alcinoi pater. vide ſis Homerum initio L. *6.* Odyſſ. de Tibulli.

Abstineas, Mors atra, precor. non hic mihi mater,
Quae legat in moestos ossa perusta sinus:
Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:

De la

bulli in hac insula aegrotatione meminit Naso L. 3. Amor. Eleg. 9. ℣. 47.

Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.

3. IGNOTIS TERRIS] forte *tectis*. nam in hospitium devertisse ad aliquem Corcyraeum, more militiae Romanae, satis certum est. Ovidius L. 5. Trist. Eleg. 10. ℣. 30.

Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus; & tecti plus quoque parte tenet.

Lucanus L. 5. ℣. 11.

peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres: secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.

4. ABSTINEAS AVIDAS MORS MODO NIGRA MANUS] Multiplex est hujus loci scriptura, *Mors modo nigra*, *Mors precor atra*, *Mors violenta*. Neque multum interesse, quae recipiatur, visum olim fuit Mureto. quem merito deseruerunt alii homines elegantes, Ach. Statius, Fruterius, Douza, Gebhardus; solamque mediam comprobarunt, *Mors, precor, atra.* quae quum repetatur in versiculo proxime sequente, ad ejus jucunditatem reliquae duae misere frigent.

6. NON HIC MIHI MATER, QUAE LEGAT IN MOESTOS OSSA PERUSTA SINUS] Ossa legere proximorum officium erat, & carissimorum. ita se patris sui ossa in tenera pueritia legisse Propertius noster conqueritur L. 4. Eleg. 1. ℣. 127.

Ossaque legisti non illa aetate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse lares.

sua autem legi vult ab amata Cynthia, L. 1. Eleg. 17. ℣. 12.

An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

exemplo Briseïdis, Achilli funus facientis, quum abessent & uxor & parentes, L. 2. Eleg. 7. ℣. 47.

Nec non exanimum amplectens Briseïs Achillen
Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lavit moerens captiva cruentum
Appositum flavis in Simoënta vadis.
Foedavitque comas; & tanti corpus Achillei,
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Quum tibi nec Peleus aderat, nec caerula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.

Contigit vero poëtae nostro id, quod sibi nunc deesse lamentatur. decessit enim Romae in complexibus & matris & sororis, teste Ovidio L. 3. Amor. Eleg. 9. ℣. 49.

7. ASSYRIOS CINERI QUAE DEDAT ODORES] Timide dicam, sed dicam tamen: *dedere odores cineri* horridule mihi dici videtur, pro eo quod est *dare odores.* opinor ab Albii manu fuisse olim *fundat.* nam *fundendi* verbum in re funebri solenne quis melius nobis exponat Albio ipso? sic ille L. 3. Eleg. 2. ℣. 23.

Illuc, quas mittit pinguis Panchaïa merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem.

Virgilius L. 6. Aen. ℣. 225.

congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.

Accedit quod *odores Assyrii* nihil sint aliud, nisi liquores odorati, & unguenta Syriaca gentiumque vicinarum. Propertius L. 2. Eleg. 10. ℣. 30.

Tu vero nudum pectus lacerata sequare,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculaque in gelidis ponas suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.

Papinius L. 2. Silv. 1. ℣. 161.

Quid ego exsequias, & prodiga flammis
Dona loquar, moestoque ardentia funera luxu?
Quod tibi purpureo tristis torus aggere crevit?
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes, Phariique, Palaestinique liquores
Arsuram lavere comam?

& L. 5. Silv. 1. ℣. 211.

Quis carmine digno
Exsequias, & dona malae feralia pompae
Perlegat? omne illic stipatum examine longo
Ver Arabum Ciliciumque fluit, floresque Sabaei,
Indorumque arsura seges, praereptaque templis
Tura, Palaestinis simul Hebraeique liquores,
Coryciaeque comae, Cinyreaque germina.

Et haec est, ni fallor, *sumtuosa* illa *respersio*; quae ne fieret, publice sancitum olim fuisse

Tul-

Delia non uſquam, quae me quam mitteret urbe,
Dicitur ante omnes conſuluiſſe Deos.
Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit e trivis omina certa puer.

Cuncta

Tullius docet L. 2. de Legib. C. 24. Itaque huic loco minus commodum erit *dedendi*, quam *fundendi* verbum. cujus quidem verbi proprius ac ſolennis uſus fuit in omni re liquorum atque unguentorum. Horatius L. 1. Od. 5.

Quis multa gracilis te puer in roſa
Perfuſus liquidis urguet odoribus
Grato, Pyrrha, ſub antro?

& L. 2. Od. 7. ℣. 21.

Oblivioſo levia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de conchis.

Sed ego hanc conjecturam meam doctis atque elegantibus ingeniis arbitrandam permitto: non enim aequum eſt, ut me ſuadente amplectatur quisquam id quod nolit.

8. Et fleat effusis ante sepulcra comis] Lacrimis gaudebant umbrae. ideo dirum habebatur, non defleri. quinimo ſine fletu nullam eſſe ſepulturam ſtatuebant, docente Servio ad L. 6. Aen. ℣. 325. Hinc fletus non ſolum propinquorum, verum etiam alienorum. Terentius Andr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 102.

funus interim
Procedit: ſequimur: ad ſepulchrum venimus:
In ignem poſitaſt: fletur.

Drances ille apud Maronem L. 11. ℣. 371.

Scilicet, ut Turno contingat regia conjunx,
Nos animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis.

Ovidius Ibide, ℣. 163.

Nec tibi contingent funus lacrimaeque tuorum.
Indeploratum projiciere caput.

& L. 3. Triſt. Eleg. 3. ad uxorem aeger, ℣. 41.

Nec dominae lacrimis in noſtra cadentibus ora
Accedent animae tempora parva meae?
Nec mandata dabo? nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos condet amica manus?
Sed ſine funeribus caput hoc, ſine honore ſepulcri
Indeploratum barbara terra teget?

Quantae ergo inmanitatis fuiſſe putas Thebanum Creonta, qui occiſos in acie non modo humari vetuit, ſed & ab uxoribus ac propinquis defleri? pulcre Ornitus apud Papinium L. 12. Theb. ℣. 149.

Quo, miſerae, quo fertis iter? funusne peremtis
Speratis, cineremque viris? ſtat pervigil illic
Umbrarum cuſtos, inhumataque corpora regi
Adnumerat. nuſquam lacrimae: procul uſque fugati
Acceſſus hominum. ſolis avibusque, ferisque
Ire licet. veſtrisne Creon dabit aequus honorem
Luctibus? immites citius Buſiridos aras,
Odryſiique famem ſtabuli, Siculosque licebit
Exorare Deos. rapiet fortaſſe precantes,
(Si mens nota mihi) nec conjugialia ſupra
Funera, ſed caris longe mactabit ab umbris.

9. Quae me quum mitteret urbe] non poſſum Douzae noſtro non accedere, *quam* reſcribenti, pro *quum*, ut ad *ante*, quod ſequitur, referatur; Praecidan. C. 2. Saepe disjunguntur hae voculae apud optimum quemque ſcriptorem. Virgilius L. 4. Geor. ℣. 306.

Hoc geritur, Zephyris primum inpellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum ſuspendit hirundo.

Atque etiam extra carmen. Cicero orat. pro Rabirio C. 9. *Sed in his rebus omnibus imprudentia laberis. cauſſam enim ſuscepiſti antiquiorem memoria tua; quae cauſſa ante mortua eſt, quam tu natus eſſes.*

11. Illa sacras pueri sortes ter sustulit] Tales pueri, atque etiam viri, *Sortilegi* dicebantur. ex quo genere fuit ille templi Veneris Erycinae miniſter, cujus memoria eſt apud Sponium Miſcell. Eruditae Antiquitatis p. 30.

C. STIMINIVS
HERACLA
SORTILEGVS
AB. VENERE
ERVCINA. ET
IVLIA. MELANTHIS
PARENTES
MERCVRIALI
F. PIENTISS.
FECERVNT

De trina ſortitione pulcre atque erudite nuper

per egit Vir Inlustrissimus Ezechiel Spanhemius ad Callimachi Hymnum in Apollinem, ℣. 45. Ludovicus Carrio legebat *puero*, ad Valer. Flacc. L. 1. ℣. 231. ubi & *e triviis* & *omina*, quae sunt in versiculo minore, operose defendit. sic quoque haec postrema Achilles Statius & Jos. Scaliger exposuerunt. Salmasius *Illa manu pueri* producit, memoriae nimium confisus, libro de Annis Climacter. p. 792. & *e trinis* legit: *Ter sortes* (inquiens) *manu pueri duxit, e trinis certa omina ei relata sunt. Sic enim ibi scribendum. Scaliger locum non intellexit.* Enimvero basilice. Tamen cur hujus ille correctionis laudem sibi vindicaret, caussa erat nulla. Jam enim olim ita legerunt Muretus, Auratus, Canterus, & Livinejus: ut de Douza utroque sileatur. Nec vero dubitari potest, quin haec sit germana scriptura. nam ut τὸ *puer* respondet τῷ *pueri*; sic & vocula *ter* necessario sibi postulat *e trinis*, non autem *e triviis*. Neque satis adparet, quare puer quispiam de trivio sortes potius sustulerit, quam camillus aliquis de templo Fortunae. quales camillos illic fuisse ut credam, facit denarius Plaetorii Cestiani; quem cum studiosis antiquitatis communicavit excellentissimus ille Antverpiensium praesul Laevinus Torrentius ad Sueton. Tiber. C. 63.



Certe ex Tullii verbis, ubi de hisce sortibus agit, nihil colligi potest de puero triviali. Locus est paullo spatiosior, sed multo luculentissimus, L. 2. de Divinat. C. 41. *Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, nec consilium valet. tota res est inventa fallaciis, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad errorem. Atque ut in haruspicina fecimus, sic videamus clarissimarum sortium quae tradatur inventio. Numerium Suffucium Praenestinorum monumenta declarant; honestum hominem & nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, cum juberetur certo in loco silicem caedere, perterritum visis, irridentibus suis civibus, id agere coepisse: itaque perfracto saxo sortes erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notis. Is est hodie locus religiose propter Jovis pueri, qui lactens cum Junone Fortunae in gremio sedens, mammam appetens castissime colitur. Eodemque tempore, in eo loco, ubi Fortunae nunc sita aedes, mel ex olea fluxisse dicunt: haruspicesque dixisse, summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque jussu ex illa olea arcam esse factam; eaque conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quae Fortunae monitu, pueri manu miscentur, atque ducuntur? quo modo autem istae positae in illo loco? quis robur illud cecidit, dolavit, inscripsit? Nihil est, inquiunt, quod Deus efficere non possit. Utinam sapientes Stoicos effecisset, ne omnia superstitiosa solicitudine, & miseria crederent! Sed hoc quidem genus divinationis vita jam communis explosit. Fani pulcritudo & venustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen, atque id in vulgus. Quis enim magistratus, aut quis vir illustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis sortes plane refrixerunt. quod Carneadem Clitomachus scribit dicere solitum, nusquam se fortunatiorem quam Praeneste vidisse Fortunam.* Praeclare vir sapientissimus. Neque tamen adeo refrixerat sortium superstitio, ut nullos magistratus aut viros illustriores compedibus suis haberet devinctos. Certe Tiberius, jam imperandi vetus, quantum in his nugis trepidaverit, ostendit Suetonius C. 63. *Haruspices secreto ac sine testibus consuli vetuit. Vicina vero urbi oracula etiam disjicere conatus est: sed majestate Praenestinarum sortium territus, destitit: cum obsignatas devectasque Romam non reperisset in arca, nisi relata rursus ad templum.* Caligula quoque sortes male intellectas inter saevitiae caussas habendas duxit, apud eumdem praeclarum scriptorem C. 57. *Monuerunt & sortes Antiatinae, ut a Cassio caveret. Qua caussa ille Cassium Longinum, Asiae tum proconsulem, occidendum delegaverat; immemor Chaeream Cassium nominari.* Sed nec longo post tempore in desuetudinem venisse docet Lampridius in Alexandro Severo, C. 14. *Mater ejus, pridie quam pareret, somniavit se purpureum dracunculum parere. Pater eâdem nocte in somniis vidit alis se Romanae Victoriae, quae in senatu, ad coelum vehi. Ipse, cum vatem consuleret de futuris, hos accepisse dicitur versus adhuc parvulus; & primis quidem sortibus:*

Te manet imperium coeli terraeque marisque.

Intel-

Cuncta dabant reditus. tamen est deterrita numquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.

Ipse

Intellectum est, quod inter Divos etiam referretur. Nisi forte vates hic fuerit unus ex illis aeruscatoribus vagis, qui tunc temporis passim suas sortes vendebant hianti popello. quales obscaeni illi Deae Syriae sacerdotes apud Madaurensem Apulejum L. 9. Metam. quorum haec erat sors unica, ad plurimos casus enotata:

Ideo conjuncti terram proscindunt boves,
Ut in futurum laeta germinent sata.

13. CUNCTA DABANT REDITUS] cunctarum sortium omina de meo reditu pollicebantur, nulla discordante. In codice Archiepiscopi Laudi erat *reditum.* parum refert. sed tamen pluralem amabant poëtae. Horatius L. 3. Od. 5. de M. Regulo, ℣. 50.

non aliter tamen
Dimovit obstantis propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

Epod. 16. ℣. 35.

Haec, & quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas.

Naso Epist. Ariadnae ℣. 103.

Nec tibi, quae reditus monstrarent, fila dedissem,
Fila per adductas saepe recepta manus!

Epist. Laodamiae ℣. 159.

Per reditus, corpusque tuum mea numina juro;
Perque pares animi conjugiique faces.

& L. 1. Fastor. ℣. 279. verbis Jani:

Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demta janua nostra sera.

13. TAMEN EST DETERRITA NUMQUAM, QUIN FLERET] Varie haec interpretati sunt viri docti: atque ita quidem, ut aquam iis haerere facile cerneres. Teneri non potuisse, nec revocari, nec cohiberi, quin fleret, Achilles Statius exposuit; & Muretus; ac Turnebus L. 29. Adv. C. 30. Sed quum nonnulli codices habeant, *tamen haud deterrita frustra est, Quum fleret*; idque in uno suo invenisset Passeratius, ita est interpretatus, Cum videret se a lacrimis temperare non posse in ipso discessu, id ei formidolosum atque ominosum fuit. Huic & expositioni, & praeclarae (ut vocat) correctioni subscripsit Jo. Lud. de la Cerda Comment. in Virgil. L. 12. Aen. ℣. 72. *deterritam*, terrore & metu exsolutam, explicat noster Douza. quem est secutus Fridericus Taubmannus ad Plauti Epidicum, Act. 1. Sc. 1. ℣. 62. atque eodem ferme recidunt Henrici Stephani cogitata L. 5. Schediasm. C. 9. Sed Stephanum retudit Gebhardus, non sine verbere professoriae linguae, facilem esse dicens hujus distichi sensum: nempe, Quamquam addiceretur ominibus cunctis reditus meus, tamen non potuit discessui meo non illacrimari. Haec illi. sed verum solus pervidit Gronovius, vir laudatissimus, Diatrib. in Statii Silvas C. 26. ubi quum pulcre ostendisset, ominosas esse inter discedentes lacrimas, & ubique, si exciderent invitis & fundere nolentibus, ita Albii nostri mentem aperit: *Tamen non potuit se metu mali ominis continere, ut non fleret & saepe respiceret. Nam utrumque ominis minus secundi. Itaque vereri & hac cura moneri debuisset, ne tot bonis signis mala scaeva interveniret, laetisque triste quidpiam misceret. Sic enim loquuntur interdum superstitione devincti, ut omen caussam, non indicium, rei per se futurae credere videantur.* Praeclare profecto, & ex ipso tripode. Tale aliquid sibi metuebat Papinius in discessu Metii Celeris, L. 3. Silv. 2. ℣. 50.

Audimur: vocat ipse ratem, nautasque morantes
Increpat: inde meum timido jam frigore pectus
Labitur, & nequeo, quamvis monet ominis horror,
Claudere suspensos oculorum in margine fletus.

In verbo autem *deterrendi* non semper est significatio terroris, aut minarum, ut perperam opinantur nonnulli. Aliquando idem notat, quod aliter persuadere: interdum ponitur pro eo quod est dehortari, dissuadere, rationibus adducere ut hoc aut illud ne facias. Plautus Milit. Act. 2. Sc. 3. ℣. 61.

Mihi ego video, mihi ego sapio, mihi ego credo plurimum:
Me homo nemo deterruerit, quin ea sit in his aedibus.

Trucul. Act. 5. ℣. 37.

miles, si te amari postulas,
Auro, haud ferro deterrere potes, ne amet, Stratophanes.

Ipſe ego ſolator, quum jam mandata dediſſem,
Quaerebam tardas anxius uſque moras.
Aut ego ſum cauſſatus aves, aut omina dira:
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties, ingreſſus iter, mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

Audeat

Terentius Heautont. Act. 1. Sc. 1. ỷ. 27.
Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum eſt, ego ut faciam; non eſt, te ut deterream.

Cicero L. 11. ad Attic. Epiſt. 8. *maximas poenas pendo temeritatis meae; quam tu prudentiam mihi videri vis: neque te deterreo, quo minus id disputes, ſcribasque ad me quam ſaepiſſime.* Orat. pro Quintio C. 4. *auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone ſe facturum eſſe proſcribit earum rerum, quae ipſius erant privatae. ibi tum vir optimus, Sex. Naevius, hominem multis verbis deterret, ne auctionetur.* Philipp. 8. C. 6. *Antea deterrere te, ne popularis eſſes, non poteramus: exorare nunc, ut ſis popularis, non poſſumus.* L. 5. ad famil. Epiſt. 2. *Quem ego cum comperiſſem omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare atque meditari, egi cum Claudia, uxore tua, & cum veſtra ſorore Mucia, cujus erga me ſtudium pro Cn. Pompeji neceſſitudine multis in rebus perſpexeram, ut eum ab illa injuria deterrerent.* His exemplis liquere arbitror & notionem verbi hujus, & mentem noſtri poëtae. Rectum quoque eſt *Quin fleret*; non, ut in libris eſt quibusdam, *Quum*, vel *Quom fleret.* Sic & Plautus hoc verbum junxit cum hac ipſa particula, Amphitr. Act. 2. Sc. 1. ỷ. 9.

Am. *jam quidem hercle ego tibi iſtam*
Sceleſtam, ſcelus, linguam abſcindam. So. *tuus ſum:*
Proinde, ut commodum eſt & lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar haec uti facta ſunt hic,
Numquam ullo modo me potes deterrere.

18. AUT OMINA DIRA SATURNI SACRA ME TENUISSE DIE] Ita Scaliger edi juſſit, eo quod ſcripti quidam non haberent τὸ *aut* in poſteriore verſu. Habent vero alii quidam. Erat ſane in omnibus Statianis, in ſecundo Palatino Gebhardi, in Fulvii Urſini libro, inque editione principe. Atque hujus quidem inter lineas notaverat manus docta *Saturnive ſacram*, neſcio an ex ingenio. Sed nos illos priores ſequemur. nam quum cauſſas morandi necteret, credibile eſt complures conquiſiviſſe. Itaque aves non addicere cauſſatur: deinde diris ſe ominibus teneri ait, quo minus inchoët profectionem: denique iter ſuum incidere non vult in diem Saturni religioſam. Ita enim poſtulabat ſuperſtitio illorum temporum: &, ſabbatho iter non facere, didicerant a Judaeis. Ovidius L. 1. Art. Amat. ỷ. 415.

Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palaeſtino ſeptima feſta Syro.

Ceterum pro *tenuiſſe*, libri non nulli *timuiſſe* habent. quomodo loquitur noſter L. 2. Eleg. 7. ỷ. 32.

languere puellam
Nuntiat, aut aliquas extimuiſſe minas.

ſed ego illud malo: ut dicat, ſe retentum fuiſſe a ſacra Saturni die, cujus diei metu non auſus fuerit pedem ad portam movere.

20. OFFENSUM IN PORTA SIGNA DEDISSE PEDEM] iſtae pedum offenſiones ſiniſtri ſemper ominis habebantur. Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 12. ỷ. 3.

Omina ſunt aliquid. modo cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape
Miſſa foras iterum limen transire memento
Cautius, atque alte ſobria ferre pedem.

at ille, puto, in re magni momenti. Noctem rogaverat: negabatur. Admodum ſerio ſuper Ti. Graccho, res novas parante, ac pedem graviter offendente, nugatur Valerius Maximus L. 1. C. 4. & Julius Obſequens C. 86. Sapientius Cicero L. 2. de Divinat. C. 40. *Cum M. Craſſus exercitum Brundiſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus, ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret, ne iret: non fuiſſe periturum, ſi omini paruiſſet. Quae ſi ſuſcipiamus, pedis offenſio nobis, & abruptio corrigiae, & ſternutamenta erunt obſervanda.* Plinius L. 2. C. 7. *Sed ecce fulgurum monitus, oraculorum praeſcita, haruſpicum praedicta, atque etiam (parva dictu) in auguriis ſternutamenta,*

Audeat invito ne quis discedere amore.
Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis mihi, Delia: quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?

25 Quidve,

menta, & offensiones pedum. Divus Augustus laevum prodidit sibi calceum praepostere inductum, quo die seditione militari prope afflictus est. Quae singula improvidam mortalitatem involvunt, solum ut inter ista certum sit, nihil esse certi, nec miserius quidquam homine, aut superbius.


23. QUID TUA NUNC ISIS MIHI, DELIA] Scaliger ex vetere scriptura *mihi* legebat. Recte. sic omnes Statiani, & nostri, ac Heinsiani magno numero. solus noster primus *tibi* habebat. Sed quod idem vir magnus, liquere, ait, eam pro Tibulli morbo in casto Isidis fuisse, non item probare possum. neque enim Tibullus, antequam ex urbe discederet, aegrotabat. Verius Turnebus, Lucianum scribere, ait, Isidis tutelae commissos fuisse navigantes: ideo Deliam ejus sacra obiisse, peregre mari profecturo amatore, L. 16. Adv. C. 4. Sane ita est. Jupiter apud Lucianum, in Dialogis Deorum, imperat Mercurio, Argum in Nemea silva pascentem ut interimat: ipsam vero Io per pelagus in Aegyptum abducat, atque Isin faciat; quae Isis maximum sit Aegyptiis numen, & Nilum crescentem adtollat, & inmittat ventos, & servet navigantes. Quae singula luculento carmine Orpheus exponit apud Valerium Flaccum L. 4. Argonaut. ℣. 348. atque finit in hoc optato:

haec procul Io
Spectat ab arce Phari, jam Divis addita, jamque
Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.
Bosporon hinc veteres errantis nomine Divae
Vulgavere. Juvet nostros nunc ipsa labores,
Inmissisque ratem sua per freta provehat Euris.

Idque extemplo fecisse Deam adfirmat poëta:

Dixerat: & placidi tendebant carbasa venti.
Postera non cassae Minyis Aurora retexit
Noctis iter: nova cuncta vident.

Igitur boni ominis gratia Aegyptii naves suas grandiores Isidis saepe nomine adpellabant; & tutelarem Deam in prora atque in puppi effingebant; ut docet idem Lucianus in Navigio, seu Votis. Apud Gruterum ara est Isidis marmorea quadrata, in cujus fronte cornu Copiae variis fructibus plenum; ad dextrum latus, patera; ad laevum, sistrum Aegyptiacum cum tribus virgulis mediis; a tergo orbis, cui serpens circumvolutus sese erigit, & gubernaculum nauticum, p. LXXXII. Inscr. 4.



24. ILLA TUA TOTIES AERA REPULSA MANU] Muretus *sistra* esse in libris veteribus, non *aera*, testatur. credo. Sed nostri scripti cum Statianis *aera* habent magno consensu. quod cur rejicias, caussa non est: quum adpareat satis nostrum de sistris loqui. idem & alii fecerunt. Papinius L. 1. Theb. ℣. 265.

melius votis Mareotica fumat
Coptos, & aerisoni lugentia flumina Nili.

ibi scholiastes Lutatius: AERISONI *ait, aeris sonum dantis propter sistrum.* Apulejus L. 11. Metam. quo loco Isis docte & copiose describitur: *Jam gestamina longe diversa. nam dextera quidem ferebat aereum crepitaculum: cujus per angustam*

Quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse toro?
Nunc, Dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis:

Ut

gustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectae mediae paucae virgulae, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem. Et hic sistrum intellexit. Apertius Naso ac simplicius, L. 2. Amor. Eleg. 13. ÿ. 11.

Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi:
Sic tua sacra pius semper Osiris amet,
Pigraque labatur circa donaria serpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

28. POSSE MEDERI PICTA DOCET TEMPLIS MULTA TABELLA TUIS] Hieronymus Mercurialis, vir praeclarae eruditionis, ex his verbis conjiciebat, historiam morborum & curationum, tum quid praecipue auxiliatum esset, in Isidis templo pictis tabellis proponi consuevisse, L. 1. de Arte Gymnast. C. 1. quem sequitur Gonsalius de Salas in Petron. p. 46. producitque in eam rem notissima Juvenalis verba, *pictores quis nescit ab Iside pasci?* quae quidem verba ad morbos & morborum curationes nihil pertinebant. Est enim sermo de naufragis, qui Isidis ope liberati e tanto periculo, vota solvebant in ejus templo, suspensis ex pariete discriminis sui tabellis. Audi poëtam Aquinatem Sat. 12. statim ab initio.

omnia fiunt
Talia, tam graviter, si quando poëtica surgit
Tempestas. genus ecce aliud discriminis: audi,
Et miserere iterum, quamquam sunt cetera sortis
Ejusdem: pars dira quidem, sed cognita multis,
Et quam votiva testantur fana tabella
Plurima. Pictores quis nescit ab Iside pasci?
Accidit & nostro similis fortuna Catullo,
Cum plenus fluctu medius foret alveus, & jam,
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertae, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem.

itaque referri ista debent ad Isidis potentiam in res maritimas: de qua nos modo aliquid dicebamus. Quin tamen illi, qui ex aegritudine convaluissent, gratias egerint Isidi suspensis votivis tabellis, negari nequit: & vel solus hic locus evicerit. Sed in illis tabellis, praeter eam corporis partem quae fuisset adfecta, expressum fuisse aliud nihil arbitror. Verbi gratia, oculum ponebant, aut crus, aut manum, qui ex oculo, aut crure, aut manu laborassent. Valide hanc opinionem meam firmat poëta vetus in Priapeis, Carm 37.

Cur pictum memori sit in tabella
Membrum quaeritis.

cetera tutemet videbis. Igitur de morborum & remediorum commemoratione ac descriptione res est perimbecilla. Juvat nos lapidum inscriptorum fides; in quibus simplici gratiarum actione defunguntur votorum rei. in Thesauro Gruteriano p. LXXXII. 6.

ISI. SACR
L. MAGIVS
PHILEAS. VI. VIR
AQVIL. OB
SALVT. GRATTIANI
FILII. ET. GRATTIAE

ibidem p. LXXXIV. 8.

ISIDI. SERAPIDI. LIBER
LIBERAE. VOTO
SVSCEPTO. PRO. SALVTE
SCAPVLAE. FILI. SVI
P. QVINCTIVS. PARIS
S. L. M.

quam inscriptionem fideliter enotavit Jaderae curiosissimus ille antiquitatum investigator Jacobus Sponius, inseruitque egregio illi suo itinerario p. 365. correcto simul Gruteri lapsu leviculo. Addit autem (quod praecipue ad rem nostram facit) in lapide exstare Isidis ac Serapidis effigies: ita ut credibile sit in altero latere, quod parieti insertum occultatur, Liberi & Liberae imagines esse sculptas. Ceterum de curationis historia nihil. In Syntagmate Thomae Reinesii, Class. I. 132.

ISIDI. ET. SERAP
SACRVM
EX. VOTO
PRO. FILIOLI. SALVTE
SVSCEPTO
SCAVRIANA. FECIT

29. ET.

Ut mea votivas perſolvens Delia noctes,
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat.

Bisque

29. Et mea votivas persolvens Delia noctes] *voces* fere eſt in ſcriptis: idque de hymnis & laudibus, quae mox ſequuntur, Achilles interpretatur. Non recte. nam laudes Iſidis interdiu decantabantur: noctu autem illae, quae erant in caſto, ſecubabant, &c., ut Plautus loquitur, pure habebant. itaque bono judicio & Livinejus & Scaliger *noctes* hic repoſuerunt. Propertius *excubias* vocavit L. 2. Eleg. 21, ad Cynthiam e gravi morbo levatam, ℣. 59.

Tu quoniam es, mea lux, magno demiſſa periclo,
Munera Dianae debita redde choros.
Redde etiam excubias Divae nunc, ante juvencae:
Votivas noctes & mihi redde decem.

Proprio verbo *operari* id vocabant. idem poëta ejusdem libri Eleg. 24. ℣. 2.

Triſtia jam redeunt iterum ſolennia nobis:
Cynthia jam noctes eſt operata decem.

cur vero hic *Et* conjunctivam particulam cauſſali, vel potius finali *Ut* praetulerint homines docti, non perſpicio ſatis: certe non poſſum probare.

30. Ante sacras lino tecta fores sedeat] Nota, has mulierculas vota ſua perſolventes ſediſſe humi, & quidem pro foribus templi, amiculis lineis velatas. Ovidius L. 2. Triſt. ℣. 297.

Iſidis aede ſedens, cur hanc Saturnia quaeret
Egerit Ionio Boſporioque mari.

& L. 1. Pont. Epiſt. 1. ℣. 51.

Vidi ego linigerae numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

L. 2. Amor. Eleg. 13. ℣. 17.

Saepe tibi ſedit certis operata diebus,
Qua cingit lauros Gallica turma tuas.

Sed & in Jovis ſacris ſedebant illae, quae in aegritudine ſalutarem Jovis manum perſenſerant. Propertius L. 2. Eleg. 21. ℣. 43.

Pro quibus optatis ſacro me carmine damno:
Scribam ego, PER MAGNVM SALVA PVELLA IOVEM.
Ante tuosque pedes illa ipſa adoperta ſedebit,
Narrabitque ſedens longa pericla ſua.

nam alias iſtic ſtabatur. Ovidius L. 2. Triſt. ℣. 289.

Cum ſteterit Jovis aede; Jovis ſuccurret in aede,
Quam multas matres fecerit ille Deus.

& in caſu ridiculo Martialis L. 12. Epigr. 78.

Multis dum precibus Jovem ſalutat,
Stans ſummos reſupinus uſque in ungues,
Aethon in Capitolio pepedit.

Sed haec ſunt alterius loci. Veniamus ad *linum*, quo Deliam tegi vult poëta. Ipſa Iſis lino amiciebatur; quod in Naſone jam vidimus, L. 1. Pont. Epiſt. 1. & L. 1. Art. Amat. ℣. 77, iterum videmus:

Neu fuge linigerae Memphitica templa juvencae.

Nec minus ſacerdotes, qui proprio vocabulo *linigeri* dicebantur. Martialis L. 12. Epigr. 29.

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba,
Inter adorantes cum ſtetit Hermogenes.

Juvenalis Sat. 6. ℣. 533.

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo,
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

atque has veſtes *linteas* vocabant, & *religioſas*; ipſos autem ſacricolas *Iſiacos*, vel *Aegyptios*: docente Tranquillo Tiber. C. 36. Domit. C. 1. & Tacito L. 3. Hiſt. C. 74. Denique omnes illi, qui erant religionibus Iſiacis inplicati, lineis veſtibus integebantur. Sic Othonem tradit Suetonius, C. 12, *Sacra etiam Iſidis ſaepe in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe.* Hoc ille in magna fortuna. Itaque in turba promiſcua minus eſt quod miremur. Apulejus L. 11. Metam. ubi pompa Iſiaca operoſe deſcribitur: *Tunc influunt turbae ſacris divinis initiatae, viri feminaeque omnis dignitatis & omnis aetatis, linteae veſtis candore puro luminoſi: Illae limpido tegmine crines madidos obvolutae, hi capillum deraſi funditus, vertice praenitentes: magnae religionis terrena ſidera, aereis & argenteis, imo vero aureis etiam ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes.* Lino autem praecipuum in ſacro veſtitu honorem habebant. De Iſide jam vidimus. De ſacerdotibus Herculis Gaditani Silius L. 3. ℣. 24.

nec diſcolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino,
Et Peluſiaco praefulget ſtamine vertex.

Idque obtinebat in multis aliis religionibus. Apulejus Apolog. *Etiamne cuiquam mirum videri poteſt, cui ſit ulla memoria religionis, hominem tot myſteriis Deûm conſcium, quaedam ſacrorum crepundia domi adſervare? atque ea lineo texto involvere, quod puriſſimum eſt rebus*

di-

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare Penates,
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.

Quam

divinis velamentum? Quippe lana, segnissimi corporis excrementum, pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagorae scitis, profanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges, inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris usurpatur. Vide sis Philostratum L. 1. de Vita Apollonii C. 6. & L. 8. C. 3.

31. BISQUE DIE RESOLUTA COMAS &c.] Egregia sunt, quae huc adtulit Scaliger. eum consulito. Vir magnus, cujus nomini parcendum putamus, per *Phariam turbam* intelligit Alexandrinos, ab insula Pharo urbi adjacente. atque hinc colligit, Messalam una cum Augusto in Aegyptum ad debellandum Antonium profectum fuisse. Sed decepit illum epitheton, Isidi rebusque Isiacis proprium ac peculiare, nulla nullius loci exceptione. Naso L. 3. Art. Amat. ℣. 635.

Cum sedeat Phariae sistris operata juvencae.

& L. 1. Pont. Epist. 1. ℣. 37.

Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Jactantem Pharia tinnula sistra manu?

Martialis L. 10. Epigr. 48.

Nuntiat octavam Phariae sua turba juvencae.

nempe Romae, ubi Isis templum habebat in campo Martio juxta Ovile, & muliebri superstitione timidissime colebatur. Juvenalis Sat. 6. ℣. 526.

si candida jusserit Io,
Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas
A Meroë portabit aquas, ut spargat in aede
Isidis, antiquo quae proxima surgit Ovili.

Hinc vulgo *Campensem* vocabant. Apulejus L. 11. Metam. *Nec ullum tam praecipuum mihi studium fuit, quam quotidie supplicare summo numini Reginae Isidis: quae, de templi situ sumto nomine Campensis, summa cum veneratione propitiatur.* quamquam & alia Isidis templa Romae fuisse non ignoramus: sed hoc omnium habebatur celeberrimum. Ceterum bis die etiam Venus salutabatur. Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 25.

Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

33. AT MIHI CONTINGAT] in Vaticano Achillis erat *Ac*, & in extremo margine pro lectione diversa *Fac*. Id quod ille non inprobat. Nec inprobarem ego, nisi scirem particulam *At* esse nostro perquam familiarem in transitione. Exempla sunt in promtu.

33. PATRIOS CELEBRARE PENATES] peregre enim (inquit Statius) qui redibant, Deos penates ibant salutatum. Sane ita est. Plautus Bacchid. Act. 2. Sc. 3. ℣. 113.

Nic. *Ubi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?*
Chr. *Deos, atque amicos iit salutatum ad forum.*

Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 1. ℣. 81.

At ego Deos penatis hinc salutatum domum
Devortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos advocabo.

Cato de R.R. cap. 2. *Paterfamilias ubi ad villam venit, ubi larem familiarem salutavit, fundum eodem die, si potest, circumeat.* Quae quamquam sunt vera, non tamen evincunt *celebrare* hic esse idem quod salutare. *Celebrare* est verbum sacrorum, cum significatione cultus religiosi ac venerationis. noster L. 2. Eleg. 1. ℣. 29.

Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor.

& hujus libri Eleg. 8. ℣. 49.

Huc ades, & centum ludis, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.

Lucretius L. 5. ℣. 1168.

Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
Qui delubra Deûm nova toto suscitat orbi
Terrarum, & festis cogit celebrare diebus.

Ovidius L. 2. Fastor. ℣. 639.

Nox ubi transierit, solito celebretur honore
Separat indicio qui Deus arva suo.

& L. 4. ℣. 354.

Cur vicibus factis ineant convivia, quaero,
Tum magis, indictas concelebrentque dapes.

L. 5. Trist. Eleg. 3.

Illa dies haec est, qua te celebrare poëtae,
(Si modo non fallunt tempora) Bacche, solent:

Festa-

Quam bene Saturno vivebant rege prius, quam
Tellus in longas est patefacta vias.

Non-

Festaque odoratis innectunt tempora sertis,
Et dicunt laudes ad tua vina tuas.

Livius L. 25. C. 12. ubi origo ludorum Apollinarium: *factosque populus coronatus spectavit: matronae supplicavere: vulgo apertis januis in propatulo epulati sunt: celeberque dies omni caerimoniarum genere fuit.* Plinius Caecilius L. 10. Epist. 103. *Diem, in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebravimus, commendantes Diis, imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia.* Macrobius L. 1. Saturn. C. 16. *Sacra celebritas est, vel cum sacrificia Diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur Deorum, vel cum feriae observantur.*

34. REDDEREQUE ANTIQUO MENSTRUA TURA LARI] *Reddere* est, aris inponere; verbum sacrorum solenne. quod bene inlustravit Brissonius L. 1. Formul. & Barthius ad Papin. L. 4. Theb. ℣. 466. Nec male Junius Philargyrius, in Virgil. L. 2. Geor. ℣. 194.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Reddimus, inquit, *quia debentur.* in primo nostro, inque uno Heinsii libro erat *mascula tura.* quod tamen ab hoc loco est alienum. loquitur enim noster de Larium sacrificio quotmensibus fieri solito, & quidem neomeniis. Horatius L. 3. Od. 23.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidile,
Si ture placaris, & horna
Fruge Lares, avidaque porca.

35. QUAM BENE SATURNO VIVEBANT REGE] aetatis aureae descriptionem ac laudes multi poëtae tractarunt. quorum virtutes diversas contendere inter se, & variis eloquentiae luminibus distinctos colores, ut est eruditae voluptatis plenissimum, ita & bonae frugis plurimum confert ad facultatem decôre & poëtice scribendi. Etenim qui adsueverit huic exercitationis generi, ei numquam deesse potest vel orationis ornatae supellex, vel inlustre dispositionis artificium, vel imitandi ratio promta atque expedita. Itaque in hoc argumento conferant juvenes studiosi (fungos & stipites nihil moramur) Maronem Eclog. 4. & L. 1 Geor. ℣. 125. Cornelium Severum Aetn. ℣. 9. Nasonem L. 3. Amor. Eleg. 8. L. 1. Metam. ℣. 89. & L. 15. ℣. 96. Horatium Epod. 16. ℣. 41. Senecam Hippol. ℣. 525. Med. ℣. 329. auctorem Octaviae ℣. 395. Philosophum Romanum Epist. 90, sub finem: Germanicum Caesarem, & Festum Avienum, in Virgine: Claudianum L. 1. in Rufin. ℣. 282. & L. 3. de Raptu Proserp. ℣. 19. Boëtium L. 2. de Consol. Philos. metr. 5. Jo. Jovianum Pontanum L. 2. Uraniae, in fine Arietis: & L. 2. Amor. Conjugal. Eleg. 4. Jac. Sannazarium L. 3. de Partu Virg. ℣. 200. Herc. Strozam L. 1. Eleg. 2. nostrum Secundum Juliae Eleg. 7. Tarq. Gallutium L. 1. Carm. 2. Matth. Casim. Sarbievium L. 1. Od. 1. & Epod. 8. Eminent inter Italos Torquatus Tassus Amyntae choro primo, & Baptista Guarinus Pastoris Fidi choro quarto. quos videre juvabit ingeniose inter se certantes diversa quemque via ac ratione inventionum.

36. TELLUS IN LONGAS EST PATEFACTA VIAS] suspicabar aliquando τὸ *patefacta* coaluisse ex corrupto ac divulso *male secta.* hujusque suspicionis fundum mihi fingebam Nasonem, L. 2. Amor. Eleg. 16. ℣. 15.

Sollicití jaceant, terraque premantur iniqua,
In longas orbem qui secuere vias.
Aut juvenum comites jussissent ire puellas,
Si fuit in longas terra secanda vias.

sed non libet argutari contra fidem omnium librorum. *Patefaciendi* verbo, significatu ferme eodem, utitur Tullius L. 3. in Verrem C. 94. *Negligite praeterita, si vultis: sed ne reliquas spes turbetis, atque omnes provincias evertatis, id providete, ne avaritiae, quae antehac occultis itineribus atque angustis uti solebat, auctoritate vestra viam patefaciatis illustrem atque latam.* Seneca Herc. fur. ℣. 55.

Patefacta ab imis Manibus retro via est;
Et sacra dirae Mortis in aperto jacent.

Et sic Thetis ad Jovem, apud Papinium L. 1. Achill. ℣. 62.

o magni rector genitorque profundi,
Adspicis in quales miserum patefeceris usus
Aequor? eunt tutis terrarum crimina velis,
Ex quo jura freti majestatemque repostam
Rupit Iasonia puppis Pagasea rapina.

Iason ipse *aperire* vocat, Argonaut. Valer. Flacc. L. 1. ℣. 169.

O quantum terrae, quantum cognoscere coeli
Permissum est! pelagus quantos aperimus in usus!

quo

Nondum caeruleas pinus contemserat undas,
Effusum ventis praebueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa navita merce ratem.

Illo

quo eodem verbo Imperatorem Vespasianum adfatur poëta in ipso operis exordio:

Tuque o, pelagi cui major aperti
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iülos.

quae vero sic aperiebantur, deinde patebant universis, ac passim a viantibus terebantur. Jupiter ibidem L. 1. ℣. 556.

pateant montes, silvaeque, lacusque
Cunctaque claustra maris: Spes & Metus omnibus esto
Arbiter.

37. NONDUM CAERULEAS PINUS CONTEMSERAT UNDAS] scripti nonnulli *contexerat*. quod quo minus probes, obstat saevus ille Boreas apud cultissimum poëtam Valerium Flaccum L. 1. ℣. 598, loco nobili ac luculento. Ovidius L. 1. Metam. ℣. 94.

Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
Montibus, in liquidas pinus descenderat undas:
Nullaque mortales, praeter sua litora, norant.

Horatius L. 1. Od. 3. ℣. 21.

Ne quiquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen inpiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

huc adde, si voles, C. Pedonis fragmentum insigne de navigatione Germanici, apud M. Senecam Suasor. 1. sunt & alia aliorum passim obvia.

39. VAGUS NAVITA] inquietus, nusquam consistens. Manilius L. 1. ℣. 87.

Tunc & lingua suas accepit barbara leges:
Et fera diversis exercita frugibus arva:
Et vagus in caecum penetravit navita pontum,
Fecit & ignotis iter in commercia terris.

atque hoc non ita dicitur, ut intelligas vagationem nullo certo consilio errabundam: sed vero quae motu feratur praefinito, & lege stabili. Sic *vagus sol* dicitur, *vaga luna*, *vaga noctis lumina*, *vaga flumina*, atque id genus alia complura. Noster Panegyr. Messalae ℣. 76.

Nec violata vagi sileantur pascua Solis.

Catullus Carm. 61. ℣. 271.

flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas,
Aurora exoriente vagi sub lumina Solis.

Horatius L. 1. Sat. 8.

has nullo pellere possum,
Nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
Protulit os, quin ossa legant.

Papinius L. 3. Silv. 3. ℣. 54.

Servit & astrorum velox chorus: & vaga servit
Luna: nec injussae toties redit orbita lucis.

idem poëta L. 3. Theb. ℣. 63.

Noctis vaga lumina testor,
Et sociûm manes, & te mala protinus ales,
Qua redeo.

Lucanus L. 10. ℣. 199. verbis Achorei sacerdotis:

Sideribus, quae sola fugam moderantur Olympi,
Occurruntque polo, diversa potentia prima
Mundi lege data est. Sol tempora dividit anni,
Mutat nocte diem, radiisque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.

Prudentius Apotheos. ℣. 211.

Cujus ad arbitrium sphera mobilis atque rotunda
Volvatur, serventque suos vaga sidera cursus.

Horatius L. 1. Od. 34. de Jovis curru, ℣. 9.

Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & invisi horrida Taenari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur.

Laevius apud Macrobium L. 1. Saturn. C. 18.

Hac qua Sol vagus igneas habenas
Inmittit propius, jugatque terrae.

Catullus Carm. 61. ℣. 336. de Achillis pernicitate:

Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevortet celeris vestigia cervae.

Ut noster nautam, ita Horatius mercatorem vocat *vagum*, Art. Poët. ℣. 117. erant enim ferme unum atque idem hominum genus.

Illo non validus ſubiit juga tempore taurus:
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus ulla fores habuit: non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Ipſae

41. ILLO NON VALIDUS SUBIIT JUGA TEMPORE TAURUS] Saturno regnante nondum terra bubus fuit proſciſſa, quippe quae ſponte ſua fruges efferret. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 125.

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. in medium quaerebant: ipſaque tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Ovidius L. 1. Metam. ℣. 101.

Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec illis
Saucia vomeribus, per ſe dabat omnia tellus.

& paullo poſt:

Mox etiam fruges tellus inarata ferebat:
Nec renovatus ager gravidis canebat ariſtis.

deinde, ſed jam ſub Jove, ℣. 123.

Semina tum primum longis Cerealia ſulcis
Obruta ſunt, preſſique jugo gemuere juvenci.

atque ita paſſim poëtae denſo agmine. Tamen alii & ſationem & arationem ad Saturnum referunt auctorem. Macrobius L. 1. Saturn. C. 7. *Hic igitur Janus, cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio, & ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit.* ——— *Obſervari igitur eum juſſit majeſtate religionis quaſi vitae melioris auctorem. ſimulacrum ejus indicio eſt; cui falcem inſigne meſſis adjecit.* Idem ejusdem operis C. 10. *Hanc autem Deam Opem Saturni conjugem crediderunt; & ideo hoc menſe Saturnalia itemque Opalia celebrari: quod Saturnus ejusque uxor tam frugum quam fructuum repertores eſſe credantur. Itaque omni jam foetu agrorum coacto ab hominibus hos Deos coli quaſi vitae cultioris auctores: quos etiam nonnullis Coelum ac Terram eſſe perſuaſum eſt; Saturnumque a ſatu dictum, cujus cauſſa de caelo eſt: & terram Opem; cujus ope humanae vitae alimenta quaeruntur; vel ab opere, per quod fructus frugesque naſcuntur.*

42. NON DOMITO FRENOS ORE MOMORDIT EQUUS] Ovidius L. 2. Faſtor. ℣. 295.

Nullus anhelabat ſub adunco vomere taurus:
Nulla ſub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat uſus equi: ſe quisque ferebat.
Ibat ovis lana corpus amicta ſua.

44. NON FIXUS IN AGRIS, QUI REGERET CERTIS FINIBUS ARVA, LAPIS] in Palatino primo Gebhardi erat *non fixus in arvis.* & ſic opinor ſcriberet ineptus aliquis repetitionum ad Naſonem effictarum captator. cum noſtro facit Virgilius L. 12. Aen. ℣. 898.

ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat
Limes agris poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

Ita iſtic recte ex membranis repoſuit Barthius, pro vulgato *agro*, Animadv. ad L. 2. Theb. Papinii ℣. 700. nec multum abibant ſcripti nonnulli, in quibus *agri* legebatur. Ceterum quod nulli tunc eſſent termini, id ſane perquam infeliciter expetivit Saturno, ſi quid credimus vetuſtati. Servius ad L. 9. Aen. ℣. 569. *Ut ſupra diximus, Jupiter & Saturnus reges fuerunt. Sed Jupiter dum cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum eſt: ad quod egrediens Jupiter, aquilae vidit augurium: cujus cum viciſſet auſpicio, fictum eſt, quod ei pugnanti tela miniſtraret.* Quod ſequitur apud noſtrum, *Qui regeret certis finibus arva*, pulcre illuſtratur ejusdem Grammatici doctiſſimi verbis, ad L. 1. Geor. ℣. 126.

Nec ſignare quidem aut partiri limite campum
Fas erat.

SIGNARE, *notare. propterea quod cum agri colonis dividerentur, foſſa ducebatur ab Oriente ad Occidentem, quae* cardo *nuncupabatur; & alia de Septentrione ad meridiem, qui* decumanus limes *vocabatur: & alii minores erant in obliquum diſcreti, qui* lineares *appellabantur, & agros per centurias ſive per jugera diviſos coërcebant.* In foſſis autem hiſce termini figebantur. Siculus Flaccus (quem alii Saeculum vocare malunt) de Condit. agror. *Cum enim terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram rectos conlocabant, proxime ea loca quibus foſſis factis defixuri eos erant, & unguento velaminibusque & coronis eos coronabant. In foſſis autem, in quibus poſituri eos*

Ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
Obvia securis ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella: nec ensem
Inmiti saevus duxerat arte faber.
Nunc Jove sub domino caedes, nunc vulnera semper:
Nunc mare; nunc leto multa reperta via.

Parce

erant, sacrificio facto, hostiaque inmaculata caesa, facibus ardentibus injectis festo cooperati sanguinem instillabant, eoque tura & fruges jactabant: favos quoque & vinum, aliaque quibus consuetudo est terminis sacrum fieri. Consumtisque omnibus dapibus igne, super calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam saxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius starent. Tale ergo sacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. Idque satis longo tempore positum in more fuit. Arcadius Augustus: *Constantinopoli maxime cum signis & sigillis constituimus terminos, & in fossa, ex calce & harena construximus, carbones subjecimus.*

47. NON ACIES, NON IRA FUIT] locus, ni fallor, corruptus. Conjiciebat Heinsius, *Non acies ferrive fuit.* sed sequuntur *enses*, inutiliter nominati, si *ferri acies* praecedit. Forte *Non animi, non ira fuit, non bella.* ut ita gradatim ex animorum concertatione ira exsistat: ex ira nascatur bellum. Horatius L. I. Epist. 19. ℣. 48.

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram:
Ira truces inimicitias, & funebre bellum.

Macrobius L. 2. in Somn. Scipion. C. 10. *sitque primum inter eos mali nescia & adhuc astutiae inexperta simplicitas; quae nomen auri primis saeculis praestat. Inde, quo magis ad cultum rerum atque artium usus promovet, tanto facilius in animos serpit aemulatio. quae primum bene incipiens, in invidiam latenter evadit. & ex hac jam nascitur quidquid genus hominum post sequentibus saeculis experitur.* Papinius L. 3. Theb. ℣. 563.

nos pravum ac debile vulgus
Scrutamur penitus superos. hinc pallor, & irae,
Hinc scelus, insidiaeque, & nulla modestia voti.

Si quis melius divinaverit, is melior vates esto.

47. NEC ENSES INMITI SAEVUS DUXERAT ARTE FABER] Virgilius L. 2. Geor. ℣. 540.

Necdum etiam audierant inflari classica, necdum
Impositos duris crepitare incudibus enses.

sed hic in omnibus Statianis *ensem* erat, unitatis numero. & sic tres nostri, sic alter Wittii, cum editione Brixiana, ac duobus Heinsii scriptis. nec deest huic lectioni suus lepos. Ovidius L. I. Metam. ℣. 99.

Non tuba directi, non aeris cornua flexi,
Non galeae, non ensis, erant.

nihil his opus erat apud gentes quietas, quaeque bellum omnino ignorarent. Hinc in honorem illius aetatis nec in bellum proficiscebantur Romuli nepotes festo Saturni, neque praelium sumebant, auctore Macrobio L. I. Saturn. C. 16. Verbum *ducere* eleganter ad rem ferri & aeris atque armorum aptatur. *Ductor ferreus* est in Priapeis Carm. 32. Virgilius L. 7. Aen. ℣. 634.

Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque salignas
Umbonum cratis, alii thoracas aënos,
Aut levis ocreas lento ducunt argento.

sic & *aes ductile*, quale erat omne Cyprium, apud Plinium reperies L. 34. C. 8, sub finem.

49. NUNC JOVE SUB DOMINO CAEDES, ET VULNERA SEMPER] seorsum abit noster a reliquis poëtis; adscribitque Jovis aetati, hoc est secundae & argenteae, quae illi non nisi tertiae dederunt ac quartae, ab aere & ferro denominatis. Ovidius L. I. Metam. ℣. 125.

Tertia post illas successit aënea proles,
Saevior ingeniis, & ad horrida promtior arma;
Nec scelerata tamen. De duro est ultima ferro.

Tamen Albium nostrum rectius sensisse, ex eo adparet, quod Saturnum patrem vi atque armis regno ejecerit filius Jupiter. Maro L. 8. Aen. ℣. 319.

Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo
Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademtis.
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Au-

Parce pater. timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in ſanctos impia verba Deos.
Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis his ſcriptus ſtet ſuper oſſa notis:
Hic jacet inmiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſalam terra dum ſequiturque mari.
Sed me, quod facilis tenero ſum ſemper Amori,
Ipſa Venus campos ducet in Elyſios.

Hic

Aurea quae perhibent, illo ſub rege fuerunt
Saecula: ſic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor aetas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.

hoc factum fuit ſub domino Jove. Nec ſatis ad necem credebatur pugnandi rabies: acceſſit inſuper mare, innumeris modis perniciosum. Ceterum venuſta eſt repetitio, quam ex Angeli Colotii codice & nonnullis aliis Achilles depromſit, *nunc vulnera ſemper.*

50. Nunc leti mille repente viae] tot viae ad mortem non exſtiterunt *repente:* ſed aliam ſuper aliam paullatim adinvenit ingenioſa mortalium malitia. quae & hodie propoſitis praemiis invitatur. Voculam merito ſuſpectam non habebant Palatini: quorum tres, Gebhardo teſte, *reperte* praeferebant, quintus *repertae*, primus *referte*; Comelini vero membranae, *nunc leti mille reperta via.* Nos quoque in tribus noſtris *mille reperte viae* invenimus. Illorum primus hemiſtichio priore *Nunc maris & leti*, exhibebat. Lectionem veram, aut ego egregie fallor, ſervavit Vaticanus quartus Nic. Heinſio collatus, *multa reperta via.* Rectiùs etiam *leto* ſcribemus ex codice Caroli Dati, apud eumdem virum inluſtrem. proba eſt ac Romana locutio, *multa reperta via.* Cicero L. 12. ad Attic. Epiſt. 10. *Conſolationum multae viae, ſed illa rectiſſima: impetret ratio, quod dies impetratura eſt.* & L. 2. Epiſt. 16. *Quod ſi in eam me partem incitarem, profecto jam aliquam reperirem reſiſtendi viam.* L. 3. in Verrem C. 46. *Quapropter quoniam me Leontina civitas atque legatio propter eam, quam dixi, cauſſam defecit, mihimet ineunda ratio & via reperiunda eſt, qua ad Apronii quaeſtum, ſive adeo, qua ad iſtius ingentem immanemque praedam poſſim pervenire.* Virgilius L. 4. Aen. ℣. 478.

Inveni, germana, viam, (gratare ſorori)
Quae mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.

Juſtinus L. 1. C. 10. *Ipſi igitur viam invenerunt, qua de ſe judicium religioni & fortunae committerent.* L. 22. C. 4. *Inveniſſe ſe victoriae viam, animos illi tantum in brevem obſidionis patientiam firmarent.*

54. Fac lapis inscriptis] Livinejus ex veteri codice *his ſcriptis* profert, & mire probat. Credo a Livineji manu fuiſſe *his ſcriptus.* ſic certe habuiſſe Lipſii exemplar chirographum teſtatur flos ille gentis noſtrae Douza Praecidan. C. 15. ſic & ex ſuo libro antiquo notaverat Gerhardus Falcoburgius, vir & judicio recto, & praeſtante eruditione. At Guyetus, tamquam in vacuum veniens, ſuo id deberi ingenio poſtulabat. quid enim illi cum hominibus Belgis?

55. Hic jacet inmiti consumtus morte Tibullus] ſolennes monumentorum inſcriptiones erant HIC SITUS EST; vel HIC IACET; paſſim obviae. Exempla collegerunt Barnabas Briſſonius L. 7. Formul. & Joannes Kirchmannus L. 3. de Funer. Roman. C. 19. tranſiit hic loquendi mos ad cuncta paene Europae hodiernae idiomata. unde poëta apud Gallos non ignobilis ſuum Epitaphiorum volumen jocoſum urbane *le Cy giſt* proſcripſit. Adluſerunt & duo Veneti, quorum eſt libellus *il Cimiterio* nominatus, Celtico iſto nonnihil frigidior. ſed ad rem. pro *morte* Achilles Statius malebat *Marte*, ex veteri Sfortiae libro. perperam. nam ſi tunc temporis obiiſſet Tibullus; obiſſet utique vi morbi, non ferro, ſolus apud Corcyram relictus, longe a legione. *Inmitis mors* eſt, mors acerba, mors cruda, quae ipſam fati diem videtur anticipare. Vide Gebhardi notam, bonam & doctam.

Hic choreae, cantusque vigent, paſſimque vagantes
Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.
Fert caſiam non culta ſeges, totosque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.
Hic juvenum ſeries teneris inmixta puellis
Ludit, & aſſidue praelia miſcet Amor.
Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.

At

59. Hic choreae cantusque vigent] Haec deſcriptio ſedis Elyſiae non eſt tam poëtica, quam forte prima fronte videri cuipiam queat. Nam & philoſophi ipſi ſic ſtatuebant. Plutarchus Conſolat. ad Apollonium, ſub finem: *Jam ſi, ut probabile eſt, vera ſunt quae veteres poëtae ac philoſophi perhibuerunt, piis, poſtquam vitam hanc morte commutaverunt, eſſe ſuos quosdam honores, dignioremque in conſeſſu tribui locum, deſtinatamque eſſe piis animis certam in qua degant regionem: bene tibi ſperandum eſt de beato tuo filio, qui inter eos vivet. De ſtatu piorum apud inferos Pindarus poëta lyricus in hanc ſententiam diſſerit:*

Fulget illis jubar Titanis,
Quum terras nox obumbrat,
Prataque puniceis ornata roſis
Eorum ſunt ſuburbium,
Turiferis arboribus
Et aureos ferentibus fructus opacum.
Exercent alii ſeſe equitatu,
Alii fidibus oblectant.
Floret apud illos laeta rerum
Omnigenûm copia.
Regioque amoena ſemper
Fragrat variis in ignem
Odoribus conjectis lucidum
Divûm ſuper aras.

Confer haec (nec pigebit) cum fortunatis nemoribus ſedium beatarum apud Maronem L. 6. Aen. ℣. 638. ſic tamen, ut ſimul evolvas Cerdam interpretem. De roſis inferorum, extra Pindarum atque Albium noſtrum, meminit quoque Propertius L. 4. Eleg. 7. ℣. 59.

Ecce coronato pars altera vecta phaſelo,
Mulcet ubi Elyſias aura beata roſas.
Qua numeroſa fides, quaque aera rotunda Cybebes,
Mitratisque ſonant Lydia plectra choris.

& Auſonius in Cupidine cruci adfixo, ℣. 88.

roſeo Venus aurea ſerto
Moerentem pulſat puerum, & graviora paventem.
Olli purpureum mulcato corpore rorem
Sutilis expreſſit crebro roſa verbere: quae, jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.

Thebanum poëtam magnifice expreſſit Alexandrinus Claudianus L. 2. de Raptu ℣. 288, ore Plutonis Proſerpinam conſolantis:

Amiſſum ne crede diem. ſunt altera nobis
Sidera; ſunt orbes alii; lumenque videbis
Purius, Elyſiumque magis mirabere ſolem,
Cultoresque pios. illic precioſior aetas,
Aurea progenies habitant; ſemperque tenemus,
Quod ſuperi meruere ſemel. nec mollia deerunt
Prata tibi. Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores, quos nec tua protulit Henna.
Eſt etiam lucis arbor praedives Avernis,
Fulgentes viridi ramos curvata metallo.
Haec tibi ſacra datur. fortunatumque tenebis
Autumnum, & fulvis ſemper dotabere pomis.

& quae plura illic ſequuntur.

63. Ac juvenum series] varie hic turbatur; *Hac* enim invenias, & *Ac*, & *At.* mihi maxime probatur Colotiani libri ſcriptura, *Hic*, quam Achilles & Heinſius adnotarunt. ſic paullo ante, *Hic choreae cantusque vigent.* deinde *inmixta* ſcripſi, auctoribus libris, pro vulgari *immiſta.*

66. Et gerit insigni myrtea serta coma] Myrtus Veneri ſacra, eademque gratiſſima. Vetus fama prodidit, Venerem, quum e mari exiſſet primulum, in myrto latuiſſe, ne conſpiceretur nuda. notavit Servius grammaticus ad Eclog. 7. Maronis ℣. 62. paullo aliter Ovidius L. 4. Faſtor. ℣. 139.

Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari:
Cauſſaque, cur jubeat, (diſcite) certa ſubeſt.
Litore ſiccabat rorantes nuda capillos.
Viderunt Satyri, turba proterva, Deam.

Sen-

At Scelerata jacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphoneque inpexa feros pro crinibus angues
Saevit, & huc illuc impia turba fugit.

Tum

Sensit, & apposita texit sua corpora myrto.
Tuta fuit facto: vosque referre jubet.

Hi autem manes amantium inmature defunctorum coronas sibi capere dicuntur ex myrteto apud inferos uberrimo. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 442.

Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit.

Ausonius Cupidine cruci adfixo, ipso initio:

Aëris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides.

docte & perite dulcissimus Secundus noster, Juliae Eleg. 7.

Et culti juvenes, non incomtaeque puellae,
Expertae dulcem militiam Veneris,
Myrtea serta tuo ferrent violasque sepulcro:
Diceret atque aliquis, Sit tibi terra levis.

67. AT SCELERATA JACET SEDES] Majusculo charactere scribi debet *Scelerata*, quum sit proprium nomen, docente Ovidio L. 4. Metam. ℣. 455. ubi de Furiis Junoni adsurgentibus:

Quam simul agnorunt inter caliginis umbras,
Surrexere Deae. sedes Scelerata vocatur.

Ciceroni *Sceleratorum sedes atque regio* dicitur orat. pro Cluentio C. 61. recte sane *sedes*, locus sempiternis inpiorum suppliciis destinatus, unde nulla umquam liberatio. Hinc & sepulcra *sedes* dicebantur, quasi domicilia aeterna mortuorum. signanter quoque *jacendi* verbo est usus, ad designandum immensum illud Tartari profundum. qui Tartarus in ima sede Scelerata esse perhibebatur. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 574.

cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat, facies quae limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.

68. QUAM CIRCUM FLUMINA NIGRA SONANT] Maro L. 6. Aen. ℣. 548.

Respicit Aeneas subito, & sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.

69. TISIPHONEQUE IMPEXA FEROS PRO CRINIBUS ANGUES] Non possum probare vel Fruterii *implexa*, vel Gebhardi *innexa*. Furias colubrino capillitio terribiles fecerunt cuncti poëtae: merito itaque Tisiphonem, quo foret terribilior, noster *inpexam* facit. nam hydros illos crudeles, augendae formidini, foede intortos ac ferali sibilo stridentes circum caput rotabant Eumenides, a Diis ultoribus inmissae. Ovidius L. 4. Metam. ℣. 487.

monstris exterrita conjux,
Territus est Athamas: tectoque exire parabant.
Obstitit infelix, aditumque obsedit, Erinnys:
Nexaque vipereis distendens brachia nodis,
Caesariem excussit. motae sonuere colubrae.
Parsque jacens humeris, pars circum tempora lapsae
Sibila dant, saniemque vomunt, linguasque coruscant.
Inde duos mediis abrumpit crinibus angues;
Pestiferaque manu raptos immisit. at illi
Inoosque sinus Athamantêosque pererrant,
Inspirantque graves animas.

Maro L. 7. Aen. ℣. 446.

At juveni oranti subitos tremor occupat artus:
Deriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit: tum flammea torquens
Lumina, cunctantem & quaerentem dicere plura
Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,
Verberaque insonuit.

Papinius L. 1. Theb. ℣. 104.

Centum illi stantes umbrabant ora cerastae,
Turba minor diri capitis.

Auctor Culicis ℣. 217.

Obvia Tisiphone serpentibus undique comta,
Et flammas & saeva quatit mihi verbera Poena.

Silius L. 2. ℣. 543.

dextrâ Dea concita saevam
Eumenida incussit muris: tremuitque repente
Mons circum, & gravior sonuit per litora fluctus.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridit, & aeratas excubat ante fores.

Illic

Sibilat insurgens capiti, & turgentia circum
Multus colla micat squalenti tergore serpens.

Eaedem Dirae, otium ubi contigerat a quotidianis sceleribus, colubros suos & diligenter pectebant, & in amne Cocyti lavabant. Naso L. 4. Metam. ℣. 450.

Illa sorores
Nocte vocat genitas, grave & implacabile numen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant:
Deque suis atros pectebant crinibus angues.

Papinius L. 1. Theb. ℣. 88. ubi Oedipus Tisiphonae numen luctuosa prece invocarat:

Talia dicenti crudelis Diva severos
Advertit vultus. Inamoenum forte sedebat
Cocyton juxta, resolutaque vertice crines
Lambere sulfureas permiserat anguibus undas.

quinimo visae sunt mero ac laetitiae indulgere, in nuptiis Proserpinae, hydris una Liberi florem hilariter sorbentibus. Claudianus L. 2. de Raptu ℣. 343.

Oblitae scelerum formidatique furoris
Eumenides cratera parant, & vina feroci
Crine bibunt: flexisque minis jam lene canentes
Extendunt socios ad pocula plena cerastas.

70. SAEVIT] sontes animas discerpit flagello ac taedis ardentibus. nam & hoc praecipue Tisiphones munus prae ceteris duabus. Maro L. 6. Aen. ℣. 570.

Continuo sontis ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina saeva sororum.

Silius L. 2. ℣. 527.

Forte ferens sese Libycis Saturnia castris,
Virgineum increpitat miscentem bella furorem;
Atque irâ turbata gradum, ciet ocius atram
Tisiphonen, imos agitantem verbere manes.

Seneca Med. ℣. 958.

Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
Quem quaerit? aut quo flammeos ictus parat?
Aut cui cruentas agmen infernum faces
Intentat? ingens anguis excusso sonat
Tortus flagello.

Valerius Flaccus L. 7. ℣. 147.

Turbidus ut poenis caecisque pavoribus ensem
Corripit, & saevae ferit agmina matris Orestes:
Ipsum angues, ipsum horrisoni quatit ira flagelli.

His tormentis vivum se videntemque excarnificari sensit Nero post peremtam matrem. Suetonius C. 34. *Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum & senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim aut umquam postea ferre potuit: saepe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum, ac taedis ardentibus. Quin & facto per magos sacro, evocare manes, & exorare tentavit.* Taedae illae ardentes erant Furiarum. Hodie autem Umbris faces dare consueverunt poëtae tragici. idque non inprobasse videtur Augustinus Favoritus, poëta memoriae nostrae multo cultissimus, in carmine nobili ad Praesulem Paderbornensem ac Monasteriensem Ferdinandum Furstenbergium, Musarum patrem:

Hic merita infandos exercet poena tyrannos:
Hic Antonini lugent, saevique Neronis
Materna exululant agitati lampade manes.

Auctor Octaviae facem dedit Agrippinae ab inferis emersae, sed aliam ob caussam, ℣. 593. nimirum ut diro omine praeluceret sceleratis nuptiis Poppaeae ac Neronis. Nec vero peccant quidquam dramatici recentes. Habent a magno magistro L. 4. Aen. ℣. 469.

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, & duplicis se ostendere Thebas:
Aut Agamemnonius scaenis agitatus Orestes,
Armatam facibus matrem & serpentibus atris
Cum fugit, ultricesque sedent in limine Dirae.

71. TUM NIGER IN PORTA SERPENS: TUM CERBERUS ORE STRIDET] ita haec refinxit Scaliger; ut *niger in porta serpens* sit Hydra Lernaea. Sane illam in foribus Orci horrendum stridentem collocavit Maro L. 6. Aen. ℣. 287. & quidem cis Acherontem. trans fluvium vero Cerberus excubat, atque antri aditum, qua ad Manes est iter, terribili custodia tuetur: ut ibidem loci videbis ℣. 417. & apud Platonicum Madaurensem L. 6. Metam. Hujus antri fauces poëta noster *portam* vocat, propter angustias loci. Et *porta* quidem legitur in omnibus libris vetustis: ita ut mirari subeat, unde suum *turba* hauserint editiones vulgatae. Jam *Cerberum ore stridere* quis umquam dixit? ille vero latrat, & quidem ore trifauci. Maro L. 6. Aen. ℣. 417.

Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.

Ovi-

Ovidius L. 4. Metam. ℣. 448. ubi Junonis ad inferos descensus:

Quo simul intravit, sacroque a corpore pressum
Ingemuit limen; tria Cerberus extulit ora,
Et tres latratus simul edidit.

Seneca Herc. fur. ℣. 783.

Hic saevus umbras territat Stygius canis,
Qui trina vasto capita concutiens sono
Regnum tuetur.

Silius L. 13. ℣. 591.

Cerberus heic ruptis peragrat quum Tartara vinclis,
Non ipsa Alecto, non foeta furore Megaera
Audet adire ferum, dum fractis mille catenis
Viperea latrans circumligat ilia cauda.

Apulejo *tonantibus oblatrare faucibus* dicitur. quibus facile accedant alii trecenti, si sit opus. Atque ut *latrare* est canum; sic *stridere* serpentum infernarum. quales centum in jubis colli villisque capitis gestabat Cerberus, longumque insuper in cauda draconem. Quare revocandam arbitror librorum scriptorum lectionem, qui cuncti magno consensu *serpentum* habent. Harum serpentum ore stridebat horrendus canis: suo autem latrabat. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 419.

Cui vates horrere videns jam terga colubris,
Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Objicit.

Horatius L. 3. Od. 11.

Cessit inmanis tibi blandienti
Janitor aulae
Cerberus: quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.

ob hanc rationem idem poëta *centicipitem* vocavit Cerberum L. 2. Od. 13.

Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?

Naso Epist. Deïanirae ℣. 94.

Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi
Geryones; quamvis in tribus unus erat.
Inque canes totidem trunco digestus ab uno
Cerberos, implicitis angue minante comis.

Papinius L. 2. Theb. ℣. 26.

Illos ut caeco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum subrexit hiatus;
Saevus & intranti populo. jam nigra tumebat
Colla minax, jam sparsa solo turbaverat ossa.

Auctor Culicis ℣. 220.

Cerberus & diris flagrans latratibus ora,
Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis.

Seneca Herc. fur. ℣. 785.

sordidum tabo caput
Lambunt colubrae: viperis horrent jubae:
Longusque torta sibilat cauda draco.

tum paucis interjectis:

ecce, latratu gravi
Loca muta terret, sibilat totos minax
Serpens per armos: vocis horrendae fragor
Per ora missus terna felices quoque
Exterret umbras.

Valerius Flaccus, de Coeo, L. 3. ℣. 228.

illum fluviis & nocte remensa
Eumenidum canis, & sparsae juba reppulit hydrae.

& vir maximus Angelus Politianus Nutric. ℣. 291. de Orpheo:

Illius argutis etiam patuere querelis
Tartara: terrificis illum villosa colubris
Tergemini stupuere canis latrantia monstra.

Recte etiam *niger* dicitur, epitheto communi rerum omnium infernarum. Ovidius Epist. Phyllidis ℣. 72.

Et domitae bello Thebae, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia caeca Dei.

Dies niger Propertio est emortualis, L. 2. Eleg. 19. ℣. 20.

At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.

de hoc ipso Cerbero Seneca Herc. fur. ℣. 59. verbis Junonis:

At ille, rupto carcere Umbrarum, ferox
De me triumphat, & superbifica manu
Atrum per urbes ducit Argolicas canem.

& Agamemn. ℣. 12.

nonne vel tristes lacus
Incolere satius? nonne custodem Stygis
Tergemina nigris colla jactantem jubis?

epitheti rationem commode exposuit Martinus de Roa, Jesuita Hispanus, eruditae doctrinae laude inter suos non ultimus, L. 6. Singularium C. 15. & Caspar Barthius, saepe nobis memoratus, ad Papin. L. 4. Theb. ℣. 440. In versiculo minore, pro *Stridet*, malo *Stridit*, cum Achille Statio. Sane antiquos sic extulisse; deinde a *strideo* coepisse dici *strides*; notavit Servius ad L. 2. Aen. ℣. 417. quamquam *strido* & *strideo* tam tertiae quam secundae conjugationis inveniri ostendit Priscianus L. 8. 9. 10. Nic. Heinsius hunc locum in Adversariis ita constituebat,

Tum niger intorto serpentum Cerberus ore
Stridit.

Illic Junonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectusque novem Tityus per jugera terrae
Adsiduas atro viscere pascit aves.

Tan-

73. JUNONEM TENTARE IXIONIS AUSI] Hae fabellae satis sunt notae, nec operose explicandae. Interim observare te volo, in Ixione, & Tityo, ac Tantalo, potissimum insudasse poëtarum ingenia, ubi inpiorum poenae scaenam carminum instruerent: nisi quod, praeter istos, & Sisyphus & Danaides maxime fuerint insignes. Ovidius L. 4. Metam. ℣. 456.

Viscera praebebat Tityos lanianda; novemque
Jugeribus distentus erat. tibi, Tantale, nullae
Deprenduntur aquae: quaeque imminet, effugit arbos.
Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum.
Volvitur Ixion: & se sequiturque fugitque.
Molirique suis letum patruelibus ausae,
Assiduae repetunt, quas perdant, Belides undas.
Quos omnes acie postquam Saturnia torva
Vidit, & ante omnes Ixiona; &c.

parcam plura adscribere. Sed tu cum utroque equite Romano contende Romanae tragoediae auctores (neque enim ab uno enatae sunt, quas nunc superstites habemus) Herc. fur. ℣. 750. Thyest. ipso initio: Hippol. ℣. 1229. Agamemn. ℣. 15. Octav. ℣. 620. Horatium L. 3. Od. 11. ℣. 21. Claudianum L. 2. de Raptu Proserp. ℣. 335. Lucretium L. 3. ℣. 995. Propertium L. 2. Eleg. 1. ℣. 67. Eleg. 13. ℣. 61. Eleg. 16. ℣. 29. L. 4. Eleg. 11. ℣. 23. Papinium L. 4. Theb. ℣. 536. Ceterum *tentare*, quo verbo noster utitur, verbum est libidinis ac nequitiae. Horatius L. 3. Od. 4. ℣. 69.

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.

Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 389. quo loco dissuadet ancillarum corruptionem:

Hoc unum moneo, (si quid modo creditur arti,
Nec mea dicta rapax per mare ventus agit)
Aut non tentaris, aut perfice. tollitur index,
Cum semel in partem criminis illa venit.

Valerius Maximus L. 6. C. 1. *M. Claudius Marcellus aedilis curulis C. Scantinio Capitolino trib. pl. diem ad populum dixit, quod filium suum de stupro appellasset.* ——— ——— *Citatus itaque Scantinius reus, uno teste qui tentatus erat, damnatus est.* Juvenalis Sat. 10. ℣. 305.

Non licet esse viris: nam prodiga corruptoris
Improbitas ipsos audet tentare parentes.

apud Arbitrium saepicule occurrit: sed non exscribam.

74. VERSANTUR CELERI NOXIA MEMBRA ROTA] in Colbertino codice *Vexantur* erat. male. noster infra Eleg. 6.

Versatur celeri Fors levis orbe rotae.

Seneca Hippol. ℣. 1235, numeris rem ipsam exprimentibus:

Et tu mei requiesce Pirithoi pater.
Haec incitatis membra turbinibus ferat
Nusquam resistens orbe revoluto rota.

& Herc. fur. ℣. 750.

Rapitur volucri tortus Ixion rota.

ipse magnus magister L. 4. Geor. ℣. 484.

tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.

75. PORRECTUSQUE NOVEM TITYUS PER JUGERA TERRAE] Homerus L. 11. Odyss. ℣. 575.

Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱὸν,
Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

Et Tityum vidi Terrae gloriosae filium,
Prostratum in pavimento: hic vero per novem jacebat jugera.

ita interpres, secutus poëtas Latinos: & sic in Herodoto Laurentius Valla. tamen *plethrum* erat *jugero* minus, ut notavit Budaeus ad Leg. ult. *Si mensor fals. mod. dix.* & Marcus Velserus Epist. ad Lipsium 15. Lucretius L. 3. ℣. 1003, cui Tityos est hominis amore perditi imago:

Qui non sola novem dispansis jugera membris
Obtineat, sed qui terrai totius orbem:
Non tamen aeternum poterit perferre dolorem:
Nec praebere cibum proprio de corpore semper.

Virgilius L. 6. Aen. ℣. 595.

Nec non & Tityon, Terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur.

Propertius L. 3. Eleg. 3. ℣. 62.

Num

Tantalus est illic, & circum stagna: sed acrem
Jam jam poturi deserit unda sitim.

Et

Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus: & Tityo jugera pauca novem.

Claudianus L. 2. de Raptu Proserp. ℣. 338.

Et Tityos tandem spatiosos erigit artus:
Squalentisque novem detexit jugera campi.
Tantus erat!

Mirifica sunt quae Pausanias narrat in Phocicis, sive L. 10. *Ad eumdem torrentis alveum* [apud Panopenses] *est Tityi sepulcrum. aggeris ambitus nihilo major unius stadii triente. Versus in Odyssea est,*

Porrectumque novem Tityon per jugera terrae.

Hunc versum non ad Tityi magnitudinem, sed ad illam in qua situs est aream pertinere existimant, quod novem ea jugerum sit. At Cleon Magnes (ex iis Magnesiis, qui Hermi sunt accolae) eos maxime homines rerum miraculis fidem habere non consuesse dicebat, quibus in tota vita non contigisset quidquam intueri, quod esset communi hominum opinione majus. Se certe adduci posse ut crederet, & Tityum, & alios, ea magnitudine, quam fama prodidit, fuisse. Venisse enim forte se aliquando Gades; & ab ea insula cum tota sui comitatus turba, quod id Hercules imperasset, enavigasse: mox iterum Gades reversum marinum hominem in litus ejectum invenisse, nihilo breviorem jugerum quinque spatio, qui fulmine ictus conflagrarat. Sed & hic *plethrorum* mensura est usus scriptor Graecus. Quidquid est de rebus Tityi, mihi videntur omnium optime sapuisse theologi illi antiqui, quorum sententiam exponit Macrobius L. 1. in Somn. Scipion. C. 10. *Ipsam quoque poenarum descriptionem de ipso usu conversationis humanae sumtam crediderunt: vulturem jecur immortale tondentem, nihil aliud intelligi volentes, quam tormenta malae conscientiae obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia indefessa admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere forte tentaverint, excitantis, tamquam fibris renascentibus inhaerendo, nec ulla sibi miseratione parcentis, lege hac, qua* se judice nemo nocens absolvitur, *nec de se suam potest vitare sententiam.* Ceterum apud Albium *Tityos* scribi debet: quomodo semper scribitur in optimis quibusque codicibus, monente Heinsio Not. in Ovid. L. 4. Metam. ℣. 457. & nos quoque in multis libris conspeximus. Wittianus prior habebat *Prorectusque*: quod potuit fuisse *Projectusque*. sic loquitur Lucretius L. 3. ℣. 1002.

Nec Tityon volucres ineunt Acherunte jacentem:
Nec, quod sub magno scrutentur pectore, quidquam
Perpetuam aetatem poterunt reperire profecto,
Quamlibet immani projectu corporis exstet.

Tamen non damno receptam scripturam: quae & ipsa recta est, & fulcitur Maronis auctoritate.

76. Adsiduas atro viscere pascit aves] Homerus duos vulturios Tityo adfixit: unum Virgilius. Et habuit uterque suos sectatores. vide Servium ad L. 6. Aen. ℣. 595. Lutatium ad Papin. L. 11. Theb. ℣. 14. *Adsiduas* (quomodo in optimis Virgilii codicibus scribi notavit Pierius) hic malo, quam *Assiduas*; etsi aliter fere statuunt Grammatici. Hic, inquam, ita malo: non enim ubique. Movet me Pompeji Festi ratio prima: nam duae reliquae ad alium pertinent significatum: *Adsiduus dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur.* tales erant hi duo vultures. Vide tamen doctissimi nostri Vossii Etymologicon. a Festo stat Christian. Becmanus Origin. L. L. p. 756.

77. Tantalus est illic, et circat stagna] τὸ *circat* a Scaligero est: quod verbum idoneis, ni fallor, auctoritatibus firmavi ad Propert. L. 4. Eleg. 9. ℣. 35. Tamen hic loci non libet abire a vulgata scriptura *circum*, quam agnoscunt omnes libri. Illic est Tantalus, & circum Tantalum sunt stagna. Apud Homerum stat ille in lacu, aqua ad mentum adluente. quod pulcre expressit Naso L. 2. Artis Amat. ℣. 605.

O bene, quod frustra captatis arbore pomis
Garrulus in media Tantalus aret aqua!

Seneca Herc. fur. ℣. 752.

In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur undas; abluit mentum latex;
Fidemque cum jam saepe decepto dedit,
Perit unda in ore: poma destituunt famem.

Sane ipse Scaliger in novissima editione deseruit hanc suam correctionem; & Roberto Titio scholastice obloquenti solum reposuit notam incivilitatis. Miror vero Albium nostrum de fame Tantali, altera poenarum parte,

Et Danai proles, Veneris quae numina laesit,
In cava Letheas dolia portat aquas.
Illic sit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas & mihi militias.

At

te, nihil meminisse. nam profecto uberem phantasiae poeticae materiam dare poterant illa pyra, & mala, & poma Punica, & ficus jam dulces, & virescentes olivae, quae capiti ejus inminebant, & manum famelici senis certatim invitabant. Facile credam, judicio ab istis abstinuisse, & noluisse luxuriare.

79. DANAI PROLES] notissima fabula, vel ex Epistola Hypermnestrae Nasoniana. Adde, si voles, Apollodorum L. 2. Biblioth. C. I. Horatium L. 3. Od. 11. Julium Hyginum Fab. 168. & 170. Servium in L. 10. Aen. ỷ. 497. Damnatae dicuntur apud inferos aquam assidue ingerere in vas pertusum. Hinc paroemia, *Danaidum dolium.* Et tamen illas Minerva & Mercurius, Jovis imperio, ab inpiis patruelium caedibus expiaverant, auctore Apollodoro, loci laudati §. 5. Adagiorum collectores omiserunt vetus proverbium, *Danai filiae :* quod jactari solebat de grege numeroso filiarum. Exstat hoc proverbium apud Ciceronem, & quidem citra ullam contumeliae significationem, Paradox. 6. C. I. *Filiam quis habet? pecunia est opus. Duas? majore. plures? majore etiam. & si, ut ajunt, Danai quinquaginta sint filiae, tot dotes magnam quaerunt pecuniam. quantum enim cuique opus est, ad id accommodatur, ut ante dixi, divitiarum modus.*

79. VENERIS QUOD NUMINA LAESIT] Veneris Maritae & Conjugalis. Homerus L. 5. Iliad. ỷ. 429, ore Jovis ad Venerem a Diomede sauciam:

Ου τοι, τέκνον ἐμὸν, δέδοται πολεμήϊα ἔργα·
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα γάμοιο.

vertit Eobanus:

Non est, crede, tui mea filia muneris, istas
Bellorum tractare artes: tua munera sunto,
Pectoribus juvenum dulces immittere flammas,
Legitimique faces curare & foedera lecti.

Venerem & Junonem inter Deos Conjugales ac genialis tori custodes honore quodam praecipuo cultas fuisse, satis est notum. vide Plutarchum in Quaestionibus Romanis, eo loco quo quaerit, cur mense Majo mulieres non nubant. Apud Hermionenses religiose observabatur, ut virgines, atque etiam viduae, quae essent in viri manum conventurae, ante nuptias Veneri sacrum facerent. Eratque in montibus eorum *Veneris Sponsae* cella, a Theseo, quum Helenam uxorem duxisset, exstructa. auctor Pausanias in Corinthiacis, sive L. 2. qui Pausanias & *Venerem Junonem* commemorat, ad quam pro filiarum nuptiis sacrificare solenne fuerit matronis Laconicis, L. 3. *Venerem Justam*, h. e. quae legitimas nuptias conciliaret, adpellat Papinius L. I. Theb. ỷ. 531.

tunc rex longaevus Acesten
(Natarum haec altrix, eadem & fidissima custos
Lecta sacrum Justae Veneri occultare pudorem)
Imperat adciri, tacitaque inmurmurat aure.

Hujus Veneris numen laeserant Danaides, occisis per quietem maritis. Sed scribendum est apud nostrum, *Veneris quae numina laesit*; quo modo scribitur in libris veteribus. nam quamvis vocula *quod* rationem poenae reddere videatur, tamen abit a mente nostri poëtae. Non enim dicit, cunctas Danai filias in Tartaro torqueri : sed vero illas, quae Veneris Maritae numine temerato conjuges suos jugulassent. Earum erant quadraginta octo. duae enim fuerunt inventae, quae neglecto perfidi patris imperio sponsis suis pepercerunt; Lynceo quidem Hypermnestra, Hippolyto autem Bebryca. Atque haec ab antiquis Historicis ita tradi scribit Eustathius in Periegess. Dionysii Alexandrini ỷ. 805. & non obscure innuit Apollodorus L. 2. Biblioth. C. I. §. 4. *στασιασάντων δὲ αὐτῶν πρὸς ἀλλήλοις περὶ τῆς ἀρχῆς, ὕστερον Δαναὸς τοὺς Αἰγύπτου παῖδας, πλὴν ἑνὸς ἢ δυοῖν, διὰ τῶν τοῦ αὐτοῦ θυγατέρων ἀνεῖλε.* *Qui quum de regno inter se contenderent, Danaus Aegypti filios, praeter unum aut alterum, filiarum suarum opera necavit.* Igitur hae duae sorores propter meritum pietatis in sedibus beatorum degebant, ceteris in Tartari barathrum detrusis.

82. OPTAVIT LENTAS ET MIHI MILITIAS] optavit ut haec Messalae expeditio esset difficilis, & tardo spissoque procederet gradu. *Militiae*, sunt munia castrensia, aestate dependi

At tu caſta, precor, maneas, ſanctique pudoris
  Adſideat cuſtos ſedula ſemper anus.
Haec tibi fabellas referat, poſitaque lucerna
  Deducat plena ſtamina longa colo.
Ac circa gravibus penſis adfixa puella
  Paullatim ſomno feſſa remittat opus.

Tunc

pendi ſolita, quum ſub dio ac pellibus habetur miles. Nos Gallico vocabulo appellamus *campagnes*. Propertius *caſtra* dixit in eodem negotio, languentis ex deſiderio puellae, L. 4. Eleg. 3. ℣. 18.

Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
Texitur haec caſtris quarta lacerna tuis.

84. SANCTIQUE PUDORIS ADSIDEAT CUSTOS SEDULA SEMPER ANUS] nutricem, opinor, intelligit. Ovidius L. 10. Metam. ℣. 382, in hiſtoria Myrrhae:

Murmura verborum fidas nutricis ad aures
Perveniſſe ferunt, limen ſervantis alumnae.
Surgit anus, reſeratque fores.

paullo poſt:

Inſtat anus; canosque ſuos, & inania nudans
Ubera, per cunas alimentaque prima precatur,
Ut ſibi committat, quidquid dolet.

Valerius Flaccus L. 5. ℣. 353.

Subſtitit, & moeſto nutricem adfata timore eſt:
Quae manus haec, certo ceu me petat agmine, mater,
Advenit, haud armis, haud umquam cognita cultu?
Quaere fugam, precor, & tutos circumſpice ſaltus.
Audit virginei cuſtos grandaeva pudoris
Henioche, cultus primi cui creditus aevi:
Tum trepidam dictis firmans hortatur alumnam.

Auctor Ciris ℣. 219.

Quam ſimul Ogygii Phoenicis filia Carme
Surgere ſenſit anus: ſonitum nam fecerat illi
Marmoreo aeratus ſtridens in limine cardo:
Corripit extemplo feſſam languore puellam,
Et ſimul, O nobis ſacrum caput, inquit, alumna,
Non tibi nequidquam viridis per viſcera pallor
Aegrotas tenui ſuffudit ſanguine venas.

tamen ſi quis matrem fuiſſe malit, cum eo non contendam. habebit is Albium ipſum a ſe ſtantem Eleg. 7. ℣. 63.

85. HAEC TIBI FABELLAS REFERAT] ut fieri amat inter mulierculas. Naſo L. 4. Metam. ℣. 32.

ſolae Minyeïdes intus,
Intempeſtiva turbantes feſta Minerva,
Aut ducunt lanas, aut ſtamina pollice verſant,
Aut haerent telae, famulasque laboribus urgent.
E quibus una levi deducens pollice filum:
Dum ceſſant aliae, commentaque ſacra frequentant,
Nos quoque, quas Pallas melior Dea detinet, inquit,
Utile opus manuum vario ſermone levemus:
Perque vices aliquid, quod tempora longa videri
Non ſinat, in medium vacuas referamus ad aures.
Dicta probant, primamque jubent narrare ſorores.

ſic & ipſae Deae ſolebant, lanam quum facerent. nam & Deae habebant aliquid muliebre, ac garrulum. vide ſis Maronem L. 4. Geor. ℣. 345.

86. DEDUCAT PLENA STAMINA LONGA COLO] nonnulli libri habent *pleno colo:* id quod antique dictum eſſe volunt. Cur non potius aberrationem ſcribae librarii? monuimus nuper ad Propert. L. 4. Eleg. 9. ℣. 48.

87. AC CIRCA GRAVIBUS PENSIS ADFIXA PUELLA] *Circa*, majuſcula C ſcribi vult Scaliger, quia ſit nomen proprium, Κίρκη. Sed tamen, quin ſit adverbiale, non magnopere pertendit. Gebhardi quintus Palatinus *Circha* habebat: tertius autem *Circa*. Magis placet Jani Gulielmii, doctiſſimi adoleſcentis, & nimis acerbe rapti, ſententia L. 2. Veriſimil. C. 17. nimirum puellis ſervulas peculiares (hoc eſt, quae in peculio forent) dari ſolere, ut in lanificio una eſſent, easque ſectarentur, & curarent. Has vero ſervulas Latine *circa illam eſſe* dici. Hanc in rem profert hunc ipſum Tibulli locum; itemque alterum ex Eunucho Terentii, Act. 3. Sc. 5. ℣. 33, ubi Chaerea fortunas ſuas Antiphoni denarrat:

 Ab-

Tunc veniam ſubito, ne quisquam nuntiet ante:
Sed videar caelo miſſus adeſſe tibi.
Tunc mihi qualis eris longos turbata capillos:
Obvia nudato, Delia, curre pede.

Hunc

Abducit ſecum ancillas: paucae, quae circum illam eſſent manent
Noviciae puellae: continuo haec adornant ut lavet.

Ita Gulielmius. Recte, & vere. nam & ita Q. Curtius, nitidiſſimus ſcriptor, L. 4. C. 10. *E ſpadonibus qui circa reginam erant, Tyriotes inter trepidationem lugentium, elapſus per eam portam, quae, quia ab hoſte averſa erat, levius cuſtodiebatur, ad Darii caſtra pervenit.* Maro quoque, de apibus in pugnam ituris, L. 4. Geor. ℣. 75.

Et circa regem atque ipſa ad praetoria denſae
Miſcentur, magnisque vocant clamoribus hoſtem.

deinde *circum* dixit, exemplo Terentii, conſulturus modulatae ſuavitati, ℣. 334.

At mater ſonitum thalamo ſub fluminis alti
Senſit. eam circum Mileſia vellera Nymphae
Carpebant, hyali ſaturo fucata colore.

Martialis L. 1. Epigr. 91.

Omne ſed officium circa te ſemper obibat
Turba tui ſexus, non adeunte viro.

Cicero L. 1. in Verrem. C. 48. *Homo Ligurem accuſare coepit, qui in re adventitia atque hereditaria tam diligens, tam attentus eſſet: debere eum ajebat ſuam quoque rationem ducere: multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet.* Vocat *canes* illos homines, quorum miniſterio utebatur in praeda indaganda, ſumto a re venatoria vocabulo.

89. NEC QUISQUAM NUNTIET ANTE] eſt in nonnullis libris *ne quisquam:* ut ipſe ſubiti adventus ſui velit eſſe nuntius, atque ita tamquam coelo delapſus adeſſe videatur. Probarunt homines docti, a quibus disſentire non poſſum. Talis reditus inopinati exemplum turpe in Antonio proſcindit Tullius Philipp. 2. C. 31. *Cum hora diei decima fere ad Saxa Rubra veniſſet, delituit in quadam cauponula, atque ibi ſe occultans perpotavit ad veſperam: inde ciſio celeriter ad urbem advectus domum venit capite involuto. Janitor, Quis tu? A Marco tabellarius. Confeſtim ad eam, cujus cauſſa venerat, deducitur: eique epiſtolam tradit. quam cum illa legeret flens, erat enim amatorie ſcripta: caput autem literarum, ſibi cum illa mima poſthac nihil futurum: omnem ſe amorem abjeciſſe illinc, atque in hanc transfudiſſe: cum mulier fleret uberius, homo miſericors ferre non potuit: caput aperuit, in collum invaſit. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil poſſum dicere. Ergo, ut te catamitum, nec opinato cum oſtendiſſes, praeter ſpem mulier adſpiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbaſti?* Haec in quibusdam verbis nonnihil variant apud Gellium L. 7. C. 11. quem aut aliis libris fuiſſe uſum oportet, aut memoriae ſuae nimium tribuiſſe. De nuntio praemiſſo res eſt pervulgata. Terentius Hecyr. Act. 3. Sc. 1. ℣. 34.

Abi Parmeno intro, ac me veniſſe nuntia.

Vide, praeter Plutarchum in Quaeſtionibus Romanis, Nannium noſtrum L. 2. Miſcell. C. 14. Franciſc. Luiſinum L. 1. Parerg. C. 20. M. Ant. Muretum L. 13. Var. Lect. C. 7. Jacobum Pontanum, Jeſuitam, L. 1. Bellar. Attic. Syntagm. 4. qui homo non auſus nominare Iſ. Caſaubonum, quem exſcripſit, remittit nos ad Auctorem Commentarii in Theophraſti Characteres morales. Sunt qui putent, locum Tibulli ad hunc morem nihil pertinere, quum Delia non eſſet ejus uxor. Nolo operoſe oſtendere, quantum illi errent. facile videbunt, etiam amantibus tales nuntios in uſu frequente fuiſſe, ſi Terentium ceperint arbitrum Heaut. Act. 1. Sc. 2. & praecipue Act. 2. Sc. 3.

90. SED VIDEAR COELO MISSUS ADESSE TIBI] commode hunc verſiculum enarrarunt viri eruditi, Bernardinus Realinus Annot. C. 4. Muretus L. 13. Var. Lect. C. 7. & Deſiderius Heraldus Comm. in Apologet. Tertull. C. 10. etiam ante illos, *coelo mitti* quid eſſet, ex Minucio Felice expoſuit ſanctiſſimus vir Lactantius L. 1. Divin. Inſtit. C. 11.

91. LONGOS TURBATA CAPILLOS] ita uti quae ornantur nulli. qualis Antiphila illa apud Comicum, Heaut. Act. 2. Sc. 3. ℣. 49.

Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Rejectus neclegenter.

93. Hoc

Hunc precor; hunc utinam nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

93. HOC PRECOR, HUNC ILLUM] in sexto Palatino erat, *Nunc precor.* unde Gebhardus *Hunc precor* effinxit. quomodo & ante illum Achilles ex vetustae scripturae vestigiis. Et recte eos fecisse ostendit tertius meus codex, in quo liquidis literis *Hunc precor* exaratum legitur: quod & excerpta Antonii Perreji agnoscunt. quae lectio quanto sit alacrior vulgari, nemo non videt. Etiam pro *illum*, quod parum commode huc quadrat, *utinam* restituendum arbitror, sobria ac pudente inmutatione. sic certe Naso L. 3. Trist. Eleg. 5. ℣. 55.

Hunc utinam nitidi Solis praenuntius ortum
Adferat admisso Lucifer albus equo.

IV.

SIC umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives:
Quae tua formosos cepit solertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.

Nu-

1. SIC UMBROSA TIBI CONTINGANT TECTA] Non sacellum hic intelligit, sed arborum umbracula, quae a sole & coeli injuriis tegerent Hellespontiacum numen. Poëta vetus in Priap. Carm. 84. ℣. 6.

Placet, Priape? qui sub arboris coma
Sacrum soles revincte pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino.

Ideo saepe avium contumelias experiebatur; & quidem inultus, ni defenderet vis amica. ibidem ℣. 11.

Abegimusque voce saepe, quum tibi
Senexve corvus, inpigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.

Ipse vero, quam haec aegre tulerit, non dissimulat apud Horatium L. 1. Sat. 8. ita enim sibi inprecatur, si sciens fallit, ℣. 37.

Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius, & fragilis Pediacia, furque Voranus.

Quae hic *tecta*, aliis *tegmina* dicuntur: Maro Eclog. 1.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi.

Lucretius L. 1. ℣. 993.

Nec res ulla geri sub coeli tegmine posset.

Cicero in Arateis:

Inde est ales avis lato sub tegmine coeli.

cum Tibullo nostro facit Propertius L. 2. Eleg. 20. ℣. 31.

Unum litus erit sopitis, unaque tecto
Arbor, & ex una saepe bibemus aqua.

& Naso Epist. Oenonae, ℣. 13.

Saepe greges inter requievimus arbore tecti;
Mistaque cum foliis praebuit herba torum.

ac L. 1. Pontic. Epist. 2. ℣. 25.

Adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti;
Et quod iners hiemi continuatur hiems.

2. NE CAPITI SOLES] magni & intensi calores poëtis *soles* dicuntur. ostendit Barthius Animadv. ad Papin. L. 4. Theb. ℣. 831, Albiano hoc loco simul explicato. Sed & alii extra carmen ita loquebantur. Suetonius Jul. C. 57. *Laboris ultra fidem patiens erat: in agmine nonnumquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset.*

3. QUAE TUA FORMOSOS CEPIT SOLERTIA] Donati excerpta in Terent. Eunuch. Act. 3. Sc. 2. ℣. 25. SOLERS, *quasi totus ex arte consistens, ut* ὅλος ἀρετῇ; *quod Latinis verbis, quasi solus in arte, sit. Huic* INERS *contrarium. Nam solers quasi* ὅλος ἀρετῇ *dictus.* ὅλον, *solum. ut* ἕξ *sex, &* ὗς *sus dicimus.* Haec ille Grammaticus, qui utinam minus lacer ad nos pervenisset. & sic fere Festus in *Solitaurilia.* Sed tamen habet *solertia* quamdam astutiae ac calliditatis, quae ad fraudem declinet, significationem. Exemplum est in Prometheo apud purissimum poëtarum Catullum, Carm. 61. ℣. 294.

Post

Nudus & hibernae producis frigora brumae,
Nudus & aeſtivi tempora ſicca Canis.
Sic ego: tum Bacchi reſpondet ruſtica proles,
Armatus curva ſic mihi falce Deus.

Tu,

Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris veſtigia poenae:
Quam quondam ſilici reſtrictus membra catena
Perſolvit, pendens e verticibus praeruptis.

Cicero L. 1. de Offic. C. 10. ubi de Q. Fabio Labeone, arbitro Nolanis & Neapolitanis de finibus a ſenatu dato: *Decipere hoc quidem eſt, non judicare. Quocirca in omni re fugienda eſt talis ſolertia.* Jo. Jovianus Pontanus L. 3. de Prudent. C. 21. *Quocirca & ſagaces, & ſolertes, & aſtuti, callidique, & vafri, & verſuti, veteratoresque magis a natura ſunt, quam ab inſtitutione aut uſu; quamquam & hi ab aſſuetudine vires majores accipiunt, utque urticae in ſolo pingui & ſtercorato validiores efficiuntur. Quamobrem nec ſolertiam, nec ſagacitatem, multo minus aſtutiam, calliditatemque, quae ad fraudem declinant, prudentiam eſſe volumus, aut ejus ancillas, ac ſumminiſtras: quamvis ſi ſolertia, ſi ſagacitas, ſi celeritas illa mentis, ſi tarditas ratione fuerint atque inter agendum modo menſuraque temperatae, prudentiae a famulatu videantur nullo modo repellendae.* Sed ſunt ibi plura, quae cum fructu leges.

4. NON TIBI BARBA NITET, NON TIBI CULTA COMA EST] ipſe Lampſacenus, Carm. 77.

Quod ſum jam ſenior, meumque canis
Cum barba caput albicat capillis.

Habebat alter Wittianus, cum uno Heinſii, *nec tibi culta coma eſt.* quod nequaquam probo. Erat autem Priapus forma ſatis mala, atque adeo ridicula: ut paſſim eſt videre & in poëmatibus, & in reliquiis marmorum antiquorum. Quocirca emendetur Probus grammaticus, cujus nota in L. 4. Geor. ℣. 111, ita circumfertur: *In Hellesponto eſt Lampſacum oppidum, in quo Priapus formoſiſſimus dicitur eſſe, quem cives ejus colunt ut Deum. Is autem in horto ponitur, ut avibus formidini ſit. itemque noctu furibus, quod interdiu cuſtos videtur ſtare.* Primum *Priapus famoſiſſimus*, hoc eſt celeberrimus, ſcribi debere cuivis adparet. deinde trajectas voculas ita in ſuum ordinem rediges: *ut avibus formidini ſit interdiu; itemque noctu furibus, quod cuſtos videtur ſtare.* Vult dicere, fures in tenebris terreri conſpecto Priapi ſigno, ac vereri ne ille circitor ſit aliquis, aut excubitor.

6. TEMPORA SICCA CANIS] odioſa repetitio ſyllabarum, *ca, ca*; atque etiam, niſi fallor, vitioſa. dixi ad Propert. L. 4. Eleg. 9. ℣. 7.

7. BACCHI RUSTICA PROLES] ex Venere, ut Lampſaceni jactabant. & ſic Diodorus Siculus L. 4. Biblioth. Hiſtor. Pauſanias Boeotic. ſive L. 9, Deſcr. Graec. Junius Philargyrius in Virgil. L. 4. Geor. ℣. 111. Veneris quidem filium agnoſcit Lucianus, ſed de patre ſilet, Dialogo Apollinis & Bacchi. Alii Bacchi filium faciunt, ſed ex neſcio qua Naide, aut Chione, nympha. Denique Macrobius, homo diligentiae quam judicii laude commendatior, ex lepore ſatum adfirmat, errore ſatis ſtulto. ſic enim ſcribit L. 6. Saturn. C. 5. AURITOS LEPORES *non Maro primus uſurpat, ſed Afranium ſequitur, qui in prologo ex perſona Priapi ait:*

nam quod volgo praedicant
Aurito me parente natum, haud ita eſt.

At Priapus dicit, injuriam ſibi fieri ab iis, qui eum Panos aut Sileni filium perhibeant, aut etiam Satyri alicujus auriti; quum ſit Liberi patris vera proles.

8. ARMATUS CURVA SIC MIHI FALCE DEUS] Exſtat hic verſiculus in omnibus libris ſcriptis. Neque eſt inventus quiſquam, qui de ejus germanitate dubitaret, extra unum Muretum. Merito autem falcem Priapo dat poëta: haec enim eſt illius nota propria, ut fulmen Jovis. Maro L. 4. Geor. ℣. 110, de apibus:

Invitent croceis halantes floribus horti,
Et cuſtos furum atque avium cum falce ſaligna
Hellespontiaci ſervet tutela Priapi.

Ipſe tamen aliquando hanc falcem ſuam male ſervavit, ſive victus ſopore, ſive quod plus paullo adbibiſſet. de quo dolenter conqueritur Carm. 55.

Credere quis poſſet, falcem quoque, turpe fateri,
De digitis fures ſurripuiſſe meis?

ſerias hujus falcis rationes apud Phurnutum reperies lib. de Nat. Deor. C. 27.

11. SED

Tu, puero quodcumque tuo tentare libebit,
Cedas. Obſequio plurima vincit amor.
Sed te ne capiant, primo ſi forte negarit,
Taedia. paullatim ſub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli ſaxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
Annus agit certa lucida ſigna vice.
Nec jurare time. Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta longa ferunt.

Gra-

11. SED NE TE CAPIANT] concinnius Colbertinus codex, *Sed te ne capiant.* atque ita Sfortiae liber apud Statium; & ex Thuaneo Guyetus. deinde *negarit* mavult Nic. Heinſius. probo, & ſequor.

13. LONGA DIES HOMINI DOCUIT PARERE LEONES] Aonius Palearius L. 2. de inmortalitate animorum ℣. 370.

Quin etiam & tigres homini, & parere leones
Longa dies docuit: nataeque in montibus urſae
Informes errant placide vacua atria circum.

Haec vir ille magnus: cujus ego ſanctiſſimae memoriae ante annos pauculos dedi quod potui, & civibus meis ut eſſet familiarior ſcriptorum ejus aureorum tractatio non infeliciter perfeci. Torquatus quoque Taſſus noſtrum Albium expreſſit Amynt. Act. 1. Sc. 2.

La lunga etate inſegna à l'huom di porre
Freno à i leoni, & à le tigri Hircane:

14. LONGA DIES MOLLI SAXA PEREDIT AQUA] *peredere*, pulcerrima tralatione, Horatius dixit de igne, L. 3. Od. 4. ℣. 75.

Injecta monſtris Terra dolet ſuis:
Moeretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum: nec peredit
Impoſitum celer ignis Aetnam.

Lucretius, ut noſter, de humore, L. 1. ℣. 327.

Nec, mare quae impendent veſco ſale ſaxa pereſa,
Quid quoque amittant in tempore, cernere poſſis.

Poëta vetus apud Ciceronem L. 3. Tuſc. Quaeſt. C. 12.

Refugêre oculi: corpus macie extabuit:
Lacrimae peredêre humore exſangueis genas.

Alii aliter extulerunt. Naſo L. 1. Art. Amat. ℣. 476.

Quid magis eſt ſaxo durum? quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Lucretius L. 4. ipſo fine:

Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadenteis
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

15. ANNUS IN APRICIS MATURAT COLLIBUS UVAS] *maturare* eſt percoquere, ad maturitatem perducere. Mela, de Thracia, L. 2. C. 2. *Raro uſquam pomiferam arborem, vitem frequentius tolerat: ſed nec ejus quidem fructus maturat ac mitigat, niſi ubi frigora objectu frondium cultores arcuere.* Maroni *ſoles maturi* dicuntur, qui fruges coquunt moderatis fervoribus, L. 1. Geor. ℣. 66.

ergo age, terrae
Pingue ſolum primis extemplo a menſibus anni
Fortes invortant tauri, glebasque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus aeſtas.

eſt metonymia efficientis cauſſae pro effectu. *Aprici* autem *colles*, ut *aprica ſaxa* apud divinum poëtam L. 2. ejusdem operis ℣. 522.

Et varios ponit foetus autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.

qui & *colles* nominavit *apricos* Eclog. 9. ℣. 49.

Ecce Dionaei proceſſit Caeſaris aſtrum:
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus; & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.

16. ANNUS AGIT CERTA LUCIDA SIGNA VICE] paullo aliter Manilius L. 1. ℣. 110.

Quae poſtquam in proprias deduxit ſingula cauſſas,
Vicinam ex alto mundi cognoſcere molem
Intendit, totumque animo comprendere coelum;
Attribuitque ſuas formas, ſua nomina ſignis;
Quasque vices agerent certa ſub lege notavit.

18. FRETA SUMMA] epithetum *ſumma* quid ad rem faciat, non ſatis video. niſi ſi timuit, ne perjuria iſta Veneria forte permadeſcerent. Barthius, hunc locum producens, L. 7. Adv. C. 21: & rurſum L. 21. C. 8: utrobique *freta longa* exhibuit, quum vellet oſten-

Gratia magna Jovi: vetuit pater ille valere,
Juraſſet cupide quidquid ineptus amor.
Perque ſuas inpune ſinet Dictynna ſagittas
Adfirmes, crines perque Minerva ſuos.

At

oſtendere, ſaepe *longum* poni pro eo quod eſt longinquum. Neque tamen, unde hanc habeat ſcripturam, indicavit. Sed in libro tertio Archiepiſcopi Eboracenſis (quo libro vetuſtiorem alium negabat ſe vidiſſe Nic. Heinſius, optimus harum rerum arbiter) clare ſcriptum erat *freta longa.* Quod verum eſſe nemo diffitebitur, qui quidem cum cura poëtas evolverit. Sic Umber meus L. 2. Eleg. 20. ℣. 29.

Seu mare per longum mea cogitet ire puella;
Hanc ſequar, & fidos una aget aura duos.

ſic Horatius L. 3. Od. 3. ℣. 37.

Dum longus inter ſaeviat Ilion
Romamque Pontus.

& libri ejuſdem Od. 27. ℣. 43.

meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?

ſic Ovidius L. 1. Metam. ℣. 13.

nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

qui & ipſe corruptus eſt, ni fallor, Epiſt. Phaedrae ℣. 42.

In nemus ire libet, preſſisque in retia cervis
Hortari celeres per juga ſumma canes.

in ſcriptis nonnullis *per juga longa* notaverat Nic. Heinſius ad marginem codicis Tibulliani. Recte, ſi quid video. Perſius Sat. 1. ℣. 95.

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

19. VETUIT PATER IPSE VALERE] Heinſius *ille* ſcribebat; & dicturum pollicebatur ad hoc Maronis, L. 7. Aen. ℣. 110, *ſic Jupiter ille monebat.* Sed Maronianae ſummi viri Curae perierunt. nunc tu iſtic Pierium vide; & Heinſium ad Valer. Flacc. L. 1. ℣. 344. atque haec nobis obſervata: nam & plures ſic ſunt locuti. Cicero Orat. 3. in Catilin. C. 9. *Quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. ille, ille Jupiter reſtitit.* Plautus Pſeudol. Act. 4. Sc. 1. ℣. 16.

Ne time. ita ille faxit Jupiter, ut ille palam ibidem aſſiet,
Quisquis ille eſt, qui adeſt a Milite.

Idem Moſtell. Act. 2. Sc. 1. ℣. 51.

D. *Morigerae tibi erimus ambae.* TR. *ita ille faxit Jupiter!*

Papinius L. 3. Theb. ℣. 556.

Eruimus, quae prima dies, ubi terminus aevi,
Quid bonus ille Deûm genitor, quid ferrea Clotho
Cogitet.

venuſtiſſima Sulpicia Sat. ℣. 12.

Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat?

Emendandus in hoc provocabulo Propertius meus L. 2. Eleg. 20. ℣. 42.

Ipſa meis tantum non umquam deſit ocellis,
Incendat navem Jupiter ille licet.

τὸ *ille* legitur in editione Douzarum: id quod me fugit, quum adornarem meam. ſed homo ſum. Eſt autem inſignis hujus voculae energia, etiam extra res Jovis. Naſo Remed. Amor. ℣. 435.

Attrahat ille puer contentos fortius arcus;
Sancia majorem turba petetis opem.

L. Varius, apud Macrobium L. 6. Saturn. C. 2.

Quem non ille ſinit lentae moderator habenae
Qua velit ire; ſed anguſto prius orbe coërcens
Inſultare docet campis, fingitque morando.

Valerii Flacci Medea, L. 8. Argonaut. ℣. 10.

O mihi ſi profugae genitor nunc ille ſupremos
Amplexus Aeeta dares, fletusque videres
Ecce meos!

Papinius L. 5. Theb. ℣. 26.

Dic age (quando tuis alacres adſiſtimus undis)
Quae domus, aut tellus, animam quibus hauſeris aſtris.
Dic quis & ille pater. neque enim tibi numina longe;
Transierit fortuna licet; majorque per ora
Sanguis, & afflicto ſpirat reverentia vultu.

& L. 2. Silv. 4. ℣. 9. ad pſittacum:

affatus etiam meditataque verba
Reddideras: at nunc aeterna ſilentia Lethes
Ille canorus habes.

21. PERQUE SUAS INPUNE SINIT DICTYNNA SAGITTAS AFFIRMES] in Colbertino erat *ſinet:* lepidius omnino, & ad hunc locum adcommodatius: quo videlicet hortetur hominem novum, ac nondum perjuriis adſuetum, ne quid mali metuat ſi pejeraverit. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 8, ad Cypaſſin, ſtupri inſimulatam a domina, ℣. 17.

Ut

At ſi tardus eris, errabis. Tranſiit aetas
Quam cito! non ſegnis ſtat remeatve dies.

Quam

Ut tamen iratos in te defixit ocellos,
Vidi te totis erubuiſſe genis.
At quanto, ſi forte refers, praeſentior ipſe
Per Veneris feci numina magna fidem!
Tu, Dea, tu jubeas animi perjuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos.

Jurari autem ſolere tam per Deos, quam per arma Deorum, ac peculiariter quidem *Per calamos venatricis pharetramque puellae*, oſtendit Juvenalis Sat. 13. ℣. 78, verbis ab Achille Statio productis. qui perperam citat Sat. 3. Sed cur Deam virginem in re non virginali teſtem invocat amator? Credo, ob adamatum Endymiona. Vide Epiſtolam Leandri Naſonianam ℣. 61. Senecam Hippol. ℣. 405.

22. Crines perque Minerva suos] quos illa animo ſuo cariſſimos habebat, quippe formoſiſſimos. Atque ideo faſtum Meduſae, crines Deae contemnentis prae ſuis, iracunde atque inpotenter vindicavit. Servius ad L. 6. Aen. ℣. 289, ubi de Gorgonibus: *Sed Meduſa, erecta favore Neptuni, auſa eſt crines ſuos Minervae capillis praeferre. Qua re indignata Dea, crines, quibus amatori maxime placuerat, in ſerpentes vertit: eamque excidi a Perſeo fecit, luminibus orbatam: fecitque, ut, quisque caput ejus vidiſſet, verteretur in ſaxum.* Capillitium vero puellare peculiari in tutela Palladis habebatur. Lapis vetus in Theſauro Gruteriano mlxvii. 4.

Minervae
memori. tvlli
a. svperiana. res
titvtione. facta
sibi. capillorvm

Ideo in ejus templo virgines Argivae, antequam nuberent, manipulum crinium ſuspendebant, virginitatis ponendae indicium. Papinius L. 2. Theb. ℣. 253.

.. *hic more parentum*
Iaſides, thalamis ubi juſta adoleſceret aetas,
Virgineas libare comas, primosque ſolebant
Excuſare toros.

In vicem puellae Palladi crinem diſponebant, honorariae pſecades. Seneca lib. contra ſuperſtit. apud D. Auguſtinum L. 6. de Civ. Dei C. 10. *Sunt quae Junoni ac Minervae capillos diſponant; longe a templo non tantum a ſimulacro ſtantes, digitos movent ornantium modo; ſunt quae ſpeculum teneant.*

23. Ah si tardus eris] ita Scaliger, ut ſit mimeſis amatoris puero adblandientis. Neſcio quam bene. Sed omnes omnium libri habent *At ſi tardus eris*, continuo hortenſis numinis ſermone. Profecto ſatis erat, tradere hunc doctorem praecepta ſuae artis: nimium vero, ſi etiam praeiret verba. Tantum non ſumſit ſibi Naſo L. 1. Art. Amat. ℣. 609.

Non tua ſub noſtras veniet facundia leges.
Fac tantùm incipias; ſponte diſertus eris.

Sequitur *tranſiet aetas*; terminatione haud quidem penitus inſolente, ſed tamen ignota (ni fallor) ſcriptoribus temporum optimorum. Pro Tibulliano habuerunt Achilles, Scaliger, Voſſius L. 3. de Analog. C. 38. aliique item permulti, delectati credo emblemate archaico. Sed ex uno alterove Afro, aut lapide quopiam incertae aetatis, res haec confieri non poteſt; neque oſtendi, talem fuiſſe ſermonem hominum urbane atque eleganter loquentium vivente Tibullo. Ego libentius amplectar ſcripturam, quam in tribus libris inventam ad marginem Aldinae editionis notavit Nicolaus Heinſius, *tranſiit aetas:* (praeſertim quum in tribus aliis codicibus haec ita legantur, & diſtinguantur, *tranſiet aetas Quam cito!*) ſenſu facili ac plano. Non potuit autem vitae mortalis rapidiſſima fugacitas, ac temporis nuſquam conſiſtentis velocitas inmenſa, certius atque evidentius exprimi, quam per praeteritum, ut loquuntur magiſtri. Sane uniuscujusque horae ſpatium, nobis nihil ſentientibus, non jam effluit, ſed effluxit. Pulcre Horatius L. 1. Od. 11. ℣. 7.

Dum loquimur, fugerit invida
Aetas. carpe diem, quam minimum credula
poſtero.

Perſius Sat. 5. ℣. 153.

Vive memor leti: fugit hora. hoc, quod loquor, inde eſt.

& propius ad noſtrum, ℣. 60.

Tunc craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem,
Et ſibi jam ſeri vitam ingemuere relictam.

Deinde in pentametro ſcribunt, *it remeatque dies.* in ſolo Colotiano erat *it*; reliquis cunctis *ſtat* exhibentibus magno conſenſu. quod quin ſit melius atque aptius, dubitari non poteſt: & bene firmavit Gebhardus. Tum al-

Quam cito purpureos deperdit terra colores!
Quam cito formosas populus alba comas!
Quam jacet, infirmae venere ubi fata senectae,
Qui prius Eleo est carcere missus equus!

Vi-

alter Bodleianus codex *remanetque* habebat, pro ceterorum *remeatque*. Sed scribendum cum Heinsio *remeatve*: & totum distichon ejus ductu sic formandum; si tamen admittis meum *transiit*;

At si tardus eris, errabis. Transiit aetas
Quam cito! non segnis stat remeatve dies.

pari modo distinxerat Muretus, ostenso quam delire ac dementer haec vulgo legerentur. nec dissimulat, non placere sibi τὸ *transiet.* sed nec Muretus ipse potuit omnibus placere. Vide sis Achillem h. l. Canterum L. 4. Nov. Lect. C. 4. Torrentium ad Horat. L. 3. Od. 28. Delrium Advers. in Senec. Herc. fur. ℣. 179. Hi te ex incerto reddent paullo etiam incertiorem.

26. QUAM CITO FORMOSAS POPULUS ANTE COMAS] hic versiculus non reperitur in nostro libro secundo, cujus libri scriptor sex totos versus uno saltu transmisit. sic enim habet:

At si tardus eris, errabis. transiet aetas
Moerentem stultos praeteriisse dies.

Itaque ab illo opem petere non possumus. *ante comas* tuentur Scaliger, & Passeratius: atque interpretantur τὰς πρὶν κόμας, hoc est, hornotinas comas. Hic etiam una voce legi vult *antecomas*, per ὑφὲν. in qua figura saepe est nimius. Ego istud *ante* non nisi in uno libro inveni: ceteris vel *alta*, vel *alba* proferentibus. Et *alba* quidem hic loci praetulerunt viri clari, Torrentius ad Horatium, Danielque Heinsius ad Silium. Sane albam in deliciis habuisse Romanos non est ignotum, aut novum. Plinius L. 16. C. 23. *Populi tria genera, alba, nigra, & quae Libyca appellatur, minima folio ac nigerrima, fungisque enascentibus. Laudatissima alba, folio bicolor, superne candicans, inferiore parte viridi.* Horatius L. 2. Od. 3. ℣. 9.

Qua pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

Haec alba populus Herculi erat peculiariter sacra: quod eam ille in Thesprotide propter Acherontem amnem repertam primus in Graeciam adtulisset, auctore Pausania in Eliacis prioribus, sive L. 5. Hinc nata est fabula, quam Servius denarrat ad L. 8. Aen. ℣. 276.

Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

HERCULEA POPULUS. *Herculi consecrata. Qui cum ad inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore corona facta caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohaerens, & capiti, albuit sudore: pars vero exterior propter inferorum colorem nigra permansit.* Hinc ille populeam coronam semper adamavit, & in capite plurimum gessit. Naso Epist. Deïanirae ℣. 64.

Ausus es hirsutos mitra redimire capillos:
Aptior Herculeae populus alba comae.

ejusdem Deïanirae verbis Seneca Herc. in Oeta ℣. 578.

Non ante vestes induat conjux jube,
Quam ture flammas pascat, & placet Deos,
Cana rigentem populo cinctus comam.

Atque etiam Deus factus in coelo gestavit. Papinius L. 3. Silv. 1. ipso fine:

Sic ait, & tangens surgentem altaribus ignem,
Populeaque movens albentia tempora silva,
Et Styga, & aetherii juravit fulmina patris.

28. QUI PRIOR ELEO EST CARCERE MISSUS EQUUS] Ovidius Epist. Leandri ℣. 166.

His ego cum dixi, Precium non vile laboris
Jam dominae vobis colla tenenda dabo:
Protinus illa valent, atque ad sua praemia tendunt;
Ut celer Eleo carcere missus equus.

Sed quomodo hic *prior*, qui cum aliis aliquot centenis curreret? quum *prior* non nisi de duobus dici queat. aliter in hoc negotio Horatius Art. Poet. ℣. 84.

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Nicolaus Heinsius ingeniose, ut semper, conjiciebat *Victor ab Eleo carcere.* Et sane ex vocibus *Qui prior* video haud difficulter nec coacte *Victor* concinnari. Atque ita Maronem loqui scio, L. 3. Geor. ℣. 498.

Labi-

Vidi ego jam juvenem, premeret quum ſerior aetas,
Moerentem ſtultos praeteriiſſe dies.

Cru-

Labitur infelix ſtudiorum atque inmemor herbae
Victor equus.

Sed tamen unde confiat τὸ *ab*, non video. Quocirca tutius ac modeſtius, ut arbitror, adjectivum *prior* refingemus in adverbium *prius*; quod valet, olim, antea. Catullus Carm. 4. ŷ. 25.

Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete.

Gratius ipſo initio Cyneget.

prius omnis in armis
Spes fuit, & nuda ſilvas virtute movebant
Inconſulti homines.

verbum *eſt* aberat a primo noſtro. tamen vix poteſt abeſſe.

29. VIDI JAM JUVENEM] primus codex Archiepiſcopi Eboracenſis, & ſecundus Wittianus, ac Perreji excerpta habebant *Vidi ego jam juvenem*; non ſine jucunda energia provocabuli. quo modo ipſe noſter Eleg. 5. ŷ. 47.

Vidi ego qui juvenem ſeros deſiſſet amores.

Ovidius L. 3. Art. Amat. ŷ. 67.

Hos ego, qui canent frutices, violaria vidi.

& Remed. Amor. ŷ. 101.

Vidi ego, quod primo fuerat ſanabile, vulnus
Dilatum longae damna tuliſſe morae.

L. 1. Amor. Eleg. 2. ŷ. 11.

Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas:
Et vidi nullo concutiente mori.

Propertius meus L. 1. Eleg. 13. ŷ. 14.

Vidi ego. me, quaeſo, teſte negare potes?
Vidi ego te toto vinctum langueſcere collo,
Et flere injectis, Galle, diu manibus.

apud eumdem Vertumnus L. 4. Eleg. 2. ŷ. 53.

Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hoſtes turpi terga dediſſe fugae.

Maro Eclog. 3. ŷ. 17.

Non ego te vidi Damonis, peſſime, caprum
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca?

Eclog. 8. ŷ. 97.

His ego ſaepe lupum fieri, & ſe condere ſilvis
Moerin, ſaepe animas imis excire ſepulcris,
Atque ſatas alio vidi traducere meſſis.

fortius etiam ac validius L. 3. Aen. ŷ. 623.

Vidi egomet, duo de numero cum corpora noſtro
Prenſa manu magna, medio reſupinus in antro
Frangeret ad ſaxum, ſanieque exſperſa natarent
Limina: vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & trepidi tremerent ſub dentibus artus.

in eodem opere inmortali *vidi ipſe*, quod tantumdem valet, ſaepenumero reperitur. Atque ut hic oſcitanter omiſerant librarii τὸ *ego*, ſic alibi odioſe infarſerunt.

29. PREMERET QUUM SERIOR AETAS] in ejusdem Archiepiſcopi tertio *ſegnior aetas* erat. quod quin ferri poſſit, non nego. nam & Pedo Albinovanus, nobilis poëta, cujus utinam plura exſtarent ingenii monumenta, *annos ſegnes* poſuiſſe pro ſenio videtur, Conſolat. ad Liviam Aug. ŷ. 449.

Quid numeras annos? vixi maturior annis.
Acta ſenem faciunt: haec numeranda tibi.
His aevum fuit inplendum, non ſegnibus annis.

Hoc tamen loco *ſerior* malo: quod & alii poëtae maluerunt. Naſo L. 2. Amor. Eleg. 4. ŷ. 45.

Me nova ſollicitat, me tangit ſerior aetas:
Haec melior ſpecie corporis: illa ſapit.

L. 2. Art. Amat. ŷ. 667.

Utilis, o juvenes, aut haec aut ſerior aetas.
Iſte feret ſegetes; iſte ſerendus ager.

L. 6. Metam. ŷ. 29.

non omnia grandior aetas,
Quae fugiamus, habet. ſeris venit uſus ab annis.

Vetus poëta in luſibus liberis, Carm. 11.

Quaedam ſerior Hectoris parente,
Cumaeae ſoror, ut puto, Sibyllae:
Aequalis tibi, quam domum revertens
Theſeus repperit in rogo jacentem.

Ea erat Hecale, annoſiſſima anus. Martialis L. 5. Epigr. 6.

Sic te ſerior & beata quondam
Salvo Caeſare finiat ſenectus.

L. 7. Epigr. 95.

Sic ad Letheas, niſi Neſtore ſerior, undas
Non eat, optabis quem ſupereſſe tibi.

Bene autem *premeret* dixit: quod eſt oneris ac poenae verbum. pariter Auſonius Idyll. 14. ŷ. 44.

Quam longa una dies, aetas tam longa roſarum:
Quas pubeſcentes juncta ſenecta premit.

Huic verbo reſpondet ferme *pulſandi* verbum, quo Juvenalis utitur Sat. 6. ŷ. 193.

dones tamen iſta puellis.
Tune etiam, quam ſextus & octogeſimus annus
Pulſat, adhuc Graece?

Inverterunt hanc locutionem poſteriorum temporum ſcriptores. Macrobius L. 7. Saturn.

 C. 10.

Crudeles Divi! ſerpens novus exuat annos?
Formae non ullam Fata dedere moram?
Solis aeterna eſt Phoebo, Bacchoque juventas:
Tam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Neu

C. 10. *Ergo, ait Euſebius, habendus mihi ſermo, Diſari, tecum de aetate, cujus januam jam paene ambo pulſamus.* Apollinaris Sidonius L. 5. Epiſt. 9. *De cetero, ſi Deus annuit, in annis jam ſenectutis initia pulſantibus; ſimus, niſi reſpuis, animae duae, animus unus.* Melius ille idem Epiſcopus Panegyr. Anthemii Auguſti ℣. 416.

nec non pulſante ſenecta
Hinc rediviva petit vicinus cinnama Phoenix.

Propertius, ad Albii noſtri mentem, *urgendi* uſus eſt verbo, L. 3. Eleg. 23. ℣. 31.

At te celatis aetas gravis urgeat annis:
Et veniat formae ruga ſiniſtra tuae.

30. MOERENTEM STULTOS PRAETERIISSE DIES] Paſſeratius malebat *tacitos dies:* quum *tardos* in vetere libro reperiſſet. Cyllenius quoque *tardos* edidit: ſed in enarratione, *ſtultos*, inquit, *quos ipſe dum non intelligit, quoad licuit, ſtultus fuit.* Vult dicere, eum non intellexiſſe aetatulae bona, atque ideo ſtulte neglexiſſe. Excerpta Pocchi *celeres* habebant. horum neutrum non deterius eſt vulgato. Vere Tullius pro M. Coelio C. 31. *Sed ego non loquor de ſapientia, quae non cadit in hanc aetatem: de impetu animi loquor.*

31. SERPENS NOVUS EXUIT ANNOS] in Sfortiae libro *exuat* invenit Achilles Statius; quod & Gebhardus notavit, ſed rejicientis ſtomacho. Haec tamen eſt ipſiſſima Albii manus. Deinde in pentametro *illam* malunt, quam *ullam.* Hoc quoque perperam: quamvis addicant libri magno numero. Integrum diſtichon ita videtur conſtituendum, ſola diſtinctione leviter commutata:

Crudeles Divi! ſerpens novus exuat annos?
Formae non ullam Fata dedere moram?

Ergo ſerpens, beſtia nihili ac damnifica, quotannis exuat ſenectutem? formoſis de flore ſuo quotidie aliquid deteritur? Indignatio eſt animi non fruſtra commoti: quum ſerpentis nihil interſit, niteat, necne; hominis autem vel plurimum. Pari figura exardeſcit Aeneae calamitoſa virtus, conſpecta Helena, L. 2. divini operis ℣. 577.

Scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenas
Aſpiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba & Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine litus?

ullam autem cur verius rear, quam *illam*, in cauſſa eſt ipſa formae fugacitas, quam nullus non libat dies. Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 77.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas;
Nec faciunt cervos cornua jacta ſenes.
Noſtra ſine auxilio fugiunt bona. carpite florem;
Qui, niſi carptus erit, turpiter ipſe cadet.

Scriptor Octaviae ℣. 550.

Florem decôris ſinguli carpunt dies.

ſapientiſſimus Boëtius L. 3. de Conſol. Philoſ. proſ. 8. *Formae vero nitor ut rapidus eſt, ut velox, & vernalium florum mutabilitate fugacior! ——— Sed aeſtimate quam vultis nimio corporis bona, dum ſciatis, hoc, quodcumque miramini, triduanae febris igniculo poſſe diſſolvi.* Librariis nihil ſuccenſeo in lapſu tam proclivi: quamvis & Tullii manum in hac ipſa voce ambiguam fecerint nobis, orat. 2. contra Rullum C. 5. *Cum oſtenderem, ſi lex utilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me atque adjutorem futurum: tamen aſpernabantur hanc liberalitatem meam, negabant me adduci poſſe, ut ullam largitionem probarem.* libri ferme *illam* habent; de qua tunc agebatur. ſed non ea mens tribunorum, populo perſuadere volentium, Ciceronem non huic ſolum largitioni agrariae, ſed omnibus omnino commodis plebis Romanae adverſari. Itaque recte *ullam* ſcribitur in codice Erfurtano.

33. SOLIS AETERNA EST PHOEBO BACCHOQUE JUVENTA] in quibuſdam libris eſt *Baccho Phoeboque.* Leges, ut lubet: nihil enim refert. Sed *juventas* recte ſcriptum eſt in tertio noſtro, & in vetere libro Jo. Marii Mattii, (cujus ille libri variantes lectiones eruditis arbitrandas dedit L. 1. Opinion. C. 13.) inque editione Regiolepidina. ſic & Canteri, & Douzica, & Plantiniana, ac Gryphiana exhibuerunt. Sic ubique optimae illae membranae Horatii, quas habui a Jo. Geor. Graevio,

vio, viro summo. Servius ad L. 1. Aen. ℣. 594. *Juventus est multitudo juvenum: Juventas dea ipsa, sicut Libertas: Juventa vero, aetas. sed haec a poëtis confunduntur plerumque.* Corruptus est idem ille Grammaticus in enarratione L. 4. Aen. ℣. 32. *Juventa dea illius aetatis est; Juventas aetas ipsa juvenilis; Juventus juvenum multitudo.* primo loco *Juventas* scribendum; deinde *Juventa.* Hanc Deam poëtae figurate ponere amant pro aetate, cujus ipsa tutelam gerit. quomodo in re non dissimili Terentius, *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Horatius Epod. 17. ℣. 21.

Fugit juventas, & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida.

Entellus L. 5. Aen. ℣. 397.

Si mihi, quae quondam fuerat, quaque improbus iste
Exsultat fidens, si nunc foret illa juventas:
Haud equidem pretio inductus pulchrove juvenco
Venissem: nec dona moror.

Vide sis Jo. Pierium Valerianum ad Virgil. L. 5. Aen. ℣. 398. Laev. Torrentium ad Horat. L. 1. Od. 30. El. Vinetum ad Flor. L. 1. C. 7. Jo. Fred. Gronovium ad Liv. L. 36. C. 36. Nic. Heinsium ad Ovid. L. 4. Metam. ℣. 17. Thom. Crenium Part. 9. Animadv. C. 1. sect. 7. p. 71. & Part. 11. C. 3. sect. 6. p. 263. De Phoebi Bacchique aeterna pueritia passim meminerunt poëtae. In laude quoque & gloria formae hi duo fere conjungi solent. Ovidius L. 3. Metam. ℣. 420.

Spectat humi positus geminum sua lumina sidus,
Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines,
Impubesque genas, & eburnea colla, decusque
Oris, & in niveo mistum candore ruborem.

L. 1. Amor. Eleg. 14. ℣. 31.

Formosae periere comae: quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus inesse suo.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 538.

Vidisti, roseis haec per loca Bacchus habenis
Cum domitas acies, & Eoi fercula regni
Duceret: ac rursus thiasos & sacra moventem:
Hunc tibi, vel posito venantem pectine Phoebum,
Crede dari.

Poëta vetus in lusibus liberis, Carm. 39.

Forma conspiciendus est Apollo:
Formosus quoque pingitur Lyaeus.

Martialis L. 4. Epigr. 45. ad Apollinem:

Perpetuo sic flore mices: sic denique non sint
Tam longae Bromio, quam tibi, Phoebe, comae.

Claudianus Panegyr. de tertio Honorii consul. ℣. 128.

cum tu genitoris amico
Exceptus gremio mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus:
Quis non Luciferum roseo cum Sole videri
Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?

34. NAM DECET INTONSUS CRINIS UTRUMQUE DEUM] etiam alios Deos decere posset crinis puerilem in morem intonsus, puta Mercurium, vel Cupidinem. qui quamvis habeantur formosissimi, tamen hac quasi praerogativa crinium destituuntur. Aut ego hic caecutio, aut poëta minus recte collegit. Quid enim est, Apollinem ac Bacchum gaudere aeterno juventae flore ideo, quod eos deceat suus crinis intonsus? Sed nulla fuit poëtae culpa, qui profecto scripsit *Tam decet.* hac mente: Apollinem & Bacchum comа esse tam decora, tam formosa, ut Deorum omnium soli hoc ipso crinium beneficio semper sint ephebi. Facem nobis quasi praelucet Plautus Milit. Act. 1. Sc. 1. ℣. 64.

Ergo mecastor pulcher est, inquit, mihi
Et liberalis visus. caesaries quam decet!

Non est ulla certior nota floris puerilis, quam crinis speciosus & prolixus atque ubertim luxurians. & sic antiquitus omnes pueri formosi, etiam ingenui, paene puellarum in morem longam comam per colla perque humeros demittebant. Horatius L. 4. Od. 10.

Insperata tuae quum veniet pluma superbiae,
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae:
Nunc & qui color est Puniceae flore prior rosae
Mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam.

L. 2. Od. 5. de Gyge puero, ℣. 21.

Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

L. 3. Od. 20. de Nearcho, ℣. 11.

Arbiter pugnae posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida.

talis & Parthenopaeus apud Papinium L. 6. Theb. ℣. 607.

Flavus ab intonso pendebat vertice crinis
Arcados. hoc primis Triviae pascebat ab annis
Munus, &, Ogygio victor cum Marte redisset,
Nequicquam patriis audax promiserat aris.

& Domitiani Earinus, eodem interprete, L. 3. Silv. 4. ℣. 6. ad Aesculapium Pergamenum:

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
Et Canis arenti torreat arva siti.
Quamvis praetexens picta ferrugine caelum,
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

Vel

Accipe laudatos, juvenis Phoebeïe, crines,
Quos tibi Caesareus donat puer: accipe laetus,
Intonsoque ostende patri. Sine, dulce nitentes
Comparet, atque diu fratris putet esse Lyaei.
Forsan & ipse comae numquam labentis honorem
Proferet, atque alio clausum tibi mittet in auro.

sed haec vota sunt alterius loci. Ad rem nostram facit argutus ille Petronii senex, illo carmine,

Quod solum formae decus est, cecidere capilli.

Nondum defuncti sumus omnibus particulae *nam*, perperam positae, ac perplexe agentis, ambagibus. restant aliae, nunc differendae. Huic loco corrumpendo fuit litera initialis: cujus literae spatium scribae librarii vacuum solebant relinquere, quo mox ornatius vivido aliquo colore variegarent. Atque haec fuit multorum mendorum origo in libris poëtarum.

36. ET CANIS ARENTI TORREAT ARVA SITI] Erat in Scaligeri libro, itemque in Wittiano secundo, *torqueat*. Male. Virgilius L. 4. Geor. ℣. 425.

Jam rapidus torrens sitientis Sirius Indos
Ardebat.

L. 3. Aen. ℣. 141.

Linquebant dulcis animas, aut aegra trahebant
Corpora. tum sterilis exurere Sirius agros.

Vide quae ad Propertium notavimus, L. 4. Eleg. 9. ℣. 21.

37. PRAETEXENS PICTA FERRUGINE CAELUM] primus noster, *nigra ferrugine*. Heinsius vero *picea ferrugine* invenit in quatuor libris. atque ita loqui fere putabat Maronem L. 1. Geor. ℣. 466.

Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Inpiaque aeternam timuerunt saecula noctem.

Possis & Lucanum huc trahere, L. 1. ℣. 540.

Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus.

Sed mihi videtur vulgata lectio sana, atque incorrupta. nam haec *picta ferrugo* eleganter exprimit colores illos in arcu coelesti confusos: qui quum ex rubro ac nigro plurimum trahant, eum faciunt colorem, quem *caeruleum* vocamus. Hinc purpura Hispana, quae ex rubro nigricabat, *ferrugo* dicebatur, docente Servio ad laudatum modo Maronis locum. *Ferrugineos* autem hyacinthos Junius Philargyrius *caeruleos* interpretatur, ad L. 4. Geor. ℣. 183. Nonius Marcellus: *Ferrugineum colorem ferri similem esse volunt: vere autem ferrugineus caeruleus est.* id quod firmat Maronis ac Plauti auctoritate. Et hujus quidem verba haec sunt Milit. Act. 4. Sc. 4. ℣. 41.

Facito ut venias huc ornatu nauclerico,
Causiam habeas ferrugineam, culcitam ob oculos laneam,
Palliolum habeas ferrugineum: nam is color thalassicu'st.

Lucretius *ferrugina* vocat theatrorum vela thalassica, L. 4. ℣. 74.

Et vulgo faciunt id lutea, russaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris
Per malos volgata, trabeisque trementia flutant.

nubem ferrugineam Maro *caeruleam* dixit L. 3. Aen. ℣. 194.

Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; & inhorruit unda tenebris.

Papinius, de Iride, L. 10. Theb. ℣. 112.

Huc se caeruleo libravit ab aethere virgo
Discolor.

paullo post:

Tunc sic orsa loqui nimborum fulva creatrix.

Propertius L. 3. Eleg. 3. ℣. 54.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.

His ego ductus rationibus haud facile inmutem *pictam* Tibulli *ferruginem*. quam Claudianus, credo, *picturatam* dixisset.

38. VENTURAM ADMITTAT IMBRIFER ARCUS AQUAM] Muretus, & Turnebus L. 29. Adv. C. 31, *admittat* capiunt pro eo quod est portendat. ut sit verbum augurale. Scaliger vero, incitet, inpellat: quo modo dicimus *admittere equum*. Mox *nubifer arcus* habebat secundus Wittianus, & secundus Bodleianus. Heinsius aliquando *nimbifer* conjiciebat. sed cur vulgatam rejiciamus? Papinius L. 9. Theb. ℣. 405.

arca-

Vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
Ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te poeniteat duros subiisse labores;
Aut opere insuetas adteruisse manus.

Nec,

arcano residens Ismenos in antro,
Unde aurae nubesque bibunt, atque imbrifer a cus
Pascitur, & Tyrios melior venit annus in agros.

41. DUROS SUBIISSE LABORES] In uno Vaticano erat *obiisse*. Tertius meus, *duro labori*, habebat. reliqui, quotquot sunt, nihil omnino mutant. Igitur in Thesauro Basilii Fabri male secuti sunt novi architecti editiones non optimas, quo evincerent verbum *subire* apud Tibullum jungi cum tertio casu.

42. AUT OPERI INSUETAS ADTERUISSE MANUS] In nullo libro *operi* legitur. Est opinor a Scaligero, cum voce *insuetas* copulante. multi *opera* exhibent. sed ex primo Palatino Gebhardus *opere* profert: id quod verum est, ac sincerum. Noster infra Eleg. 10. ℣. 8.

Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terrae rusticus urget opus.

Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 1. ℣. 14, verbis Phaedriae rus proficiscentis:

Opus faciam, ut defetiger usque, ingratiis ut dormiam.

& Heautont. Act. 1. Sc. 1. ℣. 20.

At enim dices, quantum hic operis fiat, poenitet.
Quod in opere faciundo operae consumis tuae,
Si sumas in illis exercendis, plus agas.

Verbum *atteruisse* est in multis scriptis, atque etiam in editionibus primis. Erat quoque in omnibus Achillis Statii libris: quamquam ipse hoc praeteritum putat insolens, & lectum sibi alibi negat. Poterat tamen legisse in fragmento Velii Longi de Orthographia. adscribam verba: *Mihi vero placet ut in Latino sermone antiquitatis religio servetur, ut potius* sorbui *secundum auctoritatem eruditissimorum & eloquentium virorum dicamus, quam* sorpsi; *quum recens haec declinatio sordidi sermonis virus ceperit. Item* terui, *&* trivi, *non adscribo huic disputationi, sed consuetudini, sed novae & veteri adnotationi. Nam & Virgilius secutus antiquos, cum posset dicere* teruisse *non impediente metro, maluit dicere,*

Nec te poeniteat calamo trivisse labellum.

&, Hinc radios trivere rotis. Haec Velius. qui quare antiquos *trivi* maluisse dicat, quam *terui*, non satis capio. Certe Plautum dixisse *teruerunt*; (Pseudol. Act. 3. Sc. 2. ℣. 29.) ubi hodie *triverunt* editur; satis constat ex Prisciani libro 6. sed & ille ipse hodie corruptus circumfertur. Vide magnos viros, Janum Douzam L. 3. Explan. Plautin. C. 24. Ger. Jo. Vossium L. 3. de Analog. C. 30. Maro autem cur *trivere* maluerit, in caussa est euphoniae ratio: & quidem praecipue in exemplo secundo. nam sane injucundum & agreste quiddam sonat *Hinc radios teruere rotis.* Quod cave exspectes a poëta numerosae dictionis artifice unico, nec dactylorum otioso captatore. *Attenuasse* porro, quod huc intruserant inepti magistri, bene Latine dici putabat idem Statius, permotus Lucretii versibus ex L. 1.

tum portas propter, ahena
Signa manus dextras ostendunt attenuari,
Saepe salutantum tactu praeterque meantum.

Sed res est dispar. Melius ad mentem Albii Virgilius L. 4. Geor. ℣. 114.

Ipse labore manum duro terat: ipse feracis
Figat humo plantas, & amicos inriget imbris.

Propertius L. 4. Eleg. 3. ℣. 24.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis imbelles atterit hasta manus?

Eleg. 5. ℣. 50.

Nec tibi displiceat miles non factus amori;
Nauta nec attrita, si ferat aera, manu.

Valerius Maximus L. 4. C. 5. ex. 5. *Atilium autem, qui ad eum arcessendum a senatu missi erant ad imperium populi Romani suscipiendum, semina spargentem viderunt: sed illae rustico opere attritae manus salutem publicam stabilierunt.* Jo. Jovianus Pontanus haec expressit L. 3. de Obedient. C. 10. *Ubi vero cetera defuerint, non desit fides, ac probitas, quae deesse potest nemini, modo voluntas adsit bona: cum praesertim non semper opus a servo exigatur, aut labore manus atterendae sint.*

44. Hu-

Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextra,
Saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.

Tunc

44. HUMERI RETIA FERRE NEGENT] sic ferme Horatius Art. Poët. ℣. 39.

Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

Alii, sed pauci numero; *humeris retia ferre neges.* Utriusque locutionis exempla apud Achillem reperies. Qui quum *umeri*, sine adspiratione, scribit ex libris ac monumentis vetustis, prope subputidus videri posit apud hos homines, sono illo vasto delectatos. Tamen certum est, antiquos non aliter scripsisse. Horatius, in membranis Graevii, L. I. Od. 2. ℣. 31.

tandem venias, precamur,
Nube candenti umeros amictus
Augur Apollo.

Sed pareamus consuetudini, scientiam nobis reservantes.

45. SI VOLET ARMA, LEVI TENTABIS LUDERE DEXTRA] Proprie, & ipsis artis vocabulis. *Arma*, rudis, qua batuebant gladiatores: *ludere*, ad armorum peritiam exerceri: *ludus*, ipse locus ubi docebatur, & discebatur. Caesar L. I. Bell. Civ. C. 14. *Gladiatores, quos ibi Caesar in ludo habebat, in forum productos Lentulus libertati confirmat, atque iis equos attribuit, & se sequi jussit.* Cicero pro Sextio C. 4. *Idemque C. Marcellum, cum is non solum Capuam venisset, verum etiam se quasi armorum studio in maximam familiam conjecisset, exterminandum ex illa urbe curavit.* L. I. de Offic. C. 29. *Suppeditant autem & campus noster, & studia venandi, honesta exempla ludendi.* Horatius Art. Poët. ℣. 379.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.

Ovidius Trist. L. 3. Eleg. 12. ℣. 19.

Usus equi nunc est, levibus nunc luditur armis.

& L. 4. Eleg. I. ℣. 72.

Aspera militiae juvenis certamina fugi;
Nec nisi lusura movimus arma manu.

Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 2. ℣. 33.

Senex adest: vide quid agas: prima coitiost acerrima.
Si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet.

Donatus interpres: *In officio militari omne negotium vel pugna, vel ludus.*

46. SAEPE DABIS NUDUM, VINCAT UT ILLE, LATUS] Haec quoque ex disciplina ludorum, *dare latus, nudum latus.* cui contrarium est *latus tectum.* quae locutiones & in castris & in navali militia celebrem usum habebant. Virgilius L. I. Aen. ℣. 105.

stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctumque ad sidera tollit.
Franguntur remi: tum prora avertit, & undis
Dat latus. insequitur cumulo praeruptus aquae mons.

Seneca Hippol. ℣. 1073.

At ille, qualis turbido rector mari
Ratem retentat, ne det obliquum latus,
Et arte fluctus fallit; haud aliter citos
Currus gubernat.

nudi lateris praeclara translatio est apud Florum, in bello Mithridatico, L. 3. C. 5. *Spem ac fiduciam dabant nostra vitia: quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invitabat occasio: nudumque imperii latus ostentabant procul Marius, Sylla, Sertorius.* Caesar *apertum* vocavit L. I. Bell. Gall. C. 25. *Capto monte, & succedentibus nostris, Boji & Tulingi, qui hominum millibus circiter XV. agmen hostium claudebant, & novissimis praesidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi, circumvenire, & id conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, rursus instare, & praelium redintegrare coeperunt.* L. 7. C. 50. *Quum acerrime cominus pugnaretur; hostes loco, & numero; nostri virtute confiderent; subito sunt Aedui visi, ab latere nostris aperto, quos Caesar ab dextra parte, alio adscensu, manus distinendae caussa miserat. Ii similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt.* Horatius L. I. Sat. 3. ℣. 59.

hic fugit omnes
Insidias nullique malo latus obdit apertum.

Lateris tegendi meminit Syrus Terentianus, de catasta imperator, Heautont. Act. 4. Sc. 2. ℣. 5.

Nam quod de argento sperem, aut posse postulem me fallere,
Nihil est: triumpho, si licet me latere tecto abscedere.

quae

Tunc tibi mitis erit: rapias tunc cara licebit
Oſcula. pugnabit, ſed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo: mox adferet ipſe roganti.
Poſt etiam collo ſe inplicuiſſe volet.
Heu male nunc artes miſeras haec ſaecula tractant.
Jam tener adſuevit munera velle puer.
At tibi, qui Venerem docuiſti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat oſſa lapis.
Pieridas, pueri, doctos & amate poëtas.
Aurea nec ſuperent munera Pieridas.
Carmine purpurea eſt Niſi coma. carmina ni ſint,
Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

Quem

quae verba pulcre explanavit Nannius noſter, magna vir eruditione, candore pari, L. 2. Miſcel. C. 4.

47. Tunc tibi mitis erit] in priore Bodleiano erat *mihi.* & ſic duo Palatini Gebhardi, exponentis, Ex meis praeceptis & meo conſilio ac ſententia. Melius dixiſſet, otioſum eſſe τὸ *mihi*, (ſiquidem verum eſt) & ornatus tantum gratia, ut ſaepe alias, adhiberi. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 45.

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit;
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

L. 2. ℣. 252. de tellure pingui:

Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Laetior. ah nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe praevalidam primis oſtendat ariſtis!

L. 3. ℣. 435.

Ne mihi tum mollis ſub dio carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas.

Sed haec figura nihil huc facit: neque ego Gebhardi cauſſa quidquam inmutavero.

49. Post offeret ipse volenti] Melius Scaliger ex ſuo libro, *mox adferet ipſe roganti.* Et ſic alii codices magno numero. Vide Variantium Lectionum libellum.

53. Jam tua] illud *Jam* parum ſuave accidere auribus ſuis teſtatus eſt Lucas Fruterius, capitali ingenio juvenis, L. 1. Veriſimil. C. 6. refingens *At tua*, ex ipſiusmet poëtae conſuetudine loquendi. Recte ſane. Nam & *At* legitur in libris nonnullis, & *tua* item in aliis libris. Sic ille ſola bonitate ingenii praecepit teſtimonia codicum ſcriptorum. Sed Douza noſter malebat *At tibi*; ut mihi liquet ex ejus manu ad oram editionis Canteri. Certe ſic in Vaticanis Achilles Statius ac Nic. Heinſius invenerunt: & habent excerpta M. Antonii Pocchi, atque Antonii Perreji. Hanc ego arbitror ipſius eſſe Albii ſcriptionem. Pulcerrime hunc locum tractavit Torquatus Taſſus Amynt. Act. 2. Sc. 1.

O chiunque tu foſti, che inſegnaſti
Primo à vender l'amor, ſia maledetto
Il tuo cener ſepolto, e l'oſſa fredde:
E non ſi troui mai paſtore, o ninfa,
Che lor dica paſſando, HABBIATE PACE;
Mà le bagni la pioggia, e mova il vento,
E con piè immondo la greggia il calpeſtri,
E'l peregrin. &c.

Nos ore haud quaquam pari Latine tentabimus:

Quicumque primus aureae Veneris ſacra
Proſtare precio, ut vile mercimonium,
Monſtraſti; iniquus urgeat cineres lapis,
Et oſſa turpis frigida obducat ſitus:
Nec paſtor ullus, nec puella tam malis
Pacem precetur otiumque manibus.
Sed gelidus imber, ſed trucis rabies Noti
Infame diro verberent ictu ſolum;
Procaxque multum ſaltet armentum ſuper,
Et ſus lutoſo diſſipet roſtro frequens.

54. Infelix urgeat ossa lapis] Seneca Hippol. ipſo fine: Theſei verbis de Phaedra:

Iſtam terra defoſſam premat:
Graviſque tellus impio capiti incubet.

Tu iſtic Delrium vide; & Briſſonium Formul. L. 1. ac Kirchmannum L. 3. de Fun. Rom. C. 9.

57. Carmine purpurea est Nisi coma] *purpuream* hic *comam* pro pulcra poni, mul-

Quem referent Musae, vivet: dum robora tellus,
Dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem;
Idaeae currus ille sequatur Opis.

Et

tis contendit Achilles Statius. Miror tantam incogitantiam in homine docto, quique omnes teneret poëtas. Erat Niso crinis unus purpureus, sive ostrinus, in silva cana crinium ceterorum. In hoc ille crine servabat regni sui fatum, atque invictus habebatur, ut tradunt Apollodorus L. 3. Biblioth. C. 14. §. 8. Julius Hyginus Fab. 198. Servius in Virgil. Eclog. 6. ℣. 74. Lutatius in Papin. L. 1. Theb. ℣. 333. Pausanias in Atticis. Luculenter Naso L. 8. Metam. ipso initio:

Interea Minos Lelegeïa litora vastat:
Praetentatque sui vires Mavortis in urbe
Alcathoë, quam Nisus habet; cui splendidus ostro
Inter honoratos medio de vertice canos
Crinis inhaerebat, magni fiducia regni.

tum ℣. 80, verbis Scyllae:

opus est mihi crine paterno.
Illa mihi est auro preciosior; illa beatam
Purpura me, votique mei factura potentem.

paullo post, peracto facinore inpia filia ad Minoa:

cape pignus amoris
Purpureum crinem. nec me nunc tradere crinem,
Sed patrium tibi crede caput.

idem ille Proteus Musarum, Remed. Amor. ℣. 67.

Impia si nostros legisset Scylla libellos;
Haesisset capiti purpura, Nise, tuo.

Virgilius L. 1. Geor. ℣. 405.

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo.

Auctor Ciris; quem ego satis credo non fuisse Virgilium, nec tamen cum Ruaeo Jesuita pro jacente atque horrido velim traducere, fastidio nimis delicato; is igitur auctor ℣. 119.

Nam capite a summo regis, mirabile dictu,
Candida caesaries, florebant tempora lauro,
Et roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
Concordes stabili firmarunt numine Parcae.
Ergo omnis caro residebat cura capillo:
Aurea sollemni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadae.

Hinc est, cur Papinius Nisum, illo suo peculiari more eloquendi, *purpureum senem* vocet, L. 1. Theb. ℣. 334.

hinc arcte scopuloso in limite pendens
Infames Scyrone petras, Scyllaeaque rura
Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
Linquit, & in mediis audit duo litora campis.

Hunc Nisi crinem purpureum, id est famam clari nominis ac celebritatem, Tibullus dicit poëtarum carminibus deberi. quod quale sit, divinissime ostendit Romanae fidicen lyrae L. 4. Od. 8. & 9. & Theocritus in Charisin.

60. DUM VEHET AMNIS AQUAS] Turnebus notavit, haec per phantasiam quamdam poëticam dici, quasi amnes ipsi sint animati, & suas portent aquas, L. 16. Adv. C. 4. Recte ille quidem de amnibus. sed reperti sunt Lucumones acriculi, qui contenderent, nec tellurem *vehere* robora, nec coelum stellas: ideo τὸ *vehet* esse sibi suspectum; forte mutandum in *feret.* neque enim credibile fieri, Tibullum, optimae aetatis poëtam, loqui tam inconvenienter. Non cogitarunt illi, saepe verbum referri ad propinquius constructione & significatione, ubi ad remotioris verum sensum aliud verbum supplendum est. *Zeugma* vocant magistri. Vide Francisci Sanctii Minervam, & Notas Jacobi Perizonii, omnium grammaticorum doctissimi.

62. IDAEAE CURRUS ILLE SEQUATUR OPIS] Gallus esto Matris Deûm. Ops est eadem quae Cybele, sive Idaea Mater, vel Rhea uxor Saturni. Festus videndus in *opima spolia:* & in *Opis.* & Macrobius L. 1. Saturn. C. 10. & C. 21. ac Servius ad L. 10. Aen. ℣. 252. Currum ejus leones bini trahunt. Virgilius L. 3. Aen. ℣. 111.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque aera,
Idaeumque nemus: hinc fida silentia sacris,
Et juncti currum dominae subiere leones.

L. 10. ℣. 252.

Alma parens Idaea deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeraeque urbes, bijugique ad frena leones.

Hu-









Et tercentenas erroribus expleat urbes;
Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
Supplicibus, miſeris fletibus illa ſavet.
Haec mihi, quae canerem Titio, Deus edidit ore;
Sed Titium conjunx haec meminiſſe vetat.

O fu-

Hujus currus figura eſt apud Boiſſardum T. 3. Antiq. p. 47. alteraque ibidem T. 5. p. 33. Ipſa vero, ſolutis a jugo leonibus, rabiem ac furorem incutere credebatur ſuis miniſtris, uſque dum pondera ſibi devellerent acuto ſilice. quae omnia multo elegantiſſime exſequitur Catullus Carm. 60.

63. Et ter centenas erroribus expleat urbes] ſcribe *tercentenas*, una voce. Quamlibet magnum numerum ſic ferme denotabant. Martialis L. 2. Epigr. 1.

Tercentena quidem poteras epigrammata ferre:
Sed quis te ferret, perlegeretque, liber?

Erant autem hi Galli profligatiſſimi nebulones, vicatim atque oppidatim ſtipem emendicantes; quales fere Cingari; niſi quod Idaeam Matrem circumgeſtarent, & furerent ex imperio, tibicinis Phrygii ſono concitati. Gallorum flagitia in miniſtris Deae Syriae praepinxit Apulejus L. 8. & 9. Metam. itemque Lucianus, aut ſi quis alius eſt ſcriptor, in Aſino.

64. Et secet ad Phrygios vilia membra modos] relicta ſentiat ſibi membra ſine viro, nova mulier,

Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Lactantius L. 1. Divin. Inſtit. C. 21. *Ab iſto genere ſacrorum non minoris inſaniae judicanda ſunt publica illa ſacra, quorum alia ſunt matris deûm, in quibus homines ſuis ipſi virilibus litant; amputato enim ſexu nec viros ſe, nec feminas faciunt: alia Virtutis, quam eamdem Bellonam vocant*, &c. Ovidius Ibide ℣. 453.

Attonitusque ſeces, ut quos Cybeleïa mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.
Deque viro fias nec femina, nec vir, ut Attys;
Et quatias molli tympana rauca manu.

Sed hoc ſemel: neque enim ſaepius poterat fieri. Poſtilla ſibi brachia cruentabant fanatici; non aliter ac Bellonarii. Propertius L. 2. Eleg. 18, ℣. 15.

Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?
Et Phrygis inſanos caeditur ad numeros?

Valerius Flaccus L. 3. Argon. ℣. 20.

Dindyma ſanguineis famulûm bacchata lacertis
Dum volucri quatit aſper equo, ſilvasque fatigat
Cyzicus, ingenti praedae deceptus amore,
Aſſuetum Phrygias dominam vectare per urbes
Oppreſſit jaculo redeuntem ad frena leonem.

idem ille Cyzicus ſuorum ſegnitiem increpans, & jam ira Deae in perniciem actus, ℣. 231.

at barbara buxus
Si vocet, & motis ululantia Dindyma ſacris;
Tunc enſis placeatque furor: modo tela ſacerdos
Porrigat, & juſſa ſanguis exuberet ira.

utrosque complectitur praeclariſſimus poëta L. 7. ℣. 635.

Qualis ubi attonitos moeſtae Phrygas annua Matris
Ira, vel exſectos lacerat Bellona comatos.

Sed Gallos Matris Deûm, praeter lacertos, etiam linguam ex dentibus exſertam ſibi quemque concidiſſe tradit in Aſino Lucianus.

65. Blanditis &c.] dicamus verum, quamlibet inviti. Scaliger haec corruperat. tam perplexe loqui, non erat ſimplicitatis Albianae. non etiam candoris urbani illa aetate, qua ſermo Latinus vel maxime florebat. Nos librorum veterum ſcripturam repoſuimus, facilem illam ac planam, & perſpicuis diſtinctionibus adjutam. ſic & ante nos Achilles, ac Gebhardus, & puriſſima Douzarum editio.

67. Haec mihi, quae caverem Titio, Deus edidit ore] Hoc quoque *caverem* a Scaligero habemus, neſcio quam juriſconſulti perſonam hic ſibi fingente: quum in libris omnibus *canerem* legatur. Sed juriſconſulto quid rei erat cum ſortibus Priapi? nam iſta, *Haec mihi Deus ore edidit*, haud aliter exponi poſſunt: nec pertinent quidquam ad reſponſa prudentum. Cicero L. 2. de Offic. C. 22. *Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia perituram, id videtur non ſolum Lacedaemoniis,*

sed & omnibus opulentis populis praedixisse. ad Brutum Epist. 2. *Haec ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. nihil potest esse verius.* L. 2. de Divinat. C. 57. *Sed, quod caput est, cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra aetate, sed jam diu, jam ut nihil possit esse contemtius? Hoc loco cum urgentur, evanuisse ajunt vetustate vim loci ejus, unde anhelitus ille terrae fieret, quo Pythia mente incitata oracula ederet.* L. 2. de Finib. C. 7. de Epicuro. *In alio vero libro, in quo breviter comprehensis gravissimis sententiis quasi oracula edidisse sapientiae dicitur, scribit his verbis.* Vides verbum *edere* esse Deorum fatidicorum, ac futuri sagacium. In his autem censebatur & Priapus. Lycas ille apud Arbitrum: *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quem quaeris; scito a me in navem tuam esse perductum. Exhorruit Tryphaena: &, Putes, inquit, una nos dormiisse: nam & mihi simulacrum Neptuni, quod Bajis in peristylio notaveram, videbatur dicere, In navi Lycae Gitona invenies.* Atque ut Deus *edere* dicebatur; ita sacerdos, oraculum reddens, *canere.* noster infra Eleg. 7. ℣. 56.

Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus:
Et canit eventus, quos Dea magna monet.

Cicero pro Sextio C. 21. *aut ego illas res tantas in tanta improborum multitudine cum gerebam, non mihi mors, non exsilium ob oculos versabantur? non haec denique tum a me tamquam fata in ipsa re gerenda canebantur?* Nepos Cornelius in Attici Vita, C. 16. *Non enim Cicero ea solum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit: sed etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Hinc factum est, ut, quicumque salubriter aliquid monerent ac veraciter, *canere* perhiberentur. Terentius Heautont. Act. 2. Sc. 3. ℣. 19. verbis Cliniae:

O Jupiter, ubinam est fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletasti te, Antiphila, & me in his deseruisti malis:
Propter quam in summa infamia sum, & meo patri minus sum obsequens:
Cujus nunc pudet me & miseret: qui harum mores cantabat mihi,
Monuisse frustra: neque potuisse eum umquam ab hac me expellere.

Livius L. 30. C. 28. *Locum nimirum, non periculum mutatum; cujus tantae dimicationis vatem, qui nuper decessisset, Q. Fabium haud frustra canere solitum, graviorem in sua terra futurum hostem Annibalem, quam in aliena fuisset.* Maro L. 2. Aen. ℣. 124.

mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, & taciti ventura videbant.

L. 12. ℣. 28.

Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat; idque omnes Divique hominesque canebant.

Deinde *Titium* hic esse jurisconsultorum personam ὑποθετικὴν, ut philosophorum Θέωνα, Δίωνα, contendit Scaliger. Quod quomodo huc conveniat, ambigi posse arbitror. nam *Accii* & *Titii* nominibus exempli caussa uti mos erat, ad declarandum ipsam rem. M. Varronis Satura fuit, *Testamentum* inscripta, unde Gellius haec paucula verba servavit L. 3. C. 16. *Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus genuntur; ei si erunt ὄνοι λύρας, exheredes sunto: quod si quis undecimo mense, κατ' Ἀριστοτέλη, natus est; Accio idem quod Titio jus esto apud me.* Haec Varro. Pergit autem Gellius: *Per hoc vetus proverbium Varro significat, sicuti vulgo dici solitum erat, de rebus inter se nihil distantibus,* IDEM ACCII QUOD TITII: *ita pari eodemque jure esse, in decem mensibus natos, & in undecim.* Ecquid satis clare dicit, hoc verbum jurisconsultis frequens in ore fuisse, quando se caussae, non personae, jus respondere velle testarentur? Hic autem nihil tale: sed persona certa ac bene nota nominatur. Illum ego fuisse credo Titium Septimium, poëtam ea aetate nobilissimum, Ti. Claudii Neronis comitem, Albio nostro atque Horatio perfamiliarem. Hunc audiamus L. 1. Epist. 3. ℣. 9.

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora:
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus & rivos ausus apertos:
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa?
An tragica desaevit & ampullatur in arte?

pulcre Scholia antiqua, quae Jacobus Cruquius concinnavit: *Titius Septimius lyrica carmina & tragoedias scripsit, Augusti tempore: sed libri ejus nulli exstant. Hujus autem insigne monumentum est infra Ariciam.* Scripsisse & Comoedias non temere colligas ex vetere magistro, cujus glossas, saepe luculentas, in Adversariorum egregio opere hic illic produxit Caspar Barthius. sic enim grammaticus ille ad L. 1. Epist. 13. eo versu: *Ut vinosa glomos furtivae Pyrrhia lanae*] *Apud Titium poëtam introducitur Pyrrhia ancilla, furans lanam dominae suae.* Barthius, (unde haec hausimus L. 37. Adv. C. 22.) quis hic sit

O fuge te tenerae puerorum credere turbae:
  Nam cauſſam juſti ſemper amoris habent.
Hic placet, anguſtis quod equum compeſcit habenis:
  Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adeſt audacia, cepit: at illi
  Virgineus teneras ſtat pudor ante genas.
Pareat ille ſuae. vos me celebrate magiſtrum,
  Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique ſua eſt. me, qui ſpernentur amantes,
  Conſultent. cunctis janua noſtra patet.

Tem-

ſit *Titius*, neſcire ſe ait; & corruptum putat ex nomine *Licinii*, quem inter comicos poëtas recenſuit Volcatius Sedigitus. Non putaſſet, ſat ſcio, ſi ei in mentem veniſſet Scholiorum Cruquianorum. Horatii verba minus recte cepit vir doctiſſimus Lilius Gyraldus Hiſt. Poët. Dial. 10. ſic enim eſt interpretatus: *Ad haec Titium lyricos verſus ſcripſiſſe legimus; atque inprimis ex Pindaro Latinos fecit.* Melius eadem illa Scholia: *Pindarici fontis*] *Non extimuit Pindarici ſtyli magnitudinem ſequi, auſus faſtidire ingenia vulgaria & vilia, Latinos poëtas minus difficiles.* Illuſtriſſimus Torrentius, ex veteris libri gloſſematio, dictum fuiſſe cognomine *Septiminum* arbitrabatur. Quod ſi verum eſt; jam alius erit ab illo *Septimio*, ad quem odam ſextam ſecundi libri ſcripſit Flaccus, & quem Claudio Neroni commendavit Epiſt. 9. L. 1. nec recte calculum poſuerit Dacerius, omnia haec referens ad unum *Titium Septimium.* Etiam nonam Epiſtolam tertia fuiſſe priorem oportebit. quae tertia, ut recte obſervavit idem ille erudititiſſimus Antiſtes, illo tempore videtur ſcripta, quo Tiberius vel Pannonicum bellum geſſit, vel quo in Armeniam eſt profectus Tigrani regnum reſtituturus. Quam rem ille perfecit A. V. DCCXXXIII. Bellum autem Pannonicum anno proxime inſequente adminiſtravit: Albianae aetatis anno XLIII. & XLIV.

69. O FUGE] haec de Platone eſſe deſumta obſervavit Jo. Baptiſta Pius Annot. poſter. C. 116. ſic tamen, ut defectus (quod Graecus fecerat) non excuſet, ſed laudet dotes.

77. QUI SPERNENTUR AMANTES] plus eſt *ſpernere*, quam *contemnere*: habet enim faſtidii ſignificationem. Terentius Andr. Act. 1. Sc. 5. ℣. 13.

Nullon' ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?
Quot modis contemtus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. hem!
Repudiatus repetor.

Eunuch. Act. 1. Sc. 2. ℣. 9. Phaedria Thaidi:

Heri minas viginti pro ambobus dedi.
Tamen contemtus abs te, haec habui in memoria,
Ob haec facta abs te ſpernor.

Heauton. Act. 2. Sc. 3. ℣. 122. Cliniae verbis de Bacchide:

At hoc demiror, quî tam facile potueris
Perſuadere illi, quae ſolet quos ſpernere!

Anna apud Maronem L. 4. Aen. ℣. 677.

Quid primum deſerta querar? comitemne ſororem
Spreviſti moriens? eadem me ad fata vocaſſes:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tuliſſet.

Cicero pro M. Coelio C. 15. ad Clodiam: *Confer te alio. Habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco praeparaſti, quo omnis juventus natandi cauſſa venit. hinc licet conditiones quotidie legas. cur huic, qui te ſpernit, moleſta es?* Naſo L. 3. Amor. Eleg. 6. ℣. 65.

Ne me ſperne, precor, tantum, Trojana propago:
Munera promiſſis uberiora feres.

noſter hujus libri Eleg. 9. ℣. 55.

Quid me ſpernis? ait: poterat cuſtodia vinci.

Ibidem ℣. 61.

Quid proſunt artes, miſerum ſi ſpernit amantem,
Et fugit ex ipſo ſaeva puella toro?

Tacitus L. 13. Annal. C. 44. ubi de Octa-

Tempus erit, quum me Veneris praecepta ferentem
 Deducat juvenum ſedula turba ſenem.
Heu heu quam lento Marathus me torquet amore!
 Deficiunt artes, deficiuntque doli.

Par-

vii Sagittae & Pontiae funeſtis amoribus: *Octavius contra modo conqueri, modo minitari, famam perditam, pecuniam exhauſtam obteſtans: denique ſalutem, quae ſola reliqua eſſet, arbitrio ejus permittens. Ac poſtquam ſpernebatur, noctem unam ad ſolatium poſcit, qua delinitus, modum in poſterum adhiberet.* Primus in Terentio vim verbi obſervavit Angelus Decembrius, unus ex primis illis literarum renaſcentium ſoſpitatoribus, Politiae Literariae L. 4.

78. CUNCTIS JANUA NOSTRA PATET] in uno Heinſiano erat *multis.* perperam. Cicero pro P. Sulla C. 9. *ſi voluntas mea, ſi induſtria, ſi domus, ſi animus, ſi aures patent omnibus.*

80. DEDUCAT JUVENUM SEDULA TURBA SENEM] Ex Callimacho; quod jam pridem Statius notavit. Cicero de Senect. C. 18. *Haec enim ipſa ſunt honorabilia, quae videntur levia atque communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli: quae & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quaeque optime morata, ita diligentiſſime obſervantur.* de Amicit. C. 3. *Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetiſſimosque viderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, quo ſenato dimiſſo domum reductus ad veſperum eſt, a patribus conſcriptis, a populo Romano, a ſociis & Latinis, pridie quam exceſſit e vita.* Valerius Maximus L. 2. C. 1. Ex. 9. *Juvenes, ſenatus die, utique aliquem ex patribus conſcriptis, aut propinquum, aut paternum amicum ad curiam deducebant; affixique valvis exſpectabant; donec reducendi etiam officio fungerentur.* Gellius L. 2. C. 5. *Apud antiquiſſimos Romanorum neque generi, neque pecuniae praeſtantior honos tribui, quam aetati ſolitus: majoresque natu a minoribus colebantur ad Deûm prope & parentum vicem. Atque in omni loco, inque omni ſpecie honoris, priores potioresque habiti. a convivio quoque, ut ſcriptum in antiquitatibus, ſeniores a minoribus domum deducebantur. eumque morem accepiſſe Romanos a Lacedaemoniis traditum eſt: apud quos, Lycurgi legibus, major rerum omnium honos majori aetati habebatur.* Haec ſane ſcivit Gebhardus: ſunt enim ſatis communia: tamen, ne non aegre faceret Scaligero, effutivit quiddam inmemorabile. Nec libet referre.

81. EHEU QUAM MARATHUS LENTO ME TORQUET AMORE] poſt magnifica promiſſa, ſubito fatetur ſuam aegrimoniam, nec magiſteriis ſuis levari ſe ſentit tantus modo magiſter. Haud abſimilis eſt tranſitio illa belliſſima Horatii L. 4. Od. 1. poſtquam ſe aetate ingraveſcente dixerat nihil amare:

Sed cur, heu, Ligurine, cur
 Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
 Inter verba cadit lingua ſilentio?

τὸ *Eheu* in nullis libris comparet: in omnibus *Heu heu.* Nec tamen damno voculam *Eheu*; quam ſcio probari a M. Valerio Probo L. 1. Inſtit. Grammat. cap. de Interjectione p. 1430. Sed hic loci habet quemdam lepôrem querulae particulae geminatio lugubris: praeſertim ſequente tardigrado Spondaeo, ut in editione Statii, Canteri, Douzarum, *Heu heu quam lento Marathus.* Hunc ego *Marathum*, nomine non Romano, Phoenicium fuiſſe puto, ducto a patria cognomento. quod creberrimum fuit in venalitiis. *Marathon* inter claras Phoenices urbes numerat Pomponius Mela L. 1. C. 12. Pueros autem Aſiaticos, atque etiam puellas, tunc in deliciis & ſummo in precio habebant. Juvenalis Sat. 5. ℣. 56.

Flos Aſiae ante ipſum, precio majore redemtus
Quam fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci:
Et, ne te teneam, Romanorum omnia regum
Frivola.

in gratiam hujus Marathi, Pholoën ſcortillum amantis, a qua faſtidiebatur, ſcripta eſt hujus libri Elegia nona. Verum ei nomen erat *Cyro.* Liquet hoc ex Horatii Oda 33. L. 1. ubi Albium noſtrum conſolatur, rivali indigno poſthabitum, hujus ipſius pueri exemplo, a Pholoë ſpreti, ab Lycoride adpetiti:

Inſignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor: Cyrus in aſperam
Declinat Pholoën. ſed prius Appulis
 Jungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.

ulti-

Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam:
Quum mea ridebunt vana magisteria.

ultimum versum non intellexerunt interpretes: quia, quis esset Cyrus, non viderunt. Pholoae, recto animo puellae, turpe videbatur, si lepus quaereret pulpamentum. Vides hôc loco: videbis Eleg. *9.* ℣. 75. Hunc Cyrum multicupidum fuisse, & desultorie proterveque amasse, quod esset formosus, ostendit Flaccus noster L. 1. Od. 17. qua Tyndaridem invitat in fundum suum Sabinum:

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Praelia: nec metues protervum
Suspecta Cyrum: ne male dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat haerentem coronam
Crinibus, inmeritamque vestem.

Regiis autem nominibus insignitos fuisse homines servos, multis veterum testimoniis didicimus. Sex. Aebutii *Antiochum* memorat Cicero orat. pro Caecina C. 8. & *9.* idemque Pomponii Attici *Athamantem*, ac *Tisamenum*, L. 12. Epist. 10. alios alii. Noster autem puer *Cyrus* est dictus, propter memoriam optimi & clarissimi regis, populis Asiaticis multo jucundissimam. Sed & Graeci homines hoc nomen libenter usurpabant. Notus est *Cyrus* ille Architectus, Ciceroni & Clodio adeo familiaris, ut utrumque moriens testamento instituerit haeredem. talem & illum fuisse arbitror, cujus memoria exstat apud Gruterum Inscr. DCCXLVII. *6.*

D. M.
M. VLPIO. CYRO
FEC. P. METTIVS
ALEXANDER. F
VIX. A. XLV

Itaque sic putato: puero huic apud parentes suos fuisse nomen *Cyro*; Romae autem, ut saepe, a solo natali *Marathum* coepisse dici.

83. Ne turbis fabula fiam] ne risus & fabula sim multitudini. sic Elegia proxime sequente ℣. 53.

Hunc puer, hinc juvenis turba circumterit arcta:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

tamen, ne quid dissimulem, *turbis* non nisi in duobus libris est; & pro diversa lectione in aliis item duobus. reliqui omnes *turpis* habent, tamquam facto agmine. Atque hoc jam viderat, sola ingenii bonitate ductus, acutus ille Fruterius L. 3. Verisimil. C. 3. & Nasoniani exempli auctoritate muniverat, L. 2. Art. Amat. ℣. *630.*

Ne desint, quas tu digitis ostendere possis.
Ut quamque attigeris, fabula turpis erit.

V.

Asper eram, & bene discidium me ferre loquebar.
At mihi nunc longe gloria fortis abest.

Nam-

1. Asper eram, et bene dissidium me ferre loquebar] Irae fuerant, sed quales sunt amantium, inter Deliam ac Tibullum. qui quum paullo juvenilius jactasset, haud difficulter se carere posse dominae consuetudine; illa, tum levitate quadam muliebri, tum quo ulcisceretur tantam istam (ut putabat) contumeliam, excluso Tibullo, admisit rivalem. Itaque non tam dissidebant animis ac voluntate, quam erant diremti coacta quadam segregatione, primum culpa protervi amantis, deinde etiam desultorio puellae amore. Quapropter rectius *discidium* hic scribemus: id quod & multi libri habent, & monuit jam olim Gifanius in Conlectaneis Lucretianis. In Vocabulario Claudii Puteani antiquo, Lambino teste, ita scriptum legebatur: *Discidium*, χωρισμός. *Discidium*, *separatio*, & *divortium*. Recte, & vere. Cicero Philipp. 2. C. 18. *Ipse autem amore ardens confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exilium esse iturum.* orat. pro Li-

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo,
Quem celer adsueta versat ab arte puer.

Ure

Ligario C. 2. *Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset, propter incredibilem quemdam fratrum amorem, hic aequo animo esse potuit belli discidio distractus a fratribus?* Et quoniam ex discidio oriri solet dissensio ac discordia, factum fuit, ut plene atque eleganter dicerent *discidio dissidere.* idem ille Tullius orat. pro Balbo C. 13. *Defendo enim rem universam, nullam esse gentem ex omni regione terrarum, neque tam dissidentem a populo Romano odio quodam atque discidio, neque tam fide benevolentiaque conjunctam, ex qua nobis interdictum sit, ut ne quem adsciscere civem, aut civitate donare possimus.* Noster *bene ferre* quod dixit, id Nepos Cornelius atque alii *facile perpeti* dixerunt. Ab Albio suo stetit Naso L. 14. Metam. ℣. 79.

Excipit Aenean illic animoque domoque,
Non bene discidium Phrygii latura mariti,
Sidonis.

2. AT MIHI NUNC LONGE GLORIA FORTIS ABEST] in nostro secundo, itemque in uno Heinsiano, sic legebatur:

At mihi nunc longe gloria fortis. habet.

quae scriptura si cui placebit; non destituetur ille veterum scriptorum exemplis atque auctoritatibus. Terentius Andr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 56.

Egomet continuo mecum: Certe captus est;
Habet.

ibi tu Donatum consule; & Servium ad L. 12. Aen. ℣. 296. Est autem locutio ab arena petita; quam pulcre inlustratam dederunt viri magni, Turnebus L. 17. Adv. C. 10. Lipsius L. 2. Saturn. C. 21. Cerda ad Maronis locum modo laudatum: Rupertus ad Florum, L. 3. C. 10. Gronovius L. 2. Observ. C. 25. Mihi tamen non fit verosimile, τὸ *habet* esse a manu Albiana: non, quo minus belle dici possit; sed quod noster non amet tam concise loqui, tamque argute. *Longe esse* quid sit, jam nemo ignorat, vel ex Turni minis L. 12. Aen. ℣. 52.

Longe illi dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, & vanis sese occulat umbris.

Pro eo alii *longe abesse* dixerunt. Caesar L. 1. Bell. Gall. C. 36. Ariovisti verbis: *Aeduis se obsides redditurum non esse; neque iis, neque eorum sociis, injuria bellum illaturum, si in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent: si id non fecissent, longe ab his fraternum nomen populi Romani afuturum.* Lipsius corrigebat *futurum*, L. 2. Elect. C. 19. Rectius autem Muretus vulgatam scripturam defendebat L. 10. Var. Lect. C. 4, ductus auctoritate Nasonis L. 4. Metam. ℣. 649. ubi Atlas Perseo,

Vade procul, ne longe gloria rerum,
Quas mentiris, ait, longe tibi Jupiter absit.

Cicero L. 12. ad famil. Epist. 22. *Oppressa omnia sunt: nec habent ducem boni, nostrique* τυραννοκτόνοι *longe gentium absunt.* Capaneus apud Papinium L. 3. Theb. ℣. 664.

Ne mihi tunc, moneo, lituos atque arma volenti
Obvius ire pares: venisque aut alite visa
Bellorum proferre diem. procul haec tibi mollis
Insula, terrificique aberit dementia Phoebi.

3. NAMQUE AGOR UT PER PLANA CITUS SOLA VERBERE TURBEN] quamvis in nullo libro exstet *turben*, tamen Achilles Statius & Scaliger sic ediderunt, secuti auctoritatem Sosipatri Charisii L. 1. p. 117, editionis Putschii. sed in eadem pagina scripserat Charisius: *Turbo Turbonis, si proprium sit hominis nomen: turbinis, si procellam voluerimus exprimere. Aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum.* Tum quo loco agebat de Extremitatibus nominum, p. 48, *Turbo, si sit proprium nomen hominis, Turbonis facit; si appellativum, turbinis. Nam sive ventus, sive quo ludunt pueri, hic turbo dicitur; non ut quidam stulte hic turben dixerunt puerorum. nam Virgilius dixit* TORTO SUB VERBERE TURBO. Nec tamen pugnat secum Charisius. Nam illa, quibus Statius & Scaliger nituntur, auctoritate C. Julii Romani referebantur. *turbo* quoque, non *turben*, agnoscit Servius ad L. 7. Aen. ℣. 378. Ab his alii stant viri praeclari; Pierius Valerianus; Nicolaus Erythraeus; Jacobus Nicolaus L. 7. Epiphyll. C. 23. Ger. Jo. Vossius L. 1. de Analog. C. 35. & L. 1. de Vitiis Sermonis C. 26. Jos. Castalio lib. Var. Lect. C. 40. Virgilii locus, quem indicabat Sosipater, nobilis est ac luculentus. Agitur ibi de furiis reginae Amatae, L. 7. Aen. ℣. 376.

Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per urbem:

Ceu

Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quidquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi foedera lecti,
Per Venerem quaeso, compositumque caput.
Ille ego, quum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.

Ipse-

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia supra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagae.

Tamen huic Virgilianae comparationi aliam Valerii Flacci praeferebat Barthius, tamquam magis poëticam, L. 8. Argonaut. ỿ. 20.

Inde, velut torto Furiarum erecta flagello,
Prosilit. attonito qualis pede prosilit Ino
In freta, nec parvi meminit conterrita nati,
Quem tenet: extremo conjunx furit inritus Isthmo.

Expendant atque arbitrentur ingeniosi homines atque elegantes.

6. Horrida verba doma] quidam libri, *aspera verba*: sed multo plures *horrida*, h. e. minarum plena. sic Naso Remed. Amor. ỿ. 664.

Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat:
Horrebant saevis omnia verba minis.

Audiamus servum illum comicum, hero suo non paullo sapientiorem, Eunuch. Act. 1. Sc. 1. ỿ. 19.

Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egone illam? quae illum? quae me? quae non? sine modo,
Mori me malim: sentiet qui vir siem.
Haec verba, una mehercle falsa lacrimula,
Quam oculos terendo, misera, vix vi expresserit,
Restinguet: & te ultro accusabit: & dabis ei
Ultro supplicium.

Respondet miser, malo suo nimium edoctus:

O indignum facinus! nunc ego
Et illam scelestam esse, & me miserum sentio.
Et taedet, & amore ardeo: & prudens, sciens,
Vivus, vidensque pereo: nec quid agam, scio.

8. Per Venerem quaeso, compositumque caput] per tuum istud compositum atque ornatum caput, inquit Lusitanus interpres. Mallem id Faventio excidisset: nec mirarer. *componere caput*, ut recte Scaliger monuit, est idem quod caput jungere, caput limare. Est omnino *componere* verbum amoris. Lucilius L. 8. num. 2.

Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Fingens compono &c.

ibidem num. 6.

Tum compone latus lateri, & cum pectore pectus.

Naso Epistol. Herûs ỿ. 137.

Has certe pluresque canunt, Neptune, poëtae
Molle latus lateri composuisse tuo.

Propertius meus L. 2. Eleg. 2. ỿ. 64.

Mercurio & sanctis fertur Boebeïdos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.

Qui & *ponere* simpliciter dixit ejusdem libri Eleg. 11. ỿ. 22.

Pulsabant alii frustra, dominamque vocabant.
Mecum habuit positum lenta puella caput.

10. Te dicor votis eripuisse meis] In morbis vota suscipiebantur pro carorum salute. Ovidius L. 2. Art. Amat. ỿ. 327.

Multa vove; sed cuncta palam: quotiesque libebit,
Quae referas illi, somnia laeta vide.

Juvenalis Sat. 12. ỿ. 98.

sentire calorem
Si coepit locuples Gallita, & Pactius, orbi;
Legitime fixis vestitur tota tabellis
Porticus.

Terentius Hecyr. Act. 3. Sc. 2. ỿ. 2.

Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgravescat:
Quod te Aesculapi, & te Salus, ne quid sit hujus, oro.

clarissime Propertius L. 2. Eleg. 7. ỿ. 63.

Haec mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiae jam poterentur aquae,
Et lectum flentes circumstaremus amici?

& deinde Eleg. 21. ỿ. 43.

Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, PER MAGNUM SALVA PUELLA JOVEM.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit;
Narrabitque sedens longa pericla sua.

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro,
Carmine quum magico praecinuisset anus.

Ipse

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 13. ad Ilithyiam, ℣. 23.

Ipse ego tura dabo fumosis candidus aris:
Ipse feram ante tuos munera vota pedes.
Adjiciam titulum, SERVATA NASO CORINNA.
Tu modo fac titulo muneribusque locum.

Talium votorum pro salute atque incolumitate multa exstant exempla in antiquis Inscriptionibus. Saepe etiam publico nomine suscipiebantur in casu aliquo gravi magnorum atque eminentium virorum. Sic pro salute Cn. Pompeji, Capuae periculose aegrotantis, cuncta Italiae municipia vota fecerunt, tradente Tullio L. 8. ad Attic. Epist. 2. 16. & L. 9. Epist. 5. Sapienter in eodem negotio C. Vellejus L. 2. C. 48. *Qui si ante biennium quam ad arma itum est, perfectis muneribus theatri & aliorum operum quae ei circumdedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro salute ejus, primo omnium civium suscepit) defuisset Fortunae destruendi ejus locus; & quam apud superos habuerat magnitudinem, inlibatam detulisset ad inferos.* Hinc Aquinas poëta adripuit Sat. 10. ℣. 283.

Provida Pompejo dederat Campania febres
Optandas: sed multae urbes, & publica vota
Vicerunt. igitur fortuna ipsius & urbis
Servatum victo caput abstulit.

sic & pro A. Hirtio consule, contra M. Antonium ituro, sed gravi inbecillitate adfecto, vota suscepisse populum Romanum auctor est Cicero Philipp. 7. C. 4. & 10. C. 8. Atque haec pietas deinde sub Caesarum dominatu transiit in adulationem ignominiosam, nec magis foedam quam periculosam. Suetonius Calig. C. 14. *Ut vero in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa palatium, non defuerunt qui depugnaturos se armis pro salute aegri, quique capita sua titulo proposito voverent.* Ille contra quid? audi. C. 27. *Votum exegit ab eo, qui pro salute sua gladiatoriam operam promiserat: spectavitque ferro dimicantem: nec dimisit nisi victorem, & post multas preces. Alterum, qui se periturum ea de caussa voverat, cunctantem pueris tradidit verbenatum infulatumque, qui votum reposcentes per vicos agerent, quoad praecipitaretur ex aggere.*

11. IPSEQUE TE CIRCUM LUSTRAVI SULFURE PURO] Scaliger quod hic *te* maluerit, pro *ter*, minus aequus fuit in vetustatem. Pronomen *te* satis intelligebatur ex versiculo proxime superiore: sed non debebat ejici numerus ternarius, tam usitatus in omni lustratione. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 229.

Idem ter socios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi & ramo felicis olivae,
Lustravitque viros.

Propertius L. 4. Eleg. 8. ℣. 86.

Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.

quo loco rectius, opinor, scribetur *lustrare lacernas.* nam & vestes expiabantur, & arma, & quidquid tandem crederetur pollutum. docet hoc Valerius Flaccus L. 3. ℣. 442.

Ter tacitos egere gradus; ter tristia tangens
Arma simul vestesque virûm, lustramina ponto
Pone jacit.

sed de ternarii numeri mysteriis consulendus Macrobius L. 1. Comment. in Somn. Scip. C. 6. Deinde corrigendum arbitror *sulfure vivo.* ita enim solent in lustrationibus. quamquam *purum sulfur* hic illic apud poëtas legitur, ubi libri castigatiores *vivum* habebant. Ovidius L. 4. Fastor. ℣. 739.

Caerulei fiant vivo de sulfure fumi;
Tactaque fumanti sulfure balet ovis.

Et hic *puro* erat ante Nic. Heinsii manum salutarem. Idem poëta Remed. Amor. ℣. 260.

Nulla recantatas deponent pectora curas;
Nec fugiet vivo sulfure victus amor.

Aurelius Numesianus Eclog. 4. ℣. 63.

Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulfure lauros.

T. Calpurnius Eclog. 5. ℣. 78.

Providus (hoc moneo) viventia sulfura tecum,
Et scyllae caput, atque intacta bitumina porta.

Plinius L. 35. C. 15. ubi de sulfure: *Vivum habet & in religionibus locum, ad expiandas suffitu domos.* Tamen si quis hic pertendat τὸ *puro* verum esse, eo quod sulfur habeat vim purificandi; illum ego facile patiar sensu suo abundare.

12. CARMINE QUUM MAGICO PROCUBUISSET ANUS] scribe cum optimis libris *praecinuisset.* quod quale sit, pulcre docet Macrobius L. 2. in Somn. Scip. C. 3. *Ita denique omnis habitus animae cantibus gubernatur, ut*

&

Ipse procuravi, ne possent saeva nocere
Somnia, ter sancta deveneranda mola.

15 Ipse

& ad bellum progressui & item receptui canatur, cantu & excitante & rursus sedante virtutem: dat somnos adimitque; *nec non curas & immittit & retrahit: iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur. Nam hinc est, quod aegris remedia praestantes* praecinere *dicuntur.* Vir praeclarus Scipio Gentilis putabat excidisse voculam unam, ob similitudinem vocis praecedentis, ut esset *remedia praestantes anus*, Comment. in Apologiam Apuleji p. 511. Facile credam: quum & apud Petronium itidem anicula inducatur praecantrix, sed in alio quodam morbo. Verba Petronii produximus ad Eleg. 2. ℣. 54. Hinc miraculum illud hominis Angelus Politianus Nutric. ℣. 279.

nec vulnera tantum
Saeva, sed & caecos vincebant carmine morbos.

Id munus deinde adfectabant aniculae recoctae, quae ex ipsa re *praecantatrices* dicebantur. Plautus Milit. Act. 3. Sc. 1. ℣. 98.

da quod dem Quinquatribus
Praecantatrici, conjectrici, hariolae, atque haruspicae.

Nec mirari quisquam debet, magicis opibus oppugnari solere morbos, & cantus cum remediis conjungi, tamquam prolem cum parente, stulta quadam mortalium credulitate. Caussam reddit C. Plinius L. 30. C. 1. ubi de origine artis magicae: *Natam primum e medicina nemo dubitat, ac specie salutari irrepsisse velut altiorem sanctioremque medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanum genus.* Nata in Perside, totum est orbem pervagata: atque etiam ipsum Oceanum transiluit, eodem illo magno viro demirante: *Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis caerimoniis, ut dedisse Persis videri possit. Adeo ista toto mundo consensere, quamquam discordi & sibi ignoto.* ubi fortasse scribendum, *quamquam dissorti*, h. e. diversae sortis ac naturae. Super qua voce vide quae summus vir Nic. Heinsius notavit ad primam Sabini Epistolam, ℣. 35. Sed nos ad magiam & Britannos revertamur, ac Pomponium Melam audiamus L. 3. C. 6. *Sena in Britannico mari Osismicis adversa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis est. Cujus antistites perpetua virginitate sanctae, numero novem esse traduntur. Barrigenas vocant, putantque ingeniis singularibus praeditas, maria ac ventos concitare carminibus, seque in quae velint animalia vertere, sanare quae apud alios insanabilia sunt, scire ventura & praedicare: sed non nisi deditas navigantibus, & in id tantum ut se consulerent profectis.* Singula hic notabilia: sed nos solum usum magiae in medicina quaerebamus. qui sane diutissime duravit, etiam apud Christianos. fuitque tempus, quum pro delicto leviculo excusaretur apud inquisitores haereticae pravitatis. quam in rem memorabilis exstat epistola Francisci Philelphi, quarta ac vicesima libri 12. An sit aliqua vis carminum in medendo, multis disputat Plinius L. 28. C. 2. & Franciscus Valesius lib. de Sacra Philosophia C. 3. ac Petrus Pomponatius, philosophus sua aetate celeberrimi nominis, libro de Incantationibus.

13. IPSE PROCURAVI NE POSSENT SAEVA NOCERE SOMNIA] notavit Statius, codicem Florentinum habere, *Ipse ego curavi.* Credo: non sequor. Cicero orat. de Harusp. respons. C. 28. *In quo constituendae nobis quidem sunt procurationes, & obsecratio, quemadmodum monemur. Sed faciles sunt preces apud eos, qui ultro nobis viam salutis ostendunt.* & L. 1. de Divinat. C. 2. *Cumque magna vis videretur esse & in impetrandis consulendisque rebus, & in monstris interpretandis, ac procurandis in haruspicum disciplina: omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant.* Phaedrus L. 3. Fab. 3.

Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

est itaque *procurare* expiare, avertere. quibus verbis ibidem utitur lepidissimus fabulator: quo amabiliorem alium numquam extulit tellus Thracia, ne Linum, ne Orpheum quidem. *Somnia* quae sequuntur *saeva*, alibi vocavit *mala*, alibi *crudelia*. Est autem apud hunc poëtam peculiaris quaedam notio vocis *saevus:* quam ostendet tibi aliquot locorum compositio. Nec possum probare *scaeva*, quod huc intrudunt: quamvis id viderim in duobus libris. olim *laeva* conjecerat Nic. Heinsius. deinde videtur sprevisse.

14. TER SANCTA DEVENERANDA MOLA] in Aldina, & quibusdam aliis editionibus, *salsa* legitur. quod quamvis recte dici queat, tamen omnes omnium libri *sancta* habent.

 qui

Ipse ego velatus lino, tunicisque solutis
Vota novem Triviae nocte silente dedi.

Omnia

qui tantus consensus non est insuper habendus. Valet autem *sancta* idem quod *casta*. Servius ad Eclog. 8. ℣. 82. *Sparge molam*] *Far & salem. Hoc nomen de sacris tractum est. Far enim pium, id est mola casta, salsa, (utrumque enim idem significat) ita fit: Virgines Vestales tres maximae ex Nonis Majis ad pridie Idus Majas alternis diebus spicas adoreas in corbibus messuariis ponunt; easque spicas ipsae virgines torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitum condunt. Ex* [male *Et* vulgatur] *eo farre virgines ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Idibus Septembribus, adjecto sale cocto, & sale duro. Igitur quod in sacris* molà casta *dicitur, id Virgilius in quinto Aeneidos* farre pio *enuntiavit. Quid enim est pium, nisi castum? quoniam* piare *est propitiare: quod accidere non potest, nisi caste inservitum erit rebus sacris.* Et ut noster molam a Vestalibus confectam vocat *sanctam*, ita virgines ipsas hoc epitheto condecoravit Horatius L. 1. Od. 2. ℣. 27.

prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?

vicissim Minucius Felix *castas* vocat, verbis quidem Caecilii: *Sic eorum potestas & auctoritas totius orbis ambitus occupavit: sic imperium suum ultra Solis vias & ipsius Oceani limites propagavit, dum exercent in armis virtutem religiosam, dum urbem muniunt sacrorum religionibus, castis virginibus, multis honoribus ac nominibus sacerdotum.* Achilles nobis persuadere vult, molam dici *ter sanctam*, quod nulla sine salsa mola sacrificia fiant. satis supine. Adverbium *ter* notat trinam expiationem. de quo numeri mysterio jam monuimus. ut autem verbum *venerari* significat precari: sic *devenerari*, precibus amoliri, averruncare. Id quod Muretus ante me ostendit. Ponitur autem hic passive. sic & Horatius posuit L. 2. Sat. 2. ℣. 124.

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.

& Apulejus L. 11. Metam. *seu Phoebi soror, quae partu foetarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educasti, praeclarisque nunc veneraris delubris Ephesi.* Vide Gulielmum Canterum L. 6. Nov. Lect. C. 24.

15. IPSE EGO VELATUS FILO] Turnebus *filum* hic capit pro vittis & infulis, L. 29. Adv. C. 31. Passeratius autem pro veste linea, ad Propert. p. 561. sic & Achilles. Recte: sed puto fuisse a poëta velatus *lino*. nam lini usus plurimus in sacris. Maro L. 12. Aen. ℣. 120.

alii fontemque ignemque ferebant
Velati lino, & verbena tempora vincti.

noster Albius supra Eleg. 3. ℣. 30.

Ut mea votivas persolvens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeat.

vide istic notata.

15. TUNICISQUE SOLUTIS] nescio unde Scaliger potuerit sibi persuadere, esse haec sacra Cocytia & Stygialia: quum non nisi de morbo Deliae agatur. Eum ut depelleret Tibullus, vota sua efficacia commemorat, & lustrationes, & somniorum expiationes, & cantus, & caerimonias sacri nocturni, cum novem votis novis Dianae susceptis. Dianae, in cujus tutela peculiari omnes mulieres habebantur. Itaque *tunicae solutae* nihil pertinebant ad sacrum Stygium: sed simpliciter solvebantur, ideo, quod in omni sacro nihil esset ligatum, non hostia, non crines, non vestes, non pedum vincula. Talem ecce Medeam, Aesoni annos juveniles revocaturam, L. 7. Metam. ℣. 180.

postquam plenissima fulsit,
Ac solida terras spectavit imagine Luna;
Egreditur tectis vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos:
Fertque vagos mediae per muta silentia noctis
Incomitata gradus.

Rationem reddit Servius, quod in sacris par esset caussa & animae, & corporis: atque ideo, quae fieri in anima non poterant, ea fieri in corpore; ut solvere, vel ligare: ut anima, quod per se sentire haud poterat, sentiret per corporis cognationem. Vide doctum illum grammaticum ad L. 2. Aen. ℣. 133. ad L. 3. ℣. 370. ad L. 4. ℣. 518. ad L. 6. ℣. 48.

16. VOTA NOVEM TRIVIAE NOCTE SILENTE DEDI] Recte *Triviae* reposuit Scaliger. Et sic libri meliores. sunt tamen qui nec *Triviae*, nec *Veneri* habeant, sed *circum*. quod ego non intelligo. *Trivia* autem, sive *Diana*, multis de caussis in morbo invocabatur: nullius enim sideris efficaciam praesentius sentiunt

Omnia perſolvi. fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, ſi ſalva fuiſſes,
Fingebam demens, ſed renuente Deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia cuſtos,
Area dum meſſes ſole calente teret.
Aut mihi ſervabit plenis in lintribus uvas,
Preſſaque veloci pinguia muſta pede.

Con-

tiunt corpora adfecta. Hinc vota Dianae & Lunae pro ſalute in antiquis lapidibus apud Gruterum, XXXIX. 3. XL. 8. 12. 13. XLI. 8. XLII. 1. 2. Huc adde, quod amantes Dianam ſolenniter precarentur, tamquam peculiare ſibi numen. Sic Phaedrae nutrix apud Tragicum Hippol. ℣. 406.

Regina nemorum, ſola quae montes colis,
Et una ſolis montibus coleris Dea,
Converte triſtes ominum in melius minas.
O magna ſilvas inter & lucos Dea,
Clarumque coeli ſidus, & noctis decus,
Cujus relucet mundus alterna face,
Hecate triformis, en ades coeptis favens.

vide Theocriti Idyllion ſecundum, quod *Pharmaceutria* inſcribitur.

23. Aut mihi servabit plenis in lintribus uvas] τὸ *Aut* non debebat Gebhardus mutare in *At*; quae particula modo praeceſſerat, hic autem minime requiritur. *plenas* habet primus noſter: ſed in margine *plenis* pro diverſa lectione. *lintres* ſunt alvei, quibus uvae portantur in vindemia. Ita Servius tradidit in L. 1. Geor. ℣. 262. *Navias* vocabant Romani. Feſtus: *Navia ex uno ligno exſculpto, ut navis, quo utuntur alveo in vindemia.* Vide iſtic Scaligeri notam. Feſti verba protulit Achilles: Servium vero non potuit videre tam plenum ante illam eximiam Petri Danielis editionem. Noſter poëta intelligit uvas ollares: de quibus vide Columellam L. 12. C. 43.

24. Pressaque veloci candida musta pede] loquitur de muſtis condîtis: id oſtendit *ſervandi* verbum. erant autem condiendi multae ac variae rationes; reperiundae apud Catonem lib. de R. R. cap. 120. Columellam L. 12. C. 19. ſeqq Plinium L. 14. C. 20. Mirum autem, *candida* hic praecipue nominari: niſi ſi Albius noſter candidis praecipue fuerit delectatus. Plinius L. 23. C. 1. *Muſta differentias habent naturales has, quod ſunt candida, aut nigra, aut inter utrumque: aliaque, ex quibus vinum fiat, alia ex quibus paſſum: cura differentias innumerabiles facit.* Deinde oſtenſis & dotibus & vitiis, addit: *ad omnia infirmius album, jucundius paſſi muſtum, & quod minorem capitis dolorem adferat.* Junius Columella L. 3. C. 2. *Sunt & Helvolae, quas nonnulli Varias appellant, neque purpureae, neque nigrae, ab helvo (niſi fallor) colore vocitatae. Melior eſt nigrior abundantia vini; ſed haec ſapore precioſior. color acinorum in neutra conſpicitur aequalis. Utraque candidi muſti alterna vice annorum plus aut minus adferunt.* Vides candida non haberi pro laudatiſſimis. Sed omnium generum muſta habuiſſe poëtam veroſimile eſt, ut patremfamilias diligentem, & in domo plena. Quocirca aptius videtur epitheton generale, *pinguia*: quod legitur in meo tertio: exſtabatque in tribus Palatinis Gebhardi, inque compluribus Achillis Statii codicibus. ſic ſupra ipſemet Albius dixit, Eleg. 1. ℣. 6.

Nec Spes deſtituat: ſed frugum ſemper acervos
Praebeat, & pleno pinguia muſta lacu.

pariter Manilius L. 3. ℣. 153.

Seu Cererem plenam, vincentemque horrea meſſem,
Aut repetat Bacchum per pinguia muſta fluentem.

tum poſtea ℣. 659.

Tunc Liber gravida deſcendit plenus ab ulmo:
Pinguiaque expreſſis deſpumant muſta racemis.

Columella in Horto, ℣. 432.

Et te Maenalium, te Bacchum, teque Lyaeum,
Lenaeumque patrem canimus ſub tecta vocantes,
Ferveat ut lacus, & multo completa Falerno
Exundent pingui ſpumantia dolia muſto.

Propertii quoque *purpureum* de quovis muſto capi poteſt, L. 3. Eleg. 15. ℣. 17.

Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominae ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolae pro vitibus uvam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae,
Et juvet in tota me nihil esse domo.

Huc

Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et nova pressantes inquinet uva pedes.

vulgatae Albii nostri scripturae haesit Jo. Jovianus Pontanus, Amor. L. 2.

Candida quum celeri sub pede musta fluunt.

27. DEO AGRICOLAE] Silvanum intelligit Dacerius, vitis & segetis atque gregis custodem, Not. ad Horat. Epod. 2. & ad L. 2. Epist. 1. ℣. 142. Et nos aliquid notavimus supra ad Eleg. 1. ℣. 24. sed & Baccho peculiariter uvae ferebantur, Cereri spicae, Priapo poma. In Lusibus liberis Carm. 53.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo,
Cum capiant alti vix sua musta lacus.
Magnaque foecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.
Tu quoque Dive minor majorum exempla secutus,
Quamvis pauca damus, consule poma boni.

Nemesianus Ecl. 2. ℣. 50.

Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites deus, & sata; poma Priapus,
Pascua laeta Pales; Idas te diliget unam.

Est vero *Dei agricolae* nomen non unius Silvani, sed & numinum aliorum. Alibi probavimus, ita vocari Vertumnum. Noster etiam cuncta ruris numina hac una compellatione comprehendit L. 2. Eleg. 1. ℣. 36.

Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia coelitibus.

Peculiariter eo nominis honore mactabatur Priapus, foecunditatis omnis auctor atque antistes. Ovidius L. 1. Trist. Eleg. 9. ℣. 26.

Dardaniamque petit auctoris nomen habentem,
Et te ruricola Lampsace tuta Deo.

Hoc autem loco Bacchum intelligit poëta. Vide initium libri primi Georgicorum divini Maronis.

28. PRO SEGETE SPICAS, PRO GREGE FERRE DAPEM] Multi libri *Pro segete & spicas* habent: nimirum a liberalitate eorum, qui ut versus staret metuebant. Sed tu consule Terentianum Maurum, in corpore Grammaticorum Putschii p. 2406. & nostrum Vossium L. 2. de Arte Gramm. C. 15. *Daps* est epulum sacrum & religiosum. Servius ad L. 3. Aen. ℣. 224. *dapibusque epulamur opimis*] *Dapes, deorum sunt: Epulae, hominum.* Pompejus Festus: *Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna semente, aut verna.* Fiebat autem pro foetu tam gregis, quam armenti: sed hoc discrimine, ut in voto pro bubus faciundo mulier exesse juberetur. M. Cato cap. 83. de R. R. *Votum pro bubus, ut valeant, sic facito. Marti Silvano in silva interdius, in capita singula boum votum facito farris adorei libras* III. *& lardi* P. IV. S. *& pulpae* P. IV. S. *vini sextarios tres. Id in unum vas liceto conjicere, & vinum item in unum vas liceto conjicere. Eam rem divinam vel servus, vel liber licebit faciat. Ubi res divina facta erit, statim ibidem consumito. Mulier ad eam rem divinam ne adsit; neve videat quomodo fiat.* Hinc adparet, *gregem* Tibullianum non debere sumi pro bubus, sive pro armento. qua in re lapsum scimus Douzam nostrum Praecidan. C. 8. Verna dape facta, initia operum rusticorum inchoabantur. id autem fiebat pyro florente. iterum daps erat Jovi dapali ante sationem milii, panici, alii, lentis. Vide sis Catonem capp. 50. 131. 132.

29. ILLA REGAT CUNCTOS] *reget* duo Anglicani. minus recte.

30. ET JUVET IN TOTA ME NIHIL ESSE DOMO] in tertio nostro *Et juvet* legitur. quo modo edidit Cyllenius. Ceteri *Adjuvet* habent, vel *Adjuvat*, vel *At juvet:* non tam bene. Quid sit *nihil esse*, ostendit Tullius L. 1. ad Attic. Epist. 19. *Metellus est consul sane bonus, & nos admodum diligit. Ille alter ita nihil est, ut plane quid emerit nesciat.* Erat is L. Afranius, qui emerat consulatum. Idem Tullius orat. pro P. Sextio C. 15. *Iisdem Coss. arma in templum Castoris palam comportabantur,*

Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet:
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.

35 Haec

tur, gradus ejusdem templi tollebantur: armati homines forum & conciones tenebant: caedes lapidationesque fiebant: nullus erat senatus, nihil reliqui magistratus: unus omnem omnium potestatem armis & latrociniis possidebat. Atque hoc postremum *omnia esse* vocabant, locutione pulcre inlustrata Desiderio Heraldo ad Martial. L. 1. Epigr. 69. Lucanus L. 3. ℣. 108.

Phoebea palatia complet
Turba patrum, nullo cogendi jure senatus,
E latebris educta suis: non consule sacrae
Fulserunt sedes: non proxima lege potestas
Praetor adest: vacuaeque loco cessere curules.
Omnia Caesar erat.

Ceterum quod hic Deliae datur, errore credo memoriae (ut saepe fit) ad Nemesin transtulit Martialis L. 14. Epigr. 193.

Ussit amatorem Nemesis lasciva Tibullum;
In tota juvit quem nihil esse domo.

Sed excusat Martialem Achilles Statius, putatque eamdem puellam utroque nomine intelligi. Satis secure; ne dicam satis crasse. Tu Nasoni potius adcredito L. 3. Amor. Eleg. 9. ille enim utramque noverat.

33. ET TANTUM VENERATA VIRUM, HUNC SEDULA CURET] Ita omnes nostri, ne uno quidem apice mutato. In solo Sfortiano invenerat Achilles, una particula plus, *hunc & sedula curet:* idque probabat. Non debebat. Ineptissime huc intruditur otiosa particula; quae si vel maxime locum suum tueri hic posset, tamen in pentametro vel bis vel certe semel erat repetenda, ut fert usus eleganter & castigate loquentium. Nunc & sensum corrumpit, & violata sermonis Latini ratione versum concinnat ridiculum ac commictilem, & misere febrientem. Saepe literam M non elidebant in carmine, quamvis proxime sequeretur vocalis. Vide Priscianum L. 1. p. 556. Lambinum ad Lucret. L. 1. ℣. 437. Gifanium Conlect. Lucret. Joannem Rivium prolegom. in Terent. Vossium L. 2. Art. Gram. C. 30. Marq. Gudium in Phaedr. L. 1. Fab. 4. & L. 4. Fab. 5. Nec est quare quis objiciat, M non subtractum esse breve: nam hic producitur ratione literae H, quae vim habet positionis. Exemplis congerendis supersedeo: sunt enim passim in promtu. In libris Angeli Colotii & Fulvii Ursini erat, *huic sedula curet.* quae scriptura non est temere rejicienda. L. Accius Antigona:

jam jam neque Dii regunt,
Neque profecto Deûm summus rex omnibus curat.

Plautus Rud. Act. 1. Sc. 2. ℣. 58.

Cererem te melius, quam Venerem sectarier:
Amore haec curat, tritico curat Ceres.

Trucul. Act. 1. Sc. 2. ℣. 35.

As. *Nimis otiosum arbitror hominem esse te.*
Di. *Quianam arbitrare?*
As. *Quia tuo vestimento & cibo alienis rebus curas.*

Et sic saepe alibi. Apulejus Apolog. *Alteram vero Coelitem Venerem, praedita quae sit optimati Amore, solis hominibus, & eorum paucis curare, nullis ad turpitudinem stimulis vel illecebris sectatores suos percellentem.* Eodem libro: *Discat Aemilianus, quoniam usque adeo rebus meis curat,* &c. Tamen si quis pertendat, *curare* cum dativo habere significatum τοῦ ἐπισκοπεῖν; cum illo non magnopere pugnabo. Maneat sane vetus scriptura, ut τὸ *curet* verbum sit mensae atque convivii. Terentius Adelph. Act. 5. Sc. 1. ℣. 1.

Aedepol, Syrisce, te curasti molliter,
Lauteque munus administrasti tuum.

Lucretius L. 2. ℣. 31.

inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus jucunde corpora curant.

Virgilius L. 1. Geor. ℣. 301.

Frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur,
Mutuaque inter se laeti convivia curant.

Horatius L. 1. Epist. 4. quae est scripta ad hunc nostrum Albium, ℣. 15.

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

35. CAU-

Haec mihi fingebam. quae nunc Eurusque Notusque
Jactat odoratos vota per Armenios.
Num Veneris magnae violavi numina verbo?
Et mea nunc poenas impia lingua luit?
Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum,
Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis?

Non

35. CAURUSQUE NOTUSQUE] Libri ſcripti plus quam viginti *Eurusque Notusque* habent magno conſenſu. Et recte junguntur venti duo vicini, quorum flatus inter ſe non nimium diſtant. M. Vitruvius L. 1. C. 6. *Itaque ſunt collocati inter Solanum & Auſtrum ab Oriente hiberno, Eurus: inter Auſtrum & Favonium ab Occidente hiberno, Africus: inter Favonium & Septemtrionem Caurus, quem plures vocant Corum: inter Septemtrionem & Solanum Aquilo.* Cum noſtro Tibullo facit Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 4. ℣. 11.

Quae tibi ſint facienda tamen, cognoſce: nec Euris
Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.

qui & ventorum regiones ac tractus deſcripſit L. 1. Metam. ℣. 61.

Eurus ad Auroram, Nabathaeaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper, & occiduo quae litora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam Septemque trionem
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.

37. NUM VENERIS MAGNAE VIOLAVI NUMINA VERBO] Paſſeratius ex libro vetere *magno* legebat; ut referatur ad τὸ *verbo.* Atque id ſibi fere ephebo in mentem fuiſſe dicit Gebhardus, firmatque teſtimonio Euſthatii Swartii: ſed occupaſſe Paſſeratium. Ingens enimvero jactura. *Magnae* habent omnes libri, epitheto Dearum ſolenni ac perpetuo. Propertius L. 3. Eleg. 6. ℣. 12.

Quae mulier rabida jactat convicia lingua,
Et Veneris magnae volvitur ante pedes.

Apulejus L. 5. Metam. verbis Pſyches: *Quorſum itaque tantis laqueis incluſa veſtigium porrigam, quibusve tectis vel etiam tenebris abſcondita magnae Veneris inevitabiles oculos tandem effugiam?* paullo poſt, ubi Deae iter in coelum deſcribitur: *Cedunt nubes, & coelum filiae panditur: & ſummus aether cum gaudio ſuſcipit Deam. nec obvias aquilas, vel accipitres rapaces pertimeſcit magnae Veneris canora familia.* Quid ſibi velit epitheton *magna*, infra oſtenditur L. 4. Carm. 13. ℣. 16.

Haec tibi ſancta tuae Junonis numina juro,
Quae ſola ante alios eſt mihi magna Deos.

39. NUM FEROR INCESTUS SEDES ADIISSE DEORUM] ſupplicaturi, vel gratias acturi, propria locutione *adire Deos* dicebantur; & *adire ad Deos.* Albinovanus Pedo Eleg. ad Liviam Auguſtam ℣. 290.

Saepe Nero illacrimans ſubmiſſa voce loquetur,
Cur adeo fratres, heu ſine fratre, Deos?

ibi hunc Albii noſtri verſiculum, cum aliis aliorum poëtarum, citavit ad teſtimonium Nic. Heinſius. Cicero Philipp. 14. C. 1. *Nam hoc quidem cum turpe eſt, tum ne Diis quidem immortalibus gratum, ab eorum aris, ad quas togati adierimus, ad ſaga ſumenda diſcedere.* Seneca Hippol. ℣. 108. verbis Phaedrae:

Non colere donis templa votivis libet:
Non inter aras, Atthidum miſtam choris,
Jactare tacitis conſcias ſacris faces:
Nec adire caſtis precibus aut ritu pio
Adjudicatae praeſidem terrae Deam.

Lactantius L. 4. Divin. Inſtit. C. 3. *Philoſophia & religio deorum disjuncta ſunt, longeque diſcreta; ſiquidem alii ſunt profeſſores ſapientiae, per quos utique ad deos non aditur; alii religionis antiſtites, per quos ſapere non diſcitur.* Sunt autem *Deorum ſedes*, templa, & fana. Lucretius, de Jove fulminante, L. 6. ℣ 417.

Poſtremo cur ſancta Deûm delubra, ſuasque
Diſcutit infeſto praeclaras fulmine ſedes?
Et bene facta Deûm frangit ſimulacra? ſuisque
Demit imaginibus violento volnere honorem?

Cicero orat. de Haruſp. reſponſ. C. 14. *Putant enim nonnulli ad me pertinere, armamentarium Telluris aperire. nuper id patuiſſe & ego recordor. nunc ſanctiſſimam partem ac ſedem maximae religionis privato dicunt veſtibulo contineri.* pro P. Sextio C. 20. *De quo te, te, inquam, Patria, teſtor, & vos Penates Patriique Dii, me veſtrarum ſedum templorumque cauſſa, me propter ſalutem meorum civium,*

quae

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus:

Non

mihi semper fuit mea carior vita, dimicationem caedemque fugisse. Itaque eadem ratione, qua *Deos adire*, etiam *adire templa* dicebant. Caesar L. 2. Bell. Civ. C. 5, ubi describitur navalis pugna apud Massiliam: *Facile erat ex castris C. Trebonii atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem, ut omnis juventus, quae in oppido remanserat, omnesque superioris aetatis, cum liberis atque uxoribus, publicisque custodiis, aut ex muro ad coelum manus tenderent, aut templa Deorum immortalium adirent, & ante simulacra projecti victoriam ab Diis exposcerent.* (quod postremum refer ad Albianum illud *procumbere templis* ℣. 41.) Plinius Caecilius L. 3. Epist. 7. de Silio Italico: *Multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur: Virgilii ante omnes, cujus natalem religiosius, quam suum, celebrabat; Neapoli maxime ubi monumentum ejus adire, ut templum, solebat.* Est igitur in verbo *adire* significatio obsequii, & venerationis, & cultus religiosi; ut bene observavit Desiderius Heraldus ad Arnob. L. 1. omnis autem res sacra castimoniam & munditiem postulabat, non corporum minus, quam animorum. Noster L. 2. Eleg. 1. ℣. 13.

Casta placent superis. pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

vide Tullium orat. de Harusp. respons. C. 13. & Barthium L. 37. Adv. C. 17. Qui neglexissent, *inpuri* dicebantur, & *incesti*. Papinius L. 5. Silv. 5. ℣. 4.

quae vestra sorores
Orgia Pieriae, quas incestavimus aras?
Dicite. post poenam liceat commissa fateri.

Ipsum crimen religionis violatae *incestum* vocavit Tullius orat. pro Milone C. 22. *De servis nulla lege quaestio est in dominos, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proxime Deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat: cujus de morte, tamquam de caerimoniis violatis, quaeritur.*

40. SERTAQUE DE SANCTIS DERIPUISSE FOCIS] habenda est gratia Hadriano Turnebo, qui primus vidit non *diripuisse*, (quod multi scripti habent) sed *deripuisse* legi debere, L. 16. Adv. C. 4. & L. 29. C. 30. Vidit & Obertus Gifanius in Conlectaneis Lucretianis. unus noster *eripuisse* praefert: quomodo & Statiana & Brixiana editio, atque etiam Bernardinus Cyllenius. proxime verum. *deripere de focis* est antiquae elegantiae, praepositiones geminantis. cujus rei gustum dedimus ad Propert. L. 1. Eleg. 3. ℣. 36. Papinius L. 3. Theb. ℣. 567.

Ergo manu vittas damnataque vertice serta
Deripit, abjectaque inhonorus fronde sacerdos
Inviso de monte redit.

sic correxerat Gifanius ex ingenio: & firmavit hanc correctionem antiquus Barthii codex. Vide sis Pierium Valerianum ad L. 10. Aen. ℣. 414. quem quum legerit Jesuita Ruaeus, quid ei in mentem fuisse dicas, cur Maronem corrumperet? sic enim edidit L. 1. Aen. ℣. 215.

Tergora diripiunt costis, & viscera nudant.

Meliora te docebit Dion. Lambinus ad Horat. L. 1. Od. 9. ℣. 23. Nic. Heinsius ad Ovid. L. 1. Amor. Eleg. 5. ℣. 13. & ad L. 3. Metam. ℣. 52. Ceterum ego hic *Sertave* malim, si liceat, quam *Sertaque*. duas enim poëta res proponit, non penitus easdem, contemtum religionis ac caerimoniarum, & sacrilegium.

41. NON EGO TELLUREM] libri scripti omnes, cum editione principe, hos duos versus subjiciunt duobus illis, qui nunc vulgo sequuntur. Recte sane. nam & constructio pendet a verbo *dubitem*; & sunt praeterea gradus quidam graviorum suppliciorum. Harum religionum complures videre est apud Lucretium L. 5. ℣. 1200. inprimis projectionem ante simulacra Deorum:

Nec pietas ulla 'st, velatum saepe videri
Vertier ad lapidem, atque omneis accedere ad aras:
Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante Deûm delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota:
Sed mage pacata posse omnia mente tueri.

42. ET DARE SACRATIS OSCULA LIMINIBUS] ritum hunc pulcre inlustravit magnus Lipsius L. 2. Elect. C. 6. cui adde nostrum Douzam Praecidan. C. 2. quos nec nominatos exscripsit Martinus Kempius Differt. 7. de Osculis §. 23.

43. TEL-

Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

At

43. TELLUREM GENIBUS PERREPERE] Gebhardus, quoniam in primo Palatino *proterrere* erat, liquido (sic ait) emaculat hunc locum insigni mendo conspurcatum, unico tantum elemento inmutato, ut sit *proverrere*. Probat hanc suam emendationem locis aliquot aliorum scriptorum, ubi mulieres inducuntur aras atque humum crinibus suis everrentes. Sed quem in finem? quem, nisi ut sola templorum atque aras a pulvere atque inmunditiis purgarent? Eam in rem apti erant crines muliebres, longi ac promissi. At vero humum genibus qui perreptat, ille pulverem ut copiosum excitet necesse est, nisi si forte imber fuerit. itaque Gebhardo gratiam faciemus hujus tam ingeniosae medicinae, contenti vetere scriptura, ejusque scripturae non pessimo patrono Junio Juvenale, Sat. *6*. ℣. *526*.

Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Verticibus timidum caput abluet: inde Superbi
Totum regis agrum nuda ac tremebunda cruentis
Erepet genibus.

ante quem & Seneca hanc superstitionem derisit lib. de Vita Beata C. 27. *Cum aliqua genibus per viam repens ululat; laurumque linteatus senex, & medio lucernam die praeferens, conclamat, iratum aliquem Deorum; concurritis, & auditis, & divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem adfirmatis.*

44. ET MISERUM SANCTO TUNDERE POSTE CAPUT] Hunc locum tamquam nullius rei omnes interpretes uno saltu transmiserunt; nisi quod solus Statius notaverit, calamitatis ac magni doloris hoc esse argumentum, idque post Varianam cladem fecisse Augustum. Augusti tamen factum huc trahere non est ausus noster Douza: nec patiuntur ipsa verba Historicorum, nullam in eo religionem agnoscentium, sed consternationem extremam. Suetonius Aug. C. 23. *Hac nuntiata excubias per urbem indixit, ne quis tumultus exsisteret: & praesidibus provinciarum propagavit imperium, ut & a peritis & adsuetis socii continerentur. Vovit & magnos ludos Jovi Opt. Max.* SI RESPUBLICA IN MELIOREM STATUM VERTISSET: *quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat. Adeo denique consternatum ferunt, ut per continuos menses barba capilloque summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans, Quinctili Vare, legiones redde.* Paullus Orosius L. *6*. C. 21. *Sub eodem vero tempore Quinctilius Varus cum tribus legionibus a Germanis rebellantibus, mira superbia atque avaritia in subjectos agens, funditus deletus est. Quam reipublicae cladem Caesar Augustus adeo graviter tulit, ut saepe per vim doloris caput parieti collidens clamaret, Quinctili Vare, redde legiones.* Vestem lacerasse, & in magno luctu, nec minore metu, fuisse tradit Dio Cassius L. *56*. Fecit igitur Augustus id, quod facere solent illi, qui dolori suo nimium indulgent, dum putant ita oportere. Cicero L. 3. Tuscul. Quaest. C. *26*. *Sed ad hanc opinionem magni mali cum illa etiam opinio accesserit, oportere, rectum esse, ad officium pertinere, ferre illud aegre, quod acciderit: tum denique efficitur illa gravis aegritudinis perturbatio. Ex hac opinione sunt illa varia & detestabilia genera lugendi, paedores, muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. Hinc ille Agamemno Homericus, & idem Accianus,*

Scindens dolore idemtidem intonsam comam.

In quo facetum illud Bionis, perinde stultissimum regem in luctu capillum sibi evellere, quasi calvitio moeror levaretur. Haec igitur nihil ad religiones. Sed Albii nostri percussio capitis ad sacrum postem dubitare nos non sinit de caerimoniis sacri alicujus expiatorii. Ritum ipsum peregrinum fuisse arbitror, atque ab Aegypto & Nilo advectum una cum Iside. Cujus Isidis cultu tunc temporis maxime insaniebant mulieres, & mulierum sectatores. Ejus rei plurima exstant vestigia apud poëtas Latinos. Potuit autem fieri, ut hic cultus peregrinus nec diu nec late fuerit receptus, propter ipsam peregrinitatem. Atque haec fortasse caussa sit, quare ejus, extra nostrum poëtam, meminerit nemo. Certe & Isis ipsa & Isidis sacra quam parum honorifice fuerint habita, ostendit Propertius L. 2. Eleg. 24. Lucanus L. 8. ℣. 831. L. *9*. ℣. 158. Juvenalis Sat. *6*. ℣. 489, *526*. Sat. *9*. ℣. 22. Ut taceam alios complures. Quinimo sacra Aegyptiaca ex urbe ejecta fuisse a M. Agrippa auctor est Dio Cassius L. 54. Quocirca mirum videri non debet, si ritus alicujus memoria vel sit mi-

At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi: non unus saeviet usque Deus.
Vidi ego qui juvenem seros desisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem.
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.

Stare

minus frequens, vel denique penitus interierit. Noster hic Romanas religiones cum externis commiscet. Romanae erant, *procumbere templis, Et dare sacratis oscula liminibus.* Externae, humum genibus perreptare, & caput ad postes templi adlidere.

45. AT TU, QUI LAETUS RIDES MALA NOSTRA] Mallem hic, *qui lentus.* Habet enim haec vocula significationem quamdam securitatis cum contemtu conjunctae. noster L. 2. Eleg. *6.* ℣. 27.

Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.

Ovidius Epist. Herus ℣. 81.

Hic, puto, deprensus nil, quod quarereris, haberes;
Meque tibi amplexo nulla noceret hiems.
Certe ego tum ventos audirem lenta sonantes,
Et numquam placidas esse precarer aquas.

Suetonius Ner. C. 40. *Neapoli de motu Galliarum cognovit die ipso quo matrem occiderat, adeoque lente ac secure tulit, ut gaudentis etiam suspicionem praeberet.* Conjunxit utramque vocem Albinovanus Pedo Consol. ad Liviam Augustam ℣. 279.

Consistam, laetisque oculis, lentusque videbo
Strata per obscaenas corpora nuda vias.

Risum hunc malignum & contemtorem pulcre describit Aristaenetus L. 2. Epist. *6.* & quidem in eodem argumento.

47. VIDI EGO QUI JUVENUM MISEROS LUSISSET AMORES] non possum non amplecti correctionem Scaligeri, legentis

Vidi ego qui juvenem seros desisset amores.

Vidi juvenem, qui desisset amores seros. Primum, sermo hic est de mulierum amoribus; quo nihil pertinet τὸ *juvenum.* deinde *juvenem* multi codices Achillis Statii habebant: unus item Heinsii; & secundus Wittianus. *miseros* corruptum fuit ex *seros.* id quod saepe factum est. Vide Heinsium ad Valer. Flacc. L. 2. ℣. 234. pro *lusisset*, habebat Sfortiae liber *laesisset*; Scaligeranus, bini Heinsiani, & Colbertinus, *lesisset.* ex quo haud difficulter fit *desisset.* Haec sane sententia illâ multo est melior ac sanior, quae huc usque obtinuit. Quam quod dissimulavit Gebhardus, in eo morem gessit animo suo, raro Scaligeri inventa probanti. In Valerio Flacco, post tot aureas Heinsii emendationes, etiam nunc *miseros* legimus, pro *seros*, L. 3. ℣. 273.

Deus haec, Deus asper utrisque
Implicuit. sumus heu Minyae, sumus hospita turba!
Cur etiam flammas, miserosque moramur honores?

omnino scribendum videtur, *serosque moramur honores. Seri honores*, officium funebre: id quod nostrates eleganter vocant *de laatste eere.* & *honoris* vocabulum in hac re vel maxime proprium est. Virgilius L. 10. Aen. ℣. 493.

Quisquis honos tumuli, quicquid solamen humandi est,
Largior.

L. 11. ℣. 23.

Interea socios inhumataque corpora terrae
Mandemus: qui solus honos Acheronte sub imo est.

49. ET SIBI BLANDITIAS TREMULA COMPONERE VOCE] Non frustra *vocem tremulam* exagitat in seniculo deliro: vix enim quidquam est aeque ridiculum, atque ineptiae amatoriae in aetate senecta. quae aetas praeter ceteras formae ruinas ipsam etiam vocem corrumpit. Horatius L. 4. Od. 13.

Audivere, Lyce, Dii mea vota: Dii
Audivere, Lyce. fis anus, & tamen
Vis formosa videri:
Ludisque, & bibis inpudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas.

Hujus vitii imitationem non ferebat Quintilianus in histrionibus, quorum tamen ars omnis constat imitatione, L. 11. C. 3. *Cum mihi comoedi quoque pessime facere videantur, qui etiam si juvenem agant, cum tamen in* ex-

Stare nec ante fores puduit, caraeve puellae
Ancillam medio detinuisse foro.

Hunc

expositione aut senis sermo, ut in Hydriae prologo, aut mulieris, ut in Georgo, incidit, tremula vel effeminata voce pronuntiant. Et L. 1. C. 11. dixerat: *Dandum aliquid comoedo quoque, dum eatenus, qua pronuntiandi scientiam futurus orator desiderat. Non enim puerum, quem in hoc instituimus, aut femineae vocis exilitate frangi volo, aut seniliter tremere.* Ovidius L. 6. Fast. ℣. 400.

Sensit anus vicina loci: jussumque sedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput.

Hunc vocis tremorem in Eutropio acerbe exagitat Claudianus L. 1. ℣. 263.

Perque suam tremula testatur voce sororem,
Defecisse vagas ad publica commoda vires.

Est sane deformitas magna & turpitudo in vocis tremore: quem idcirco bacchantibus mulierum choris dedit magnus magister L. 7. Aen. ℣. 395.

Ast aliae tremulis ululatibus aethera complent.

Petronius: *Has lautitias aequavit ingeniosus cocus: in craticula enim argentea cochleas attulit, & tremula teterrimaque voce cantavit.* Id facundus ille nequam alibi vocavit *acidum canticum*, in coena Trimalchionis: *Ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio: sed obiter cantabant. Ego experiri volui, an tota familia cantaret. Itaque potionem poposci: paratissimus puer non minus me acido cantico excepit: & quisquis aliquid rogatus erat, ut daret.* deridet insulsi nebulonis delicias, & pueros symphoniacos indoctum cantantes. nam *acidum* vocabant quidquid esset insuave, atque injucundum. paullo post Eumolpus ille, *quum puer illi potionem dedisset, Malo te, inquit, quam balneum totum: siccatoque avide poculo, negat sibi umquam acidius fuisse: Nam & dum lavor, ait, paene vapulavi, quia conatus circa solium sedentibus carmen recitare. Et postquam de balneo tamquam de theatro ejectus sum, circuire omnes angulos coepi,* &c. Horatius L. 2. Epist. 2. ℣. 64.

Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter:
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.

Infeliciter atque inconsiderate *acuto*, vel *arido cantico* apud Arbitrum refingunt viri docti illi quidem, sed citra necessitatem ingeniosi. *blanditias* vocat noster Elegos amatorios, qui puellae animo subblandiantur. Naso L. 2. Amor. Eleg. 1. ℣. 21.

Blanditias Elegosque leves, mea tela, resumsi.
Mollierunt duras lenia verba fores.

ad suas Epigrammatum adulationes aptavit Martialis L. 10. Epigr. 72.

Frustra Blanditiae venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Dicturus Dominum Deumque non sum.
Jam non est locus hac in urbe vobis.
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate regum.

quod carmen tam exquisitae tamque artificiosae adulationis est plenum, ut summum fuisse magistrum oporteat, qui sic blandiatur, etiam ubi verum dicit.

50. ET MANIBUS CANAS FINGERE VELLE COMAS] Eleganter verbum *velle* abundat apud optimos scriptores. Lucretius L. 2. ℣. 558.

Per terrarum omneis oras fluitantia aplustra
Ut videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidi maris insidias, vireisque, dolumque
Ut vitare velint; neve ullo tempore credant,
Subdola cum ridet placidi pellacia ponti.

ibidem ℣. 642.

significant, Divam praedicere, ut armis
Ac virtute velint patriam defendere terram.

L. 5. ℣. 121.

Qui ratione sua disturbent moenia mundi,
Praeclarumque velint coeli restinguere solem,
Inmortalia mortali sermone notantes.

Noster L. 3. Eleg. 4. ℣. 4.

Desinite in vobis quaerere velle fidem.

Ovidius L. 2. Fastor. ℣. 262.

Addis, ait, culpae mendacia, Phoebus? & audes
Fatidicum verbis fallere velle Deum?

Phaedrus L. 1. Fab. 29.

Asellus apro cum fuisset obvius,
Salve, inquit, frater. Ille indignans, repudiat
Officium, & quaerit, cur sic mentiri velit.

53. TUR-

Hunc puer, hunc juvenis turba circumterit arta:
Deſpuit in molles & ſibi quisque ſinus.
At mihi parce, Venus: ſemper tibi dedita ſerviit
Mens mea: quid meſſes uris acerba tuas?

53. Turba circumstrepit arcta] Ita Scaliger ex ingenio; quum vulgo circumferretur *turba circumſtetit arcta.* Sed ſcripti fere omnes *circumterit* habent, atque etiam primae editiones. Et ſic exhibuit hunc verſiculum Coelius Calcagninus, vir amoeniſſimae eruditionis, in eo Dialogo qui *Equitatio* inſcribitur, Oper. p. 565. Tanta vis puerorum ac juvenum confluit ad viſendum hunc intempeſtivum Veneris pullum cum cano capite, ut illorum nimio agmine prematur, ac paene elidatur. Sic Ovidius L. 4. Pontic. Epiſt. 9. ℣. 21.

Nec querulus, turba quamvis eliderer, eſſem:
Sed foret a populo tunc mihi dulce premi.

Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 234.

Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis,
Et pars inmenſae gaudet celeberrima Romae.
Omnis honos, cuncti veniunt ad limina faſces:
Omnis plebejo teritur praetexta tumultu.

& L. 4. Theb. ℣. 798.

Illi per dumos, & opaca virentibus umbris
Devia pars cingunt, pars arcta plebe ſequuntur,
Praecelerantve ducem.

Primus ſuum Tibullo verbum jure poſtliminii reſtituit Janus Gebhardus L. 1. Crepund. C. 8. cui jungas licet, in deſcribenda talis turbae prementis ac terentis denſitate, Caſparis Barthii notam ad Papinii locum priorem. Pro *arcta*, erat in ſecundo Wittiano *arta:* & ſic codices Statiani. Neque umquam aliter ſcriptum vidimus in membranis veteribus Maronis, Horatii, ac Plinii Caecilii. Conſule, ſi tanti eſt, Pierium Valerianum in L. 1. Aen. ℣. 293. Aldum Manutium Orthogr. p. 79. Lud. Carrionem in Valer. Flacc. L. 1. ℣. 757. Ger. Jo. Voſſium Etymol. p. 46. Claudium Dauſquium T. 2. Orthogr. p. 44. Jo. Fred. Gronovium in Senec. Oedip. ℣. 277.

54. Despuit in molles et sibi quisque sinus] Hoc erat, *contagia regerere*, ut Plinius loquitur L. 28. C. 4. Lucianus in Navigio, ſive Votis: *ὑπερμαζᾷς γε, ὦ Ἀδείμαντε, καὶ ἐς τὸν κόλπον οὐ πτύεις, οὐδὲ οἶσθα ὅςις ὢν, ναυκληρεῖς. Petulantem agis, Adimante, & in ſinum non ſpuis: neque agnoſcis, quisnam ipſe ſis qui navem gubernas.* Plautus Aſin. Act. 1. Sc. 1. ℣. 26.

Neque hercle ego iſtuc dico: nec dictum volo.
Teque obſecro hercle, ut, quae locutus, deſpuas.

Videlicet avertendi ominis gratia. Ita hunc ſenecionem pueri ac juvenes tamquam portentum exſecrabantur.

VI.

Saepe ego tentavi curas depellere vino:
At dolor in lacrimas verterat omne merum.

Sae-

1. Curas depellere vino] Horatius L. 1. Od. 18.

Nullam, Vare, ſacra vite prius ſeveris arborem
Circa mite ſolum Tiburis, & moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus propoſuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.

Nihil frequentius apud poëtas. quorum multa dicta huc facientia congeſſit Michaël Piccartus, vir praeclarus, Dec. 13. Obſerv. C. 6. Alioqui vel ſolus Anacreon ſit inſtar multorum.

2. At dolor in lacrimas verterat omne merum] Elegans inventio, & venuſtatis poëticae pleniſſima. quam quo crebrius verſes atque excutias, eo ſuavius jucundiusque adridet. Rus merum, prae hac urbanitate, effutit Aurelius Nemeſianus Eclog. 2. ℣. 42.

Omnes ecce cibos, & noſtri pocula Bacchi
Horreo: nec placido memini concedere ſomno.

Saepe aliam tenui. ſed jam quum gaudia adirem,
Admonuit dominae, deſeruitque Venus.
Tunc me devotum deſcendens femina dixit.
Et, pudet heu, narrat ſcire nefanda mea.

Non

Longe quoque abeſt T. Calpurnius Eclog. 3. ℣. 51.

Te ſine, vae miſero! mihi lilia nigra videntur:
Nec ſapiunt fontes, & aceſcunt vina bibenti.
At tu ſi venias, & candida lilia fient,
Et ſapient fontes, & dulcia vina bibentur.

Non deeſt his verſiculis ſua gratia: tamen acor in vino vitium eſt naturale, neque ullam parit apud animum legentis admirationem. quae comes eſſe debet phantaſiae poëticae, rite atque ordine conceptae. Felicius, & propius ad Albianam Venerem, Naſo L. 1. Amor. Eleg. 7. de puella, quam pulſaverat, ℣. 57.

Suſpenſaeque diu lacrimae fluxere per ora;
Qualiter abjecta de nive manat aqua.
Tunc ego me primum coepi ſentire nocentem.
Sanguis erant lacrimae, quas dabat illa, meus.

3. SAEPE ALIAM TENUI] ad animi mei lubitum paratam habui. Naſo L. 3. Amor. Eleg. 7. ℣. 3.

Hanc tamen in nullos tenui male languidus uſus.

monuit Barthius L. 34. Adv. C. 22. & firmat Albius noſter L. 2. Eleg. 7. ℣. 34.

Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis.

Hoc ipſum Martialis *poſſidere* vocat L. 9. Epigr. 68. Sed de verbo *tenendi* in re Veneris diligenter egit doctiſſimus Gruterus L. 6. Suſpic. C. 16.

4. ADMONUIT DOMINAE, DESERUITQUE VENUS] proprie, ac ſignanter, *Admonuit* poſitum eſt. Sic enim dicitur, quidquid cum aliquo aculeo in memoriam nobis redit. Cicero L. 5. ad famil. Epiſt. 2. *Ego dolori tuo non ſolum ignoſco, ſed ſummam etiam laudem tribuo. meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet.* Virgilius L. 9. Aen. ℣. 109.

Ergo aderat promiſſa dies, & tempora Parcae
Debita conplerant, cum Turni injuria matrem
Admonuit ratibus ſacris depellere taedas.

pulcerrime Ovidius L. 6. Metam. ℣. 620.

peragit dum talia Procne,
Ad matrem veniebat Itys. quid poſſit, ab illo
Admonita eſt: oculisque tuens immitibus, Ah quam
Es ſimilis patri! dixit. nec plura locuta,
Triſte parat facinus.

L. 9. Metam. ℣. 324.

Dixit: &, admonitu veteris commota miniſtrae,
Ingemuit.

& Remed. Amor. ℣. 729.

Admonitu refricatur amor; vulnusque novatum
Scinditur.

Verbi vim commode expoſuit Jo. Fred. Gronovius Diatrib. in Papinii Silv. C. 49. quem tu conſules, ſi ſapis. In altero hemiſtichio *deſtituitque* habebant bini libri, non inepte. Maro Eclog. 1. ℣. 61.

Et freta deſtituent nudos in litore piſcis.

Cicero L. 1. ad Attic. Epiſt. 18. *Ita ſum ab omnibus deſtitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, & filiola, & mellito Cicerone conſumitur.* L. 3. Epiſt. 15. *totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, deſtitui & reliqui.* Amabilis ille nequam: *Egreditur ſuperbus cum praemio Aſcyltos; & paullo ante cariſſimum ſibi commilitonem, fortunaeque etiam ſimilitudine parem, in loco peregrino deſtituit abjectum.* Naſo, in eodem negotio quo noſter Albius, L. 3. Amor. Eleg. 7. ℣. 14.

Tacta tamen veluti gelida mea membra cicuta,
Segnia propoſitum deſtituere ſuum.

ſed & vulgata ſcriptura ferri poteſt. Cicero L. 1. de Offic. C. 29. *Efficiendum autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deſerant.*

5. TUNC ME DISCEDENS DEVOTUM FEMINA DIXIT] melius editiones principes, unusque ſcriptus Gebhardi, cum uno Heinſii Anglicano, *devotum deſcendens femina.* h. e. proripiens ſe de lecto, ſtomachi atque indignationis plena, tamquam quae ſperneretur. Ovidius, in eadem re, L. 3. Amor. Eleg. 7. ℣. 75.

Sed poſtquam nullas conſurgere poſſe per artes,
Immemoremque ſui procubuiſſe videt;
Quid me ludis? ait. Quis te, male ſane, jubebat
Invitum noſtro ponere membra toro?
Aut te trajectis Aeaea venefica lanis
Devovet: aut alio laſſus amore venis.

Nec

Nec mora: desiluit tunica velata recincta:
Et decuit nudos proripuisse pedes.
Neve suae possent intactam scire ministrae,
Dedecus hoc sumta dissimulavit aqua.

Petronium vide, illo loco, *Quid est? inquit. numquid te osculum meum offendit?* &c. noster infra Eleg. 9. ℣. 62.

Quid prosunt artes miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso saeva puella toro?

Verbum *descendere* inlustratum dedimus supra ad Eleg. 2. ℣. 19. & quidem non paullo pudentius, quam Gebhardus fecit L. 3. Crepund. C. 16. *Devotum* non intellexit, quicumque ille fuit, qui in Thesauro Basilii Fabri *devovere* exposuit per *excantare*; inque eam rem citavit hunc ipsum Albii nostri locum. Piget tantae supinitatis. *Devovere* est frigore ferire eam partem, qua viri sunt; ut quantumvis cupiant, tamen minime possint. Gallis est *noüer l'eguillette.* Canonum doctores hos tales *frigidos* vocant, & *maleficiatos.* Sed ista nihil ad Latinitatem. Latini, ut diximus, atque hoc ipso loco videmus, vocabant *devotos*, & *defixos*, quibus alieno scelere periisset virtus mascula. Id vero totum magicis artibus confieri putabant. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 7. ℣. 27.

Num mea Thessalico languent devota veneno
Corpora? num misero carmen & herba nocent?
Sagave Punicea defixit nomina cera,
Et medium tenues in jecur egit acus?
Carmine laesa Ceres sterilem vanescit in herbam:
Deficiunt laesae carmine fontis aquae.
Ilicibus glandes, cantataque vitibus uva
Decidit; & nullo poma movente fluunt.
Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?
Forsitan impatiens sit latus inde meum.

Posterior aetas *devotare* dixit. Apulejus Celsus lib. de Medicamin. Herbar. C 7. de Leontopodio: *Si quis devotatus defixusque fuerit in suis nuptiis, sic eum resolvas. Herbae pedisleonis frutices numero septem sine radicibus decoque cum aqua, luna decrescente: lavato eum, & te ipsum qui facis, ante limen extra domum prima nocte; & herbam incende aristolochiam, & suffumigato eum; & redite ad domum, & ne post vos respiciatis. resolvisti eum.* Habemus & maleficium, & remedium, & rei utriusque nomen. Quae cur antiquis ignota fuisse dicat Scaliger, non possum satis demirari. Ita scribit vir maximus Epist. 7. ad Gilbertum Seguinum: *Librum Gallicum de nodo Veneris totum percurri: cui rei quem Latinum aptum & idoneum titulum attribuam, equidem in praesentia non habeo.* Veneris *enim* vincula *in Pharmaceutria Virgiliana, quod auctor libri putat, aliter accipienda. Nam ea ad amorem conciliandum, & animum ab amore alienum in sua jura redigendum: at iste nodus ad contractum amorem dissolvendum. Et sane, non puto hujus fascini nomen proprium apud antiquos exstare. Atque adeo tantum abest, ut partem illam, qua viri sumus, fascinari solitam, ut hodie inter nos Christianos, existimem, ut veteres illi non solum pietatis imperiti, sed etiam stulte superstitiosi, figuram pudendi virilis ad fascini omne genus expugnandum multum valere crederent. Itaque pueris veretilla e collo suspendebant. Et hinc factum, ut pars illa etiam* fascinum *vocaretur. Non fascinabatur ergo pars illa, quae fascino adversaretur. Non igitur nomen e vetustate petendum ei rei, quam vetustas ignorabat.* Quisque suos patimur manes. Sed haec refutavit Salmasius in Plinianis Exercitationibus p. 1088. quamquam tacito Scaligeri nomine. Hujus maleficii memoria est longe antiquissima. Amasin Aegyptiorum regem memorat Herodotus, Euterp. C. 181. Ladices uxoris Cyrenaeae hortum colere nequisse, quum tamen aliarum mulierum complexibus frueretur sine ulla offensa. Quare iratum expostulasse cum uxore de veneficio, atque etiam necem ei interminatum: Ladicen vero, quum pernegando illum nihilo placatiorem redderet, vovisse Veneri, si ea nocte coïret secum vir suus, statuam se illi Cyrenas missuram. Suscepto voto, statim solutum fuisse Amasin, & plena robustaque voluptate potitum. Aliam solvendi rationem, sed magicam, videre poteris apud Petronium.

6. ET, PUDET HEU, NARRAT SCIRE NEFANDA MEA] Ita recte emendavit Scaliger, ex corrupta librorum scriptura *Et pudet & narrat:* quam alii porro pejus corruperunt, hoc modo, *Et dominae narrat.* Prioris hemistichii instar habet Horatius Epod. 11. ℣. 10.

Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui!

In inferiore est Graecismus; qualis ferme hic cycni Venusini L. 1. Od. 11. ℣. 1.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint, Leuconoë.

& Epod. 16. ℣. 14.

Quaeque carent ventis & solibus, ossa Quirini,
Nefas videre, dissipabit insolens.

Igi-

Non facit hoc verbis. facie tenerisque lacertis
Devovet, & flavis nostra puella comis.

Ta-

Igitur *nefanda*, non sunt nefandae artes, sive veneficia, quibus Albium sua puella defigebat; id quod Statius ac Muretus volebant; sed narrabat illa mulier de paralysi nervorum, quam sciri in vulgus ipse nefas putabat.

7. NON FACIT HOC VERBIS] *herbis* habent libri nonnulli. Noster infra Eleg. 9. ℣. 17.

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Propertius meus L. 2. Eleg. 1. ℣. 73.

Non hic herba valet: non hic nocturna Cytaeis:
Non Perimedea gramina secta manu.

Sed & prior lectio commode defendi potest. Horatius L. 1. Epist. 1. ℣. 34.

Fervet avaritia, miseroque cupidine pectus?
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

ibi tu Lambinum inspicito; ac Muretum L. 1. Var. Lect. C. 4. Hic autem utrumcumque malueris, nihil peccaveris: nam & herbae & cantus in promiscuo usu sagarum & magarum.

7. FACIE TENERISQUE LACERTIS] in quinque libris est *niveisque lacertis*. quod tamen me non movet, ut deseram receptam lectionem. Afranius Vopisco, apud Nonium in voce *Senium*:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Haec sunt venena formosarum mulierum.
Mala aetas nulla delinimenta invenit.

Ita hos versus ad hunc nostri poëtae locum citavit Scaliger. At Gasper Schoppius, L. 2. Verisimil. C. 20, invenit viam, qua ostenderet, aut Afranium male collegisse, aut in primo versu scribi debere,

Ni possent homines delinimentis capi.

Tu vide sis hominis logici ratiocinationem. qui tamen cum omni sua sapientia ignoravit, *delinimenta* hic poni pro philtris ac veneficiis amatoriis. quomodo & Livius posuit L. 39. C. 11. *Hispalae concubitu carere eum decem noctes non posse. Illius excetrae delinimentis & venenis imbutum, nec vitrici, nec parentis, nec Deorum verecundiam habere.* Dicit igitur Afranius, Delinimentis & veneficiis amorem conciliari non posse: alioquin enim omnes vetulas habituras esse amatores. Vera philtra adolescentularum, ac formosarum, esse aetatis florem, & corporis venustatem, & mores ad omnem comitatem compositos. hisce rebus destitutas anus frustra sibi opem sperare a venenis. Quid hic peccaverit amabilis ingenii poëta, haud facile ostendet ullus Baraliptonistes, aut Barococamestres. Rex Philippus (auctor est Plutarchus in Conjugialibus praeceptis) deperibat Thessalicam quamdam mulierem, quae veneficio eum circumvenisse dicebatur. operam dedit Olympias, ut eam in suam redigeret potestatem. Cum in conspectum ea reginae venisset, neque forma tantum videretur egregia, sed & collocuta esset neque abjecte neque inprudenter: Facessant, inquit Olympias, calumniae. Tibi tua in te ipsa sunt reposita veneficia.

8. FLAVIS COMIS] crines flavi (hoc est aurei, vel rutili, etiam ex nigro & aureo) maxime commendabantur. Acontius Nasonianus in Cydippe sua, cujus pulcritudinem ab summo capite ad imos unguiculos describit, non omisit flavos capillos, ℣. 53.

Aut esses formosa minus: peterere modeste.
Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hoc, oculique tui; quibus ignea cedunt
Sidera; quae flammae caussa fuere meae.
Hoc flavi faciunt crines, & eburnea cervix;
Quaeque precor veniant in mea colla manus:
Et decor, & vultus sine rusticitate pudentes:
Et, Thetidi quales vix rear esse, pedes.

Laudat hunc crinium colorem in Ocyroë, Chironis filia, Ovidius L. 2. Metam. ℣. 635.

Ecce venit rutilis humeros protecta capillis
Filia Centauri: quam quondam nympha Chariclo,
Fluminis in rapidi ripis enixa, vocavit
Ocyroën.

in Lucretia L. 2. Fastor. ℣. 763.

Forma placet, niveusque color, flavique capilli;
Quique aderat nulla factus ab arte decor.

in Didone Virgilius L. 4. Aen. ℣. 590.

Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventisque abscissa comas.

& ℣. 698.

Non-

Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato caerula pisce Thetis.

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Propertius *fulvos* vocavit L. 2. Eleg. 2. ℣. 57.

Fulva coma est, longaeque manus, & maxima toto
Corpore: & incedit vel Jove digna soror.

aureos Virgilius L. 8. Aen. ℣. 659, in Gallis, Capitolium oppugnantibus:

Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis.
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur.

Naso L. 12. Metam. ℣. 395.

Barba erat incipiens: barbae color aureus: aureaque
Ex humeris medios coma dependebat in armos.

rutilos denique Lucanus L. 10. ℣. 127, de pueris apud mensam Cleopatrae ministrantibus:

Tum famulae numerus turbae, populusque minister:
Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas.
Haec Libycos pars, tam flavos gerit altera crines,
Ut nullis Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas.

Tu vero cave *rutilas* hic capias pro *rufis.* Turpissimi sunt crines rufi; & corporis simul atque animi deformitatem arguunt; si quid credis Petro Laurembergio, Pasicompsae C. 9. Ille color dulcissimus, qui ex atro & aureo miscetur. Naso L. 1. Amor. Eleg. 14. ℣. 9.

Nec tamen ater erat, nec erat tamen aureus illis;
Sed, quamvis neuter, mixtus uterque color.
Qualem clivosae madidis in vallibus Idae
Ardua derepto cortice cedrus habet.

Atque hic est ille, ni fallor, quem Nero Caesar *succineum* appellavit. Plinius L. 37. C. 3. *Fulvis* [succinis] *major auctoritas, ex iis etiamnum amplior translucentibus, praeterquam si nimio ardore flagrent: imaginemque igneam inesse, non ignem, placet. Summa laus Falernis, a vini colore dictis, molli fulgore perspicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat.* ——— ——— ——— *In Corinthiis aes placet auro argentoque mixtum; in caelatis ars & ingenia. Murrhinorum & crystallinorum diximus gratiam: uniones, quod capite circumferuntur, gemmae digitis: in omnibus denique aliis vitiis ostentatio aut usus placet: in succinis deliciarum tantum conscientia. Domitius Nero in ceteris vitae suae portentis, capillos quoque conjugis suae Poppaeae in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine* succina *appellando.* Ingeniose hanc amoenam imaginem excogitavit crudelis ille amator. Etiam in viris flavi crines laudabantur; nec subflavis sua deerat gratia. Suetonium vide Aug. C. 79. & Ner. C. 51. Atque hic quidem gustus fuit Quiritium. quem qui hodie tam fastidiose rejiciunt, numquam tamen efficient, quin licuerit Romanis fuisse securis quid aliquando probarent deliciae temporum post futurorum. Hinc & Diis flavos capillos dederunt; praecipue Mercurio, & Minervae crinium custodi. Ceterum in loco Lucani mendum esse arbitror perpusillum, sed tamen mendum; neque *in arvis* legendum, sed *in oris* puto. Videlicet librarium *auris* scripsisse; sicuti *aulam* solebant pro *ollam*; alium nasutulum literas trajecisse, ut esset *arvis.* Sed tuum tibi liberum esto arbitrium.

10. VECTA EST FRENATO CAERULA PISCE THETIS] delphino muricibus frenato, ut recte notavit Bernardinus Cyllenius, ex Papinio L. 1. Achill. ℣. 221.

Elicit inde fretis, & murice frenat acuto
Delphinas bijuges, quos illi maxima Tethys
Gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora
Nutrierat.

Ovidius L. 11. Metam. ℣. 237.

Est specus in medio; natura factus, an arte,
Ambiguum; magis arte tamen: quo saepe venire
Frenato delphine sedens, Theti, nuda solebas.

Sed Jo. Fred. Gronovius, vir egregius, suspectum habet hoc Albii nostri *pisce*, & mallet *pristi*, L. 1. Observ. C. 18. sic tamen, ut nihil adfirmet. Hanc litem solus nobis dirimeret Valerius Flaccus L. 1. ℣. 130.

Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: aequora Delphin
Corripit.

praesertim subscribente Nasone L. 2. Metam. ℣. 13.

quarum pars nare videntur,
Pars in mole sedens virides siccare capillos;
Pisce vehi quaedam.

Haec nocuere mihi. Quod adest huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.

San-

nisi & hos ipsos Gronovii suspicio rejiceret, utrobique *priste* reformantis. Igitur & delphin inter pristium genera numeratus? inquiramus. Pompejus Festus: *Balaenam, belluam marinam, ipsam dicunt esse pistricem, ipsum esse cetum.* sed Plinius diversi generis facit, suppari magnitudine, L. 9. C. 3. *Plurima autem & maxima in Indico mari animalia: e quibus balaenae quaternûm jugerum, pristes ducenûm cubitorum.* C. 4. *Maximum animal in Indico mari pristis & balaena est.* Non igitur pristis eadem est quae balaena: sed ratione vastitatis prodigiosae, ad quam non accedit delphin, componuntur. Itaque nec delphin idem qui pristis. Deinde delphin corio integitur; pristis etiam pilo. Plinius L. 9. C. 12. *Aquatilium tegumenta plura sunt. Alia corio & pilo integuntur, ut vituli, & hippopotami. alia corio tantum, ut delphini.* &c. C. 13. *Quae pilo vestiuntur, animal pariunt, ut pristis, balaena, vitulus.* C. 14. *Pilo carentium duo omnino animal pariunt, delphinus ac vipera.* Praeterea differunt tota figura. Nonius Marcellus: *Pristis, navigii genus; a forma pristium marinarum, quae longi corporis sunt, sed angusti.* Ovidius L. 4. Metam. ℣. 726, ex recensione Gronovii, de ceto Andromedae:

Quaque patet, nunc terga cavis super obsita conchis,
Nunc laterum costas, nunc qua tenuissima cauda
Desinit in pristim, falcato vulnerat ense.

Tale nihil in delphino: cui (verbis Plinii L. 9. C. 7.) *pro voce gemitus humano similis, dorsum repandum, rostrum simum.* Hinc *curvus* Nasoni dicitur, Epist. Leandri ℣. 131.

Jam nostros curvi norunt delphines amores.

& L. 2. Metam. ℣. 265. in incendio Phaëthonteo:

Ima petunt pisces: nec se super aequora curvi
Tollere consuetas audent delphines in auras.

mirifica compositione M. Pacuvius vocavit

Nerei
Repandirostrum incurvicervicum pecus.

ad qualem figuram naves aedificare omnino ineptum sit. Sed tu super delphino Gulielm. Rondeletium consule L. 16. de Piscib. C. 8. super priste autem C. 15. & Conr. Gesnerum L. 4. Hist. Animal. p. 380. 854. unde luculenter tibi liquebit, non statim *pisces* poëticos debere in *pristes* inmutari. Tibullo certe nostro prosit Maronis patrocinium, non aliter locuti L. 4. Georg. ℣. 387.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et juncto bipedum curru metitur equorum.

quem sequitur solens Papinius L. 2. Theb. ℣. 45.

Illic Aegeo Neptunus gurgite fessos
In portum deducit equos: prior haurit arenas
Ungula, postremi solvuntur in aequora pisces.

Grotius quoque noster, numquam sine sacro quodam horrore civibus suis nominandus, delphinem sollicite a priste secrevit in divino illo Idyllio, cui Myrtilo est nomen. Sic enim non longe ab initio:

Haec eadem canto, quae cum cantaret Arion,
Mulceretque Deos pelagi, circumstetit omnis
Delphinum chorus, & vatem servavit in undis.

deinde propius finem:

Illic falsa salo labentibus insula, cete,
Et validae pristes, & physeteres anheli,
Phocarumque natant examina: pompilus illic
Per mare veliferum puppim comitatur euntem.

Delphinus autem jure quodam praecipui PISCIS dicitur poëtis Latinis. Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 325.

Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
Piscis, Arioniae fabula nota lyrae.

sic & Maro, & noster Albius, & Valerius Flaccus; in quorum verbis nihil mutari debet. Atque his piscibus vehi Deas marinas ostensum est abunde. Qua de caussa Propertius noster suam Cynthiam non a priste, sed a delphino servatam commemorat, L. 2. Eleg. 20. in illo nobili somnio:

Sed tibi subsidium delphinum currere vidi,
Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.

11. HAEC NOCUERE MIHI] post *mihi* ponendum est punctum, quod sensum finiat. pendent enim ista ab superioribus, quibus se devoveri dixit, aetatula tenera, corporis totius illecebris, & dulci flore formae. Sed quod super haec mala (pergit secum conqueri) accessit etiam amator dives & largus, hanc mihi pestem nocentis lenae calliditas est machinata. Nullus est sensus in vulgata distinctione. tamen omnes videntur intellexisse: etiam illi, qui Variorum Notas contexuerunt.

15. HANC

Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Triſtia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animae circum ſua fata querentes
Semper, & e tectis ſtrix violenta canat.

Ipſa

15. Hanc volitent animae circum sua fata querentes] Peremtorum animas violenter inſectari & praeſentibus odiis inſeſtare eos, a quibus leto eſſent datae, omnis credidit antiquitas. Inluſtris eſt locus Naſonis Dirar. in Ibin ℣. 139; & multis inſequentibus. quem tu inſpicere debes: unice enim huc facit. Alia plura ex poëtis, huic verſiculo interpretando, congeſſit bono dilectu Adrianus Behotius L. 3. Apophor. C. 11. Pulcre Papinii Menoetes ad regem Eteoclem, L. 3. Theb. ℣. 74.

Te ſeries orbarum exciſa domorum
Planctibus aſſiduis, te diro horrore volantes
Quinquaginta animae circum noctesque diesque
Adſilient.

ubi notabilis eſt Lutatii veteris interpretis expoſitio. *Volantes] quaſi circa ora tua volabunt, & ingerent ſe oculis tuis. Sapientes dicunt, nocentum eſſe poenas, ſi quasdam figuras quum viderint timeant. unde Virgilius*, OMNIBUS UMBRA LOCIS ADERO. *Et ut oſtenderet hoc ſceleratorum eſſe ſupplicium, adjecit*, DABIS, INPROBE, POENAS. Firmavit hoc effatum nobili exemplo ſcriptor prudens Ammianus Marcellinus L. 14. C. 11. de Conſtantio Aug. ſic loquens: *Inter haec tamen per inducias naturae conquieſcentis, ſauciabantur ejus ſenſus circumſtridentium terrore larvarum: interfectorumque catervae, Domitiano & Montio praeviis, correptum eum, ut exiſtimabat in ſomnis, uncis furialibus objectabant. Solutus enim corporeis nexibus animus, ſemper vigens motibus indefeſſis, & cogitationibus ſubjectus & curis, quae mortalium ſollicitant mentes, colligit viſa nocturna, quas φαντασίας nos appellamus.* De Nerone maternis furiis exagitato nullus ignorat. Hinc nata eſt illa atrox inprecatio Apuleji in hominem inpurum ac nefarium, Apolog. *At tibi, Aemiliane, pro iſto mendacio, duit Deus iſte, Superûm & Inferûm commeator, utrorumque Deorum malam gratiam, ſemperque obvias ſpecies mortuorum, quidquid umbrarum eſt uſquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid larvarum, oculis tuis oggerat: omnia noctium occurſacula, omnia buſtorum formidamina, omnia ſepulcrorum terriculamenta: a quibus tamen aevo & merito haud longe abes.* Unde vero his umbris & larvis tantum irarum, atque adeo tanta efficacia? Cauſſam Iaſoni aperit Mopſus vates apud Valerium Flaccum, L. 3. ℣. 378.

Non, ſi mortalia membra
Sortitusque breves, & parvi tempora fati
Perpetimur, ſocius ſuperi quondam ignis Olympi,
Fas ideo miſcere neces, ferroque morantes
Exigere hinc animas, redituraque ſemina coelo.
Quippe nec in ventos, nec in ultima ſolvimur oſſa:
Ira manet, duratque dolor: cum deinde tremendi
Ad ſolium venere Jovis, queſtuque nefandam
Edocuere necem; patet ollis janua leti;
Atque iterum remeare licet: comes una ſororum
Additur, & pariter terras atque aequora luſtrant.
Quisque ſuos ſontes, inimicaque pectora poenis
Implicat; & varia meritos formidine pulſant.

Reſtat, ut, *animam* quid eſſe ſenſerint antiqui, edoceamur. hanc dico animam, quae poſt corporis ſolutionem vagari etiamnum in terris perhibetur. Servio grammatico, viro aetatis ſuae doctiſſimo, contenti erimus. Ille igitur Servius ſic eſt commentatus ad L. 4. Aen. ℣. 654.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Bene imaginem *dixit. valde enim quaeritur apud philoſophos, quid illud ſit, quod Inferos petat. nam tribus conſtamus: Anima, quae ſuperna eſt, & originem ſuam petit: Corpore, quod in terra deficit: Umbra, quam Lucretius ſic definit*, ſpoliatus luminis aër. *Ergo umbra ſi ex corpore creatur, ſine dubio perit cum eo: nec eſt quidquam reliquum de homine, quod inferos petat. Sed deprehenderunt, eſſe quoddam ſimulacrum, quod ad noſtri corporis effigiem fictum Inferos petit: & eſt ſpecies corporea, quae non poteſt tangi, ſicut ventus.* Recte Servius, & convenienter ſuo poëtae: quem audiamus L. 6. Aen. ℣. 290.

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamque aciem venientibus offert.
Et, ni docta comes tenuis ſine corpore vitas

Ipſa fame ſtimulante furens herbasque ſepulcris
  Quaerat, & a ſaevis oſſa relicta lupis.
Currat & inguinibus nudis, ululetque per urbes.
  Poſt agat e triviis aſpera turba canum.
Evenient. dat ſigna Deus. ſunt numina amanti.
  Saevit & injuſta lege relicta Venus.
At tu quamprimum ſagae praecepta rapacis
  Deſere. nam donis vincitur omnis amor.

Pau-

Admoneat volitare cava ſub imagine formae,
Inruat, & fruſtra ferro diverberet umbras.

non abſimiliter dixerat L. 4. Geor. ℣. 471.

At cantu commotae Erebi de ſedibus imis
Umbrae ibant tenues, ſimulacraque luce carentum.

ſignate Naſo L. 4. Metam. ℣. 443.

Errant exſangues ſine corpore & oſſibus umbrae:
Parsque forum celebrant, pars imi tecta tyranni;
Pars alias artes antiquae imitamina vitae.

Horatius autem hos lemures aliquid habere commune cum Furiis ſtatuebat, Epod. 5. ℣. 91.

Quin, ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram furor;
Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quae vis Deorum eſt Manium:
Et inquietis aſſidens praecordiis
Pavore ſomnos auferam.

Quae verba & Valerii Flacci & Ammiani Marcellini ſententiam ſtrictim complectuntur. Sequitur apud noſtrum *Semper*; nec ſine cauſſa ſequitur. durabat enim illa Manium infeſta ſaevitia, donec vel juſtis funebribus, vel alio ſacro eſſent exorati ac propitiati. Id vero ut ne umquam fiat, poëta inprecatur. Suetonius Calig. C. 59. *Cadaver ejus, clam in hortos Lamianos aſportatum, & tumultuario rogo ſemiambuſtum, levi ceſpite obrutum eſt: poſtea per ſorores ab exſilio reverſas erutum, crematum, ſepultumque. Satis conſtat, priusquam id fieret, hortorum cuſtodes umbris inquietatos: in ea quoque domo, in qua occubuerit, nullam noctem ſine aliquo terrore transactam, donec ipſa domus incendio conſumta ſit.* Idem ſcriptor caſtigatiſſimus Oth. C. 7. *Dicitur ea nocte, per quietem pavefactus, gemitus maximos edidiſſe; repertusque a concurſantibus humi ante lectum jacens, per omnia piaculorum genera Manes Galbae, a quo deturbari expellique ſe viderat, propitiare tentaſſe.* Secundus noſter Epigr. 72. in arcem reginae Albae, deſertam, ac conlabentem, ſpectrisque infamem:

Et quaſſata undis, ventis habitatur & imbri;
Multa ubi ferales nocte querantur aves.
Cypris ubi mitis, flammas exoſa cruentas,
Chaonias ſedem ponere nolit aves.
Qua ſtrix, qua Furiae volitent; qua plurima fatum
Exululet raucis queſtibus umbra ſuum.
Sic domus aeternum, numeroſae conſcia caedis,
Impia laſcivae facta luit dominae.

17. HERBASQUE SEPULCRIS QUAERAT] ſic libri ferme omnes. ſolus Muretus *eſcasque* maluit, deceptus illo Catulliano,

Uxor Meneni, ſaepe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo coenam.

Eum ſecutus eſt Janus Gulielmius L. 3. Veriſimil. C. 12. & Jo. Kirchmannus L. 4. de Funer. Rom. C. 5. Male uterque: nam ad rogum dabatur ſilicernium, non ad ſepulcrum, ut recte notavit Gebhardus. itaque miſerrimae inopiae fuerit, herbas quaerere ex ſepulcris enaſcentes. quas herbas carpſiſſe nec pecori inpune fuit. Hinc paſtor ille veniam culpae precatur apud Naſonem L. 4. Faſtor. ℣. 750.

Sive ſacro pavi, ſedive ſub arbore ſacra;
Pabulave e buſtis inſcia carpſit ovis.

21. EVENIET] melius *Evenient:* quomodo e vetere libro citat Statius. nec aliter habebant duo Gebhardini, cum Brixiana & Cylleniana editione. Vide Heinſii Notulas.

24. NAM DONIS VINCITUR OMNIS AMOR] in libro Colotii *non* erat, pro *nam.* Et ſic in aliis quoque libris fuiſſe refert Achilles: idque viſum quibusdam, magis fore e ſenſu. Ignoſcant mihi, qui ita putant. Monet poëta ſuam Deliam, uti quam primum miſſam faciat aniculam ſceleſtam ac rapacem; cujus diſciplina ſit, vendere amorem damnoſiſſimo cui-

Pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbae
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos:
Vinclaque de niveo detrahit ipse pede.
Heu canimus frustra, nec verbis victa satiscit
Janua: sed plena est percutienda manu.

At

cuique. Nec certum puellae fore illum amatorem, a quo ipse sit expulsus, si quis alius vel hodie vel cras cupidius atque animosius liceatur. ita futurum, ut ipsa nusquam consistar, semper nova praeda ditioris, ac plus obferentis.

26. In tenero fixus erit latere] ita plane Naso L. 3. Amor. Eleg. 11. ℣. 17.

Quando ego non fixus lateri spatiantis adhaesi,
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?

Catullus Carm. 18.

cupis meos amores.
Nec clam: nam simul es, jocaris una,
Haeres ad latus, omnia experiris.

Papinius L. 1. Achill. ℣. 563.

Namque ut virgineo stetit agmine clarus Achilles,
Exsolvitque rudem genetrix digressa pudorem;
Protinus elegit comitem, (quamquam omnis in illum
Turba coit) blandeque novas nil tale timenti
Admovet insidias. Illam sequiturque, premitque
Improbus: illam oculis iterumque iterumque resumit.
Nunc nimius lateri non evitantis adhaeret.
Nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
Nunc thyrso parcente ferit.

31. Nec verbis victa patescit] elegans est & quantivis precii scriptio in codice Cardinalis Sfortiae *fatiscit*, teste Achille Statio. sic & Heinsius in duobus priscis codicibus invenisse se dicit Not. ad Ovid. L. 1. Trist. Eleg. 9. ℣. 8. quibus accedit libri Thuanaei auctoritas. Servius *fatiscere* dictum putat, quasi *fatim hiscere*, ad L. 1. Aen. ℣. 127.

laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.

FATISCUNT, inquit) *abundanter aperiuntur. fatim enim abundanter dicimus: unde & adfatim. Hiscere autem aperire, verbum frequentativum ab hiare.* ita Petri Danielis schedae. sed scribi debere, *Hiscere autem aperiri*, nemo non videt. Etiam *fatiscit* habebat codex Passeratii, utroque pollice probantis, & Plauti ac Maronis suffragiis fulcientis: illius quidem Pseudol. Act. 4. Sc. 1. ℣. 42.

SI. *st! tace, aedes hiscunt.* PS. *credo animo male'st*
Aedibus. SI. *quid jam?* PS. *quia edepol ipsum lenonem evomunt.*

hujus vero L. 6. Aen. ℣. 52.

Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Adtonitae magna ora domus.

a verbo *hisco* antiquiores illi habebant *hietare*, & *hiatare*. Diomedes L. 1. cap. de iterativa verborum forma, p. 336. *Laberius etiam in Tauro passivo modo enuntiavit*, Hietantur fores, *pro eo sane quod est* hietant, *id est, patent.*

32. Plena est percutienda manu] Plena (inquit Cyllenius) nummis & aureolis. namque muneribus amor conciliatur: qui non adfert, excluditur, ac negligitur. Haec ille vir candidus in illa sua simplicitate. Douza quoque dictum putabat eo modo, quo infra Eleg. 10. ℣. 52.

Et precium plena grande referre manu.

Non videtur. Potius est, ut de oppugnatione nocturna intelligamus, qua fores talium puellarum satis frequenter vexabantur. Vide sis Theocritum Idyll. 2. Terentium Eunuch. Act. 4. Sc. 7. Horatium L. 1. Od. 25. L. 3. Od. 26. Propertium L. 3. Eleg. 2. Ovidium L. 3. Art. Amat. ℣. 567. & Remed. Amor. ℣. 31. nostrum infra Eleg. 11. ℣. 54. Et sic intelligendus est Umber meus L. 3. Eleg. 23. ℣. 30.

Limina jam nostris valeant lacrimantia verbis;
Nec tamen irata janua fracta manu.

At tu qui potior nunc es, mea furta timeto.
Versatur celeri Fors levis orbe rotae.

Dicitur autem hic, *plena manu*, locutione quadam proverbiali, qua & Cicero est usus L. 2. ad Attic. Epist. 25. *At hercule alter tuus familiaris Hortalus quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit, cum de Flacci praetura, & de illo tempore Allobrogum diceret!* Erit igitur, *plena manu percutere*, violentis & validis ictibus converberare.

33. QUI POTIOR NUNC ES] unus Statii, unusque Heinsii liber habebant, *qui potior vinces*. Perperam. Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. ℣. 53.

sine biduum hoc praetereat.
Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus,
Ne tu istas faxo calcibus saepe insultabis frustra.

Horatius Epod. 15. ℣. 17.

At tu, quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo.

noster Elegia proxime superiore, ℣. 45.

At tu qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi. non unus saeviet usque Deus.

hoc est, Non semper eris potior. Est omnino hujus voculae peculiaris quaedam energia in re amoris. Terentius Phorm. Act. 3. Sc. 2. ℣. 48.

cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu adtuleris, Phaedria,
Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandumst.

Horatius L. 3. Od. 9.

Donec gratus eram tibi;
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat;
Persarum vigui rege beatior.

Epod. 15. ℣. 14.

Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quaeret iratus parem.

L. 2. Sat. 5. ℣. 76.

cave te roget: ultro
Penelopen facilis potiori trade.

Terentius Eunuch. Act. 1. Sc. 2. ℣. 71.

Sine illum priores partes hosce aliquot dies
Apud me habere.

33. MEA FURTA CAVETO] In plurimis libris est *timeto*. quod ego sum secutus, tamquam convenientius huic loco & sententiae. Rivalem suum jubet certum esse de mutabilitate fortunae in amore muliebri: itaque jam nunc illi timendum, quidquid sibi fecerit. Naso L. 1. Amor. Eleg. 4. ℣. 45.

Multa miser timeo, quia feci multa proterve:
Exemplique metu torqueor ipse mei.

Sapienter Vellejus, & supra has nugas, L. 2. C. 75. *Quis Fortunae mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diversa praesentibus, contrariaque exspectatis, aut speret, aut timeat?* Horatius L. 2. Od. 10. ℣. 13.

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus.

34. VERSATUR CELERI FORS LEVIS ORBE CITO] Statius in plerisque libris *Sors* invenerat: id est, inquit, Fortuna. Fallitur vir bonus. *Fors* est Fortuna: *sors* vero id, quod unicuique mortalium vel a fortuna obfertur, vel a ratione & consilio datur. Horatius L. 1. Sat. 1.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu Fors objecerit, illa
Contentus vivat? laudet diversa sequentes?

Cicero L. 4. ad Attic. Epist. 10. *maloque in illa tua sedecula, quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum sella curuli; tecumque apud te ambulare, quam cum eo, quocum video esse ambulandum. Sed de illa ambulatione Fors viderit, aut si quis est qui curet Deus.* Sequitur *orbe cito*; id quod Scaliger ex suis excerptis huc invexit, & temporibus Tibulli convenientius judicavit, quod eo tempore globo potius quam rotae insistentem facerent Fortunam. Sane hoc erat aliquid: nam & Cebes Thebanus in illa nobilissima Tabula, & Isidorus Pelusiota saxo rotundo vectam solere depingi dicit L. 3. Epist. 154: & Galenus in Oratione paraenetica ad bonas artes. Tamen ceteri libri *orbe rotae* praeferunt tantum non omnes. quod de nihilo ita scribi, quis ausit contendere, praesertim in tanto consensu? Est omnino verum, numinum antiquorum effigies ac formas aliter atque aliter exhiberi solere tum a poëtis, tum a pictoribus ac fictoribus. Sic Graeci, ut vidimus, Fortunam sphaerae inhaerentem exprimebant; Romani rotae. idque non tantum Tibulli aetate, sed & ante & post Tibullum. Cicero orat. in L. Pisonem C. 10. *Cum collegae tui domus cantu & cymbalis personaret, cumque ipse nudus in convivio*

vivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, Fortunae rotam pertimescebat. Quae Ciceronis verba Janus Gulielmius, stabiliendae Albiani versiculi vulgatae lectioni, contra Scaligerum protulit L. 2. Verisimil. C. 17. Addidit Gebhardus locum Claudiani lib. de Bello Getico ℣. 631.

Sed Dea quae nimiis obstat Rhamnusia votis
Ingemuit, flexitque rotam.

Plautus quoque huc faceret, siquidem liceret per editores plus quam satis est religiosos, Trucul. Act. 2. Sc 1. ℣. 11.

Actutum fortunae solent mutarier. Varia vita est.
Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos.
Vertit sese rota vicissim: stultu'st qui id admiretur.

nam ita in libris suis veteribus legi disertim testatur Lambinus, probante Gulielmio, atque illustrante, eo, quem indicavi, loco. Nunc istis eripi non potest, quin mordicus teneant suum illud invulgatum, *Vorterunt sese memoriae.* Itaque per eorum contumaciam Plauti praesidio nobis carendum erit. quamquam ista quidem vis est. Sed & sic alii supersunt, quorum nos muniant testimonia. Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 10. *Illos radiis rotarum pendere districtos, qui nihil consilio praevidentes, nihil ratione moderantes, nihil virtutibus explicantes, seque & actus omnes suos Fortunae permittentes casibus & fortuitis, semper rotantur.* Boëtius L. 2. de Consol. Philos. pros. 1. *Fortunae te regendum dedisti: dominae moribus oportet obtemperes. Tu vero volventis rotae impetum retinere conaris? At omnium mortalium stolidissime, si manere incipit, Fors esse desistit.* deinde pros. 2. ipsius Fortunae verbis: *Haec nostra vis est; hunc continuo ludum ludimus. Rotam volubili orbe versamus, infima summis, summa infimis mutare gaudemus. Adscende, si placet: sed ea lege, ne uti, cum ludicri mei ratio poscet, descendere injuriam putes.* Ammianus Marcellinus L. 26. C. 8. *Ea victoria ultra homines Procopius sese efferens, & ignorans quod quivis beatus versa rota Fortunae ante vesperum potest esse miserrimus:* &c. Idem Historicus L. 31. C. 1. *Interea & Fortunae volucris rota, adversa prosperis semper alternans, Bellonam Furiis in societatem adscitis armabat.* Fortunae imago est apud Boissardum in monumento Q. Caecilii Ferocis, T. 3. Antiq. p. 48.



Stat ipsa stolata, crinibus retro in nodum religatis, mamilla dextra dextroque humero nuda, sinistro pede rotae innixo. Rite igitur atque ordine Nic. Heinsius, vir magnae & malae invidiae capax, quemque non nisi mortuum lacerare ausi sunt foedi quidam vulturii, L. 2. Eleg. 7.

Placatura Deam nec perdo tura superbam,
Non bene quae dubiae nititur orbe rotae.

Jam quae apud mortales *Fortuna* erat, ea respectu

ſpectu Deorum *Nemeſis* dicebatur, vel *Adraſteia.* Quod videre licet in verſu Claudiani modo laudato. Sed multo luculentius apud Ammianum Marcellinum L. 14. C. 11. loco inſigni, nec tumultuaria lectione percurrendo: *Haec & hujusmodi quaedam innumerabilia ultrix facinorum impiorum, bonorumque praemiatrix aliquoties operatur Adraſtia, (atque utinam ſemper!) quam vocabulo duplici etiam Nemeſin appellamus: Jus quoddam ſublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo ſuperpoſitum: vel, ut definiunt alii, ſubſtantialis tutela generali potentia partilibus praeſidens fatis: quam theologi veteres fingentes Juſtitiae filiam, ex abdita quadam aeternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Haec ut regina cauſarum, & arbitra rerum ac disceptatrix, urnam ſortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumque noſtrarum exorſa interdum alio, quam quo contendebant, exitu terminans, multiplices actus permutando convolvit. Eademque neceſſitatis inſolubili retinaculo mortalitatis vinciens faſtus tumentes incaſſum, & incrementorum detrimentorumque momenta verſans, ut novit, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat: nunc bonos ab imo ſuscitans, ad bene vivendum extollit. Pinnas autem ideo illi fabuloſa vetuſtas aptavit, ut adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimetur: & praetendere gubernaculum dedit, eique ſubdidit rotam, ut univerſitatem regere per elementa discurrens omnia non ignoretur.* Clariſſime etiam Naſo L. 5. Triſt. Eleg. 8. ŷ. 7.

Nec metuis dubio Fortunae ſtantis in orbe
Numen, & exoſae verba ſuperba Deae?
Exiget ah dignas ultrix Rhamnuſia poenas!

& L. 4. Pontic. Epiſt. 3. ŷ. 31.

Haec Dea non ſtabili quam ſit levis orbe fatetur,
Quem ſummum dubio ſub pede ſemper habet.

Nam *orbem* utrobique ut pro rota capiam, facit Maronis auctoritas L. 3. Geor. ŷ. 361.

Undaque jam tergo ferratos ſuſtinet orbis,
Puppibus illa prius patulis, nunc hoſpita plauſtris.

itemque Lucretii L. 6. ŷ. 550.

ubi currus fortis equûm vis
Ferratos utrimque rotarum ſuccutit orbeis.

Atque ut unius & ejusdem Dei multa ſaepe ac diverſa ſunt nomina, pro diverſa numinis vi: ſic Fortuna quoque dicta eſt aliquando *Occaſio*, eo quod felices ſint ac fortunati, qui dextre ſciunt uti rerum ac temporum oportunitate. Haec Occaſio eodem, quo Fortuna, ornatu fingebatur. Nobile eſt epigramma D. Auſonii, 12. dialogiſmi in modum:

Sum Dea, quae rara, & paucis Occaſio nota.
Quid rotulae inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum. Mercurius quae
Fortunare ſolet, trado ego, quum volui.
Crine tegis faciem. Cognoſci nolo. Sed heus tu,
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.

ſed tu integrum carmen videto. Propter eamdem mutabilitatem Amori quoque rotam dedit meus Propertius L. 2. Eleg. 7. ŷ. 32.

Omnia vertuntur. certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis: haec in amore rota eſt.

ſane bono conſilio. nam hanc ipſam ob cauſſam Amori ac Fortunae commune delubrum fuiſſe apud Aegyrenſes, tradit Jo. Pierius Valerianus L. 39. Hieroglyph. C. 18. ubi & plura invenies ſuper globo ſuperque rota Fortunae. Has diverſas opiniones tetigit quoque Bernardinus Parthenius Spilimbergius, poëta nobilis, Fortunam adfatus, L. 2. Carm. 8.

Quare, rotundo ſeu lapidi inſides
Mutare ſedem promta, volubili
Seu prona laetaris cylindro,
Seu celeri radio rotarum, &c.

in ſola autem rota adquieſcit Ludovicus Areoſtus ipſo initio Cantus 45, Orlandi furentis, non neglectis inſignibus exemplis principum virorum:

Quanto piu sù l'inſtabil rota vedi
Di Fortuna ire in alto il miſer huomo,
Tanto piu toſto hai da vedergli i piedi,
Oue or ha il capo, e far cadendo il tomo.

VII. SEM-

VII.

SEMPER ut inducas, blandos offers mihi vultus;
Poſt tamen es miſero triſtis & aſper, Amor.

Quid

1. SEMPER UT INDUCAS] ſic malo cum Scaligero, quam cum aliis *inducar*. Achilles Statius quum *inducendi* verbum non male exponere coepiſſet, tandem labitur in miſerum errorem, ſtatuens Latine dici *in laqueos ſe inducere.* quod ut evincat, & Ciceronem & Caeſarem turpiter corrumpit: nam illi *induere ſe in laqueos*, & *vallis acutiſſimis ſe induere* dixerant; non *inducere*, quod erat longe alieniſſimum. Eſt igitur *inducere*, fallaciis quibusdam pellicere, ut decipias. Terentius Andr. Act. 2. Sc. 3. ℣. 25.

P. *Itan' credis?* D. *haut dubium id quidem eſt.* P. *vide quo me inducas.*

Tralationem eſſe a re venandi, qua ferae dicantur in retia induci, notavit Donatus ad Act. 1. Sc. 2. ℣. 9. Lucilius L. 30.

quid quaerimus hac re
Inductum cautum cuſtodem?

Cicero L. 3. ad Attic. Epiſt. 15. *Ego proditus, inductus, conjectus in fraudem, omnia mea praeſidia neglexi; totam Italiam, in me erectam ad me defendendum, deſtitui & reliqui.* L. 4. Epiſt. 5. *Non eſt credibile, quae ſit perfidia in iſtis principibus, ut volunt eſſe, & ut eſſent, ſi quidquam haberent fidei. Senſeram, noram, inductus, relictus, projectus ab iis: tamen hoc erat in animo, ut cum iis in Rep. conſentirem.* Philipp. 2. C. 32. *Nihil queror de Dolabella, qui tum eſt impulſus, inductus, eluſus. qua in re quanta fuerit uterque veſtrum perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret: promiſſum & receptum intervertit, ad ſeque transtulit: tu ejus perfidiae voluntatem tuam adſcripſiſti.* Catullus Carm. 27.

Certe tute jubebas animam tradere, inique me
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent.

belliſſime Horatius L. 1. Sat. 2. ℣. 88.

Regibus hic mos eſt, ubi equos mercantur, apertos
Inſpiciunt: ne, ſi facies, ut ſaepe, decora
Molli fulta pede eſt, emtorem inducat hiantem,
Quod pulcrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.

Vis eſt eadem verbi ſimplicis, quae compoſiti. Plautus Moſtell. Act. 3. Sc. 2. ℣. 26.

Hoc habet. reperi, qui ſenem ducerem:
Quo dolo a me dolorem procul pellerem.

idem Captiv. Act. 4. Sc. 2. ℣. 3.

Ad illum modum ſublitum os eſſe
Hodie mihi? neque id perſpicere quivi?
Quod cum ſcibitur, per urbem irridebor.
Hic eſt ille ſenex ductus, quoi verba data ſunt.

Sed intercedit Douza noſter, qui *ſenex doctus* mavult L. 1. Explan. Plautin. C. 19. & prope eſt, ut ei ego manus porrigam. Liquidior ratio eſt in iſthoc Terentiano, Andr. Act. 1. Sc. 2. ℣. 9.

Id voluit, nos ſic necopinanteis duci falſo gaudio,
Sperantes jam amoto metu, interea oſcitantes opprimi.

ſic & Lucretius L. 2. ℣. 788.

Tum porro, quae ducit & inlicit, ut tribuamus
Principiis rerum nonnumquam, cauſſa, colores,
Occidit.

1. BLANDOS OFFERS MIHI VULTUS] fictos, falſos, ad decipiendum compoſitos. Cicero Dial. de Amicit. C. 25. *Secerni autem blandus amicus a vero, & internoſci, tam poteſt adhibita diligentia, quam omnia fucata & ſimulata a ſinceris atque veris.* C. 26. *Quamobrem, quamvis blanda iſta vanitas apud eos valeat, qui ipſi illam allectant & invitant: tamen etiam graviores conſtantioresque admonendi ſunt, ut animadvertant, ne callida aſſentatione capiantur.* Vere, & prudenter. Ex uſu autem amorum Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 619.

Blanditiis animum furtim deprendere nunc ſit:
Ut pendens liquida ripa ſubitur aqua.

bene Papinio *ſpes blanda* ponitur pro fallace, L. 12. Theb. ℣. 246.

Haud procul, exacti ſi ſpes non blanda laboris,
Ogygias, Argia, domos, & egena ſepulcri
Buſta jacere reor.

ibi interpres Lutatius: *non blanda*] *non falſa. a blandimentis enim inducimur. ut Terentius:*

Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe deluderes.

id eſt, blandimentis induceres. Credo hic eſſe mendum. nam in Terentio *falſa ſpe produceres* legitur Andr. Act. 4. Sc. 1. ℣. 24. Nec vidiſſe memini, ubi haec ſcriptura ſollicitaretur.

Pul-

Quid tibi, ſaeve puer, mecum eſt? an gloria magna,
Inſidias homini compoſuiſſe Deum?
Jam mihi tenduntur caſſes: jam Delia furtim
Neſcio quem tacita callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat: ſed credere durum eſt.
Sic etiam de me pernegat uſque viro.
Ipſe miſer docui, quo poſſet ludere pacto
Cuſtodes. heu heu nunc premor arte mea.
Fingere nunc didicit cauſſas, quur ſola cubaret:
Cardine nunc tacito vertere poſſe fores.

Tum

Pulcre Lyſiteles ille Plautinus Trin. Act. 2. Sc. 1. ℣. 10.

omnium primum
Amoris artes eloquar, quemadmodum expediant. Numquam
Amor quemquam niſi cupidum hominem poſtulat ſe in plagas
Conjicere: eos cupit, eos conſectatur, ſubdole blanditur: ab re
Conſulit blandiloquentulus, harpago, mendax, cuppes, avarus,
Elegans, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor,
Blandus, inops, celati indagator.

Secundus noſter, re ipſa nimium edoctus, Juliae Eleg. 7.

Inſidioſe puer, maternis ſaevior undis,
Hacne tuus vates fraude petendus eram?

Vide ſis ſequentia, & blandi cupidinis exitum triſtem atque aſperum.

3. QUID TIBI SAEVITIAE MECUM EST] Muretus ait, in aliis libris ſcriptum fuiſſe, *Quid tibi, ſaeve puer, mecum eſt?* Optime, ita vivam. & ſic Naſo L. 1. Amor. Eleg. 1. ℣. 5.

Quis tibi, ſaeve puer, dedit hoc in carmina juris?
Pieridum vates, non tua turba, ſumus.

Jac. Sannazarius L. 2. Epigr. 23.

Tum pater accito oſtendens grave fulmen Amori,
Hoc tibi, ſaeve puer, ſpicula franget, ait.

Auctor Ciris, ℣. 132.

Sed malus ille puer, quem nec ſua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater, atque avus idem
Jupiter.

In ſequentibus, *an gloria magna eſt*, verbum ſubſtantivum non habent meliores libri, qua ſcripti, qua cuſi. Nec erat concinnum, bis legi in uno verſiculo. Elegans eſt locutio *componere inſidias*, h. e. ſtruere, moliri, machinari. Propertius L. 2. Eleg. 7. ℣. 69.

Sed vobis facile eſt verba, & componere fraudes.
Hoc unum didicit femina ſemper opus.

L. 3. Eleg. 11. de Caſſandra, ℣. 63.

Sola Parin Phrygiae fatum componere, ſola
Fallacem patriae ſerpere dixit equum.

Plautus Amphitr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 210.

Ne tu iſtic hodie malo tuo compoſitis mendaciis
Adveniſti, audaciae columen, conſutis dolis.

Poenul. Act. 3. Sc. 5. ℣. 29.

Nunc hunc inimicum quia eſſe ſciverunt mihi,
Eum allegaverunt, ſuum qui ſervom diceret
Cum auro eſſe apud me. compoſita eſt fallacia,
Ut eo me privent, atque inter ſe dividant.

L. Septimius L. 4. Ephemer. C. 22. *darent ex ſuo numero, cum quis ſuper tali negotio diſceptaret: electique Agamemnon, Idomeneus, Ulyſſes, atque Diomedes, qui ſecreto ab aliis proditionem componunt.* L. 5. C. 16. *Caſſandra deo repleta, multa in Agamemnona adverſa praenuntiat: inſidias quippe ex occulto caedemque domi per ſuos compoſitam:* &c. Noſter fortaſſe illud Maronis ante oculos habuit L. 4. Aen. ℣. 92.

Talibus adgreditur Venerem Saturnia dictis:
Egregiam vero laudem & ſpolia ampla refertis
Tuque puerque tuus: magnum & memorabile nomen,
Una dolo Divom ſi femina victa duorum eſt.

fortaſſe, dixi: nam ſatis ſcio, divinum poëma nuſquam fuiſſe editum vivo Tibullo. Non valde eſt diſſimilis illa inſultatio Aurelii mei L. 3. Eleg. 5. ubi Paeti mortem deplorat, ℣. 29.

Infelix Aquilo, raptae timor Orithyiae,
Quae ſpolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat ſanctos alveus ille viros.

13. TUM

Tum succos, herbasque dedi, quîs livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu fallacis conjunx incaute puellae,
Me quoque servato, peccet ut illa minus.

Neu

13. TUM SUCCOS HERBASQUE DEDI, QUÎS LIVOR ABIRET] plurifariam & huic & aliis livoribus medebantur. Thapsiae succum, crebro experimento Neronis nobilitatum, commendat Plinius L. 13. C. 22. raphanum sativum L. 22. C. 4. sinapi ibid. C. 22. lomentum fabaceum, itemque farinam lupinorum silvestrium, L. 22. C. 25. fruticem Rhoi, praecipue ejus semen, L. 24. C. 11. aloën L. 27. C. 4. lanam succidam L. 29. C. 2. pulmones arietum in tenues membranas insectos, & columbinum fimum, L. 30. C. 4. aquam marinam L. 31. C. 6. spongiam ibid. C. 11. Horum quid Tibullus dominae dederit, ignoro: nec sane multum refert. Thapsiam dedisse vix puto; huic enim claritatem primus Nero contulisse perhibetur.

14. QUEM FACIT IMPRESSO MUTUA DENTE VENUS] qualis est columbarum. Catullus Carm. 65. ℣. 125.

Nec tantum niveo gavisa est ulla columbo
Compar, quae multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro.

Frequentes semper fuerunt poëtae in his morsiunculis, solidi gaudii certis indicibus. Arethusa apud Propertium L. 4. Eleg. 3. ℣. 25.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis inbelles atterit hasta manus?
Haec noceant potius, quam dentibus ulla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.

Ipse de se poëta L. 3. Eleg. 6. ℣. 21.

Inmorso aequales videant mea vulnera collo:
Me doceat livor mecum habuisse meam.

Apulejus, ut volunt quidam:

Olli purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labra vellicent.

Omnem nugarum scaenam in compendium misit Phoenicium Plautina Pseudol. Act. 1. Sc. 1. ℣. 62.

Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Jocus, ludus, sermo, suavis saviatio,
Compressiones artae amantum comparum,
Teneris labellis molles morsiunculae,
Papillarum horridularum oppressiunculae,
Harum voluptatum mihi omnium, atque itidem tibi
Distractio, discidium, vastities venit.

Cicero Accus. 5. in Verr. C. 13. insultans Q. Hortensio: *Hic scilicet est metuendum, ne ad exitum defensionis tuae, vetus illa Antoniana dicendi ratio atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus adspiciat, ex mulierum morsu, vestigia libidinis atque nequitiae.* Ne te pigeat legisse, quae Dion. Lambinus notavit ad haec Horatiana L. 1. Od. 13. ℣. 12.

Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros inmodicae mero
Rixae, sive puer furens
Inpressit memorem dente labris notam.

quaeque Jo. Passeratius ad Propert. L. 3. Eleg. 8. p. 451.

16. PECCET UT ILLA NIHIL] in Colotii libro, & in quinto Vaticano (olim Fulvii Ursini) erat, *peccet ut illa minus.* Cui scripturae patrocinatur Naso L. 2. Trist. ℣. 458.

Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque uti servet; peccet ut illa minus.

ut uno columbo contenta, ceteros ab horto suo spernat ac segreget procul. Atque ita olim lectum fuisse, ostendit imitatio Joannis Casae, viri multo disertissimi, in Elegia ad manes M. Ant. Flaminii:

Quid, si illum retinent quicumque Amaryllida curant,
Hujus ad exemplum peccet ut illa minus?

Se deinde ipsum custodem fore dominae suae promittit; nec recusat, quo minus in vinculis aetatem degat, dummodo seorsum cum illa in unum locum concludatur. Quo modo ferme Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 6, ad nescio quem janitorem, ℣. 45.

Forsitan & tecum tua nunc requiescit amica.
Heu melior quanto sors tua sorte mea!
Dummodo sic, in me durae transite catenae.

Sed erant plura hic dicenda: quae jam olim occupavit Douza noster Praecid. C. 17. Ibi tu videbis, recte atque ordine *minus* legi; male, & praeter Albii mentem, *nihil.* Statius quoque tetigerat, sed leviter.

Neu juvenes celebret multo ſermone caveto;
  Neve cubet laxo pectus aperta ſinu.
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
  Ne trahat, & menſae ducat in orbe notas.
Exibit quam ſaepe, time: ſeu viſere dicet
  Sacra Bonae maribus non adeunda Deae.
At mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aras.
  Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.

17. NEU JUVENES CELEBRET MULTO SERMONE] neve ſermones frequentes caedat cum juvenibus. Saepe Tullius ſic loquitur. L. 4. ad Attic. Epiſt. 1. *Cum veniſſem ad portam Capenam, gradus templorum ab infima plebe completi erant: a qua plauſu maximo cum eſſet mihi gratulatio ſignificata, ſimilis & frequentia & plauſus me uſque ad Capitolium celebravit.* L. 5. Epiſt. 10. *Adhuc ſumtus nec in me aut publice, aut privatim, nec in quemquam comitum. nihil accipitur lege Julia, nihil ab hoſpite. perſuaſum eſt omnibus meis, ſerviendum eſſe famae meae. belle adhuc. hoc animadverſum Graecorum laude & multo ſermone celebratur.* Orat. pro Cluentio C. 13. *Quid? illa caedes Aſinii Larinatis, adoleſcentis pecunioſi, quam clara tum, recenti re? quam omnium ſermone celebrata?* pro Muren. C. 41. *Quanta autem perturbatio fortunae atque ſermonis, quod, quibus in locis paucis ante diebus factum eſſe conſulem Murenam nuntii literaeque celebraſſent, & unde hoſpites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eo accedat ipſe nuntius ſuae calamitatis?* pro P. Sulla C. 2. *Quaero illud etiam, ſi me, qui defendo, reprehendendum putas eſſe, quid tandem de his exiſtimes ſummis viris & clariſſimis civibus, quorum ſtudio & dignitate celebrari hoc judicium, ornari cauſſam, defendi hujus innocentiam vides?* de provinc. conſular. C. 9. *An ego poſſum huic eſſe inimicus, cujus literis, fama, nuntiis, celebrantur aures quotidie meae novis nominibus gentium, nationum, locorum?* in L. Piſonem C. 13. *Itaque, credo, ſi minus frequentia ſua veſtrum egreſſum ornando atque celebrando; at ominibus ſaltem bonis, ut conſules; non triſtiſſimis, ut hoſtes, aut proditores, proſequebantur.* Viderat verum noſter Douza: ſed eum neſcio quomodo transverſum egit corrupta Nonii Marcelli ſcriptura in *Concelebrare.* ſic enim edebatur: *Concelebrare, diu amare; dictum a celebritate. Lucilius L. 30. Multis inde locis ſermonibus concelebrarunt.* Scripſerat vero Nonius, more ſui aevi, *divamare*, h. e. *diffamare*, divulgare, in vulgus ſpargere. Vide Lipſium L. 1. Quaeſt. Epiſt. 18. Gronovium L. 3. Obſ. C. 16.

22. SACRA BONAE MARIBUS NON ADEUNDA DEAE] imo ejus ne nomen quidem viros ſcire fas erat. Tamen in ejus ſacrariis erat quidam quaſi mercatus ſtuprorum; ob hanc ipſam cauſſam, quod viri illinc longe arceri putarentur, & religione moribus recepta, & metu praeſentiſſimae caecitatis. Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 633.

Quid faciat cuſtos; cum ſint tot in urbe theatra?
  Cum ſpectet junctos illa libenter equos?
Cum ſedeat Phariae ſiſtris operata juvencae?
  Quoque ſui comites ire vetentur, eat?
Cum fuget e templis oculos Bona Diva virorum,
  Praeterquam ſi quos illa venire jubet?

Notiſſimum eſt P. Clodii adulterium cum Caeſaris Pompeja in operto commiſſum. Quam ob rem ille Ciceroni *Bonae Deae ſacerdos* dicitur, mordaciſſimo joco, L. 2. ad Attic. Epiſt. 4. Vide ſis Juvenalem ſua, hoc eſt Satyrica, lingua loquentem Sat. *6.* ℣. *314.*

Nota Bonae ſecreta Deae, cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae, &c.

23. ILLAM SEQUAR UNUS AD ARAM] Scaliger intelligebat aram Bonae Deae, quae ſtatuebatur in domo ejus conſulis, cujus eo menſe faſces erant, quo menſe ſacrum fiebat pro populo univerſo. Nimis profecto anguſte; quum ſacrificium illud non niſi ſemel in anno celebraretur. Merito quoque dubitari poteſt, ſi mulierculae imi ordinis, qualem fuiſſe Deliam ſcimus, ad ſacrum damium admitterentur. Nec videntur admiſſae, propter auguſtam rei occultiſſimae ſanctitatem. Tullius orat. de Haruſp. reſponſ. C. 17.

Quod sacrificium tam vetustum est, quam hoc, quod a regibus aequale huic urbi accepimus? quod autem tam occultum, quam id, quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes? quo non modo improbitas, sed ne imprudentia quidem possit intrare? quod quidem sacrificium nemo, nisi P. Clodius, omni memoria violavit, nemo umquam adiit, nemo neglexit, nemo vir adspicere non horruit: quod fit per virgines Vestales, fit pro populo Romano, fit in ea domo, quae est in imperio; fit incredibili caeremonia; fit ei Deae, cujus ne nomen quidem viros scire fas est. Imo non nisi primarias feminas in hoc operto adfuisse, satis clare ostendit Plutarchus in Caesaris itemque in Ciceronis vita. Nec caussa erat, cur deprehendi metuisset Clodius, si quibusvis illuc mulierculis adeundi fuit facultas. Itaque veterem lectionem, *aras*, ab exsilio si revocaverimus, recte puto atque ordine fecisse videbimur. Neque enim domum consularem intelligit poëta; sed publica Bonae Deae templa, ad quae quotidie adibat promiscua feminarum multitudo: praecipue autem illae, quarum quaestus erat stulta adolescentulorum cupiditas. Et semper sacrorum caussa putas? imo saepe ut virorum oculos evitarent, ac sine arbitris tuto comerentur. Naso L. 3. Art. Amat. ℣. 243.

Quae male crinita est, custodem in limine ponat;
Orneturve Bonae semper in aede Deae.

Duas autem aedes habebat, alteram in duodecima, alteram in tertia decima urbis regione, auctore P. Victore. Atque haec quidem erat in colle Aventini, ea parte, quae *Remuria* dicebatur, ut notavit Alexander Donatus L. 3. Romae C. 13. Naso L. 5. Fastor. ℣. 147.

Quo feror? Augustus mensis mihi carminis hujus
Jus dabit. interea Diva canenda Bona est.
Est moles nativa: loco res nomina fecit.
Appellant Saxum: pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat frustra, quo tempore fratri
Prima Palatinae signa dedistis aves.
Templa patres illic oculos exosa viriles
Leniter acclivi constituere jugo.
Dedicat haec veteris Clausorum nominis haeres,
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit; ne non imitata maritum
Esset, & ex omni parte secuta virum.

Illam vero *Subsaxanam* appellabant, in radicibus Aventini montis. Cui quum novam aediculam cum pulvinari atque ara dedicasset Licinia, virgo Vestalis, sed populi injussu; rem omnem inritam habuit collegium pontificum, A. V. DCXXX. Q. Caecilio Metello, T. Quinctio Flaminino Coss. Cicero orat. pro domo sua C. 53. *Quid, cum Licinia virgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminino Q. Metello Coss. aram, & aediculam, & pulvinar sub sacro saxo dedicasset, non eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium Sex. Julius praetor retulit? cum P. Scaevola, pontifex maximus, pro collegio respondit, Quod in loco publico Licinia C. F. injussu populi dedicasset, sacrum non videri.* Ad hanc Subsaxanam pertinere opinor haec verba ex grandi marmore, apud Gruterum videndo p. CCXXVIII. 8.

NATALI. AVGVSTAE. MVLSVM. ET. CRVSTVLA.
MVLIERIB. VICANIS
AD. BONAM. DEAM. PEC. N. DEDIMVS

Sacerdotes Bonae Deae sive antistitae ibidem memorantur p. CCXXVII. 1.

IMP. CAES. DIVI. FIL
AVGVSTO
TERRA. MARIQ.
VICTORI.
SACERDOT. BONAE. DEAE
ET. COLLEG. VII. VIR. EPVLON
COMMVN. POP. VOTO
RAVENAT
D. D.

Est & haec voti suscepti solutio mulieris libertinae p. LXXXII. 1.

BONAE. DEAE
SANCTAE
SACR
VOTO. SVSC.
MERITO. LIBENS
TERENTIA
THALLVSA
FECIT

Extra has duas aedes in urbe, erat & sacellum haud procul, inter Ariciam & Bovillas. Cicero orat. pro Milone C. 31. *Nisi forte hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sacrarium Bonae Deae, quod est in fundo T. Sextii Galli, in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam Deam, cum praelium commisisset, primum illud vulnus acceperit, quo taeterrimam mortem obiret: ut*

Saepe velut gemmas ejus, signumve probarem.
Per caussam memini me tetigisse manum.

Saepe

non absolutus judicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus. Asconius Pedianus in argumento Milonianae: *Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tum dictator, profectus est ad flaminem prodendum postera die. Occurrit ei circa horam nonam Clodius paullo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonae Deae sacellum est.* Vides rationes, quibus adductus maluerim *aras*: quae scriptura in multis quoque libris veteribus comparet.

24. TUNC MIHI NON OCULIS SIT TIMUISSE MEIS] ex pervulgata superstitione, qua persuasum illis erat, viros quoscumque, etiam inprudentes, qui Bonae Deae sacra vidissent, extemplo luminibus oculorum orbari. Tullius orat. de Harusp. respons. C. 18. de P. Clodio in domo Caesaris deprehenso: *Iste idcirco Bonam dicit, quod in tanto sibi scelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non. nisi forte tibi ignotum putas, quod te judices dimiserunt excussum & exhaustum: suo judicio absolutum, omnium condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis est, non perdidisti. Quis enim ante te sacra illa vir sciens viderat, ut quisquam poenam, quae sequeretur illud scelus, scire posset?*

25. VELUT GEMMAS EIUS SIGNUMQUE PROBAREM] in codice Archiepiscopi Eboracensis *signumve* erat. quod quamquam exile est ac perpusillum, tamen non debuit dissimulari: quum vulgato sit praestabilius. Ceterum ex hoc loco adparet, mulieres nuptas signis peculiaribus fuisse usas, ac distinctis a maritorum signis. Nec mirum: quum sibi quisque signum fingeret pro libitu, ac refictum mutaret. In gemmis autem preciosis damnosas delicias faciebant; quum veteres illi scalpturas inprimerent materiae annuli, sive ex ferro sive ex auro foret. Vide locum insignem Ateji Capitonis apud Macrobium L. 7. Saturn. C. 13. Erat autem quidam quasi lusus inter otiosos, annulum spectandum dare, ac vicissim rogare. Plautus Asinar. Act. 4. Sc. 1. ubi parasitus leges recitat, quibus Philenium esset cum Diabolo, ℣. 33.

Spectandum ne cui annulum det, neque roget.

Naevius Tarentilla:

quasi in choro pila
Ludens, datatim dat se, & communem facit:
Alium tenet, alii adnutat; alibi manus
Est occupata; alii percellit pedem;
Alii dat annulum spectandum a labris.

id est, postquam detractum a digito annulum labris est osculata. Ita exposuit Andr. Schottus, hunc simul nostri locum istuc trahens, L. 5. Observ. C. 3. & Schottum secutus Jo. Kirchmannus lib. de Annul. C. 18. Sed hunc ludum C. Verres serio ludebat, neque annulos reddebat, ut Cicero tradit Accus. 4. C. 26. *Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. genera ipsa cupio breviter attingere: ut hic modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis de digitis annulos aureos abstulisse? numquam dubitavit, quotiescumque alicujus aut gemma, aut annulo delectatus est.* Et haec quidem capere licet de annulis vel ad inspiciendum porrectis, vel forte fortuna conspectis. sed, quod sequitur, prorsus est mirificum. ita enim pergit orator: *Incredibilem rem dicam, sed tam claram, ut ipsum negaturum non arbitrer. Cum Valentio ejus interpreti epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animadvertit in cretula. placuit ei: quaesivit unde esset epistola: respondit, Agrigento. iste literas ad quos solebat, ut is annulus ad se primo quoque tempore afferretur. ita literis istius patrifamilias L. Titio civi Romano annulus de digito detractus est.* En hominem perniciose urbanum.

26. PER CAUSSAM] *sub praetextu* dicunt homines invenusti. Bella est locutio, & scriptoribus optimis perfamiliaris. Caesar L. 3. Bell. Civ. C. 24. *naves triremes duas* [Antonius] *quas Brundisii faciendas curaverat, per caussam exercendorum remigum, ad fauces portus prodire jussit. has quum audacius progressas Libo vidisset, sperans intercipi posse, quadriremes quinque ad eas misit.* C. 76. *Caesar veteribus suis in castris contra Asparagium consedit; militesque omnes intra vallum continuit; equitatumque per caussam pabulandi emissum confestim decumana porta in castra se recipere jussit.* Est utrobique stratagema, sed istic videndum. Cicero orat. pro domo sua C. 5. *cum tu in annonae caritate in consules, in senatum, in bona fortunasque locupletium, per caussam inopum atque imperitorum, repentinos impetus com-*

Saepe mero ſomnum peperi tibi: at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſita pocula victor aqua.
Non ego te laeſi prudens: ignoſce fatenti.
Juſſit Amor. Contra quis ferat arma Deos?

Ille

comparares. L. 3. de Offic. C. 10. de Romulo: *Omiſit hic & pietatem, & humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, adſequi poſſet: & tamen muri cauſſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis neque probabilem, neque ſatis idoneam.* Suetonius Jul. C. 2. *deſedit apud Nicomedem, non ſine rumore proſtratae regi pudicitiae. Quem rumorem auxit intra paucos rurſus dies repetita Bithynia per cauſſam exigendae pecuniae, quae deberetur cuidam libertino, clienti ſuo.* Othon. C. 3. *diducto matrimonio ſepoſitus eſt per cauſſam legationis in Luſitaniam: & ſatis viſum, ne poena acrior mimum omnem divulgaret.* Luſit in dilogia Propertius L. 4. Eleg. 8, ubi de Junonis Siſpitae ſacro, ℣. 16.

Huc mea detonſis avecta eſt Cynthia mannis:
Cauſſa fuit Juno, ſed mage cauſſa Venus.

Quaerebatur pabulum libidini: praetexebatur autem ſpecies religionis Lanuvinae.

28. Ipse bibebam Sobria supposita pocula victor aqua] Cave *victor* mutes in *fictor.* eſt enim hic certamen bibendi, e quo alteruter victor oportet diſcedat. Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 31.

Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

L. 1. Epiſt. 19. ℣. 10.

forum, putealque Libonis
Mandabo ſiccis: adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul edixit, non ceſſavere poëtae
Nocturno certare mero, putere diurno.

Tale certamen poëta noſter inſtituit in fine libri tertii. Et Caſpar Kinſchotius, nimis celeriter rei literariae ac Muſis Latinis ademtus, L. 2. Poëm. in Ara Bacchi, p. 71.

Accipe, Corneli, rata ſi vis vota peracta;
In fundo face ne gutta ſit ulla ſuper.
Victoris titulum, prior hoc qui faxit, habebit.
Et ſua victorem palma parata manet.
O bone, viciſti: nec tu monitoris egebas.
Ocius huc hederae fer mihi ſerta, puer.

Eſt autem e Graecia hoc bibendi certamen, & quidem inſtituti multo antiquiſſimi. id quod videre licet ex verſibus Panyaſidis poëtae apud Joannem Stobaeum Serm. 16. qui Panyaſis Herodoti hiſtorici vel avunculus, vel patruelis fuiſſe perhibetur. Graeci autem potores pumicis farina utebantur ad crapulam evitandam. Plinius L. 36. C. 21. *Theophraſtus auctor eſt, potores in certamine bibendi praeſumere farinam eam; ſed niſi inmenſo potu inpleantur, periclitari. tantamque refrigerandi naturam eſſe, ut muſta fervere deſinant pumice addito.* Pulcre vero noſter *ſobria* vocat *pocula,* quae ipſe multa aqua adfuſa diluiſſet. ſic L. 2. Eleg. 1. ℣. 46.

Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores:
Mixtaque ſecuro eſt ſobria lympha mero.

nec minus eleganter Papinius *ſobria* dixit *rura,* in quibus vinum ante non naſcebatur, L. 4. Silv. 2. ℣. 37.

Aetherei felix ſic orbita fluxit
Triptolemi: ſic vitifero ſub palmite nudos
Umbravit colles, & ſobria rura Lyaeus.

quem locum cum hoc Albiano contulit Gebhardus: & ante eum Paſſeratius ad Propert. L. 3. Eleg. 17. Dicitur autem *ſobrius,* itidem ut *ebrius,* a *bria,* vaſe vinario. Excerpta Donati ad Terent. Andr. Act. 4. Sc. 4. ℣. 39. *Tu pol homo non es ſobrius*] *Sobrius eſt ſanae mentis, quaſi* ſebrius, *hoc eſt ab ebrio ſeparatus.* Rectius dixiſſet, *ſebrium* dici qui ſit *ſine bria.* Chariſius L. 1. Inſtit. p. 63. *Hebria eſt vas vinarium; unde ebrius & ebria dicitur, ebrioſusque & ebrioſa, ſicut a negotio negotioſus & negotioſa. cui contrarium eſt ſobrius.* Sed locum eſſe mendoſum, & *Bria* legi debere, liquido oſtendit Paullus Leopardus, vir doctiſſimus, L. 6. Emend. C. 17. Plura dabit magnus Voſſius Etymol. L. L. in voce *Ebrius.*

29. Non ego te laesi prudens] Excuſatio quam frequens, tam frivola. Sanius ſapuit Euclio ille Plautinus Aulul. Act. 4. Sc. 10. ℣. 15.

quid tibi ergo meam me invito tactio eſt?
LY. *Quia vini vitio atque amoris feci.* EV. *homo audaciſſime!*
Cum iſtacin' te oratione huc ad me adire auſum, impudens?
Nam ſi iſtuc jus eſt, ut tu iſtuc excuſare poſſies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Poſt id, ſi prehenſi ſimus, excuſemus ebrios

Nos

Ille ego sum, nec me jam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Non frustra quidam jam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit:
Et simulat transire domum: mox deinde recurrit
Solus, & ante ipsas exscreat usque fores.

Nescio

Nos fecisse amoris caussa. nimis vile'st vinum, atque amor,
Si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.

& nutrix Phaedrae, Hippol. ℣. 195.

Deum esse Amorem, turpis & vitio furens
Finxit libido: quoque liberior foret,
Titulum furori numinis falsi addidit.

Hinc hausit Michaël Marullus L. 1. Epigr. 59, elegante dialogismo de Amore:

Qui coelo dignati? homines. Quae caussa coëgit?
Mitior auctore est credita culpa Deo.

30. JUSSIT AMOR] sic Phaedra Nasoniana, ℣. 10.

Dicere quae puduit, scribere jussit Amor.
Quidquid Amor jussit, non est contemnere tutum.
Regnat, & in dominos jus habet ille Deos.

quibus similia profatur eadem regina apud tragicum Romanum Hippol. ℣. 184. praecipue vero Chorus, qui proxime sequitur, facundia poëtica excellens, & vario flore coloratus. Plautus lepidissime, ut solet, eo quem modo indicavi loco, ℣. 7.

EV. *Quid ego emerui, adolescens, mali,*
Quam ob rem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?
LY. *Deus impulsor mihi fuit: is me ad illam illexit.* EV. *quo modo?*
LY. *Fateor peccavisse, & me culpam commeritum scio.*
Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.
EV. *Cur id ausus facere, ut id quod non tuum esset tangeres?*
LY. *Quid vis fieri? factum est illud. Fieri infectum non potest.*
Deos credo voluisse. nam ni vellent, non fieret, scio.
EV. *At ego Deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem.*

Tu qui capis, noli committere quin inspicias Hoofdii nostri Aulularia, expressissimam verissimamque imaginem antiquae ac vernaculae festivitatis.

32. INSTABAT TOTA CUI TUA NOCTE CANIS] solenne satellitium meretricularum, ac lenarum. noster L. 2. Eleg. 4. ℣. 32.

Haec fecere malas: hinc clavim janua sensit,
Et coepit custos liminis esse canis.
Sed precium si grande feras, custodia victa est:
Nec prohibent claves, & canis ipse tacet.

Propertius L. 4. Eleg. 5, de lena mortua, ℣. 71.

Exsequiae fuerunt rari furtiva capilli
Vincula, & inmundo pallida mitra situ:
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Quum fallenda meo pollice claustra forent.

Horatius Epod. 5. ℣. 57.

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanae canes.

Hinc Suburam, ubi scorta publica habitabant, Propertius *vigilacem* vocavit, ob canum frequentiam, L. 4. Eleg. 7. ℣. 15.

Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae?

M. Seneca Controvers. 30, de lenone: *Hanc Bassi sententiam non mehercules referrem, Si canem ad ostium alligasses.*

36. ANTE IPSAS EXSCREAT USQUE FORES] Prudenter Syrus ille Terentianus Clitiphontem suum monet, Heautont. Act. 2. Sc. 3. ℣. 128.

Sed heus tu, vide sis ne quid inprudens ruas.
Patrem novisti ad has res quam sit perspicax:
Ego te autem novi quam esse soleas inpotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas,
Gemitus, screatus, tussis, risus abstine.

inibi Eugraphius: *Haec omnia adulescentuli faciunt, quotiescumque videre, aut videri volunt ab his quas desiderant; ita sub quodam metu, ut, quasi dum aliud necessitate conficiunt, sic impleant voluntatem.* Recte sane, in re amoris. sed & alio saepe spectant. Naso Epist. Cydipp. ℣. 19.

Ante fores sedet haec: quid agamque rogantibus intus,
Ut possim tuto scribere, Dormit, ait.

Mox

Neſcio quid furtivus amor parat. utere quaeſo
Dum licet. in liquida nat tibi linter aqua.
Quid tenera tibi conjuge opus? tua ſi bona neſcis
Servare, ah fruſtra clavis ineſt foribus.
Te tenet, abſentis alios ſuſpirat amores,
Et ſimulat ſubito condoluiſſe caput.

At

Mox ubi ſecreti longi cauſſa optima ſomnus
Credibilis tarda deſinit eſſe mora,
Jamque venire videt quos non admittere durum eſt;
Exſcreat, & ficta dat mihi ſigna nota.

De tuſſi quam venuſte Eraſmus noſter in Virgine Poenitente! EV. *Qua pompa producta es?* CA. *Adornant me toto mundo meo: demittunt capillos: itaque non aliter quam nuptura ſponſo.* EV. *craſſo monacho. hem! male ſit huic tuſſi.*

40. Tua si bona nescis Servare, frustra clavis inest foribus] Interjectionem *ah*, quae erat ante adverbium *fruſtra*, eliminarunt homines novatores, pravo maloque exemplo. nam ut brevis ſyllaba fieret longa propter debilem (ut magiſtri vocant) poſitionem, nihil erat neceſſe. ut jam nihil dicam, numerum hac violenta productione turpiter delumbari. In Achillis Statii libris omnibus *a* erat exaratum, ſine litera adſpirante. Et ſic voluit Valerius Probus. *Ah* habet editio princeps cum Regiolepidina; tres item Palatini codices apud Gebhardum. Rectiſſime. eſt enim indignantis, & ſtomachantis, atque increpantis. Terentius Andr. Act. 3. Sc. 1. ℣. 11.

S. *jam ſcio, ah*
Vix tandem ſenſi ſtolidus. D. *quid hic ſenſiſſe ait?*
S. *Haec primum adfertur jam mihi ab hoc fallacia,*
Hanc ſimulant parere, quo Chremetem abſterreant.

& Act. 1. Sc. 5. ℣. 17.

Nam quid ego nunc dicam de patre? ah
Tantamne rem tam neclegenter agere!

Virgilius Eclog. 2. ℣. 60.

Quem fugis, ah demens? habitarunt Di quoque ſilvas,
Dardaniusque Paris.

Martialis L. 7. Epigr. 64.

Lis te bis decimae numerantem frigora brumae
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miſer, & demens. Viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

Vides uſum particulae elegantis, ſed inmerito ejectae. *clavis* eſt clauſtrum, ſive ſera, ut Salmaſius docuit Exercit. Plinian. p. 927. Sed ante Salmaſium jam olim viderat Secundus noſter L. 1. Eleg. 7.

At poſtquam domibusque fores, foribusque ſubivit
Clavis, & aequoreas navita ſprevit aquas,
&c.

41. Te tenet] jucunda adliteratio. de qua diximus ſupra ad Eleg. 1. ℣. 3.

41. Absentes alios suspirat amores] Puto *abſentis*; quod ſciolus aliquis corruperit in accuſativum, quum non caperet elegantiam caſus ſecundi, & fortaſſe verſui etiam timeret a ſyllaba brevi in pentemimerin cadente. Virgilius L. 4. Aen. ℣. 83.

Sola domo moeret vacua, ſtratisque relictis
Incubat. illum abſens abſentem auditque videtque:

Amantes enim abſentes praeſentes ſunt. Noſter infra Eleg. 9. ℣. 53.

Vel miſer abſenti moeſtas quam ſaepe querelas
Conjicit, & lacrimis omnia plena madent!

Valerius Flaccus L. 7. ℣. 197, de Medea Iaſonis amore capta:

Virginis ecce novus mentem praeſtringere languor
Incipit: ingeminant commoti queſtibus aeſtus.
Ergo iterum ſenſus varios ſuper hoſpite volvens
Moeret, & abſenti nequicquam talia fatur.

Ovidius, de Sex. Tarquinio in Lucretia commoto, L. 2. Faſtor. ℣. 769.

Carpitur attonitos abſentis imagine ſenſus
Ille: recordanti plura magisque placent.

Sed omnium optime Siren illa comoediae Romanae, doctiſſimus ille vitae humanae pictor, Eunuch. Act. 1. Sc. 2. ℣. 110.

PH. *In hoc biduum Thais vale.* TH. *mi Phaedria*
Et tu: numquid vis aliud? PH. *egone quid velim?*

At mihi servandam credas, non saeva recuso
Verbera, detracto non ego vincla pedum.

Tunc

Cum milite isto praesens absens ut sies:
Dies noctesque me ames: me desideres:
Me somnies: me exspectes: de me cogites:
Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:
Meus fac sis postremo animus, quando ego sum tuus.

Prudens ille historiae ludicrae scriptor suum Guzmanum, post narratas parentum suorum innuptas nuptias, ita loquentem introducit L. 1. C. 2. *Ainsi arriverent ils à la ville, chacun prenant la route de sa maison, & de sa couche. Mais je m'en rapporte aux contemplatifs, si ma mere, comme une autre Melisendre, ne coucha pas avec son mary le corps en Santogne captif, & l'ame à Paris prisonniere.* Ingeniosissimus Areostus Cantu 23. Orlandi furentis, stroph. 6. de Bradamanta, in silva deserta noctem molestam transigente:

Ma sempre, ò vegli, ò dorma, con la mente
Contemplando Ruggier, come presente.

Haec satis sunto ad roborandum nostram correctionem, an divinationem. quam & Douzam filium video leviter tetigisse. Sequitur dulcissimum illud *suspirat amores*, sensu activo, ut magistri loquuntur. Sic L. 4. Carm. 5, verbis Sulpiciae:

Quod si forte alios jam nunc suspirat amores;
Tu precor infidos, sancte, relinque focos.

Valerius Cato Dir. ℣. 106.

Invideo vobis agri, formosaque prata:
Hoc formosa magis, mea quod formosa puella
Est vobis, tacite & nostri suspirat amorem.

Juvenalis Sat. 11. ℣. 152.

Pastoris duri est hic filius; ille bubulci
Suspirat longo non visam tempore matrem,
Et casulam, & notos tristis desiderat haedos.

Prudentius Cathemer. hymno 2. ℣. 44.

Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum:
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.

Lucanus L. 6. ℣. 370. quamquam ibi ponitur pro eo quod est *exhalare*, nec desiderii vim habet:

Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aëra, nec tenues ventos suspirat Anaurus.

Lucretium quoque ita scripsisse arbitror L. 4. ℣. 1188.

Nec mulier semper fictos suspirat amores,
Quae complexa viri corpus cum corpore jungit,
Et tenet, adsuctis humectans oscula labris.

legitur nunc *ficto suspirat amore:* sed levi negotio potuit litera *s* excidisse, propter alteram proxime subsequentem. tamen si quis aliter sentit, cum eo non magnopere depugnabo. Dixit & Petrus Bembus, castigati sermonis scriptor, hymno ad Pana:

Audis nos Pater? an novam per agros
Suspiras Venerem, & preces recusas?

& Benedictus Lampridius, nobilis item poëta:

Quis possit ulli fidere feminae?
Quis possit? ignem quum tua Lesbia
Suspiret externum, atque mores
Fraudibus ingenuos Iberis
Postponat.

Itali poëtae, ac Galli, suo quisque idiomate certatim adripuere amabilem locutionem. Videbis, si voles, festivam copiam in Menagii Observationibus ad Poëmata Malherbae p. 390. & in altero volumine Chevraeanorum p. 136. Nescio cur praeterierint Philippum Portaeum, amoeni & foecundi ingenii poëtam, L. 1. Eleg. 6.

Comme dedans un bois enrichi de fueillage,
D'herbes, d'eaux, & de fleurs, & tout couvert d'ombrage,
Se branchent les oiseaux esmaillez de couleurs,
Soupirans doucement leurs plaisantes doleurs.

sed & politissimum Astraeae scriptorem praeterierunt, Honoratum Ursaeum: cujus in fabellis ac rure urbanissimo saepenumero occurrit.

43. AT MIHI SERVANDAM CREDAS] Male haec distinguuntur, tamquam sensu perfecto. pendent enim a sequentibus per particulam *si*, quae eleganter abest, ac subintelligitur. Terentius Heautont. Act. 1. Sc. 1. ℣. 26.

Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectum est, ego ut faciam: non est, te ut deterream.

Cicero Philipp. 11. C. 8. *L. Caesar clarissimo viro atque innocentissimo decrevit imperium, privato tamen. in quo maximum nobis onus imposuit. Assensus ero: ambitionem induxero in curiam. negaro: videbor suffragio meo, tamquam comitiis, honorem homini amicissimo denegasse.* Philipp. 13. C. 11. *Quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit,*

Tunc procul absitis, quisquis colis arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis & occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, atque alia stet procul ante via.
Sic fieri jubet ipse Deus. sic magna sacerdos
Est mihi divino vaticinata sono.

Haec

fuit, ut te ipse obsideas, neque te istinc, si cupias, possis explicare. recesseris: undique omnes insequentur. manseris: haerebis. L. 3. de Offic. C. 19. *At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, qui re vera non esset heres; in foro, mihi crede, saltaret.* Horatius L. 1. Sat. 3. ℣. 15.

decies centena dedisses
Huic parco paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis.

44. Detrecto non ego vincla pedum] *detracto* habet editio vetus, quae Regii Lepidi procurata est. Recte. Vide notata nobis ad Propert. L. 2. Eleg. 2. ℣. 11. De supplicio servili verberum ac vinculorum iterum agit L. 2. Eleg. 3. ipso fine.

Ducite. ad imperium dominae sulcabimus agros.
Non ego me vinclis verberibusque nego.

45. Quisquis colit arte capillos] ratio sermonis postulat, ut *colis* scribamus. sed hoc & alii viderunt.

46. Effluit effuso cui toga laxa sinu] nihil mutandum. Claudianus Paneg. in IV. Consul. Honor. ℣. 206.

Haud aliter summo gemini cum patre Lacones
Progenies Ledaea sedent: in utroque relucent
Frater, utroque soror. simili chlamys effluit auro:
Stellati pariter crines.

Macrobius, de Q. Hortensio, L. 2. Saturn. C. 9. *Fuit enim vestitu ad mundiciem curioso: & , ut bene amictus iret, faciem in speculo quaerebat: ubi se intuens togam corpori sic applicabat, ut rugas non forte sed industria locatas artifex nodus constringeret, & sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret.* Vide Turnebum L. 16. Adv. C. 4. & Oct. Ferrarium L. 1. de Re Vest. C. 6.

48. Stet procul, aut alia stet procul ante via] pro *aut alia*, restituit Achilles ex veteri libro *atque alia*, comprobante Gebhardo. Nec sane aliter erat in excerptis M. Ant. Pocchi, & in primo ac secundo Vaticanis, quos evolvit Nic. Heinsius. Erit igitur, Quicumque eadem via occurret, resistat procul; atque alia etiam via qui veniet, resistat, ante quam viam ineat eamdem. Gebhardus τὸ *atque* sumsit pro eo quod est confestim, extemplo; me quidem parum volente.

49. Magna sacerdos] Nota hic sacerdotem Bellonae feminam. Id ideo factum fuisse opinor, quod Romae Bellonarii, itidem ut Galli matris Deûm, atque Isiaci, tamquam vulgi faeces ac mendicabula contemnerentur, nisi a mulierculis & hominibus superstitiosis. In promtu sunt passim exempla apud poëtas. Alibi meliore fuerunt conditione. Memorabile in primis est, quod de sacerdotio Bellonae in Cappadocia tradidit A. Hirtius lib. de Bell. Alex. C. 66. *Biduum Mazacae commoratus, venit Comana, vetustissimum & sanctissimum in Cappadocia Bellonae templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus Deae majestate, imperio, & potentia secundus a rege consensu gentis illius habeatur. Id homini nobilissimo Lycomedi Bithynio adjudicavit: qui regio Cappadocum genere ortus, propter adversam fortunam majorum suorum mutationemque generis, jure minime dubio, vetustate tamen intermisso, sacerdotium id repetebat.* Ante hunc Lycomedem sacerdos fuerat Archelaus, a Pompejo post Mithridatem devictum praefectus, cuivis dynastae par opibus, ut Appianus ait sub finem libri de bellis Mithridat. ostenditque Cicero L. 15. ad famil. Epist. 4. *Cumque magnum bellum in Cappadocia concitaretur, si sacerdos armis se, quod facturus putabatur, defenderet, adolescens & equitatu & peditatu & pecunia paratus, & omnino iis, qui novari aliquid volebant: perfeci ut e regno ille discederet, rexque sine tumultu ac sine armis, omni auctoritate aulae communita, regnum cum dignitate obtineret.* Plura Strabo habet L. 12. p. 535. edit Casaub. Sed Romae, ut dixi, inter sacra peregrina hoc etiam pontificium vile habitum fuit, ac contemtibile. Certe gladiatores,

Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem
Flammam, non amens verbera torta timet.

Ipsa

tores, faecem ac lutum urbis, post missionem factos fuisse Bellonarios discimus ex Juvenale, Sat. 6. ℣. 103, ubi de Hippia Fabricii Vejentonis senatoris:

Qua tamen exarsit forma, qua capta juventa
Hippia? quid vidit, propter quod Ludia dici
Sustinuit? nam Sergiolus jam radere guttur
Coeperat, & secto requiem sperare lacerto.
Praeterea multa in facie deformia: sicut
Attritus galeae, mediisque in naribus ingens
Gibbus, & acre malum semper stillantis ocelli.
Sed gladiator erat.

51. HAEC UBI BELLONAE MOTU EST AGITATA] non enim sine divino instinctu vaticinabantur. Caecilius in aureo dialogo Minucii Felicis: *Intende templis ac delubris Deorum, quibus Romana civitas & protegitur & ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis, quam cultus insignibus & muneribus opulenta. Inde adeo pleni & mixti Deo vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum.* Apulejus L. 8. Metam. *Inter haec unus ex illis bacchatur effusius, ac de imis praecordiis anhelitus crebros referens, velut numinis divino spiritu repletus, simulabat sauciam vecordiam.* Noster verbis utitur maxime propriis, & ad vaticinationem unice facientibus. nam *movere* & *agitare* furoris sunt divini. Plautus Menaech. Act. 5. Sc. 1. ℣. 10, ubi uxor Menaechmi surrepti errat in Menaechmo Sosicle:

MV. *Adibo, atque hominem accipiam, quibus dictis meret.*
Non te pudet prodire in conspectum meum,
Flagitium hominis, cum istoc ornatu?
ME. *Quid est?*
Quae res agitat te, mulier?

Seneca Herc. fur. ℣. 521.

cur subito labant
Agitata motu templa? cur mugit solum?

Ovidius L. 6. Fastor. initio, ℣. 5.

Est Deus in nobis: agitante calescimus illo.
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Lucanus L. 7. ℣. 569.

Sanguineum veluti quatiens Bellona flagellum,
Bistonas aut Mavors agitans, si verbere saevo
Palladia stimulet turbatos aegide currus.

& L. 1. ℣. 566.

Diraque per populum Cumanae carmina vatis
Vulgantur. tum, quos sectis Bellona lacertis
Saeva movet, cecinere Deos.

L. Seneca lib. de Tranquill. Animi C. 15, prope finem: *Non potest grande aliquid & supra ceteros loqui, nisi mota mens. Cum vulgaria & solita contemsit, instinctuque sacro surrexit excelsior, tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali.* Varro L. 6. de L. L. *In Graecia commota mente, quos λυμφολήπτους appellant, ab eo Lymphatos dixerunt nostri.* Cicero L. 1. de Divinat. C. 40. *Quid, Asiae rex Priamus nonne & Helenum filium & Cassandram filiam divinantes habebat, alterum auguriis, alteram mentis incitatione & permotione divina?*

51. ACREM FLAMMAM] epitheton ad flammae naturam maxime adcommodatum. Lucretius L. 5. ℣. 907.

Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera
Ore foras acrem efflaret de corpore flammam?

L. 6. ℣. 852, ubi de fonte Ammonis:

Hunc homines fontem nimis admirantur, & acri
Sole putant subter terras ferviscere raptim.

Virgilius L. 4. Georg. ℣. 409, de Proteo:

Aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet.

52. NON ET AMANS VERBERA TORTA TIMET] *torta verbera* sunt Bellonae flagellum. quod flagellum modo vidimus apud Cordubensem poëtam. Maro L. 8. Aen. ℣. 703.

tristesque ex aethere Dirae,
Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Silius L. 4. ℣. 438, post magnificam armati Martis descriptionem:

exercitus una
Irarum, Eumenidesque simul, Letique cruenti
Innumerae facies, frenisque operata regendis
Quadrijugos atro stimulat Bellona flagello.

Hoc illa flagello mystas suos agitare, & rabiem iis incutere ac furorem credebatur. Quod & hic videremus, si liceret per corruptores bonorum librorum. Scripserat enim poëta *non amens verbera torta timet.* quae scriptura hodie quoque conspicitur in codicibus notae melioris. Recte vero *amens.* Varro

lib.

Ipsa bipenne suos caedit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta Deam.
55 Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus:
Et canit eventus, quos Dea magna monet.

Par-

lib. 5. de L. L. *Ab eadem mente Meminisse dictum: & Amens, quod a mente sua discedit.* Bene Juvenalis Sat. *6.* ℣. 511.

ecce furentis
Bellonae, matrisque Deûm chorus intrat, & ingens
Semivir, obscaeno facies reverenda minori.

Hinc aeruscatores illi peculiari cognomento *entheati* vocabantur. Martialis L. 12. Epigr. 57.

Illinc paludis malleator Hispanae
Tritum nitenti fuste verberat saxum.
Nec turba cessat entheata Bellonae.

& *fanatici*, ab eadem caussa. Lapis Romanus in magno corpore Inscriptionum p. CCCXII. 7.

L. CORNELIO. IANVARIO
FANATICO. AB. ISIS. SERAPIS
AD. AEDEM. BELLONE. RVFILIA

hic nimirum ex Isiaco factus fuerat Bellonarius. Alius lapis extra Romam, CCCXIII. 1.

Q. CAECILIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. AEDE
BELLONAE. PVLVIN
CVIVS. MONITO. HASTA
IN. AEDE
BELLONAE. IN. LVCO
DICATA. EST
FIRMIA. TYCHE
CONIVGI. SVO. BENEMERENTI
&c.

Juvenalis Sat. 4. ℣. 123.

Non cedit Vejento: sed, ut fanaticus oestro
Percussus, Bellona, tuo, divinat: &, ingens
Omen habes, inquit, magni clarique triumphi.

Hos Bellonarios Cyllenius non bene confudit cum Curetibus, seu Corybantibus.

53. IPSA BIPENNE SUOS CAEDIT VIOLENTA LACERTOS] in libris nonnullis est *violata:* quod probabat Thomas Demsterus, homo in illa copiosa lectione judicii perpusilli, Paralip. ad Rosini Antiq. Rom. L. 4. C. 10. Et Cyllenius *violata* poni ait pro eo quod est violans, participium pro participio. sed in nostris melioribus *violenta* est. Apud Cyllenium temere commutant haec vocabula. sic L. 4. Carm. 1, illic legitur,

Nec violenta vagi sileantur pascua Solis.

Rectius autem scripti *violata* habent; id quod ipsa res postulabat. Merito noster *lacertos* hic nominat: nam praecipue humeros & brachia lacerabant fanatici. L. Seneca lib. de Vita Beata C. 27. *Cum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; cum aliquis secandi lacertos suos artifex, brachia atque humeros suspensa manu cruentat.* Lactantius L. 1. Instit. Divin. C. 21. *Alia* [sacra] *Virtutis, quam eamdem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exserentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* Pari furore prophetae illi Baalis in brachia sua saeviebant, L. 1. Regum C. 18. ℣. 28. *Clamabant ergo voce magna, & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.*

55. STATQUE LATUS PRAEFIXA VERU] telo tereti, cum tenui mucrone. Virgilius L. 7. Aen. ℣. 665.

Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.

Servius non bene pro pilo cepit: id quod vel hic locus evicerit solus. Vides sacerdotem telo minime crasso cutem sibi digitis a sagina diductam transverberasse; quod sane fieri potuit citra periculum, sed veru, non pilo. Hinc majora hujus formae tela *veruta* dicebantur. Vide Lipsium L. 4. Poliorcet. dial. 4. Haec verua *lanceolas* vocavit interpres vetus Historiae Regum, loco modo producto.

56. ET CANIT EVENTUS, QUOS DEA MAGNA MONET] Bellonam fuisse in numero Deorum fatidicorum, & futura praemonentium, longo post Tibullum tempore ostendit Ammianus Marcellinus L. 21. C. 5, ubi Juliani a Constantio defectionem orditur: *Conjectans* [Julianus] *quantas intestinae cladis excitaverat moles, nihilque tam convenire conatibus subitis quam celeritatem, sagaci praevidens mente, professa palam defectione se tutiorem fore existimavit: incertusque de militum fide, placata ritu secretiore Bellona, classico ad concionem exercitu convocato, saxeo suggestu insistens,*

Parcite, quam cuſtodit Amor, violare puellam:
Ne pigeat magno poſt didiciſſe malo.
Attigeris, labentur opes: ut vulnere noſtro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

Et

jamque ut apparebat fidentior, haec clarius ſolito diſſerebat. Ecce Julianus non tantum bene ominatur de ſuſceptae rei eventu; ſed & milites, de quorum fide paullo ante dubitaverat, fidenter ad concionem vocat poſt placatam & conſultam Bellonam. Pro *monet*, Gebhardus reponit *movet* L. 2. Crepund. C. 5. Credat qui volet. *Monere* & *monita* verba ſunt oraculorum & vaticiniorum. Cicero orat. de Haruſp. reſponſ. C. 25. *cum Dii immortales monent de optimatium diſcordiis, de clariſſimorum & optime meritorum civium diſſenſione praedicunt.* & L. 2. de Divinat. C. 41. ubi de ſortibus Praeneſtinis: *Haruſpices dixiſſe, ſumma nobilitate illas ſortes futuras, eorumque juſſu ex illa olea arcam eſſe factam; eaque conditas ſortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur.* Maro, verbis Euandri, L. 8. Aen. ℣. 336.

Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem
Fortuna omnipotens & ineluctabile fatum
His poſuere locis: matriſque egere tremenda
Carmentis nymphae monita, & Deus auctor Apollo.

L. 7. ℣. 110.

Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbam
Subjiciunt epulis, (ſic Jupiter ille monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.

L. 4. ℣. 465.

Multaque praeterea vatum praedicta piorum
Terribili monitu horrificant.

Naſo L. 1. Metam. ℣. 397.

Conjugis augurio quamquam Titania mota eſt,
Spes tamen in dubio eſt. adeo coeleſtibus ambo
Diffidunt monitis.

& L. 3. Faſt. ℣. 167.

Si licet occultos monitus audire Deorum
Vatibus, ut certe fama licere putat.

Papinius L. 10. Theb. ℣. 698. de Tireſia vate:

Illius haec forſan remur, quae verba Deorum
Ille monet.

L. 11. ℣. 149.

Sed fati monitus, vicinaque funera ſentit,
Ac ſentire timet.

apud eumdem Thetis L. 1. Achill. ℣. 32.

Me petit: haec mihi claſſis (ait) funeſta paratur:
Agnoſco monitus, & Protea vera locutum.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 29.

Sed non ulla quies animo fratriſque paventi
Progeniem, Divûmque minas: hunc nam fore regi
Exitio vateſque canunt, pecudumque per aras
Terrifici monitus iterant.

& L. 6. ℣. 117.

Ducit ab Hyrcanis vates ſacer agmina lucis
Varus: eum Scythiae jam tertia viderat aetas
Magnanimos Minyas Argoaque vela canentem.
Illius & dites monitis ſpondentibus Indi,
Et centumgeminae Lagea novalia Thebae,
Totaque Riphaeo Panchaïa rapta triumpho.

Juvenalis, de muliere Iſiacarum religionum myſteriis initiata, Sat. 6. ℣. 530.

Credit enim ipſius dominae ſe voce moneri.
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte loquuntur!

Suetonius Calig. C. 57. *Monuerunt & ſortes Antiatinae, ut a Caſſio caveret.* Prolixior fui in tuenda lectione recepta, quia quid ſit *movere eventus* planiſſime ignoro. Male ſit illi prurigini innovandi, per quam factum fuit ut medicina modum exceſſerit, & degeneraverit in carnificinam. Bellona monebat eventus; eoſque ut caneret, ſacerdotem movebat.

59. ATTIGERIT] exponunt, Si quiſquam eam attigerit. Sed non ita loquebatur caſtior Latinitas. Recte divinarant Auratus & Fruterius, *Attigeris.* atque ſic eſſe in veteri libro monuit Achilles Statius: & e primo Vaticano Nicolaus Heinſius enotavit. probavitque jam olim in Praecidaneis noſter Douza. Primi illi interpretes parum animadverterant Terentii rationem loquendi, quam videlicet huic Albianae eſſe ſimilem rebantur, Eunuch. Act. 4. Sc. 6 ℣. 2.

Credo equidem illum jam adfuturum eſſe, ut illam a me eripiat: ſine veniat.
Atqui ſi illam digito adtigerit uno, oculi illico effodientur.

Sequitur *labentur opes:* id quod gemina comparatione inluſtratur, & cruoris e vulnere dimanantis, & cineris a vento vehemente diſflati. Plautus Trinum. Act. 2. Sc. 1. ℣. 17.

nam

Et tibi neſcio quas dixit, mea Delia, poenas.
Si tamen admittas, ſit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, ſed tua mater
Me movet, atque iras aurea vincit anus.

Haec

nam qui ab eo, quod amat,
Quam extemplo saviis ſagittatis percuſſus eſt, illico res foras
Labitur, liquitur.

Lucretius, in eodem negotio, L. 4. ℣. 1119.
Adde quod abſumunt vireis, pereuntque labore:
Adde quod alterius ſub nutu degitur aetas.
Labitur interea res, & vadimonia fiunt:
Languent officia, atque aegrotat fama vacillans.

Dionyſius ille, qui Cato audit vulgo; quum non auctor, ſed liber ipſe ſit dictus Cato, propter praecepta ſapientiae, Catone aliquo cenſorio non indigna; ille igitur Dionyſius L. 2. diſt. 18.
Utere quaeſitis parce, quum ſumtus abundat.
Labitur exiguo, quod partum eſt tempore longo.

Maro L. 4. Geor. ℣. 449.
Deûm praecepta ſecuti
Venimus hinc lapſis quaeſitum oracula rebus.

Tullius L. 2. de Offic. C. 18. *Habenda autem eſt ratio rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt.* Ab rebus ad perſonas, earumque munia transtulit idem ille vir divinus, orat. pro Rabirio Poſtumo C. 16. *Equitem Romanum, veterem amicum ſuum, ſtudioſum, amantem, obſervantem ſui, non libidine, non turpibus impenſis cupiditatum atque jacturis, ſed experientia patrimonii amplificandi labentem excepit, corruere non ſivit, fulſit & ſuſtinuit, re, fortuna, fide, hodieque ſuſtinet.* L. 2. de Officiis C. 23. *Exque eo tempore tantae discordiae ſecutae ſunt, ut & tyranni exſiſterent, & optimates exterminarentur, & praeclariſſime conſtituta reſpublica dilaberetur.* h. e. diſſiparetur, ac disperiret. id enim ſonat *dilabendi* verbum. Virgilius L. 4. Geor. ℣. 410.
Aut acrem flammae ſonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.

L. 4. Aen. ℣. ult.
omnis & una
Dilapſus calor, atque in ventos vita receſſit.

62. SI TAMEN ADMITTAS] Si in priſtinam amicitiam recipias, inquit bonus Cyllenius, cui libenter ignoſcimus. *Admittere* eſt peccare. quod primus credo obſervavit, certe inter primos, Angelus Decembrius L. 4. de Polit. Liter. Cicero pro Milone C. 23. *Ergo illa falſa fuerunt: quae certe vera exſtitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſte vereque defendere.* Plautus Menaech. Act. 5. Sc. 1. ℣. 12.
Quid tandem admiſi in me, ut loqui non audeam?

Dido Naſoniana ℣. 104.
Nulla mora eſt; venio. venio tibi debita conjux:
Sed tamen admiſſi tarda pudore mei.

Tacitus L. 11. Annal. C. 4. *Rogatus ſententiam & Scipio: Cum idem, inquit, de admiſſis Poppaeae ſentiam, quod omnes; putate me idem dicere, quod omnes.*

62. SIT PRECOR ILLA LEVIS] Non ad Bellonam haec pertinent; ut Cyllenius putabat; ſed ad Bellonae ſacerdotem. Dixerat illa poenas quasdam Deliae, ſi peccaret. at poëta, nimis conſcius quam eſſet grave Deliae non peccare, optat, ut potius antiſtita ſit vaniloqua ac mendax, quam ut domina pro ſuo ſibi merito puniatur. Haec enim vis eſt voculae *levis:* quam male exponunt, quaſi eadem ſit quae *mitis.* Tullius orat. pro Cluentio C. 28. *Ecce tibi ejusmodi ſortitio, ut in primis Bulbo, & Staleno, & Guttae eſſet judicandum. Summa omnium exſpectatio, quidnam ſententiae ferrent leves ac nummarii judices.* in L. Piſonem C. 11. *Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna majeſtas conſulis: non capiunt anguſtiae pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas animi: non infirmitas ingenii ſuſtinet, non inſolentia rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram.* Pulcre Ariadna apud Ovidium L. 3. Faſtor. ℣. 481.
Bacche levis, leviorque tuis, quae tempora cingunt
Frondibus; in lacrimas cognite Bacche meas;
Auſus es ante oculos adducta pellice noſtros
Tam bene compoſitum ſollicitare torum?
Heu! ubi pacta fides? ubi, quae jurare ſolebas?
Me miſeram, quoties haec ego verba loquor!

64. ME MONET] ſcribe cum libris optimis, *Me movet.* Hoc Achilles jam olim monuit.

64. IRAS AUREA VINCIT ANUS] *aurea,* in

qua

Haec me deducit tenebris, multoque timore
Conjungit nostras clam taciturna manus.
Haec foribusque manet noctu me adfixa, proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Vive diu mihi, dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos conteruisse velim.

Te

qua nihil boni potest desiderari, quae auro contra non est cara. Horatius L. 4. Od. 2. ℣. 23.

Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat, & vires, animumque, moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.

L. 1. Od. 5. ℣. 9.

heu quoties fidem
Mutatosque Deos flebit, & aspera
Nigris aequora ventis
Emirabitur insolens
Qui nunc te fruitur credulus aurea:
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat.

L. 4. Od. 2. de Caesare Augusto, ℣. 39.

Quo nihil majus meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi:
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.

Virgilius Eclog. 4. ℣. 9.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina.

Matth. Casimirus Sarbievius L. 1. Od. 1.

Candidi soles, veterisque venae
Fontibus nati revocantur anni:
Grandinat gemmis, riguoque caelum
Depluit auro.

65. HAEC MIHI TE ADDUCIT TENEBRIS] plures libri, *Haec me deducit tenebris.* Et est sane lepor suus in hac dilogia. nam ut *deducere aliquem* comitatis est atque honoris: ita & *deducendi* verbum pertinet nonnumquam ad conciliaturam. Ovidius, in fabella Myrrhae, L. 10. Metam. ℣. 462.

Cunctantem longaeva manu deducit: & alto
Admotam lecto cum traderet, Accipe, dixit;
Ista tua est, Cinyra. devotaque corpora junxit.

& Epist. Paridis ℣. 313.

Paene suis ad te manibus deducit amantem.
Utere non vafri simplicitate viri.

Tullius Accus. 3. in Verr. C. 34. *Hordei decumas ejusdem agri Decimus emerat. Hic est Docimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vi abductam ab Rhodio tibicine.* Suetonius Jul. C. 50. *Super alias donationes, amplissima praedia ex auctionibus hastae ei minimo addixit. Cum quidem plerisque vilitatem mirantibus, facetissime Cicero, Quo melius, inquit, emtum sciatis, Tertia deducta est. Existimabatur enim Servilia, etiam filiam suam Tertiam Caesari conciliare.* Eadem habet Macrobius L. 2. Saturn. C. 2. Tamen quin & *adducere* sit ejusdem significationis, negari nequit. Naso L. 10. Metam. ℣. 441.

Nacta gravem vino Cinyram male sedula nutrix,
Nomine mentito, veros exponit amores:
Et faciem laudat. quaesitis virginis annis,
Par, ait, est Myrrhae. quam postquam adducere jussa est,
Utque domum rediit, Gaude mea, dixit, alumna: &c.

Sed intelligamus simpliciter, ut *deduci* dicatur propter ignorationem viae in domo aliena; ubi & custos erat timendus, & vel maxime maritus, si forte fortuna evigilasset. Ideo addit, *multoque timore.*

68. COGNOSCIT STREPITUS ME VENIENTE PEDUM] noster infra Eleg. 9. ℣. 65.

Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
Illius credo tunc sonuisse pedem.

Poëta vetus in Lusibus liberis, Carm. 84.

Sed ille quum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede.

Seneca Herc. fur. ℣. 523.

Audimur: est, est sonitus Herculei gradus.

69. VIVE DIU MI DULCIS ANUS] *mi anus* a Scaligero est, nescio quam archaismi elegantiam hic agnoscente. Scimus ita loqui Plautum, atque Apulejum; etiam in sacris apud veterem interpretem libri Ruth *mi filia* aliquoties invenitur. Nec defuerunt de recentioribus viri diserti, qui aemularentur, modo genere modo numero mutato. Georgius Anselmus L. 1. Epigr. 16.

O lu-

Te semper, natamque tuam te propter amabo.
Quidquid agat, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta doce, quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes.

75 Et

O lucerna age amica mi, mearum
Testis unica cogitationum,
Ecquorum aspicies relicta amores?
Dominicus Baudius L. 3. Iamb. Carm. 2.
Forti feramus, mi sodales, pectore
Quod ferre cogit ipsa nos necessitas.
Equidem nihil carpo in locutione, quae locupletibus se auctoribus tueri potest. Sed Tibullianam esse ut credam, aut adeo aetatis Augustaeae, non persuadebor nisi prolatis idoneis exemplis. Nec credidit vir magnus Ger. Jo. Vossius L. 4. de Analog. C. 8. Accedit conspirans fides librorum, qua scriptorum, qua cusorum. Neque obstat Achillis Statii silentium, aut Mureti. quid enim illi dicerent, ubi nemo quidquam movebat? Nos igitur in sedem suam, unde temere ejecta fuit, reponemus voculam *mihi*, fidejubentibus novem libris scriptis, & quatuor primis editionibus. saepe ista pronomina abundare, etiam ob solam elegantiae caussam, nemo ignorat.

70. Annos contribuisse] scribe cum Nic. Heinsio *conteruisse*. Qua correctione nihil est certius. super hac flexione verbi *tero* dictum est nonnihil ad Eleg. 4. ℣. 42. istic videto.

72. Quidquid agit] Statius *agat* profert ex libro Cardinalis Sfortiae. sequamur: nam & Thuanaeus sic habet, & Colbertinus, & alter Wittianus.

72. Sanguis est tamen illa tuus] Posterior in *sanguis* veteribus fuisse anceps videtur. Hoc jam olim Georgius Fabricius, & Obertus Gifanius notarunt, ex Marone, L. 10. Aen. ℣. 487.
Una eademque via sanguis animusque sequuntur.
& ex Valerio Flacco, L. 3. ℣. 234.
modo tela sacerdos
Porrigat, & jussa sanguis exuberet ira.
sed plura sunt, quae huc trahi possunt. Naso L. 6. Fastor. ℣. 488.
Intumuit Juno, rapta quod pellice natum
Educet. at sanguis ille sororis erat.
Lucanus L. 2. ℣. 338.
Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Justa, Cato, & geminos excepi foeta maritos.
sunt verba Marciae. idem poëta L. 7. ℣. 635.
Mors hic gentis erat: sanguis ibi fluxit Achaeus.
& L. 10. ℣. 128.
Discolor hos sanguis, alios distinxerat aetas.
Sic *pulvis* Maroni producitur L. 1. Aen. ℣. 478.
huic cervixque comaeque trahuntur
Per terram, & versa pulvis inscribitur hasta.
sic *cinis* Albinovano, Eleg. ad Liviam Aug. ℣. 163.
Miscebor cinerique cinis, atque ossibus ossa.
Est itaque verosimile, quaedam in IS exeuntia fuisse ancipitia. Sed, objiciat aliquis, omnia ista, quae citasti, incidunt in caesuram. Fateor. at duo dabo exempla, quae nihil debeant caesurae. alterum Horatii est, L. 1. Od. 15, ipso fine:
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.
alterum Senecae Med. ℣. 775.
Vectoris istic perfidi sanguis inest,
Quem Nessus exspirans dedit.

73. Sit modo casta doce] *castam* vocat, quae sit uno amatore contenta, nec sic quasi in choro pila ludens, datatim det se, & communem faciat. Supra Eleg. 3. ℣. 83.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Naso Epist. Parid. ℣. 293.
Casta tamen tum sis, cum te mea Troja tenebit:
Et tua sim, quaeso, crimina solus ego.
Hoc non animadversum fraudi fuit Jo. Livinejo, Deliam nondum nuptam putanti, ad Propert. L. 4. Eleg. 3. ℣. 16.

73. Quamvis non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes] Hinc adparet, libertinae conditionis fuisse Deliam. quod & Turnebus suspicabatur L. 29. Adv. C. 31. Bonus Cyllenius sacerdotum integritatem, & matronarum pudicitiam hic intelligebat. Prosit illi honestissimus conatus, quamvis aliquando parum efficax. Vittis ac stola solae utebantur matronae, & virgines ingenuae: carebant autem illo honore libertinae. Quarum proinde furta tori nullo jure vindicabantur. Naso L. 1. Art. Amat. ℣. 31.

Et mihi ſint durae leges, laudare nec ullam
Poſſim ego, quin oculos adpetat illa meos.

Et

Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris;
Quaeque tegis medios, inſtita longa, pedes.
Nos Venerem tutam conceſſaque furta canemus:
Inque meo nullum carmine crimen erit.

L. 2. ejusdem operis, ℣. 599.

En iterum teſtor: nihil hic, niſi lege remiſſum.
Luditur in noſtris inſtita nulla jocis.

L. 3, ubi diſcipulas ſuas adfatur, ℣. 483.

Sed quoniam, quamvis vittae careatis honore,
Eſt vobis veſtros fallere cura viros.

clariſſime vero L. 2. Triſt. ℣. 241, quo loco Artes ſuas excuſat apud Auguſtum principem:

Illa quidem fateor frontis non eſſe ſeverae
Scripta, nec a tanto principe digna legi:
Non tamen idcirco legum contraria juſſis
Sunt ea, Romanas erudiuntque nurus.
Neve quibus ſcribam poſſis dubitare; libellus
Quatuor hos verſus e tribus unus habet:
Eſte procul vittae tenues, inſigne pudoris;
Quaeque tegis medios, inſtita longa, pedes.
Nil, niſi legitimum, conceſſaque furta canemus;
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Ecquid ab hac omnes rigide ſubmovimus Arte,
Quas ſtola contingi vittaque ſumta vetat?

Deinde ſcapham vocat ſcapham, ℣. 303.

At procul ab ſcripta ſolis meretricibus arte
Submovet ingenuas pagina prima nurus.

& L. 3. Pontic. Epiſt. 3. ℣. 47, in colloquio cum Cupidine:

Dum damus arma tibi, dum te, laſcive, docemus;
Haec te diſcipulo dona magiſter habet.
Scis tamen, ut liquido juratus dicere poſſis,
Non me legitimos ſollicitaſſe toros.
Scripſimus haec iſtis, quarum nec vitta pudicos
Contingit crines, nec ſtola longa pedes.

Ex iſtis verſibus poſtremis Albium noſtrum hos ſuos effinxiſſe, inmani errore calculi, pronuntiavit Thomas Demſterus, homo non prudentiſſimus, Paralip. ad Roſin. L. 5. Antiq. Rom. C. 35. Quia vero vittas ſolae illae gerebant, quas caſtas eſſe ac pudicas lex & jus volebant; hinc factum fuit, ut ipſa *vittae* vox caſtitatem notaret ac pudicitiam. Naſo L. 4. Faſtor. ℣. 323, verbis Q. Claudiae ad Matrem Deûm:

Caſta negor. ſi tu damnas, meruiſſe fatebor.
Morte luam poenas judice victa Dea.
Sed, ſi crimen abeſt, tu noſtrae pignora vittae
Re dabis: & caſtas caſta ſequere manus.

ita, pro *vitae*, veriſſime emendavit Jo. Fred. Gronovius, vir praeclarus, L. 2. Obſerv. C. 21. Valerius Cato Dir. ℣. 157.

Auſus egon' primus caſtos violare pudores?
Sacratamque meae vittam tentare puellae?

Rectius, ni fallor, *vittam temerare* hic reſcribas, exemplo Ovidiano L. 6. Faſtor. ℣. 457.

Nullaque dicetur vittas temeraſſe ſacerdos
Hoc duce: nec viva defodietur humo.

Ceterum & hoc loco *vitam* legebatur ante Scaligerum, Gronovio ſic quaſi praelucentem.

75. ET MIHI SINT DURAE LEGES] locutio ſolennis, qua imperium dominae in amantem declaratur. Propertius L. 4. Eleg. 8. ℣. 74.

Supplicibus palmis tum demum ad foedera veni,
Quum vix tangendos praebuit illa pedes.
Atque ait, Admiſſae ſi vis me ignoſcere culpae,
Accipe, quae noſtrae formula legis erit.

paullo poſt:

Indixit leges. reſpondi, Ego legibus utar.

Contra apud Plautum leges amator praeſcribit & lenae & ſcortillo, quod ſecum eſſet annum totum, Aſin. Act. 4. Sc. 1.

DIA. *Agedum, iſtum oſtende quem conſcripſti ſyngraphum,*
Inter me & amicam & lenam: leges perlege.
Nam tu poëta es prorſus ad eam rem unicus.
PA. *Horreſcet ſaxo lena, leges quum audiet.*

Et quia leges ferre res eſt regia, propterea dominatus hic amatorius *regnum* dicebatur. Noſter infra Eleg. 10. ℣. 80.

Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna ſuperba tuo.

L. 2. Eleg. 6. ipſo fine:

Nota loquor: regnum ipſe tenet, quem ſaepe coëgit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 4.

Non ſum qualis eram bonae
Sub regno Cynarae.

Aurelius meus L. 3. Eleg. 8. ℣. 18.

Et pete, qua polles, ut ſit tibi forma perennis,
Inque meum ſemper ſtent tua regna caput.

&

Et ſi quid peccaſſe puter, ductergue capillis
Inmerito, pronas per rapiarque vias;
Non ego te pulſare velim. ſed venerit iſte
Si furor, optarim non habuiſſe manus.

Nec

& L. 4. Eleg. 7. ℣. 50.

Non tamen inſector, quamvis mereare, Properti:
Longa mea in libris regna fuere tuis.

Naſo Remed. Amor. ℣. 15.

At ſi quis male fert indignae regna puellae;
Ne pereat, noſtrae ſentiat artis opem.

Juvenalis Sat. 6. ℣. 224.

Imperat ergo viro: ſed mox haec regna relinquit,
Permutatque domos, & flamea cönterit: inde
Advolat, & ſpreti repetit veſtigia lecti.

quae verba attentius ſi conſideres, puto mecum *Avolat* malle te, quam id quod vulgo obtruditur.

76. Quin oculos adpetat illa meos] Propertius L. 4. Eleg. 8. ℣. 66.

Inpenitque notam collo, morſuque cruentat:
Praecipueque oculos, qui meruere, ferit.

Vide quae iſtic adnotabamus; nec Paſſeratium negligito.

78. Properas proripiarque vias] monſtra lectionum hic fovent codices quidam antiqui. iſtud *properas* Scaliger confinxit, non cuivis intelligendum. *proprias*, quod in vulgatis legitur, defendebat Turnebus L. 16. Adv. C. 4. & L. 29. C. 31. ut intelligas proreptum fuiſſe ac capillo protractum in eam viam, qua venerat. Vix tamen hanc ſententiam vis vocis *proprius* conficere videtur. *pronas* olim conjiciebat acutus ille Fruterius. Et ſane ita legi in libris nonnullis prodidit Achilles Statius: notavitque M. Ant. Pocchus in ſuis excerptis, itemque Ant. Perrejus. quibus accedit Angeli Colotii liber, ac primus ſecundusque Vaticani. In quinto Gebhardi Palatino *praeripiarque* exhibebatur. His ego adductus rationibus, non poſſum non probare elegantem Nic. Heinſii correctionem, *pronas per rapiarque vias*, quum priſcis codicibus ſubfultam, tum vero ipſa verborum ſtructura ita Albianam, ut non ovum ſit ovo ſimilius. Quid ſint *pronae viae* in urbe montoſa ac clivoſa, facile quivis ſentit. Atque ut hic noſter ejicitur ac capillo ductatur: ita ſaepe apud Homerum homo aliquis miſer & contemtibilis vapulat ac pedibus protrahitur. Vide Odyſſ. L. 16. ℣. 276. L. 17. ℣. 477. L. 18. ℣. 10. & 100. Quod & Romanis moribus uſitatum fuiſſe, docet Cicero L. 7. ad famil. Epiſt. 32. *Nam de judiciis quod quereris, multo laboro minus: trahantur per me pedibus omnes rei: ſit vel Selius tam eloquens, ut poſſit probare ſe liberum, non laboro.* & L. 4. ad Attic. Epiſt. 16. *Domus me, & rura noſtra delectant. Non recordor unde ceciderim, ſed unde ſurrexerim: fratrem mecum & ſi habebo, per me iſta pedibus trahantur.* Catullus Carm. 15.

Ah tum te miſerum, malique fati,
Quem attractis pedibus, &c.

Juvenalis Sat. 5. ℣. 125.

Duceris planta, velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponêre foris, ſi quid tentaveris umquam
Hiſcere.

Etenim hoc contumeliae genere in cadavera quoque hoſtilia ſaevitum eſt olim. L. Septimius L. 4. Ephemer. C. 3. de Pentheſilea: *Achilles interfectam eam ſepelire cupiens, mox a Diomede prohibitus eſt. Is namque percontatus circumſtantes, quidnam de ea faciendum eſſet, conſenſu omnium pedibus attractam in Scamandrum praecipitat.* Ante Diomedem victor Hercules in fure Caco fecerat. Virgilius L. 8. Aen. ℣. 259.

Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum conplexus, & angit inhaerens
Eliſos oculos & ſiccum ſanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolſis:
Abſtractaeque boves, abjurataeque rapinae
Caelo oſtenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur.

Sed horum partim ante me tetigit Eraſmus noſter Chil. 2. Cent. 1. Adag. 18.

79. Non ego te pulsare velim] Aberat hoc diſtichon a duobus codicibus Archiepiſcopi Eboracenſis, flagitio librariorum.

80. Optarim non habuisse manus] Aliquanto floridius Naſo, more ſuo, L. 1. Amor. Eleg. 7. ℣. 23.

Ante meos humeris vellem cecidiſſe lacertos:
Utilius potui parte carere mei.
In mea veſanas habui diſpendia vires:
Et valui poenam fortis in ipſe meam.

Nec saevo sis casta metu, sed mente fideli
Mutuus absenti te mihi servet amor.
Nam quae fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu:
Firmaque conductis adnectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.

Hanc

Quid mihi vobiscum, caedis scelerumque ministrae?
Debita sacrilegae vincla subite manus.

Quae Elegia vel sola abunde ostendit quam longo intervallo Augusti aetas post se relinquat Saeculum Ludovici Magni, etiam in rebus argumenti ludicri atque exilis: ut merito pudere sui deceat illos, quibus suave fuit cum tanto fastu ineptire.

81. NE SAEVO SIS CASTA METU] Nostri omnes *Nec.* quod placet. Ipsam sententiam expressit meus Aurelius L. 2. Eleg. 5. ℣. 29.

Quos igitur tibi custodes, quae limina ponam,
Quae numquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil invitae tristis custodia prodest.
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Argute, ut solet, Naso L. 3. Amor. Eleg. 4. ℣. 3.

Si qua metu demto casta est; ea denique casta est;
Quae, quia non liceat, non facit; illa facit.

Douza hic *servo metu* restituebat, Praecid. C. 3. quod non probo. Non quo pravum putem, aut ineptum: sed quod ab his argutae dictionis deliciis longe longeque absit simplicitas Albiana.

83. AT QUAE FIDA FUIT NULLI] Non satis video, quam apte cohaereat haec transitio. Melius videtur, *Nam quae fida*; quod noster tertius habebat, & nonnulli Statiani.

84. DUCIT INOPS TREMULA STAMINA TORTA MANU] Miserabile supplicium scortorum, quae lana facienda vix vitam sibi quaerunt in aetate mala. Talis erat Chloris illa Horatii L. 3. Od. 15. ℣. 13.

Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae decent,
Nec flos purpureus rosae,
Nec poti vetula faece tenus cadi.

Vide sis Plautum Mostell. Act. 1. Sc. 3. ℣. 29. Eique adde, si operae est, veteris poëtae Galli Joachimi Bellaji festivum carmen, & in illis suis archaismis etiam nunc non injucundum, cui est titulus *la vieille courtisane*, isto praecipue loco,

Quant au mestier, dont il fault que je vive,
C'est de filer, ou laver la lessive, &c.

85. FIRMAQUE CONDUCTIS ADNECTIT LICIA TELIS] Scaligero *tela* numero plurali sunt instrumenta textoria. Perperam. *telae* hic sunt ipsum jugum, super quo stamen extenditur; ut pulcre docuit Salmasius Not. in Julium Capitolinum p. 126. quem tu videre debes. Nic. Heinsius *consutis telis* conjiciebat: quod non possum probare. In voce *conductis* inest significatio extremae egestatis. quid enim miserius, quam nec telam quidem habere propriam, qua quaeratur frustillum panis atri? Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 3. ℣. 15.

Homo jam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri fere
Se continebat: ibi agrum de nostro patre
Colendum habebat.

Virgilius L. 12. Aen. ℣. 517.

Et juvenem exosum nequicquam bella Menoeten
Arcada: piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
Munera: conductaque pater tellure serebat.

sic in conducto habitabant tenuiores. Martialis, de homine quodam Graeculo sub tegulis nidulante, L. 11. Epigr. 83.

A Sinuessanis conviva Philostratus undis
Conductum repetens nocte jubente larem,
Paene imitatus obit saevis Elpenora fatis,
Praeceps per longos dum ruit usque gradus.

Sunt igitur *conductae telae*, opera aniculae diurna, exiguo nummulo conducta. Qualis illa apud poëtam Aquinatem, Sat. 8. ℣. 43.

Ut te conciperet, quae sanguine fulget Iuli;
Non quae ventoso conducta sub aggere texit.

Secundus noster hunc totum locum egregia imitatione expressit L. 2. Eleg. 8. Adscribam verba, ut discant adolescentes studiosi laudis poëticae, quid discrepet aemulatio liberalis a puerili bonorum carminum exscriptione,

qua

Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervae
Commemorant merito tot mala ferre senem.

Hanc

qua sibi valde placent Lucumones quidam de schola.

Sera tibi veniet fastus vindicta protervi:
Aetatis tenerae crimina flebis anus.
Cum tibi caelatum laxis, pulcerrima, rugis
Luridus inficiet pallor anile caput.
Conductamque trahens tremebundo pollice lanam
Involves fuso stamina longa gravi.
Adspiciet lacrimas ridens Erycina seniles,
Et levis excussa plaudet Amor pharetra.
Et juvenes omnes, & me, tua probra juvabunt.
Lux, precor, o, fato sit prior illa meo!

En Tibullum ore Propertiano cantantem. Contendite, o pubes nostra, & vestigia premite, quantum potest, civis vestri.

88. TOT MALA FERRE SENEM] Minus recte Baptista Guarinus pronuntiat, apud Angelum Decembrium L. 3. de Polit. Liter. *Male dicitur* femina senex, *tametsi vir sacer Bernardus dixerit: quod nomen duntaxat maribus accommodandum (non enim commune est, ut* juvenis, *vel* adolescens) *sed* vetus femina *dici potest: quamquam* anus *brevius dicatur, a Graeco sumtum, quod mente vel intellectu deficiat. Nam* νοῦς *mens est, &* α *sine.* Aliter Priscianus L. 3. p. 602. edit. Putsch. *hic senex, huic seni, hic senior: quamvis hoc quoque vetustissimi commune accipientes, hic & haec senex proferebant. Pomponius in epigrammate, quod M. Varro in libris, qui sunt de lingua Latina, refert,* TUA AMICA SENEX EST. Varronis quem innuit locum, is legitur lib. 6. de L. L. his verbis: *Cascum, vetus esse significat Ennius, cum ait, Quam primum casci populi genuere Latini. Eo magis Manlius quod ait,*

Cascum cascam duxisse non mirabile'st,
Quoniam canoras sanciebat nuptias.

Item ostendit Pomponii epigrammation, quod in adolescentem fecerat Cascam,

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,
Fili Petroni, sesquisenex puerum.
Dic tu pusam illam: sic fiet, mutua muli.
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Accedit his dulcissimus Catullus Carm. 9.

Venistine domum ad tuos penatis,
Fratresque unanimos, senemque matrem?

Ita enim illic codices quidam Vaticani. Apud eumdem poëtam Carm. 58. ℣. 156.

En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quae seni tibi serviet.

quomodo ex corrupta chirographorum scriptura commodissime restituit Achilles Statius: quamquam Scaliger malebat,

Quae tibi sene serviet.

ut *sene* ponatur pro *seni*, more prisco. Igitur non peccavit Tibullus, quum mulierculam vocavit *senem:* nec Seneca, secutus veteres, Hippol. ℣. 139.

Nec me fugit, quam durus & veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor.
Quemcumque dederit exitum casus, feram.
Fortem facit vicina libertas senem.

Sunt verba anus nutricis. Apulejus L. 4. Metam. *Quod eum strenue quidem, & satis improvide conantem, senile illud facinus quamquam invalido, repentino tamen & inopinato pulsu nutantem ac pendulum, & in prospectu attonitum, praeceps inegit.* anicula est, quam *facinus senile* vocat. Nec refugerunt inter recentiores viri praeclari. Michaël Marullus L. 4. Epigr. 4. ad Alexandram Scalam, quam ille postea uxorem duxit:

Ergo tempus erit, quum tua nomina,
Quum mores tremulae senes
Natalus referent.

Idem L. 4. Hym. 3. qui est Junonis:

Et matris residens in gremio senis
Geronteia Punica
Tractas, bima velut.

Georgius Anselmus L. 3. Epigr. 10. ad Dianam:

Te credulae senes, & otiosa
Praesidem colit Deam
Cohors amantum, te colit voluptas.

& L. 4. Epigr. 31. quod est epitaphium Antonii Bazani, poëtae:

Sed tamen & meritis propriis, & honoribus aucta
Vita, brevis quamvis, est tua facta senex.

Mihi diligentius inquirenti vox *senex* vim adjectivi habere videtur, atque idem significare quod *vetus*, & jungi cum substantivis generis cujusvis. Exemplis hoc fiet clarius. Cicero orat. pro P. Sextio C. 9. *valet apud nos clarorum hominum & senex de republica meritorum memoria, etiam mortuorum.* Ita in libris scriptis, & in vetere editione Grute-

 rus.

Hanc Venus ex alto flentem ſublimis Olympo
Spectat, &, infidis quam ſit acerba, monet.
Haec aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
Exemplum cana ſtemus uterque coma.

VIII.

rus invenit: quamquam hodie aliter edunt. Lucretius L. 3. ℣. 613.

Quod ſi inmortalis noſtra foret mens,
Non jam ſe moriens diſſolvi conquereretur.
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, ut anguis,
Gauderet, praelonga ſenex aut cornua cervus.

Poëta vetus (noſtrum eſſe ajunt Albium) in Luſibus liberis, Carm. 84. ℣. 12.

Abegimusque voce ſaepe, quum tibi
Senexve corvus, inpigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.

Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 78.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas;
Nec faciunt cervos cornua jacta ſenes.

Phaedrus L. 5. Fab. 10.

Hic tum venator dolens
Canem objurgabat. Cui latrans contra ſenex:
Non te deſtituit animus, ſed vires meae.

Papinius, de Orpheo canente, L. 5. Theb. ℣. 531.

Aſt ubi ſuſpenſis ſiluerunt aequora tonſis,
Mitior & ſenibus cycnis, & pectine Phoebi,
Vox media de puppe venit.

Juvenalis Sat. 6. ℣. 160.

Obſervant ubi feſta mero pede ſabbata reges,
Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

auctor Ciris ℣. 40.

Aeternum ſophiae conjunctum carmine nomen
Noſtra tuum ſenibus loqueretur pagina ſaeclis.

ſic *ſenex myoparo* legitur in Epiſtolis Pontii Paullini. Martiali vocula haec eſt frequentiſſima. L. 5. Epigr. 18.

Gracileſque ligulae, cereique, chartaeque,
Et acuta ſenibus teſta cum damaſcenis.

ibidem Epigr. 38.

Puella ſenibus dulcior mihi cycnis.

L. 3. Epigr. 58.

Hic farta premitur angulo Ceres omni,
Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis.

L. 9. Epigr. 43.

Campis, dives Apollo, ſic marinis,
Sic ſemper ſenibus fruare cycnis.

L. 10. Epigr. 30.

Natat ad magiſtrum delicata muraena.
Nomenculator mugilem citat notum:
Et adeſſe juſſi prodeunt ſenes mulli.

L. 13. Epigr. 23.

Chia ſeni ſimilis Baccho, quem Setia miſit:
Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.

L. 9. Epigr. 94.

Addere quid ceſſas, puer, immortale Falernum?
Quadrantem duplica de ſeniore cado.

Plautus quoque *ſenem diem* adpellare videtur, qui dies in veſperam declinaret, Stich. Act. 5. Sc. 1. ℣. 8.

Cadum modo hinc a me huc cum vino transferam:
Poſtea accumbam. quaſi ſenex tabeſcit dies.

90. INFIDIS QUOD SIT ACERBA, MONET] Multo rectior eſt ſcriptura veterum librorum, *quam ſit acerba.* Iſta altera & languet, & doctioribus parum Latina videri poſſit, certe parum nitida.

91. HAEC ALIIS MALEDICTA CADANT] Profert Gebhardus ex Comelini membranis, *Haec alii maledicta canant.* Non emerim caſſa nuce. Verbum *cadere* habet notionem eventus certi, & quidem in utramque partem. Caeſar L. 3. Bell. Civ. C. 73. *Si non omnia caderent ſecunda, fortunam eſſe induſtria ſublevandam: quod eſſet acceptum detrimenti, ejus juri potius, quam ſuae culpae debere tribui.* Cicero orat. pro Quintio C. 16. *Haec in homines alieniſſimos, denique inimiciſſimos, viri boni faciunt, & hominum exiſtimationis, & communis humanitatis cauſſa: ut, cum ipſi nihil alteri ſcientes incommodarint, nihil ipſis jure incommodi cadere poſſit.* Lucretius L. 4. ℣. 1178.

Quem ſi jam admiſſum, venientem offenderit aura
Una modo, cauſſas abeundi quaerat honeſtas:
Et meditata diu cadat alte ſumta querela.

Propertius L. 1. Eleg. 16. ℣. 34.

Nunc jacet alterius felici nixa lacerto:
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

ibidem Eleg. 17. ℣. 4.

Nec mihi Caſſiope ſolito viſura carinam
Ominat: ingrato litore vota cadunt.

At boni eventus ſignificationem habet apud noſtrum L. 2. Eleg. 2. ℣. 17.

Vota cadunt. viden ut trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?

item-

itemque apud Tullium L. 2. de Orat. C. 4. *Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod, transactis jam meis partibus ad Antonium audiendum venistis.* Atque ita frequenter, in utramque, ut dixi, partem.

92. AMORIS EXEMPLUM CANA SIMUS UTERQUE COMA] Confer Ausonii epigramma 19. *Uxor, vivamus quod viximus.* &c. Pro *simus* habent nonnulli codices *stemus:* quod placet, propter vocem *exemplum.* habet enim nescio quid admirabile, quod aliis ad spectandum proponatur, tamquam amoris rari invisitatum monumentum. Et *stare* scimus frequenter poni pro *esse*, cum aliqua vel exempli vel diuturnitatis significatione. Propertius L. 3. Eleg. 8. ℣. 18.

Inque meum semper stent tua regna caput.

Eleg. 17. ℣. 20.

Quidve Clytemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?

Eleg. 21. ℣. 21.

Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus.

Horatius L. 1. Od. 16. ℣. 19.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere: & altis urbibus ultimae
Stetere caussae, cur perirent
Funditus, inprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Art. Poët. ℣. 69.

mortalia facta peribunt:
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.

Valerius Flaccus, de Medea, L. 7. ℣. 354.

majora precatur
Carmina, majores Hecaten inmittere vires
Nunc sibi; nec notis stabat contenta venenis.

VIII.

HUNC cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina, non ulli dissolüenda Deo,

Hunc

1. HUNC CECINERE DIEM] Celebrat poëta & diem natalem & triumphum Messalae Corvini Aquitanicum. qui triumphus est actus A. V. DCCXXVI. Imp. Caes. Divi F. August. VII. M. Agrippa L. F. III. Coss. anno Albianae aetatis sexto ac tricesimo. Lapis antiquus sic habet:

M. VALERIVS. M. F. M. N. MESSALA. A. DCCXXVI.
CORVINVS. PRO. COS. EX. GALLIA. VII. K. OCT

Vide sis Stephani Vinandi Pighii luculentissimos Annales; & Cenotaphia Pisana Eminentissimi Norisii, Dissert. 2. C. 16. §. 7.

1. PARCAE FATALIA NENTES STAMINA] iisdem verbis Ovidius L. 5. Trist. Eleg. 3. ad Bacchum, ℣. 25.

Scilicet hanc legem nentes fatalia Parcae
Stamina bis genito bis cecinere tibi.

Optime. simul enim nere simul canere perhibebantur. quam in rem exemplum est luculentum infelicis Meleagri L. 8. Metam. ℣. 451.

Stipes erat; quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
O modo nate, damus. quo postquam carmine dicto
Excessere Deae; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem, sparsitque liquentibus undis.

noster L. 4. Carm. 5. si tamen ista sunt nostri:

Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna superba tibi.

Maro Eclog. 4. ℣. 46.

Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae.

Horatius Carm. Saec. ℣. 25.

Vosque veraces cecinisse Parcae
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat.

Julius Hyginus Fab. 171. *Cum esset natus Meleager, subito in regia apparuerunt Parcae, Clotho, Lachesis, Atropos. Cui fata ita cecinerunt:* &c. Sed omnium optime dulcissimus Catullus Carm. 61. in illa divina descriptione Parcarum, Peleo ac Thetidi fata nascituri Achillis canentium, ac lanam simul trahentium. Operae precium fuerit Platonem inspexisse dialogo de Rep. 10. & Marsilii Ficini argumentum ejus dialogi.

2. NON ULLI DISSOLÜENDA DEO] Persuasissimum

Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenere. novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

Non

sissimum habebant, Superos non posse Parcarum fata removere. Naso L. 5. Trist. Eleg. 3. ỷ. 15.

Tu tamen e sacris hederae cultoribus unum
Numine debueras sustinuisse tuo.
An dominae fati quidquid cecinere sorores
Omne sub arbitrio desinit esse Deûm?

Seneca Oedip. ỷ. 983.

Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Servatque suae decreta colûs
Lachesis, dura revoluta manu.
Omnia recto tramite vadunt.
Primusque dies dedit extremum.
Non illa Deo vertisse licet,
Quae nexa suis currunt caussis.

Exemplo sit Phoebus, quum rex Adrastus jam jam tellure esset hauriendus, apud Papinium L. 7. Theb. ỷ. 771.

Tandem se famulo summum confessus Apollo,
Utere luce tua, longamque, ait, indue famam,
Dum tibi me junctum mors inrevocata veretur.
Vincimur. immites scis nulla revolvere Parcas
Stamina.

sed videndus Lucianus in Jove elenchomeno. Ceterum hujus verbi *solvo*, qua simplicis, qua compositi, crebra est diaeresis apud Catullum, hunc Albium, Nasonem, alios. in uno Lucretio septies reperitur.

4. ATUR] ita Scaliger praeclare emendavit. quem & in Ausonianis Lectionibus videre debes L. 1. C. 5. & Ortelium in voce *Aturrus*: ac Freherum ad Auson. Mosell. ỷ. 468.

6. EVINCTOS BRACHIA CAPTA DUCES] Ovidius L. 1. Art. Amat. ỷ. 213.

Ergo erit illa dies, qua tu, pulcerrime rerum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis?
Ibunt ante duces onerati colla catenis;
Ne possint tuti, qua prius, esse fuga.

& Trist. L. 4. Eleg. 2. ỷ. 21.

Vinclaque captiva reges cervice gerentes
Ante coronatos ire videbit equos.

Cicero orat. in L. Pisonem C. 25. quo loco insultat ejus ignaviae: *Vertes te ad alteram scholam: disceres de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista mihi crede, delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere; nihil quod referre ad voluptatem corporis possis.*

8. PORTABAT NITIDIS CURRUS EBURNUS EQUIS] Gebhardus, Scaligeri ductum secutus, *Portabit* reponebat: nondum enim triumphasse Messalam, sed Parcas nentes fata triumphum ejus vitae intexuisse. Quid igitur voluit sibi verbum EVENERE? aut quomodo novos triumphos VIDIT pubes Romana? *Portabat* habent nostri omnes. Sed pro *nitidis*, melius omnino *niveis* legemus. id quod recte vidit Gebhardus. Epitheton *nitidi* nihil pertinet ad colorem pili; solum ad bonam corporis curaturam. Nepos Cornelius Eumen. C. 5. quo loco narrat ejus solertiam in conservandis equis militaribus: *Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut jumenta aeque nitida ex castello educeret, quum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset.* Maro L. 6. Aen. ỷ. 654.

quae gratia curruum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

L. 7. ỷ. 275.

Haec effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis.

Gellius L. 4. C. 12. *Si quis eques Romanus equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, inpolitiae notabatur. id verbum significat, quasi si tu dicas, incuriae.* At vero triumphantium currus quatuor equis albis jungebatur. cujus moris originem ad Romulum refert Propertius L. 4. Eleg. 1. ỷ. 32. Verius ad Camillum, post Vejos deletos,

Plu-

Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnuti & flavi caerula lympha Liger.
An te Cydne canam, tacitis qui leniter undis
Caeruleis placidus per vada serpis aquis?

Quan-

Plutarchus in ejus Vita. Livius L. 5. C. 28. *Camillus meliore multo laude, quam quum triumphantem albi per urbem vexerant equi, insignis justitia fideque, hostibus victis quum in urbem redisset, taciti ejus verecundiam non tulit senatus.* Naso L. 2. Pontic. Epist. 8. Liviam Augustam adfatus, ℣. 47.

Sic, quem dira tibi rapuit Germania, Drusus
Pars fuerit partus sola caduca tui.
Sic tibi fraterni mature funeris ultor
Purpureus niveis filius instet equis.

Suetonius Aug. C. 94. *Atque etiam sequenti nocte statim videre visus est* [Octavius pater] *filium mortali specie ampliorem, cum fulmine, & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Max. ac radiata corona, super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus.* Apulejus Apolog. *Peram & baculum tu philosophis exprobrares? igitur & equitibus faleras, & peditibus clypeos, & signiferis vexilla, & denique triumphantibus quadrigas albas & togam palmatam.* Lactantius lib. de mortibus persecut. C. 16. ad suum Donatum: *Quam jucundum illud spectaculum Deo fuit, quum victorem te cerneret non candidos equos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem!* Claudianus lib. de bello Getico ℣. 127.

Sublimi certe Curium canit ore vetustas,
Aeaciden Italo pepulit qui litore Pyrrhum.
Nec magis insignis Paulli Mariique triumphus,
Qui captos niveis reges egere quadrigis.

Mos ipse ab ultima antiquitate, siquidem Papinio credimus L. 12. Theb. ℣. 542.

Primus amor niveis victorem cernere vectum
Quadrijugis.

describitur illic Thesei triumphus de Amazonibus debellatis. Certe tyrrannos Sicyonios albis mulis ad currum junctis invectos fuisse; atque etiam Amphionem ac Zethum Jovis liberos, quum Thebarum regnum tenerent; & hieronicas candidis usos, ex Graecorum monumentis observavit eruditissimus Junius noster L. 1. Animadv. C. 12. Persarum quoque reges hujus coloris equos sibi peculiares habuisse, ex Seneca discimus L. 3. de Ira C. 21. & currum Jovi sacrum albentes traxisse equos Curtius tradit L. 3. C. 3. Currus porro triumphales ebore erant atque auro exornati. De ebore hic videmus. & talem Veneri semper triumphatrici dedit Naso Epist. Sapphûs ℣. 91.

Hunc Venus in coelum curru vexisset eburno.

De auro Horatius docet Epod. 9. ℣. 21.

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boves.

quem locum inlustravit Turnebus L. 2. Adv. C. 16. sed de eburnis & auratis atque aureis curribus plena manu doctissimus Schefferus L. 2. de Re Vehicul. C. 13.

9. NON SINE ME EST TIBI PARTUS HONOS] Hoc bello Aquitanico militaribus donis ornatum fuisse nostrum poëtam, tradit vetus Criticus in Vita. Verbum *est* aberat a secundo Vaticano, me non nolente.

9. TARBELLA PYRENE, &c.] Vide Scaligerum. Succincte Caesar L. 1. de Bell. Gall. C. 1. *Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenaeos montes, & eam partem Oceani, quae ad Hispaniam pertinet, spectat, inter occasum Solis & Septemtriones.* Quae paullo copiosius exponit Mela Pomponius L. 3. C. 2.

12. CARNUTI ET FLUVII] a Scaligero hoc habemus, veterem lectionem temere effurcillante; quam tamen probaverat Com. in Catalecta p. 248. In omnibus libris *flavi* est; etiam in Scaligeranis, quorum excerpta habuit Nic. Heinsius. Carnutos Aquitaniae populos poëta *flavos* vocat, a colore capillorum. sic & Rhutenos Lucanus L. 1. ℣. 402.

Solvuntur flavi longa statione Rhuteni.

& omnes universim Gallos Claudianus L. 2. de laudib. Stilichonis ℣. 240.

tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gaesa tenens, animoso pectore fatur.

13. AT TE CYDNE CANAM] Transit ad res triennio ante a Messala in Cilicia, & Syria, atque Aegypto gestas. qua occasione pulcre

diffun-

Quantus & aethereo contingens vertice nubes,
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas?

Quid

diffunditur in laudes Nili fluminis, invitatque Osirin ad celebrandum Messalae natalem. Sed haec transitio est hiulca & coacta, ni legas *An te Cydne canam?* quomodo legitur in codice Colotiano, & in excerptis M. Ant. Pocchi. & sic Nicolaus Heinsius acute divinaverat. Sequentium verborum structura est horrida ac difficilis,

tacitis qui leniter undis
Caeruleus placidis per mare serpis aquis.

quem enim non offendant *tacitae* Cydni *undae*, & *placidae aquae?* Non potuit ita scribere poëta ut facillimae ita candidissimae elocutionis. Deinde *caeruleum* esse Cydnum nemo veterum prodidit: quinimo ab albo aquarum colore nomen duxisse tradiderunt. Solinus Polyhist. C. 38. *Quidquid candidum est, illinc homines* CYDNUM *dicunt: unde amni huic nomen datum. Tumet vere cum liquuntur nives, reliqua parte anni tenuis & quietus.* Secat autem hic fluvius campestrem Ciliciam, omnium illic aquarum nobilissimus. Curtius L. 3. C. 4. *Campestris eadem qua vergit ad mare, planitiem ejus crebris distinguentibus rivis: Pyramus & Cydnus incliti amnes fluunt. Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis: quippe leni tractu e fontibus labens puro solo excipitur. nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alveum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amoenitate inumbratus, ubique fontibus suis similis in mare evadit.* Vides quam male Cydno conveniat *caerulei* epitheton. Itaque non possum non probare verissimam (uti ego quidem arbitror, & res ipsa clamat) Achillis Statii correctionem,

Caeruleis placidus per vada serpis aquis.

duarum literularum trajectione minime violenta rem factam habemus. *Caeruleas aquas* vocat sinum maris Issici, in quem sinum evolvitur Cydnus amnis. *Serpere* autem simpliciter dictum fuit pro verbo composito, quod est *inserpere.* cujus rei exempla passim reperiuntur apud optimum quemque scriptorem. Historiam rerum Messalae Scaliger hic mirifice confudit.

15. AETHEREO CONTINGENS VERTICE NUBES] Haec jam pertinent ad asperam Ciliciam. Gebhardus magno spiritu glossam correctorum vitio inolitam detegit ope quinti Palatini, qui *consurgens* habeat, pro vulgato *contingens.* Igitur Gebhardine dicemus, *Taurus consurgit nubes vertice.* Tibulli veram ac naturalem locutionem satis superque defendunt aliorum tralationes. Horatius L. 1. Od. 1. ℣. ult.

Sublimi feriam sidera vertice.

Ovidius L. 7. Metam. ℣. 61.

quo conjuge felix
Et Dîs cara ferar, & vertice sidera tangam.

Seneca Thyest. ℣. 886.

Aequalis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Ausonius Idyll. 8. ipso fine:

Illum ego si cernam, tum terque quaterque beatus,
Tunc ero bis consul, tunc tangam vertice coelum.

16. FRIGIDUS INTONSOS TAURUS ARAT CILICAS] *alat* legebat Turnebus L. 16. Adv. C. 4. & Muretus L. 14. Var. Lect. C. 11. ac Franc. Fernandius de Cordoua Didasc. Multipl. C. 30. Cyllenius vero, & Scaliger, nihil mutantes, ajunt hypallagen esse, pro eo quod sit, Cilices arant Taurum. Statius retinet *arat*, eo quod frigus rugas inducere legisset, idque nonnumquam significari eodem verbo, *arare.* dicere enim Ovidium, *Jamque meos vultus ruga senilis arat*; & Horatium, *Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus.* Gebhardus ingenti cum stomacho *imperitos* vocat, qui spurium illud *alat* huc intruserint: ad Statium & ad Scaligerum provocat denique. nec tamen declarat, utrius sententiam sequatur. Ceteri strenue silent. Ego vero istorum nihil probare possum; quamquam *arat* nolo mutari. dicam igitur quod sentio. *Arare* hic positum opinor pro eo quod est secare, dividere, dirimere. nam ut alii dixerunt *arare aequor*, & *frontem rugis arare*, desumta a sulcis metaphora: ita noster *Taurum* dixit *arare Ciliciam*, hoc est secare ac disterminare, ducta tralatione a porca, quae grandioribus glebis elatior eminet inter sulcos. Hoc alii scriptores, ubi de Tauro agebant, *dirimere*, *distrahere*, *dividere*, *disterminare* vocaverunt. Mela Pomponius L. 1. C. 15. *Taurus ipse ab Eois litoribus exsurgens, vaste satis attollitur. Deinde dextro latere ad septemtrionem, sinistro ad meridiem versus, it*

in

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes,
Alba Palaestino sancta columba Syro?
Utque maris vastum prospectet turribus aequor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?

Qua-

in occidentem rectus & perpetuo jugo; magnarumque gentium, qua dorsum agit, terminus. Ubi terras diremit, exit in pelagus. Plinius L. 5. C. 27. *Taurus mons, ab Eois veniens litoribus, Chelidonio promuntorio disterminat. Immensus ipse, & innumerarum gentium arbiter, dextro septemtrionalis, ubi primum ab Indico mari exsurgit, laevo meridianus, & ad occasum tendens, mediamque distrahens Asiam, nisi opprimenti terras occurrerent maria.* Priscianus Periegesi, ℣. 629.

Ast Asiam qui mons excelsus dividit omnem,
Incipit a mediis terrae Pamphylidis oris,
Et longis sese spatiis producit ad Indos:
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens:
Vertice quem torvo perhibent cognomine Taurum.

Curtius L. 3. C. 4. *Perpetuo jugo montis asperi ac praerupti Cilicia includitur: quod quum a mari surgat, veluti sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum litus excurrit.* Ita Ciliciam Taurus a Pamphylia & Isauria jugis suis separabat. Cum Prisciano confer, si libet, Rufum Festum Avienum Descript. orbis terrae ℣. 850. versus sunt complusculi: & tu tecum melius perpendes.

18. ALBA PALAESTINO SANCTA COLUMBA SUO] ita Scaliger, ex uno mendoso codice. sed optimi quique libri habent *Syro*. Vide Nic. Heinsium ad Ovid. L. 1. Art. Amat. ℣. 78. Illustrissimum Neapolim ad L. 2. Fastor. p. 8. Franc. Fernandium de Cordoua Didasc. Multipl. C. 30. Mela L. 1. C. 11. *Syria late litora tenet, terrasque etiam latius introrsus, aliis aliisque nuncupata nominibus. Nam & Coele dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Judaea, & Sophene. Hinc Palaestina est, qua tangit Arabas: tum Phoenice, & ubi se Ciliciae committit, Antiochia.* Plinius L. 5. C. 12. *Juxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus. Namque Palaestina vocabatur, qua contingit Arabas, & Judaea, & Coele; dein Phoenice: & qua recedit intus, Damascena: ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. Et eadem Mesopotamia inter Euphratem & Tigrin: quaque transit Taurum, Sophene: citra vero etiam Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Assyria ante dicta: & ubi Ciliciam attingit, Antiochia.* Valerius Probus ad Virgil. L. 3. Geor. ℣. 12. *Idumaeas palmas] ab Idumaeorum gente, id est, Judaeorum; quae regio est in Syria Palaestina.* Recte igitur *Syrum Palaestinum* vocat Tibullus. qui quum *sacram* dicit columbam, ostendit religionem in caussa fuisse, cur iis vescendis abstinerent Syri. Tenui opera poëtam nostrum inlustrare est conatus Petrus Victorius L. 12. Var. Lect. C. 15. Longe luculentius Jacobus Nicolaus L. 6. Epiphyll. C. 22. Vide insuper Phurnutum lib. de Nat. Deor. C. 6. Julium Hyginum Fab. 197. & Scholiastem Germanici Caesaris ad Pisces. a quibus omnibus abit Naso L. 4. Metam. ℣. 43.

Illa, quid e multis referat (nam plurima norat)
Cogitat; & dubia est, de te, Babylonia, narret,
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palaestini credunt celebrasse figura:
An magis ut sumtis illius filia pennis
Extremos albis in turribus egerit annos.

Semiramidem intelligit, Dercetûs filiam, aliam ab illa celeberrima Nini regis uxore: ut praeclare docet vir magnus Ger. Jo. Vossius L. I. de Idololatr. C. 23. Sed haec sunt majoris fori. Ego te, munditiae Latinae studiose, monitum volo, uni hic columbae tria adtribui epitheta, exemplo non facile alias reperiundo.

19. UTQUE MARIS VASTUM PROSPECTET TURRIBUS AEQUOR] loquitur de Tyro, qualis erat illa etiamnum aetate, multis casibus defuncta, & post cladem Alexandrinam ex suis cineribus renata beneficio navigationis & mercaturae maritimae. Domos suas Tyrii in fastigium praealtum extollebant; quales ne Romae quidem excitari solerent. Atque ob hanc caussam parum abfuisse aliquando, quin urbs universa terrae tremoribus deleretur, refert Strabo L. 16. Has tam celsas exstructiones Albius noster vere *turres* adpellat, more Romano. neque enim audiri debet Achilles Statius, qui *turres* hic capit pro

Qualis &, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis aestiva Nilus abundet aqua?

Nile

altis navium propugnaculis, ut Flaccus loquebatur. Domus erant, quarum in tectis turres eminebant, unde jucundus esset prospectus in pelagus subjectum. Talem in Priami regia describit Maro L. 2. Aen. ℣. 460.

Turrim in praecipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum solitae naves, & Achaïca castra,
Aggressi ferro circum, qua summa labantis
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, inpulimusque.

Talis erat turris Maecenatiana, cujus Horatius meminit L. 3. Od. 29. & Suetonius Ner. C. 38. Cicero L. 5. Tusc. Quaest. C. 20. de Dionysio seniore: *Idemque cum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat.* Apulejus L. 4. Metam. *Confixilis machinae sublicae turris, tabularum nexibus ad instar circumforaneae domus, floridae picturae, decôra futurae venationis receptacula.* Priscianus Perieg. ℣. 742.

Mossynique, domos praebent quîs lignea tecta:
Turribus arboreis habitantes unde vocantur.

tum ℣. 858.

Laodicen pariter positam prope litus amoenum,
Et Posidi turres, & Daphnes optima Tempe.

R. Festus Avienus Descript. orbis ℣. 1085.

Litoris extremo caput altis turribus effert
Laodice, & glauci praelambitur aequoris unda.

tum ℣. 1093.

Et qua Phoebeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emesus fastigia celsa renidet.
Nam diffusa solo latus explicat, ac subit auras
Turribus in coelum nitentibus.

20. PRIMA RATEM VENTIS CREDERE DOCTA TYROS] L. Septimius Phoenicas jam olim piraticam fecisse auctor est; atque ab iis Ulyxen post excisam Trojam huc illuc infeliciter oberrantem fuisse captum, & per misericordiam reservatum narrat L. 6. Ephemer. belli Trojani C. 5. Sed alia sunt in mundo aliorum scriptorum testimonia, non paullo honestiora, & infamem istam notam eluentia genti ab omni memoria solertissimae. Mela Pomponius L. 1. C. 12. *Phoenicen illustravere Phoenices, solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Literas & literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum praeliumque commenti. In ea est Tyros, aliquando insula, nunc annexa terris.* Lucanus L. 3. ℣. 217.

Et Tyros instabilis, preciosaque murice Sidon.
Has ad bella rates, non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit Cynosura carinis.
Phoenices primi, Famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: & saxis tantum volucresque, feraeque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Plinius L. 5. C. 12. *Id quod praejacet mare totum, Phoenicium appellatur. Ipsa gens Phoenicum in magna gloria literarum inventionis, & siderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Curtius L. 4. C. 4. *Tyrus septimo mense, quam oppugnari coepta erat, capta est: urbs & vetustate originis, & crebra fortunae varietate, ad memoriam posteritatis insignis. Condita ab Agenore, diu mare, non vicinum modo, sed quodcumque classes ejus adierunt, ditionis suae fecit. Et, si famae libet credere, haec gens literas prima aut docuit, aut didicit.* Rufus Festus Avienus Descript. orbis terrae ℣. 1072.

Salso quidquid pulsatur ab aestu,
Phoenicum regio est. Hi rubro a gurgite quondam
Mutavere domus; primique per aequora vecti
Lustravere salum; primi docuere carinis
Ferre cavis orbis commercia; sidera primi
Servavere poli.

Priscianus Perieg. ℣. 843.

litora juxta
Phoenices vivunt, veteri cognomine dicti:
Quos misit quondam mare rubrum laudibus auctos,
Chaldaeo nimium decoratam sanguine gentem:
Arcanisque Dei celebratam legibus unam.
Qui pelagus primi tentantes navibus altis,
Disjunctas gentes docuerunt jungere mercem:
Et primi stellis numeros nomenque dedere:
Atque oculis (mirum) vocem sentire figuris.

Vide Strabonem, sapientissimum scriptorem, L. 16.

21. QUALIS ET ARENTES] omnia hodie nota post primas illas Lusitanorum navigationes, ac nobiles hominum doctorum peregrinationes, literarum inlustribus monumentis aeternitati commendatas. Pulcro compendio

Nili

Nile pater, quanam poſſum te dicere cauſſa,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput?
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec Pluvio ſupplicat herba Jovi.

Te

Nili fluvii res admirandas comprehenderunt duo inſignes viri, Jo. Baptiſta Scortia, & Marc. Fridericus Wendelinus.

23. NILE PATER] Eſt quidem *patris* nomen fluviis omnibus commune; ſed Nilo praeter omnes datur honore quodam peculiari, ob ſingularem aquarum ejus beneficientiam. Papinius L. 4. Theb. ℣. 705.

Sic, ubi ſe magnis refluus ſuppreſſit in antris
Nilus, & Eoae liquentia pabula brumae
Ore premit, fumant deſertae gurgite valles,
Et patris undoſi ſonitus exſpectat hiulca
Aegyptos, donec Phariis alimenta rogatus
Donet agris, magnumque inducat meſſibus annum.

Scholiaſtes vetus: *Semina enim omnium rerum Aegypto infert Nilus, ut merito totam regionem prolificans pater ejus oſtendatur.* Haec verba docti grammatici ex antiquo ſuo codice depromſit eximius ille Barthius, adjectis duobus Heliodori atque Ariſtidis inſignibus in hanc rem locis, iſtic videndis. Firmat Mela L. I. C. 9. ubi de Nilo & Aegypto: *Non pererrat autem tantum eam, ſed aeſtivo ſidere exundans etiam irrigat, adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut, praeter id quod ſcatet piſcibus, quod hippopotamos crocodiloſque, vaſtas belluas, gignit, glebis etiam infundat animas, ex ipſaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifeſtum eſt, quod, ubi ſedavit diluvia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos quaedam nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte jam formata, ex parte adhuc terrea, viſuntur.* Pulcre Avienus Deſcript. orbis ℣. 336.

Hic qua ſecretis incidit flexibus agros,
Aethiopum in lingua Siris ruit: utque Syene
Caerulus accedens diti loca flumine adulat,
Nomine ſe claro Nilum trahit, inque jacentem
Aegyptum fuſus fluctu premit arva marito,
Foecundatque ſolum.

Quid, quod Nilus terrae Aegypti, certe quidem inferioris, pater merito dici queat? Sic ratiocinantur Scythae apud Juſtinum L. 2. C. I. *Aegyptum autem, quae tot regum, tot ſaeculorum cura impenſaque munita ſit, & adverſum vim incurrentium aquarum tantis ſtructa molibus, tot foſſis conciſa, ut, cum his arceantur, illis recipiantur aquae, nihilominus coli, niſi excluſo Nilo, non potuerit, non poſſe videri hominum vetuſtate ultimam, quae, ſive exaggerationibus regum, ſive Nili trahentis limum, terrarum recentiſſima videatur.* Plura huc facientia dabit P. Faber L. 3. Semeſtr. C. 15. & Janus Caſperius Gevartius L. I. Papin. Lect. C. 46.

25. TE PROPTER NULLOS TELLUS TUA POSTULAT IMBRES] Valerius Flaccus L. 5. ℣. 419.

ut prima Seſoſtris
Intulerit rex bella Getis; ut clade ſuorum
Territus hos Thebas patriumque reducat ad amnem;
Phaſidis hos inponat agris, Colchoſque vocari
Imperet: aſt Meroën illi tepidaeque requirant
Otia laeta Phari, pinguemque ſine imbribus annum:
Et jam Sarmaticis permutent carbaſa bracis.

Mela L. I. C. 9. *Terra expers imbrium, mire tamen fertilis, & hominum aliorumque animalium perfoecunda generatrix. Nilus efficit, amnium in noſtrum mare permeantium maximus.* Sunt autem haec intelligenda de Aegypto ſuperiore, ut docte ac ſolide oſtendit Iſ. Voſſius in Obſervationibus. Seneca L. 4. Natur. Quaeſt. C. 2. *In ea parte, qua in Aethiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis coeleſtibus terram non adjuvent. Unam, ut ſcis, Aegyptus in hoc* [Nilo] *ſpem ſuam habet. Proinde aut ſterilis annus aut fertilis eſt, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum adſpicit coelum.* Lucanus L. 8. ℣. 444.

Syrtibus hinc Libycis tuta eſt Aegyptus: at inde
Gurgite ſepteno rapidus mare ſubmovet amnis:
Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis: in ſolo tanta eſt fiducia Nilo.

Haec ille militaris Muſae ſacerdos, non obſcura patrui imitatione. Adde Claudiani Idylion Nilum. Quid igitur fiet Naſoni? ſic enim canit L. I. Art. Amat. ℣. 647.

Dicitur Aegyptos caruiſſe juvantibus arva
Imbribus; atque annos ſicca fuiſſe novem.

Cum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris, Fies Jovis hostia primus,
Inquit: & Aegypto tu dabis hospes aquam.

quae eadem reperies apud Julium Hyginum Fab. 56. Nimirum hoc totum esse fabulosum: nec ullum umquam Busirin vel regem vel tyrannum exstitisse: natam vero fabulam ex communi omnium Aegyptiorum inhospitalitate, uti ex Eratosthene commemorat Strabo L. 17. Et tamen quaedam hic veritas videtur subesse, sed in fabulosam imaginem transfigurata. Quod ut credam, idem ille Philosophus Romanus facit, illo quem laudavi loco. *Nilum*, inquit, *aliquando marinam aquam detulisse, Theophrastus est auctor. Biennio continuo, regnante Cleopatra, non adscendisse, decimo regni anno & undecimo, constat. Significatam ajunt duobus rerum potientibus defectionem. Antonii enim Cleopatraeque defecit imperium. Per novem annos non adscendisse Nilum superioribus saeculis, Callimachus est auctor.* Hi sunt, opinor, novem illi anni Busiridis. Docta sunt & pulcra, quae de Nili inrigatione, atque adluvionibus & aggeribus congessit Hieronymus Magius L. 1. Var. Lect. C. 10.

26. ARIDA NEC PLUVIO SUPPLICAT HERBA JOVI] Seneca L. 4. Quaest. Nat. C. 2. *Quare non cum poëta meo jocor, & illi Ovidium suum impingo? qui ait: Nec Pluvio supplicat herba Jovi.* Hunc lapsum memoriae multi notarunt: alii librariis inputare maluerunt. Sed perfacile fieri potuit, ut versum pentametrum ex Elegia nobili Seneca adscripserit Nasoni, Elegiarum poëtae primario, cujus dictis argutioribus ipse & crebro uteretur & libenter. Ita saepe usu venire necesse est, ubi memoria plus aequo sibi fidit, libris non inspectis. Crassius peccavit Mart. Ant. Delrius Not. ad Claudian. de Mallii Theod. Cons. ỷ. 232.

Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat
Utilior.

nam quum hoc ipsum Tibulli distichon ad testimonium citasset, ita pergit: *Posterius hemistichium Seneca Nat. Quaest. L. 4. non nominato auctore, ad verbum desumsit.* Sed nos hoc agamus. Jupiter Pluvius praecipuo quodam honore a Graecis colebatur. Apud ejus aram duces illi, qui coiverant ut Polynicen in regnum restituerent, jurarant, si Thebas evertere non potuissent, mortem omnino se oppetituros. auctor Pausanias in Corinthiacis: qui & sub divo coli solere tradit in Boeoticis. Nominis rationem exponit Phurnutus lib. de Nat. Deor. C. 9. Cum summa veneratione meminit Adrastus apud Papinium, Hypsipylem ut Deam non cognitam adfatus, L. 4. Theb. ỷ. 756.

Da fessis in rebus opem, seu turbidus amnis,
Seu tibi foeda palus. nihil hac in sorte pudendum,
Nil humile est. Tu nunc ventis, Pluvioque rogaris
Pro Jove: tu refugas vires, & pectora bello
Exanimata reple.

Etiam Indi Jovem Pluvium, & Gangem fluvium, & Genios Indigetes colebant, narrante ex antiquioribus Strabone L. 15. Tibulli verba, commemoratione hujus Jovis Pluvii sic ferente, inlustrarunt multi viri docti, Jo. Baptista Pius Annot. poster. C. 117. Janus Parrhasius Comm. in Claudian. praefat. L. 2. de Raptu Proserp. ỷ. 43. Jac. Nicolaus Loënsis L. 9. Epiphyll. C. 10. Lilius Gyraldus Hist. Deor. Syntagm. 2. Jo. Brodaeus L. 2. Miscell. C. 21. Jo. Meursius Comm. in Lycophronis Cassandram p. 135. Caspar Barthius ad Papin. loc. cit. Henr. Kippingus Auctar. ad Jo. Pappi Epitomen Eccles. Hist. p. 108. Lud. Caelius L. 27. Lect. Ant. C. 6. Etiam Romae colebatur Jupiter Pluvius, sed ratione quadam peculiari. Paullus, Festi mutilator: *Manalem lapidem vocabant petram quamdam, quae erat extra portam Capenam juxta aedem Martis: quam cum propter nimiam siccitatem in urbem protraherent, insequebatur pluvia statim. eumque, quod aquas manaret, manalem lapidem dixere.* Sacrum ipsum *Aquaelicium* vocabant. Festus: *Aquaelicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur: ut quondam manali lapide in urbem ducto.* Jovi autem factum fuisse, ostendit Tertullianus Apolog. C. 40. *Denique cum ab imbribus aestiva hiberna suspendunt, & annus in cura est, vos quidem quotidie pasti, statimque pransuri, balneis & cauponis & lupanaribus operati, aquilicia Jovi inmolatis, nudipedalia populo denuntiatis, coelum apud Capitolium quaeritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso & Deo & coelo. Nos vero jejuniis aridi, & omni continentia expressi, ab omni vitae fruge dilati, in sacco & cinere volutantes, invidia coelum tundimus, Deum tangimus; &, cum misericordiam extorserimus, Jupiter honoratur.*

28. MEM-

Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphitem plangere docta bovem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum.

Pri-

28. Memphitem plangere docta bovem] Male hic Cyllenius *plaudere* legebat, hymnos intelligens & plausus puerorum Apim inventum deducentium, nescio quo auctore. At noster loquitur de Api quaerendo. Plinius L. 8. C. 46. *Bos in Aegypto etiam numinis vice colitur: Apim vocant. Non est fas eum certos vitae excedere annos, mersumque in sacerdotum fonte enecant, quaesituri luctu alium, quem substituant: & donec invenerint, moerent, derasis etiam capitibus: nec tamen umquam diu quaeritur. Inventus deducitur Memphim a sacerdotibus.* Sed de Api omnia jam vulgata. Insigniter mendosus est Valerius Probus Comment. in Virgil. L. 1. Geor. ℣. 19. *uncique puer monstrator aratri*] *Quidam putant Triptolemum Atticum dici, quem in volucri curru tradunt poëtae fruges terrae reddidisse. Quidam Brasser, qui primus invenisse existimatur arandi usum. Sed constat, multis annis ante & fruges in Aegypto inventas esse, & arasse primum Osirim duobus bubus: quorum nomina nunc sunt sacra sub eis, qui religionis caussa eodem vocabulo appellari videntur, Apis & Memphis. quorum alterum Memphitae colunt, Apim: alterum Hieropolitae, Memphim.* Primo, ubi de Triptolemo, *fruges terrae credidisse* legendum arbitror, usitato modo loquendi, nec abnuente literarum ductu. elementum *c* periit in ultimo elemento vocis *terrae.* Deinde *Brasser* ille ignotus atque ignorabilis, quis est? aut quis fuit? Equidem Probum scripsisse arbitror, *Quidam Buzygem.* ita certe suadet Plinii auctoritas, quid a quoque inventum fuerit commemorantis L. 7. C. 56. *Bovem & aratrum Buzyges Atheniensis: ut alii, Triptolemus.* Sic etiam D. Ausonius Epist. 22. ℣. 44.

Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colêre quam Ceres.
Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygem,
Tuo locabo post ferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

Quo loco Eliam Vinetum consulito; & Is. Vossium ad Justin. L. 2. C. 6. In fine ita refinge, *Apis & Mnevis. quorum alterum Memphitae colunt, Apim: alterum Hieropolitae, Mnevim.* Atque haec non est conjectura, sed ipsa veritas. Vide Strabonem L. 17. Diodorum Siculum L. 1. Biblioth. Histor. Aelianum L. 11. de Nat. Animal. C. 11. Plutarchum lib. de Iside & Osiride: Vossium L. 1. de Idololatr. C. 27. & 29. Seldenum de Diis Syris Syntagm. 1. Sed & *Heliopolitae* dicendi sunt illi, quos Probus perperam *Hieropolitas* vocat. Haec ego commentans, non sine aliqua diligentia, ipse gratulabar mihi de loco satis dextre emaculato. Nunc video me inanem operam sumsisse, ac frustra laborasse: horum enim partem bonam jam olim occupavit Jacobus Nicolaus L. 1. Epiphyll. C. 11, sero mihi inspectus. Ei tamen me nihil debere, facile comperiet, qui voluerit conferre. Sed & sic quoque est cur gaudeam, virum praeclarum mea ante me dixisse.

29. Primus aratra] Osirin, hoc est Bacchum, primum inhibuisse, ne homines se mutuo devorarent, & frugum culturam solerter excogitasse, oppida condidisse, arma fabricasse contra feras, omnis agriculturae rationem invenisse, vite sata primum vino usum fuisse, vinique collectionem ac conditaram alios edocuisse, Marone ac Triptolemo itinerum longinquorum comitibus, tradiderunt Aegyptiorum sacerdotes, referente Diodoro Siculo Biblioth. Histor. L. 1. qui liber quasi quidam commentarius esse potest in hunc praeclarum locum nostri poëtae. Laudat hos quatuor versiculos vetus Scholiastes Juvenalis ad Sat. 8. ℣. 28.

30. Et teneram ferro sollicitavit humum] nam antea homines terram manibus movebant. Cereri vero hujus inventi gloriam dederunt alii poëtae. Maro L. 1. Geor. ℣. 147.

Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae, & victum Dodona negaret.

Ovidius L. 5. Metam. ℣. 341.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris sumus omnia munus.

&

Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem dura caedere falce comam.

Illi

& L. 3. Amor. Eleg. 10. ℣. 11.

Prima Ceres docuit turgescere semen in agris;
Falce coloratas subsecuitque comas.
Prima jugo tauros supponere colla coëgit;
Et veterem curvo dente revellit humum.

L. 4. Fastor. ℣. 401.

Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum praebere coëgit:
Tum primum soles eruta vidit humus.

Ceres autem eadem fuit quae Isis, Osiridis & soror & conjux. Atque aratrum ut primus Aegyptiis Osiris monstravit; ita in Graecia atque Asia Triptolemus, a Cerere edoctus. Justinus L. 2. C. 6. *Per ordinem deinde successionis regnum ad Erechtheum descendit, sub quo frumenti satio apud Eleusin a Triptolemo reperta est, in cujus muneris honorem noctes initiorum sacratae.* Ceres apud Ovidium L. 4. Fastor. ℣. 559.

Iste quidem mortalis erit: sed primus arabit,
Et seret, & culta praemia tollet humo.

in Latio docuit Saturnus. Macrobius L. 1. Saturn. C. 7. *Hic igitur Janus, cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit.* &c. Hispanos suos res Habides primus erudivit. Justinus L. 44. C. 4. *Qui ut regnum accepit, tantae magnitudinis fuit, ut non frustra Deorum majestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus junxit, & boves primus aratro domari, frumentaque sulco quaerere docuit; & ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum quae ipse passus fuerat, homines coëgit.* Hanc tam utilem humanae vitae artem Americae populi penitus ignorabant; quod sane mirum videri queat in longa illa serie tot saeculorum. Verbum *sollicitandi* non intellexit Mart. Antonius Delrius, Senecam exponens Med. ℣. 271, ubi Creon ad Medeam:

Egredere, purga regna: letales simul
Tecum aufer herbas. libera cives metu.
Alia sedens tellure sollicita Deos.

Malis (inquit) *carminibus & sceleribus Deis esto molesta. Haec propria verbi significatio.* Idque ut evincat, hunc ipsum Albii nostri versiculum profert. quo nihil erat alienius. *Sollicita* apud tragicum ponitur pro eo quod est trahe, aut evoca. nam *sollicitare* proprie est, loco suo permovere. Paullus ex Festo: *Solicitare est solo citare, id est, ex suo loco movere. Solum autem quin significet locum, quis dubitet? cum exsules quoque dicantur solo patriae suae pulsi.* Lucretius L. 5. ℣. 163.

Nec fas esse, Deûm quod sit ratione vetusta
Gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
Sollicitare suis ullum de sedibus umquam.

Chremes ille apud Terentium Heautont. Act. 3. Sc. 1. ℣. 52.

Relivi dolia omnia, omnes serias.
Omnes sollicitos habui.

Vide istic notam Jo. Calpurnii. quem Calpurnium perperam pro Donato habuit Gifanius Ind. Lucr. in *Sollicitare*; itemque Claudius Dausquius, in eodem verbo, parte Orthographiae altera, p. 293. & ille qui nuper Basilii Fabri Thesaurum nobis recoctum dedit. Sed pergamus. Maro L. 2. Geor. ℣. 418.

Jam vinctae vites: jam falcem arbusta reponunt:
Jam canit extremos effoetus vinitor antes.
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.

Ovidius L. 4. Fastor. ℣. 396.

Messis erant primis virides mortalibus herbae,
Quas tellus nullo sollicitante dabat.

& L. 3. Amor. Eleg. 1. ℣. 50.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem.

L. 1. Eleg. 7. ℣. 14.

Sic formosa fuit; talem Schoeneïda dicunt
Maenalias arcu sollicitasse feras.

Etiam de aquis dicitur. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 503.

Sollicitant alii remis freta caeca, ruuntque
In ferrum.

Claudianus praefat. in L. 1. de raptu Proserp.

Inventa secuit qui primus nave profundum,
Et rudibus remis sollicitavit aquas.

34. DURA FALCE] malebat vir doctus, *curva falce.* sed nihil est opus. *dura* dicitur

propter

Illi jucundos primum matura ſapores
  Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
  Movit & ad certos neſcia membra modos.

Bac-

propter ferri rigorem. Ovidius, mundi recenſens aetates, L. 1. Metam. ℣. 127.

de duro eſt ultima ferro.

37. Voces inflectere cantu] Proprie loquitur. flectitur enim vox in cantu, quum alios edit ſonos, & ſenſim mutat, atque aliter modulatur. Lucretius L. 5. ℣. 1408.

Et vigilantibus hinc aderant ſolatia ſomni,
Ducere multimodis voces, & flectere cantus.

Cicero L. 3. de Orat. C. 25. *Quanto molliores ſunt & delicatiores in cantu flexiones, & falſae voculae, quam certae, & ſeverae!* Oratore C. 18. *Eſt autem in dicendo etiam quidam cantus obſcurior, non hic e Phrygia & Caria rhetorum epilogus; ſed ille, quem ſignificat Demoſthenes, & Aeſchines, cum alter alteri objicit vocis flexiones.* Noſter L. 2. Eleg. 5. ℣. 4.

Nunc te vocales inpellere pollice chordas,
  Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Hoc in tibicinio *animam vertere* vocavit Plautus Mercat. Act. 1. Sc. 2. ℣. 15.

Perii! animam nequeo vertere. nimis nihili tibicen ſiem.

Vide Salmaſium Exerc. p. 121.

38. Movit et ad certos nescia membra modos] *Modi* hic ſunt, fiſtulae vel tibiae modulationes variae, ad quas flectuntur ſaltantium artus. Cicero L. 1. de Orat. C. 42. *Omnia fere, quae ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt: ut in muſicis, numeri, & voces, & modi: in geometria, lineamenta, formae, intervalla, magnitudines:* &c. L. 2. de Legib. C. 15. *Illa quidem, quae ſolebant quondam compleri ſeveritate jucunda, Livianis & Naevianis modis; nunc ut eadem exſultent, cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torqueant.* L. 2. de Divinat. C. 3. *Numquid ergo in iis rebus eſt, quod proviſione, aut permotione mentis magis, quam natura ipſa ſentiamus? aut neſcio qui ille divinus, ſi oculis captus ſit, ut Tireſias fuit, poſſit, quae alba ſint, quae nigra, dicere? aut, ſi ſurdus ſit, varietates vocum, aut modos noſcere?* Horatius Art. Poët. ℣. 208.

Poſtquam coepit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius feſtis inpune diebus;
Acceſſit numerisque modisque licentia major.

Apulejus Florid. L. 1. *Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculae melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator.* Sic in Didaſcaliis Fabularum Terentianarum videmus, *Modos fecit Flaccus Claudii:* & *Modulavit Flaccus Claudii.* Ad modos itaque numeroſe ac modulate movebantur illi, qui choros agebant, aut etiam qui ſoli ſaltabant. Nam *moveri* & *motus* verba ſunt propria rei ſaltatoriae. Lucretius L. 4. ℣. 572.

Quod ſupereſt, non eſt mirum ſimulacra moveri,
Brachiaque in numerum jactare, & cetera membra.
Nam fit, ut in ſomnis facere hoc videatur imago.

tum paullo poſt, ℣. 792.

Quid porro, in numerum procedere quom ſimulacra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere?
Mollia mobiliter quum alternis brachia mittunt,
Et repetunt oculis geſtum pede convenienti?
Scilicet arte madent ſimulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut poſſint in tempore ludos?

L. 5. ℣. 1401.

Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcivia laeta monebat:
Atque extra numerum procedere membra moventes
Duriter, & duro terram pede pellere matrem.

Horatius Art. Poët. ℣. 232.

Ut feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paullum pudibunda protervis.

L. 2. Epiſt. 2. ℣. 125.

Ludentis ſpeciem dabit, & torquebitur: ut qui
Nunc Satyrum, nunc agreſtem Cyclopa movetur.

Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 350.

Quis dubitet, quin ſcire velim ſaltare puellam,
  Ut moveat poſito brachia juſſa mero?

Perſius Sat. 5. ℣. 123.

V *Haec*

Bacchus & agricolae magno confecta labore
Pectora tristitiae dissolüenda dedit.

Bac-

Haec miscere nefas: nec, cum sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.

Eadem vis est ac notio in voce *motus*. Maro L. 1. Geor. ℣. 347.

neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis.
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Horatius L. 3. Od. 6. ℣. 21.

Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo.

Valerius Maximus L. 2. C. 4. ubi ludorum originem docet: *Verum, ut est mos hominum parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga Deos verbis juventus, rudi atque incomposito motu corporum jocabunda, gestus adjecit.* Arnobius L. 2. adversus gentes: *Cantionibus ut praeirent obscaenis numerositer, & scabellorum concrepationibus sonoris, quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum solveretur in motus, saltitaret, & cantaret, orbes saltatorios verteret,* &c.

39. MAGNO CONFECTA LABORE] Latinis *labor* proprie dicitur opus rusticum. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 118.

haec cum sint hominumque boumque labores
Versando terram experti.

ibidem ℣. 325.

ruit arduus aether,
Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
Diluit.

L. 2. ℣. 401.

redit agricolis labor actus in orbem,
Atque in se sua per vestigia volvitur annus.

deinde ℣. 514

Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes
Sustinet; hinc armenta boum, meritosque juvencos.

Horatius L. 3. Od. 24. de Scythis, & Getis, ℣. 15.

Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Confici autem *labore* est, frangi labore, ac contundi: quod tam ad animum, quam ad corpus, refertur. Hoc Lucretius est usus L. 4. ℣. 959.

multo sopor ille gravissimus exstat,
Quem satur, aut lassus capias: quia plurima tum se
Corpora conturbant magno contusa labore.

Illo Tullius orat. pro Archia C. 11. *Certe, si nihil animus praesentiret in posterum, &, si, quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur.* h. e. conficeretur. Nam saepe *confici* ponitur pro eo quod est premi, gravari, debilitari, tabescere. Catullus Carm. 62.

Etsi me assiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Hortale, virginibus.

Cicero L. 3. ad Attic. Epist. 8. *Itaque, cum meus me moeror quotidianus lacerat, & conficit, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam facit.* Plinius Caecilius L. 8. Epist. 16. *Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem juvenum. ——— Sed quamquam his solatiis adquiescam, debilitor & frangor eadem illa humanitate, quae me, ut hoc ipsum permitterem, induxit.* Vides, quam nihil sit necesse cum Gebhardo *conferta* reponere; vel, quod Nic. Heinsius malebat, *constricta.*

40. TRISTITIAE DISSOLÜENDA DEDIT] Achilles Statius *tristitia* legebat; ut simile sit illi Virgiliano, *Solvite corda metu.* Quod vero addit, ex sermonibus aliorum, fuisse in vetusto libro Angeli Colotii *laetitia*; ea res multis fraudi fuit, magna conspiratione *laetitiae* hic refingentibus. Video ego in excerptis Heinsii Italicis, librum Colotianum *tristitia* habuisse. In tribus nostris, ac binis Wittianis, *tristitiae* expressissime exstat. nec debet mutari. Est enim genitivus Graeco more positus, rectusque per ellipsin a participio *dissolüenda.* Sic *legum solvere* apud Ciceronem legitur orat. pro Sextio C. 7. *Hanc taetram immanemque belluam, vinctam auspiciis, alligatam more majorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito legum consul.* Sic Horatius *operum solvi* dixit L. 3. Od. 17. ℣. ult.

dum potes, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

Hu-

Bacchus & adflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licet dura cuspide inulta sonent.
Non tibi sunt tristes curae, nec vultus Osiri:
Sed chorus, & cantus, & levis aptus Amor.

45 Sed

Hujus constructionis exempla innumera collegit vir doctissimus Daniel Vechnerus in libris Hellenolexiae. cui adde nostrum Vossium lib. de Construct. C. *26*.

42. CRURA LICET DURA COMPEDE PULSA SONENT] in libris ferme omnibus *dura cuspide* scriptum est. Atque ita Salmasius quoque invenit; nisi quod *cuspite* scribit; & *cuspitem*, sive *cuspum*, docuit lignum fuisse, annuli instar, quo pedes servorum vel damnatorum vinciebantur, Not. in Tertulliani librum de Pallio, C. 5. Sed duo diversissima istic Tibulli loca in unum confudit, memoriae errore, & studio scribendi praefestinante. In voce *pulsa* multiplex est varietas. Scaliger probabat *multa:* id quod & nos in aliis libris vidimus. sed profecto legendum est *inulta:* nam vocula *in* concreverat in literam *m*, facili & crebro prolapsu. Quod & factum fuit in Arateis Festi Avieni, ỳ. 451. in Cassiepeia:

Sed nec inulta tamen, cum caelum lumine toto
Luna replet, terram ut superet fax aurea noctem,
Occurret genetrix oculis quaerentibus.

ita Nicolaus Heinsius restituit ex editione principe: nam deinde ediderunt *Sed nec multa tamen*; atque etiam, si Musis placet, *terram noctem. inultus* hic dicitur, qui vindicem non habet; cujus injurias nemo ulciscitur. Horatius Epod. *6*. ỳ. 15.

An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

& L. 2. Od. 1. ỳ. *26*.

Juno, & Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat inpotens
Tellure.

Lucanus L. 1. ỳ. 11.

Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos?

Maro L. 2. Aen. ỳ. *670*.

Reddite me Danais: sinite instaurata revisam
Praelia. numquam omnes hodie moriemur inulti.

L. 4. ỳ. *659*.

Dixit, &, os inpressa toro, Moriemur inultae?
Sed moriamur, ait.

Et sic crebro alii scriptores; in primis Naso. Vides quam pulcre conveniant *inulta crura* hominibus miseris atque adflictis, quibus tamen quietem aliquam aegrimoniae adferre videatur haustus vini liberalior.

43. NON TIBI SUNT TRISTES CURAE] Risus atque amoenitatis amatorem fuisse Osirin traditum est, & musicis choreisque mirifice gavisum. Ideo musicorum agmen circumducebat, in quo agmine facile excellebant novem puellae, canendi peritia & rerum multarum praestante doctrina conspicuae: quas Musas Graeci vocaverunt. Harum praeses Apollo, Osiridis frater, qui laurum invenisse dicitur, nominatus est *Musagetes*, h. e. Musarum ductor. Erant & Satyri, gens hirsuta, ad tripudia & carminum decantationem, omnemque hilaritatem ac lusum unice facti. Hos ille in Aethiopia sibi traditos, in partem militiae adsciverat, perpetuae festivitatis artifices. Ita ex Aegypto per Arabiam, secus mare rubrum ad Indos usque perrexit, hederam passim serens; quam Aegyptii lingua sua Osiridis plantam dici perhibebant. auctor Diodorus L. 1.

43. NEC LUCTUS] in Sfortiae libro *nec vultus* legebatur, probante Statio: ut *vultus* ponatur pro fronte adducta ac torva. Sane juvare valide videtur Tullius L. 14. Ad Attic. Epist. 20. *Epicuri mentionem facis, & audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι? non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret?* Et M. Coelius L. 8. ad familiar. Epist. 12. *Posteaquam illum, ne cui satisfaceret quidem me dignum habere sensi, malui collegae ejus, homini alienissimo mihi, & propter amicitiam tuam non aequissimo, me obligare, quam illius simiae vultum subire.* Idem ibidem Epist. 14. *Numquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses.* adde, si libet, Ciceronem orat. pro Cluent. C. 40. Agrar. 2. C. 34. de Harusp. respons. C. 8. pro Plancio C. 18. pro Sextio C. 50. in Vatin. C. 3. Philipp. 13. C. 2. atque ita crebro poëtae nostri. Horatius L. 3. Od. 3. ỳ. 3.

Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:

Et

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

&, prorsus ad Coelii animum, L. 1. Sat. 6. ℣. 121.

Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.

apud eumdem Davus L. 2. Sat. 7. ℣. 44.

aufer
Me vultu terrere: manum stomachumque teneto,
Dum, quae Crispini docuit me janitor, edo.

iterum optimus ille & morum & ingeniorum formator L. 1. Epist. 19. ℣. 12.

Quid, si quis vultu torvo ferus, & pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem;
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

& Damasippus Stoicus L. 2. Sat. 3. ℣. 9. Horatium increpans:

Atqui vultus erat multa & praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.

& puer ille infelix, a mulieribus sagis inedia enecandus, Epod. 5. ℣. 4.

At o Deorum quidquid in coelo regit
Terras, & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? & quid omnium
Vultus in unum me truces?

Aurelius meus L. 2. Eleg. 18. ℣. 65.

Cernere uti possis vultum custodis avari,
Captus & inmunda saepe latere casa,
Quam care semel in toto nox vertitur anno!

Naso Epist. Helen. ℣. 15.

Si non est ficto vultus mihi tristis in ore;
Nec sedeo duris torva superciliis;
Fama tamen clara est, & adhuc sine crimine lusi,
Et laudem de me nullus adulter habet.

Seneca, de Plutone, Herc. fur. ℣. 721.

Haec porta regni: campus hanc circa jacet,
In quo superbo digerit vultu sedens
Animas recentes. dira majestas Deo,
Frons torva; fratrum quae tamen speciem gerat,
Gentisque tantae: vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis.

Hinc *vultum ducere*, vel *adstringere*, vel *trahere*, pro eo quod est frontem in rugas cogere, alii dixerunt. Martialis L. 1. Epigr. 41.

Qui ducis vultus, & non legis ista libenter;
Omnibus invideas, livide, nemo tibi.

Quintilianus L. 11. C. 3. *Vitiosa sunt illa, intueri lacunaria, perfricare faciem, & quasi improbam facere: tendere confidentia vultum, aut, quo sit magis torvus, superciliis adstringere.* Naso L. 4. Pontic. Epist. 1. ℣. 5.

Sive trahis vultus; equidem peccasse fatebor.
Delicti tamen est caussa probanda mei.

Et *vultuosi* dicuntur, qui sunt ore tristi ac tetrico & severo. Cicero Orat. C. 18. *Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantam adfert tum dignitatem, tum venustatem! in quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio.* Quintilianus L. 11. C. 3. *Non immerito reprehenditur pronuntiatio vultuosa, & gesticulationibus molesta, & vocis mutationibus resultans.* Apulejus L. 3. Metam. *Tandem Fotis mea, dominae suae cubitu procurato, sui longe dissimilis advenit. Non ex laeta facie, nec sermone dicaculo, sed vultuosam frontem rugis insurgentibus asseverabat.* Prudentius Hymn. in Romanum martyrem, ℣. 171.

Nec terret ista, qua tumes, vaesania;
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta leti conminaris asperi.
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore, dimica.

Non inlibenter sequor Sfortiani codicis scripturam. nam certe quidem de *luctu*, quem vulgata lectio ab Osiride longe abesse ait, aperte falsum est.

45. SED VARII FLORES, ET FRONS REDIMITA CORYMBIS] Expressit Tragicus Latinus Oedip. ℣. 403.

Effusam redimite comam nutante corymbo,
Lucidum coeli decus, huc ades votis,
Mollia Nisaeis armatus brachia thyrsis.

& post paullo:

Te decet vernis comam floribus cingi
Te caput Tyria cohibere mitra;
Hederave mollem baccifera
Religare frontem.

Hinc Bacchus, sive Osiris, *corymbifer* Nasoni dicitur L. 1. Fastor. ℣. 393.

Festa

Et Tyriae vestes, & dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conscia cista sacris.

Huc

Festa corymbiferi celebrabas Graecia Bacchi,
Tertia quae solito tempore bruma refert.

Bacchi ἀνθίου, sive Floridi, ara apud Phlyenses celebris olim fuit, tradente in Atticis Pausania. Quo Catullus videtur adlusisse, Carm. 61. ℣. 251.

At pater ex alia florens volitabat Iacchus
Cum thyaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis.

46. FUSA SED AD TENEROS LUTEA PALLA PEDES] Versus dulcissimus, & naturali suavitate delicatissimus. Pallam Baccho alii etiam poëtae dederunt; non tamen ut intra vulgarem pallae significatum coërcerent, sed sua quadam peculiari libertate uterentur. Papinius L. 1. Achill. ℣. 262.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Aurelius meus L. 3. Eleg. 15. ℣. 32.

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Laevis odorato cervix manabit olivo;
Et feries nudos veste fluente pedes.

Vestis haec fluens & fusa *Bassaris* vel *Bassara*, ut alii volunt, dicebatur, a Bassara, loco Lydiae, ubi fieri solebat, ut Acro notavit ad Horat. L. 1. Od. 18. quamquam veteres in Persium Glossae, quae vulgo dantur Annaeo Cornuto, Thraciam faciunt, ad Sat. 1. ℣. 115. Auro excultam, ut Papinius, sic etiam Seneca prodidit Herc. fur. ℣. 475.

Non erubescit Bacchus effusos tener
Sparsisse crines, nec manu molli levem
Vibrasse thyrsum, cum parum forti gradu
Auro decorum syrma barbarico trahit.

qui & pallam hanc admodum spatiosam facit Oedip. ℣. 425.

Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.
Vidit aurato residere curru,
Veste cum longa tegeres leones
Omnis Eoae plaga vasta terrae,
Qui bibit Gangem, niveumque quisquis
Frangit Araxen.

Itaque non difficulter Hypsipyle patrem Thoanta sub veste tam diffusa occultavit, in illa laniena Lemniaca, apud Valerium Flaccum, nobilissimum poëtam, L. 2. ℣. 258.

tacita pavidum tunc sede locavit
Sub pedibus dextraque Dei: latet ille receptus
Veste sacra.

quem locum de tigrium pellibus, quibus amiciebantur Bacchi sacerdotes, perperam exponit Lampertus Alardus, more suo exscribens Ludovici Carrionis Scholia, haudquaquam intellecta. Recte vero noster pallam Osiridi luteam dedit: ille enim color gratissimus Diis non tristibus. Tragicus Romanus Oedip. ℣. 418.

Qualis iratam metuens novercam
Creveras falsos imitatus artus,
Crine flaventi simulata virgo,
Luteam vestem retinente zona.

idem de Hercule apud Omphalem virum dissimulante, ℣. 319.

Passus aptari digitis zmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis,
Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

dulcissimus Catullus Carm. 58. Hymenaeum adfatus, Bacchi filium, ℣. 10.

Cinge tempora floribus
Suaveolentis amaraci:
Flammeum cape: laetus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.

Naso L. 10. Metam. initio:

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aëra digreditur, Ciconumque Hymenaeus ad oras
Tendit.

qui & pallam ejus luteam commemorat Epist. Cydippes ℣. 162.

Saepe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.

deinde, duobus distichis interpositis:

Et pudet in tristi laetum consurgere turba:
Quique erat in palla, transit in ora rubor.

Et quia hic color faustitatis est ac laetitiae index, ideo nuptiis sacrum fecerunt. Plinius L. 21. C. 8. *Lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flameis totum feminis concessum: & fortassis ideo non numerari inter principales, hoc est, communes maribus ac feminis, quoniam societas principatum dedit.*

47. TYRIAE VESTES] purpureae. Pentheus apud Ovidium L. 3. Metam. ℣. 553.

At nunc a puero Thebae capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec usus equorum;

Huc ades, & centum ludis, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius e nitido ſtillent unguenta capillo;
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

Sic

Sed madidus myrrha crinis, molleſque coronae,
Purpuraque, & pictis intextum veſtibus aurum.

48. DULCIS TIBIA CANTU] Ea ſemper in ſacris Oſiridis, & Bacchi: quamquam non ſemper eodem ſono. Catullus Carm. *61*. ỷ. *261*.

Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant,
Multis rauciſonos efflabant cornua bombos:
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.

doctiſſimus poëta *barbaram* vocavit, eo quod a Phrygibus fuerit inventa: ut oſtendit P. Victorius L. 30. Var. Lect. C. 10. & illo luculentius Laevinus Torrentius ad Horat. L. 4. Od. 15. Maro L. 11. Aen. ỷ. 737.

At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella;
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exſpectare dapes & plenae pocula menſae.

Ovidius L. 3. Metam. ỷ. 533.

Quis furor, anguigenae, proles Mavortia, veſtras
Attonuit mentes? Pentheus ait. Aerane tantum
Aere repulſa valent? & adunco tibia cornu?
Et magicae fraudes? ut, quos non belliger enſis,
Non tuba terruerint, non ſtrictis agmina telis:
Femineae voces, & mota inſania vino,
Obſcaenique greges, & inania tympana vincant?

L. 4. ỷ. 391. ubi Bacchus Alcithoën, ejuſque ſorores, ſacra ſua profanantes, transformat in verſpertiliones:

Tympana cum ſubito non apparentia raucis
Obſtrepuere ſonis: & adunco tibia cornu,
Tinnulaque aera ſonant: redolent myrrhaeque, crocique.

Valerius Flaccus L. *6*. ỷ. 134.

Non ego ſanguineis geſtantem tympana bellis
Thyrſageten, cinctumque vagis poſt terga ſilebo
Pellibus, & nexas viridantem floribus haſtas.
Fama, ducem Jovis & Cadmi de ſanguine Bacchum
Hac quoque turiferos felicia regna Sabaeos,
Hac Arabas fudiſſe manu: mox, rumperet Hebri
Cum vada, Thyrſagetas gelida liquiſſe ſub Arcto.
Illis omnis adhuc veterum tenor, & ſacer aeris
Pulſus, & Eoae memoratrix tibia pugnae.

48 ET LEVIS OCCULTIS CONSCIA CISTA SACRIS] Catullus Carm. *61*. ỷ. 259.

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis,
Orgia quae fruſtra cupiunt audire profani.

Origo, opinor, fuit ab illa ciſta, in qua Typhon Oſirim concluſit, ac ſtrangulavit. quam rem luculenter exponit Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride. τὸ *levis* non ſollicito, quum libri nihil mutent: alioqui mallem *brevis*, h. e. exigua. Erant enim hae ciſtae caniſtra non magna, quae capite geſtabantur.

49. CENTUM LUDOS] Recte Achilles vidit *ludis* legi debere. decepit librarios vocula *que* trajecta; nam cum *choreis* erat jungenda, ſed hoc non eſt novum noſtro poëtae.

51. ILLIUS E NITIDO STILLENT UNGUENTA CAPILLO] Amomum intelligit, gratiſſimum coeleſtibus unguentum. Illo libenter utebantur Dii praeſides amoenitatum, Genius, Hymen, Venus, Cupidines. de Genio hic habemus. de Hymenaeo Ovidius teſtatur Epiſt. Cydippae ỷ. 166.

Saepe coronatis ſtillant unguenta capillis,
Et trahitur multo ſplendida palla croco.
Cum tetigit limen, lacrimas mortiſque timorem
Cernit, & a cultu multa remota ſuo.
Projicit ipſe ſuas deducta fronte coronas,
Spiſſaque de nitidis tergit amoma comis.

Venus, de Violantilla Aruntii Stellae, apud Papinium L. 1. Silv. 2. ỷ. 111.

tellure cadentem
Excepi, fovique ſinu: nec colla, genaſque
Comere, nec pingui crinem deducere amomo
Ceſſavit mea, nate, manus.

idem eruditiſſimus poëta de Cupidinibus, L. 3. Silv. 3. ỷ. 131.

Illa ſagittiferi circumvolitaſtis Amores
Funera, maternoque rogos unxiſtis amomo.

& Carmine proxime ſequenti, quo coma Earini dedicatur, ỷ. 82.

patrias nunc vertex ſolus ad aras
Naviget. Hunc multo Paphie ſaturabat amomo,
Hunc nova tergemina pectebat Gratia dextra.

Amomi autem fruticem Venus, ne aliunde

quae-

Sic venias hodierne. tibi dem turis honores,
Libaque Mopſopio dulcia melle feram.

55 At

quaerendum haberet, in viridario ſuo Cyprio diligente cura educabat. Claudianus Epithal. Honorii & Mariae, ỷ. 92.

In medio glebis redolentibus area dives
Praebet odoratas meſſes. hic mitis amomi,
Hic caſiae matura ſeges: Panchaia turgent
Cinnama, nec ſicca frondeſcunt vimina coſto,
Tardaque ſudanti prorepunt balſama ligno.

Hinc unguentum conficiebant Cupidines, ſi quid credis Aurelio meo L. 2. Eleg. 22. ỷ. 17.

Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipſe ſuis fecit Amor manibus.

cui accedit ſuaviſſimus Catullus Carm. 13.

Sed contra accipies meros amores:
Seu quid ſuavius, elegantiusve eſt.
Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque:
Quod tu quum olfacies, Deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

Atque hoc eſt illud unguentum, quo Venus delibuta viſit ad amabilem Gratiarum chorum; & quo Penelopen perunxit Minerva, apud Homerum L. 18. Odyſſ. ỷ. 191. Denique ipſe Phoenix, avis unica, non niſi amomo & ture nutritur. Id quod Pythagorae Samio adcredas oportet, interprete Naſone L. 15. Metam. ỷ. 392.

Una eſt, quae reparet, ſeque ipſa reſeminet ales.
Aſſyrii Phoenica vocant. non fruge, neque herbis,
Sed turis lacrimis, & ſucco vivit amomi.

52. Et capite et collo mollia serta gerat] Ex antiquiſſimo Graeciae more. Horatius L. 2. Sat. 3. ỷ. 253.

quaero, faciasne, quod olim
Mutatus Polemo: ponas inſignia morbi,
Faſciolas, cubital, focalia; potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpſiſſe coronas,
Poſtquam eſt inpranſi correptus voce magiſtri.

Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 11. *ipſe autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares ſibi admovebat tenuiſſimo lino, minutis maculis, plenum roſae.* Has cervicum coronas *hypothymiadas* vocabant. Vide Athenaeum L. 15. C. 5. Nic. Leonicum L. 1. Var. Hiſt C. 70. Steph. Nigrum in Muſonio p. 32. Sed & antiquo Latio mos fuit, coronas in collo geſtare, ut in capite. Lucretius L. 5. ỷ. 1399.

Tum joca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni
Conſuerant: agreſtis enim tum Muſa vigebat.
Tum caput, atque humeros plexis redimire coronis,
Floribus, & foliis laſcivia laeta monebat.

Ovidius L. 2. Faſtor. ỷ. 739. de juvene Tarquinio, & Collatino:

Ecce nurum regis fuſis per colla coronis
Inveniunt poſito pervigilare mero.

Priapus cum corona in collo conſpicitur apud Jo. Jac. Boiſſardum T. 6. Antiq p. 36.

54. Liba et Mopsopio dulcia melle feram] Nic. Heinſius ſcribebat,

tibi dum turis honores
Libem, & Mopſopio dulcia mella favo.

Videbis ejus rationes in Adverſariorum excerptis. Ego vero non poſſum adduci, ut quidquam inmutem; niſi quod *Libaque* (ut eſt in ſcriptis quibuſdam) malim, quam *Liba et*, in quo rythmus eſt duriuſculus. Verbum *ferendi* proprium eſt in ſacrificiis, etiam apud noſtrum, infra Eleg. 11. ỷ. 23.

Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat.

Virgilius L. 8. Aen. ỷ. 60.

Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus, ſupera votis.

hic Servius: *ſic Fer preces, quemadmodum ſacra ferri dicimus.* ita ſane L. 3. dixit magnus magiſter, ỷ. 19.

Sacra Dionaeae matri, Divisque ferebam
Auſpicibus coeptorum operum.

Naſo L. 2. Pontic. Epiſt. 9. ỷ. 28.

Si pacem nullam pontus mihi praeſtet eunti,
Irrita Neptuno cur ego tura feram?

Pedo Albinovanus Conſol. ad Liviam Auguſtam ỷ. 32.

Jam veniet: jam me gratantem turba videbit:
Jam mihi pro Druſo dona ferenda meo.

& mox ỷ. 188.

Diique latent templis: neque iniqua ad funera vultus
Praebent: nec poſcunt tura, ferenda rogo.

Sed ſatis exemplorum in re clara. Deinde, ſi Heinſium ſequimur, jam ſua Oſiridi liba perierunt, pars ſacri non contemnenda. Honoratur autem Oſiris, ſive Bacchus, ture, libo, & melle: quae ipſe primus mortalibus monſtraſſe perhibetur. Pulcerrime Ovidius L. 3. Faſtor. ỷ. 727.

Ante tuos ortus arae ſine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.

Te

At tibi subcrescat proles, quae facta parentis
Augeat, & circa stet venerata senem.
Nec taceant monumenta viae, quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba lare.
Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta jungitur arte silex.

Te

Te memorant Gange, totoque Oriente subacto,
Primitias magno seposuisse Jovi.
Cinnama tu primus captivaque tura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bove.
Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque: quod sacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus ille
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

deinde, post narratam fabulam Sileni a crabronibus male habiti, addit:

Melle pater fruitur: liboque infusa calenti
Jure repertori candida mella damus.

Ausonius Ephemer. carm. 2.

Nec tus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei:
Foculumque vivi caespitis
Vanis relinquo altaribus.

Sed & particula *dum* nullo jure occupat sedem verbi *dem*. Est enim *dare* ita proprium in rebus sacris, ut mutari haud quaquam debeat. Propertius L. 4. Eleg. 6. ℣. 5.

Costum molle date, & blandi mihi turis honores.

ibi ego aliquid notavi. ingentem vero exemplorum silvam reperies apud Brissonium L. 1. de Formul.

57. MONUMENTA VIAE] Valeriae, ut suspicabatur Pighius noster. Quod tamen verum non videtur: quum Tusculum atque Alba haud longe abfuerint a via Latina. Quae via incipiebat ab Appia, ad sinistram ab ea prope Romam deflectens; ac supra montem Tusculanum transibat inter oppidum Tusculum & montem Albanum; ut docet Strabo L. 5. Ramos igitur fuisse Latinae oportet, quos vel novos, vel vetustate conlapsos, pecunia sua stravit Valerius Messala, jussus ab Augusto. Hoc enim volunt sequentia:

Namque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

Etenim Augustus quum videret itinera ad urbem esse difficilia, propter vias aliquamdiu neglectas, Flaminiam ipse sibi muniendam Arimino tenus desumsit: reliquas senatoribus quibusdam, propriis sumtibus reficiendas mandavit. Haec tradit Dio Cassius L. 53. ad A. V. DCCXXVII. additque, Agrippam anno proxime insequente Septa dedicasse, propterea quod nullam ipse viam sternendam suscepisset. Sed Dionis fidem elevat Casaubonus, & Suetonium sequi mavult, ita scribentem Aug. C. 30. *Quo autem facilius urbs adiretur, desumta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* Haereo: est enim Tranquilli & magna fides, & auctoritas corroborata: & Dionem fulciri video verbis clarissimis Equitis Romani, testis oculati. Super silicis ac glareae sternendae ratione docte ac perite disputat Nic. Bergerius L. 2. de Viis publicis & militaribus P. R. sect. 30. Scripta est haec Elegia anno post triumphum Aquitanicum, hoc est A. V. DCCXXVII. Caesare Augusto VIII. T. Statilio Tauro II. Coss.

57. QUAE TUSCULA TELLUS, CANDIDAQUE ANTIQUO DETINET ALBA LARE] Non adparet satis, cur ager Albanus & Tusculanus *monumenta viae detinere* dicantur: neque, quid his verbis significetur, cuiquam liquere puto. In priore Wittiano erat, *Candida: que*, extrita virgula post vocem *tellus*. noster tertius, *que Tuscula tellus, Candida que*, habebat. proxime verum. nam princeps Veneta, & Regiolepidina editio clare exhibent, *quem Tuscula tellus.* itaque sic scribemus,

quem Tuscula tellus,
Candida quem antiquo detinet Alba lare.

sensu aperto ac perspicuo, Nec taceant de tua munificentia & Albani & Tusculani. Locutio est non absimilis huic Maronianae L. 7. Aen. ℣. 225.

Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

Deinde legendum ex Vaticano, *Te canet agricola.* Haec enim scribebantur viis istis nondum ad plenum absolutis. & sic postulat structura verborum *venerit* ac *retulerit*.

1. NON

Te canet agricola e magna quum venerit Urbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos,
Candidior semper, candidiorque veni.

IX.

Non ego celari possim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum:
Praecinit eventus nec mihi cantus avis.

5 Ipsa

1. Non ego celari possim] Depraedicat suam peritiam rei amatoriae; quam non didicerit conjectando vel hariolando, sed ab ipsa Venere sit edoctus, vinclis ac verberibus probe domitus. Quocirca Marathum frustra dissimulare Pholoës amorem. Cupidinem quoque acrius saevire in eos, qui reluctentur, & inviti ament. Confer, si voles, Propertium L. 1. Eleg. 9. & Ovidium L. 1. Amor. Eleg. 2. Ceterum varie scribitur hic locus: atque ideo varie exponitur. Achilles valde sibi probari ait, quod Aldus olim edidit,

Non ego celarim, possit quid nutus amantis.

Credo, mirum ei videbatur, Latine dici *ego celor*. At Tullius saepenumero dixit. Agrariâ secundâ, C. 5. *Cum familiariter me in eorum sermonem insinuarem, ac darem; celabar, excludebar.* pro Cluent. C. 66. *Non est profecto de illo veneno celata mater: nihil est ab Oppianico sine consilio mulieris cogitatum.* Philipp. 2. C. 13. *Etenim vereor, ne aut celatum me illis ipsis non honestum, aut invitatum refugisse mihi sit turpissimum.* Albii nostri sensum ita extulit Propertius, eo quem indicavi loco, ℣. 5.

Non me Chaoniae vincant in amore columbae,
Dicere quos juvenes quaecque puella domet.
Me dolor & lacrimae merito fecere peritum.

Haec sunt illa Veneris vincula & verbera, quibus noster suam peritiam debebat.

2. Miti lenia verba sono] quae amans amanti in aurem dicit. Jucundissime Horatius L. 1. Od. 9. ℣. 19.

nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canicies abest
Morosa. nunc & campus, & areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora.

Naso, de Pyramo & Thisbe, L. 4. Metam. ℣. 83.

Ad solitum coïere locum. tum murmure parvo
Multa prius questi, statuunt, ut nocte silenti
Fallere custodes, foribusque excedere tentent.

Theocritus Oarist. interprete Grotio nostro:

Sic hilares illi, sic carmina laeta susurro
Furtivos suadente toros alterna canebant.

Propertius L. 1. Eleg. 11. ℣. 13.

Quam vacet alterius blandos audire susurros,
Molliter in tacito litore compositam.

de nutibus amantium dictum est ad Eleg. 2. ℣. 21.

3. Nec mihi sunt sortes] Tria ponit divinandi genera: sortes sive oracula, extispicinam, augurium. sic & L. 2. Eleg. 5. ad Apollinem, ℣. 11.

Tu procul eventura vides: tibi debitus augur
Scit bene, quid fati provida cantet avis.
Tuque regis sortes: per te praesentit haruspex,
Lubrica signavit quum Deus exta notis.

Propertius addit umbrarum evocationem, L. 4. Eleg. 1. ℣. 99.

Hoc neque arenosum Libyae Jovis explicat antrum;
Nec sibi commissos fibra locuta Deos.
Aut si quis motas cornicis senserit alas:
Umbra neque haec magicis mortua prodit aquis.

Paullo aliter alii poëtae. Ovidius L. 1. Trist. Eleg. 8. ℣. 49.

Haec mihi non ovium fibrae, tonitrusve sinistri
Linguave servatae pennave dixit avis.

Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.

De-

Lucanus, de Sexto Pompejo, L. *6.* ℣. 424.
Inpatiensque morae, venturisque omnibus aeger,
Non tripodas Deli non Pythia conſulit antra;
Nec quaeſiſſe libet, primis quid frugibus altrix
Ore Jovis Dodona ſonet; quis noſcere fibra
Fata queat; quis prodat aves; quis fulgura coeli
Servet, & Aſſyria ſcrutetur ſidera cura;
Aut ſi quid tacitum, ſed fas, erat.
Tragicus Romanus Oedip. ℣. 390.
Nec alta coeli quae levi penna ſecant,
Nec fibra vivis rapta pectoribus, poteſt
Ciere nomen. alia tentanda eſt via.
Ipſe evocandus noctis aeternae plagis
Emiſſus Erebo.
Ambitioſe, ut ſolet, Papinius L. 4. Theb. ℣. 406. cujus verba jam produximus ad Eleg. 2. ℣. 45. Parciſſime magnus magiſter, qui nihil molitur ineptum, L. 3. Aen. ℣. 359.
Trojugena interpres Divûm, qui numina Phoebi,
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae.
Albium noſtrum ante oculos habuit arguti ille & amabilis ingenii nequam: *Vides me? nec auguria novi, nec mathematicorum coelum curare ſoleo: ex vultibus tamen hominum mores conligo; &, quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio.*

4. PRAECINIT EVENTUS] Gebhardus ex mendoſo codice, qui *Premit & eventus* habebat, ita haec nobis concinnavit,
Promit & eventus non mihi cantus avis.
quod quam bellum ſit, ego quidem neſcio: *praecinere* vero proprie hic dici ſcio. Tullius orat. de Haruſp. reſponſ. C. 10. *Quis eſt ex gigantibus illis, quos poëtae ferunt bellum Diis immortalibus intuliſſe, tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid Deos populo Romano praemonſtrare & praecinere fateatur?* Juſtinus L. 43. C. 1. ex Gronovii emendatione: *Fauno fuit uxor nomine Fatua, quae aſſidue divino ſpiritu impleta, velut per furorem futura praecinebat.* Lactantius L. 1. Divin. Inſtit. C. 4. ubi de Prophetis: *Atqui impleta eſſe implerique quotidie illorum vaticinia videmus: & in unam ſententiam congruens divinatio docet non fuiſſe furioſos. Quis enim mentis emotae, non modo futura praecinere; ſed etiam cohaerentia loqui poſſit?* L. Septimius L. 3. Ephemer. belli Troj. C. *26.* verbis Priami regis: *Ceterum ſe diverſi partus quinquaginta filiorum patrem, beatiſſimum regum omnium habitum: at poſtremum Alexandri natalem diem evitari, ne Diis quidem praecinentibus, potuiſſe.* Tum, expoſito reginae Hecubae viſo, ita pergit: *Quae denuntiata cum ad perniem publicam ſpectare haruſpices praecinerent, internecandum editum partum placuiſſe.*

5. MAGICO RELIGATUM BRACHIA NODO] Salmaſius hic defixionem intelligit, ac ſortilegium, quo quis virile officium facere prohibeatur; ita, ut ipſe καταδεσμὸς proprie ac Latine *magicus nodus* vocetur; Excer. Plin. p. 1089. Non dixiſſet, ſi ipſum poëtam inſpicere voluiſſet. Nam quae eſt haec collectio, aut quam ſani capitis? Fruſtra de tuo amore me celas, o Marathe; fruſtra diſſimulas. Non poſſum falli in his myſteriis, quae me perdocuit ipſa Venus, quo tempore magicis maleficiis funeravit partem illam mei, qua quondam Achilles eram. Profecto, ſi ita eſt ratiocinatus noſter eques;
Jam populus vere ſanos negat eſſe poëtas.
Praeterea quis umquam dixit, defigendorum brachia religari, ipſosque verberibus multis mulcari? At recte jam olim bonus Cyllenius expoſuit: *Eſt ſenſus, ſe omnes amatorios motus optime ſcire ex aſſiduo amoris uſu.* Tum deinde: *Simpliciter intelligimus,* nodo religatum brachia; *quod eſt metaphoricôs, irretitum amoris vecordia, ut ab amando ſe extricare non poſſit. Nodus magicus, eſt, inexplicabilis.* Non tam inexplicabilis, quam certo quodam ritu ex arcana magiae diſciplina complicatus. Talis erat in medicina (ex qua natam magiam nemo veterum dubitavit) nodus ille, quem *Herculeum* vocabant. Plinius L. 28. C. *6. Vulnera nodo Herculis praeligare, mirum quantum ocyor medicina eſt. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quamdam habere utilem dicuntur.* Ipſe Mercurii caduceus duobus ambiebatur draconibus, mare & femina, media parte voluminis ſui nodo Herculeo obligatis, docente Macrobio L. 1. Saturn. C. 19. Eſt autem hic imago poëtica, oſtendens amoris peritiam non poſſe comparari niſi multis ac gravibus laboribus atque aerumnis. Suspenditur a Venere amator, quo modo ſervi & noxii ſolebant; ſed fune in nodum magicum

gicum constricto, ne posset renodari aut solvi. deinde crebris verberibus caeditur, ut addiscat patientiam: hoc est, ut fastum ferat inmitis dominae. Hoc Venereum supplicium alii quoque poëtae adluserunt. Propertius L. 3. Eleg. 23. ℣. 13.

Correptus saevo Veneris torrebar aheno:
Vinctus eram versas in mea terga manus.

Horatius L. 1. Od. 27. ℣. 21.

Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

Hi sunt nodi illi magici. Nec vero mirum videri cuiquam debet, si Dii Deaeque decurrant ad opem ab artibus magicis petitam. Ipse ille cestus Veneris, quo uno plurimum pollebat supra omnes Deas, illecebris magicis erat refertus, si quid Homero credis, hunc balteum describenti L. 14. Iliad. ℣. 214.

Ἦ, καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα
Ποικίλον· ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο·
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις, ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.

Eobanus vertit:

Sic ait: & varium solvit de corpore ceston,
Quo praecincta fuit, quem circa pectus habebat.
Sunt in eo Veneres, omnesque Cupidinis artes;
Insunt illecebrae, sunt blandae verbera linguae;
Sunt joca, sunt risus, sunt gaudia, jurgia, fraudes;
Insunt incautas capientia pharmaca mentes
Omnia, mortiferis sunt pocula plena venenis.

Ex hoc fonte hauserunt Latini. Martialis L. 14. Epigr. 207.

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston.
Ussit amatorem balteus iste Jovem.

& deridens Minucius Felix, aureus scriptor: *Jovem* [Homerus] *narrat loro Veneris illectum, flagrantius, quam in adulteras soleat, cum Junone uxore concumbere.* Valerius Flaccus, de Venere, cingulum suum precanti Junoni commodante, L. 6. ℣. 469.

nec passa precari
Ulterius, dedit acre decus, foecundaque monstris
Cingula; non pietas quibus, aut custodia famae,
Non pudor: at contra levis & festina cupido,
Adflatusque mali, dulcisque labantibus error,
Et metus, & demens alieni cura pericli.

Claudianus de Nupt. Honor. & Mar. ℣. 122.

gremio natum Cytherea removit:
Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Allevat, & blando spirantem numine ceston
Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit.

Apulejus L. 2. Metam. *Licet Venus ipsa fuerit, licet omni Gratiarum choro stipata, & toto Cupidinum populo comitata, & balteo suo cincta, cinnama fragrans, & balsama rorans.* Docte igitur ac perite hic cestus *toover-riem* dicitur principi vernaculae nostrae poëseos Hoofdio in Cantilenis:

Als Venus in de spieghel zich ziet met dit sieraedt,
Zy wenscht geen tooverrieme, nocht kransse tot haer' baet.

Alibi idem poëta hanc vim cesti agnovit in suavitate vocis & colloquii, exemplo Homeri:

Door toovertael doet zy, dat by de lieden
Gebodt gebedt, en bidden strekt gebieden.

Nec sola Venus ad artes magicas adcingebatur. Ipsae Parcae, quamvis fatorum dominae ac dispensatrices, magicis ritibus mortalium stamina ordiebantur. Certe in Meleagro ita fecisse testatur Naso L. 8. Metam. ℣. 451.

Stipes erat: quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes,
Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
O modo nate, damus. quo postquam carmine dicto
Excessere Deae; flagrantem mater ab igne
Eripuit torrem: sparsitque liquentibus undis.

Tu lege sequentia, egregia & praeclara, sed mere magica. Neque abstinuit Juno, illa Deorum regina, diu Lucinae ope prohibens ut ne Alcmena partu levaretur, L. 9. Metam. ℣. 292.

Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad coelum brachia, magno
Lucinam Nixosque pares clamore vocabam.
Illa quidem venit, sed praecorrupta, meumque
Quae donare caput Junoni vellet iniquae.
Utque meos audit gemitus; subsedit in illa
Ante fores ara: dextroque a poplite laevum
Pressa genu, digitis inter se pectine junctis,
Sustinuit partus. tacita quoque carmina voce
Dixit: & inceptos tenuerunt carmina partus.

Nec sane Alcmena jam erat tam diris cruciatibus ulterius ferendis, nisi oportuno mendacio subvenisset Galanthis ancilla.

Desine dissimulare. Deus crudelius urit,
Quos videt invitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?
Saepeque mutatas disposuisse comas?
Quid succo splendente genas onerasse? quid ungues
Artificis docta subsecuisse manu?

Fru-

ea sensit iniquâ
Nescio quid Junone geri: dumque exit, & intrat
Saepe fores; Divam residentem vidit in ara,
Brachiaque in genibus digitis connexa tenentem:
Et, Quaecumque es, ait, dominae gratare; levata est
Argolis Alcmene: potiturque puerpera voto.
Exsiluit, junctasque manus patefacta remisit
Diva potens uteri. vinclis levor ipsa remissis.

Nasonem interpretari voluisse videtur Plinius L. 28. C. 6. *Adsidere gravidis, vel cum remedium alicui adhibeatur, digitis pectinatim inter se implexis, veneficium est; idque compertum tradunt Alcmena Herculem pariente. Pejus, si circa unum ambove genua. Item poplites alternis genibus imponi. Ideo haec in conciliis ducum potestatumve fieri vetuere majores, velut omnem actum impedientia. Vetuere & sacris votisve simili modo interesse.* Hoc ante nos observavit Barthius ad Papin. L. 2. Achill. ỹ. 159. cui tamen nihil propterea debere potest nostra industria. Sed ad rem. Non solam Lucinam hoc veneficio partum Alcmenae inhibuisse, sed etiam Parcas voluisse Junoni eâdem operâ gratificari, ex Nicandro tradidit Antoninus Liberalis Fab. 29. ita ut jam secundum in facinore magico occupatas deprehendamus. Dii quoque marini hac arte Glaucum ex mortali piscatore numen aequoreum fecerunt. quam rem ipse Glaucus Scyllae denarrat L. 13. Metam. ỹ. 949.

Dii maris exceptum socio dignantur honore:
Utque mihi, quaecumque feram, mortalia demant,
Oceanum Tethynque rogant. Ego lustror ab illis:
Et purgante nefas novies mihi carmine dicto
Pectora fluminibus jubeor supponere centum.
Nec mora: diversis lapsi de fontibus amnes,
Totaque vertuntur supra caput aequora nostrum.
Hactenus acta tibi possum memoranda referre:
Hactenus & memini: nec mens mea cetera sensit.
Quae postquam rediit; alium me corpore toto,
Ac fueram nuper, nec eumdem mente recepi.

Denique Circen quis ignorat? quam tamen Deam fuisse omnis tradidit antiquitas. Virgilius L. 7. Aen. ỹ. 15.

Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Saetigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie Dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

Ovidius L. 14. Metam. ỹ. 276.

accipimus sacra data pocula dextra.
Quae simul arenti sitientes hausimus ore,
Et tetigit summos virga Dea dira capillos;
(Et pudet, & referam) setis horrescere coepi.

initio libri ita dixerat:

Inde, manu magna Tyrrhena per aequora lapsus,
Herbiferos adiit colles, atque atria Glaucus
Sole satae Circes, variarum plena ferarum.
Quam simul adspexit; dicta acceptaque salute,
Diva, Dei miserere, precor: nam sola levare
Tu potes hunc, dixit, (videar modo dignus) amorem.

Plinius L. 25. C. 2. *Certe quid non replevere fabulis Colchis Medea, aliaeque, in primis Itala Circe, Diis etiam adscripta?*

11. QUID FUCO SPLENDENTE COMAS ORNARE] de *comis* jam habuimus: itaque scribendum *genas*, quod libri veteres servarunt. Scaliger legebat, *Quid succo splendente genas onerasse?* Verissime. etiam Gebhardus *succo* invenerat in quinto Palatino; & nos in nostro tertio. in aliis est *fuco*. *Succus splendens* est crassius sputum ex madido pane, quo inlinebantur genae. Tu Scaligerum vide, & Salmasium ad haec verba Spartiani Hadrian. C. 4. *Corrupisse eum Trajani libertos, curasse delicatos, eosdemque saepe levisse, per ea tempora, quibus in aula familiarior fuit, opinio multa firmavit.* Viderat aliquid Domitius Calderinus

Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansaque compressos colligit arta pedes.

Ipsa

derinus, ut erat acuto ingenio, L. 3. Observ. sed sic quasi per nebulam viderat.

12. Ungues Artificis docta subsecuisse manu] Andreas Dacerius, exponens hunc Horatii locum, L. 1. Epist. 7. ℣. 50.

conspexit, ut ajunt,
Adrasum quemdam vacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Dacerius, inquam, notat, non nisi tenuiores hoc sibi ipsos officium praestitisse; honestiores vero fuisse usos opera tonsoris, aut servi a cubiculo: matronas autem solis ancillis cubicularibus. *Les Dames*, (inquit) *se servoient pour cela de leurs femmes de chambre.* idque ut evincat, producit hoc ipsum distichon nostri poëtae; atque ita interpretatur: *Pourquoy peindre vos cheveux? pourquoy vous faire couper les ongles par une femme adroite?* Denique addit pro valido argumento: *Porcia s'estant coupée un jour en se faisant les ongles, Brutus la gronda d'avoir fait l'office de sa femme de chambre.* Multa hic peccantur, quae verius tradiderat Theodorus Marcilius nostras in Quotidianis ad Horatium, unde sunt exscripta. Nolo in singulis morari: sed nimis miror, qua ratione Marathus de adolescentulo factus sit nova mulier. Deinde nec Porcia tonstricis cultello usa fuit, sed tonsoris. *μαχαίριον ᾧ τοὺς ὄνυχας οἱ κουρεῖς ἀφαιροῦσιν, cultellum quo ungues rescindere tonsores solent*, vocat Plutarchus in Bruto. Neque vero ungues illo sibi subsecuisse tradit, sed vulnus altum in femore inflixisse, unde multa vi sanguinis effluente ingens secutus sit dolor, & febris magna cum horrore. Sed Valerium audiamus Maximum; nam eum potius sequi videtur Dacerius; L. 3. C. 2. *Egresso cubiculum Bruto, cultellum tonsorium quasi unguium resecandorum caussa poposcit, eoque velut forte elapso se vulneravit. Clamore deinde ancillarum in cubiculum revocatus Brutus, objurgare eam coepit, quod tonsoris praeripuisset officium.* Neque hinc ancillam confeceris tonstricem. Horatii interpres Harlemensis, ut videas & Gallice scire & Tibullum praeclare intelligere, sic scripsit: *Viles tantum ungues sibi curtabant. Caeteri per tonsorem, aut cubicularium servum. Plautus Aul.* 4, 2.

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat;
Collegit, omnia abstulit praesegmina.

Tibullus L. 1. *El.* 8. *ait Dominas suos ungues Artificis docta subsecuisse manu.* Huic homini si credimus, jam miser ille Euclio inter fortunatos censitus fuerit oportet; ne quid de Maratho addam. Quanto satius erat, ex ipsis fontibus haurire, quam e lacunis aquam captare turbidam ac limosam! Nunc e solis unguibus existimare licet de toto leone.

13. Frustra jam vestes, frustra mutantur amictus] *vestes* sunt indumenta interiora; *amictus*, quidquid vestibus superinjicitur. Cicero L. 2. de Divinat. C. 69. *Quid naturae copulatum habuit Alcibiadis, quod scribitur, somnium? qui, paullo ante interitum, visus est in somnis amicae esse amictus amiculo. Is cum esset projectus inhumatus, ab omnibusque desertus jaceret; amica corpus ejus texit suo pallio.* L. 3. de Orat. C. 32. de Hippia Eleo, gloriante non solum de cognitione omnium artium liberalium atque ingenuarum, *sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse.* Catullus, de Ariadna a Theseo relicta, Carm. 61. ℣. 64.

Non contecta levi velatum pectus amictu.

deinde ibid. ℣. 266.

Talibus amplifice vestis decorata figuris
Polvinar complexa suo velabat amictu.

Maro, de Charonte, L. 6. Aen. ℣. 301.

Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

de Amata, L. 12. ℣. 602.

Multaque per moestum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu discindit amictus.

Ovidius L. 3. Pontic. Epist. 8. ℣. 7.

Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus:
Sed non Sarmatico tingitur illa mari.

Et L. 14. Metam. ℣. 260. de Circe:

Excipiunt famulae, perque atria marmore tecta
Ad dominam ducunt. pulcro sedet illa recessu,
Solenni solio; pallamque induta nitentem,
Insuper aurato circumvelatur amictu.

Rationem vocabuli reddit Varro Lib. 4. de L. L. *Ut ambustum Amictus dictum, quod amjectum, id est circumjectum.* Atque etiam in tralationibus servarunt, ut *amiciendi & amictûs* verba de re exteriore dicerentur. Maro L. 1. Aen. ℣. 412.

At Venus obscuro gradientis aëre sepsit;
Et multo nebulae circum Dea fudit amictu.

Ipsa placet, quamvis inculto venerit ore,
 Nec nitidum tarda comserit arte caput.
Num te carminibus, num te pollentibus herbis
 Devovit tacito tempore noctis anus?

Can-

tum ℣. 516.

Dissimulant; & nube cava speculantur amicti,
Quae fortuna viris, classem quo litore linquant,
Quid veniant.

Catullus Carm. 60. ℣. 70.

Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?

Horatius L. 1. Epist. 16. initio:

Ne percuncteris fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae:
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo.

Ovidius L. 3. Pontic. Epist. 8. ℣. 13.

Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus.

14. ANSAQUE COMPRESSOS COLLIGAT ARTA PEDES] Lipsii excerpta, teste Douza, habebant *colligit*; haud paullo elegantius, atque etiam Latinius. habent & plurimi alii libri, qua scripti, qua antiquitus cusi. *Colligere* est contrahere, coërcere, in angustum cogere. Maro L. 1. Aen. ℣. 320.

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentis.

apud eumdem Furia illa, L. 12. ℣. 862.

Alitis in parvae subitam conlecta figuram.

eodem libro, ℣. 491.

Substitit Aeneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.

tralate Propertius, ad Maecenatem, L. 3. Eleg. 7. ℣. 29.

Parcis, & in tenues humilem te colligis umbras.

Apulejus Apolog. *Quantulacumque haec tibi videntur, multa etiam & nimia arbitror, & cupio me ad pauciora coërcere, tanto beatior futurus, quanto collectior.* Hinc *collecta* dicuntur, quae intra modulum suum ac decôrem rediguntur. Papinius L. 2. Silv. 1. ℣. 43.

O ubi purpureo suffusus sanguine candor?
Sidereique orbes, radiataque lumina coelo,
Et castigatae collecta modestia frontis?

ita hic *pedes collecti* sunt exigui, hoc est formosi. Naso L. 3. Amor. Eleg. 3. in puellam perjuram, nec tamen perjurio debilitatam, ℣. 7.

Pes erat exiguus: pedis est artissima forma.
Longa decensque fuit: longa decensque manet.

15. IPSA PLACET] ita Florentinus codex, & Colinaei editio: melius quam *illa*, quod est in omnibus fere libris. Vide quae Gebhardus notavit ad tertiam hujus libri Elegiam, ℣. 2. & L. 1. Crepund. C. 9. breviter tetigerat Servius ad Virgil. Eclog. 4. ℣. 43.

17. PALLENTIBUS HERBIS] Jam olim viderunt docti homines, melius legi *pollentibus*; ita enim vim atque efficaciam herbarum monstrari. Tamen Jo. Isacius Pontanus contra venit, & herbas maleficas veteribus seu poëtis *pallentes* nuncupari animadvertit, ideo quod pallorem imo letum denique concilient, Not. ad Macrob. L. 5. Saturn. C. 19. Examinabit ejus rationes qui volet: neque enim examinandum reliquit nihil. Nos interea, quid veteres seu poëtae pro herbis *pollentibus* attulerint, inquiremus. absit modo cavillatio scholastica, quae in demonstranda literarum *a* atque *o* vicinitate occupetur. Naso L. 7. Metam. ℣. 196.

Tuque triceps Hecate, quae coeptis conscia nostris
Adjutrixque venis; cantusque artesque magarum;
Quaeque magas, Tellus, pollentibus instruis herbis.

& L. 2. Fastor. ℣. 425.

Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.

Lucanus L. 6. ℣. 685.

Tunc vox, Lethoeos cunctis pollentior herbis
Excantare Deos, confundit murmura primum
Dissona, & humanae multum discordia linguae.

Claudianus L. 1. in Rufin. ℣. 152.

Nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potestas
Herbarum, quidquid letali germine pollens
Caucasus, & Scythicae vernant in carmina rupes,
Quas legit Medea ferox, & callida Circe.

Alia voce, sed idem significante, *potentes* dicuntur herbae. Virgilius L. 7. Aen. ℣. 19.

Quos

Cantus vicinis fruges traducit ab agris:
Cantus & iratae detinet anguis iter.

Can-

Quos hominum ex facie Dea saeva potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.

& L. 12. ℣. 402.

ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequicquam trepidat.

Naso L. 4. Metam. ℣. 49.

Naïs an ut cantu, nimiumque potentibus herbis,
Verterit in tacitos juvenilia corpora pisces:
Donec idem passa est.

apud eumdem Glaucus L. 14. ℣. 14.

Quanta sit herbarum, Titani, potentia nulli
Quam mihi cognitius; qui sum mutatus ab illis.

Lucanus L. 9. ℣. 893.

gens unica terras
Incolit a saevo serpentum innoxia morsu,
Marmaridae Psylli: par lingua potentibus herbis.

Papinius L. 3. Theb. ℣. 399.

Vulnera dum lymphis Epidaurius eluit Idmon,
Nunc velox ferro, nunc ille potentibus herbis
Mitior.

Quin etiam *fortes* vocantur, & *operosae*, atque *expugnaces*; & a *virium* excellentia celebrantur. Ovidius fragm. de Medicam. faciei, ℣. 35.

Sic potius nos uret amor, quam fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.

L. 14. Metam. ℣. 21.

At tu, sive aliquid regni est in carmine; carmen
Ore move sacro: sive expugnacior herba est;
Utere tentatis operosae viribus herbae.

& deinde ℣. 68.

Flevit amans Glaucus: nimiumque hostiliter usae
Viribus herbarum fugit connubia Circes.

Plinius L. 24. C. 17. *Anacampserotem* [adjecit] *celeber arte Grammatica paullo ante, cujus omnino tactu redirent amores, vel cum odio depositi.* Denique, quod ego pro non tenui tibicine reputo, *pollentibus herbis* hic legisse adparet virum suae aetatis doctissimum Joachimum Camerarium, Comment. de generibus Divinationum p. 106.

18. DEVOVIT TACITO TEMPORE NOCTIS ANUS] herbis & carminibus mentem tuam excantavit, & adegit ut amares. Sane in absentes valere has detestabiles amorum inlecebras statuebant. Virgilius L. 4. Aen. ℣. 488.

Haec se carminibus promittit solvere mentes
Quas velit; ast aliis duras inmittere curas.

Horatius Epod. 5. ℣. 73.

Non usitatis, Vare, potionibus,
O multa fleturum caput,
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.

Juvenalis Sat. 6. ℣. 609.

Hic magicos adfert cantus; hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeat mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates. Quod desipis, inde est;
Inde animi caligo.

Hoc autem totum verbo proprio *devovere* adpellabant. Maro L. 1. Aen. ℣. 712.

Praecipue infelix pesti devota futurae
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phoenissa, & puero pariter donisque movetur.

puer ille erat Cupido, pueri Ascanii vultum indutus, qui miserae reginae occultum inspiraret venenum. Male vir magnus hunc quoque Albii nostri versum accipi jubet de defixione, qua Veneris negotium inpeditur. Quod si tale quid excidisset Batavo cuipiam homini, aut Germano; mediusfidius nec Salus ei esse saluti potuisset, si vel maxime voluisset.

Sed vos, Trojugenae, vobis ignoscitis.

19. CANTUS VICINIS FRUGES TRADUCIT AB AGRIS] Nihil hic mutandum: minime omnium verbum *traducit.* quod verbum bene interpretatur Scaliger, post Cyllenium. *excantare* hoc vocabant, & *pellicere.* Vide notata nobis ad Propert. L. 3. Eleg. 2. ℣. 49. Olympius Nemesianus Ecl. 4. ℣. 71. de Mycale saga:

Cantavit, quod Luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos.

Noli rejicere, aut pro nihilo putare testimonium poëticum. Erant in hanc rem & leges latae, & judicia publica constituta: ne tu nugas putes. Plinius L. 18. C. 6. *C. Furius Cresinus e servitute liberatus, cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. Quamobrem a Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in*

so-

Cantus & e curru Lunam deducere tentat;
Et faceret, si non aera repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

Nec

forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piso) bene curatam ac vestitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Postea dixit: Veneficia mea, Quirites, haec sunt: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigiliasque, & sudores. Omnium sententiis absolutus itaque est. Aurelius Augustinus L. 8. de Civitate Dei C. 19. *Porro adversus magicas artes, de quibus nimis infelices & nimis impios etiam gloriari libet in nomine daemonum, ipsam publicam lucem testem citabo. Cur enim tam graviter ista plectuntur severitate legum, si opera sunt numinum colendorum? An forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicae puniuntur, secundum quem alium sensum, nisi quod haec maleficia generi humano perniciosa esse non dubium est? Ait poëta clarissimus:*

Testor cara Deos, & te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit:

Atque satas alio vidi traducere messes.

Eo quod hac pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nonne in duodecim tabulis, id est, Romanorum antiquissimis legibus, Cicero commemorat esse conscriptum, & ei, qui hoc fecerit, supplicium constitutum? ipse Apulejus Apolog. *Magia ista, quantum ego audio, res est legibus delegata, jam inde antiquitus duodecim tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.*

20. CANTUS ET IRATAE DETINET ANGUIS ITER] ita nostri quinque, & omnes Statiani. Lipsius conjiciebat, vehementer amplectente Douza,

Cantus & irati detinet amnis iter.

Sed non est conjecturae hic locus; siquidem ipsam Albii manum habemus, teste Sosipatro Charisio L. 1. Inst. Gram. p. 70. *Anguis cum sit masculini generis, dixerunt tamen & feminini; ut Tibullus, Iratae detinet anguis iter. & Ovidius, Mediae Marsis finduntur cantibus angues. & Varro Atacinus, Cujus ut adspexit torta caput angue revinctum.*

21. CANTUS ET E CURRU LUNAM DEDUCERE TENTAT] Nihil notius ac frequentius & in Poësi & in Historia antiqua. Plenae quoque Criticorum commentationes: in quibus eminet Jo. Lud. de la Cerda Not. ad Virgil. Eclog. 8. ℣. 69. Hic tibi unus omnium instar esto.

22. ET FACERET, SI NON AERA REPULSA SONENT] imo fieri omnino credebant. Seneca Hippol. ℣. 418.

Sic te lucidi vultus ferant,
Et nube rupta cornibus puris eas.
Sic te regentem frena nocturni aetheris
Detrahere numquam Thessali cantus queant.

Ideo aera pulsabant, quorum tinnitu auxiliari credebant minui ac levari Lunae anxios labores. Satis diu regnavit haec fatua superstitio: nam & Christianos magno clamore ac vociferatione succurrisse lunae deficienti, cum justissima indignatione ostendit atque acriter increpat S. Maximus, episcopus Taurinensis, homilia de defectu lunae, p. 245. edit. Rainaudi. Nec sanius, quam Graeci veteres & Romani, hodie sapiunt vel Turcae, vel Persae, vel Christiani Syri: quorum ritus aut nihil aut perparum ab antiquis diversos describit vir & natalibus & ingenio nobilissimus Petrus della Valle Itiner. Turcici Epist. 14. p. 352. Persici Epist. 3. p. 83.

26. FEMORI CONSERUISSE FEMUR] quamvis nihil mutent libri, tamen Achilles mendum hic latere suspicabatur, & legendum *femini conseruisse femur*, permotus auctoritate Fl. Charisii, ita scribentis L. 1. p. 66. *Hoc femur hujus femoris; sed frequenter hujus feminis huic femini dictum est, & pluraliter femina quam femora. Ideoque & Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit, Implicuitque femur femini.* Tum postilla p. 105. *Femini. Tibullus, Implicuitque femur femini. non femori; quasi sit hoc femur hujus feminis. femen enim nominativo, ut semen, necdum legimus a veteribus*

Nec tu difficilis puero tamen esse memento:
Persequitur poenis tristia facta Venus.
Munera ne poscas: det munera canus amator,
Ut foveas molli frigida membra sinu.
Carior est auro juvenis, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

Huic

ribus adsertum. Super declinatione controversiam non movebo: quamquam scio nominativum *femen* Priscianum agnovisse L. *6*.p.701. & Captum in deperditis libris Enucleati Sermonis, indice Servio grammatico ad L. 10. Aen. ℣. 344. & 788. Ceterum ego Charisium memoria lapsum puto; neque hoc hemistichium Tibulli fuisse arbitror, sed potius alterius cujusdam poëtae; fortasse Cornelii Severi, cujus hos versus citaverat paullo ante,

Ignea nam coelo ducebat sidera Phoebe,
Fraternis successor equis.

Certe poëtas Latinos Albio nostro suppares, *femori* & *femoris* dicere non horruisse, vel unus Naso abunde ostenderit. sic L. 1. Amor. Eleg. 4. ℣. 43.

Nec femori committe femur, nec crure cohaere:
Nec tenerum duro cum pede junge pedem.

L. 3. Eleg. 7. ℣. 10.

Osculaque inseruit cupidae luctantia linguae:
Lascivum femori supposuitque femur.

L. 14. Metam. de Scylla in monstrum marinum defoedata, ℣. *64*.

Et corpus quaerens femorum, crurumque, pedumque,
Cerbereos rictus pro partibus invenit illis.

Tamen si quis ab Achille mavult stare, consulat ille magnum nostrum Vossium L. 1. de Analog. C. 47. & Barthium L. 4. Adv. C. 21. L. *59*. C. *16*.

28. PERSEQUITUR POENIS TRISTIA FACTA VENUS] in multis libris est *Prosequitur:* quod non possum probare. Caesar L. 7. bell. Gall. C. 38. *Si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt*; *atque hos latrones interficiamus.* Cicero Accus. 5. in Verr. C. 58. *Si quis rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civem Romanum ejusmodi, nonne publice vindicaremus? non bello persequeremur?* Cato apud Sallustium Catilin. C. 52. *Cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt: hoc, nisi provideris ne accidat, ubi evenit, frustra judicia implores.*

30. UT FOVEAT MOLLI FRIGIDA MEMBRA SINU] in codice Archiepiscopi Eboracensis, omnium Tibullianorum vetustissimo, erat *foveas.* Rectissime. Puella ideo accipit, ut sinu suo calente foveat canum ac frigidum amatorem. Vidit, & notavit, Nicolaus Heinsius. sic & alii poëtae elegantes. Propertius L. 2. Eleg. 18. ℣. 37.

Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.

ibidem Eleg. 14. ℣. 11.

Illum saepe suis decedens fovit in ulnis.

noster supra Eleg. 7. ℣. *6*.

Jam mihi tenduntur casses: jam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fovet.

Maro L. 1. Aen. ℣. *692*.

At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Inrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliae lucos.

Joannes Jovianus Pontanus Parthenopaei L. 1. Carm. 3.

Fannia solve fores, mea Fannia, Fannia quaeso
Solve fores, quaeso Fannia solve fores.
Et me, quem gelidus Boreas contraxit, & imber,
In tepido foveas, dulcis amica, sinu.

Georgius Buchananus Eleg. 7.

Hoc facit, ut pigros senio tardosque podagra
Illa sacerdotes impatienter amet.
Sustinet amplexu demortua membra fovere,
Molliaque ad canas oscula ferre comas.

noster Grotius Eleg. *6*.

Quam juvat insomnem ventos audire gementes,
Tutaque in angusto membra levare toro,
Et dominam fovisse sinu, si nocte suprema
Frigidus hibernas moverit Auster aquas!

Hoc ita extulerat Cn. Matius in Mimiambis,

Sinuque amicam reficere frigidam caldo.

sic autem noster Tibullus L. 1. Eleg. 1. ℣. *39*.

Quam juvat inmites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero detinuisse sinu.

& Tibullo propior Albinovanus ad Liviam Aug. ℣. *96*.

Huic tu candentes humero ſuppone lacertos;
Et regum magnae deſpiciantur opes.
At Venus inveniet puero ſuccumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conſerit uſque ſinus:
Et dare anhelanti pugnantibus uvida linguis
Oſcula, & in collo figere dente notas.
Non lapis hanc, gemmaeque juvent, quae frigore ſola
Dormiat, & nulli ſit cupienda viro.

Heu

At miſeranda parens ſuprema neque oſcula fixit,
Frigida nec fovit membra tremente ſinu.

37. PUGNANTIBUS HUMIDA LINGUIS OSCULA] Nic. Heinſius *uvida oſcula* legebat. Recte, ni fallor. ſic *uda oſcula*, Martialis exemplo, dixit noſter Secundus, atque etiam *irrigua*, plus ſemel in delicatiſſimis Baſiis. *uvere* autem, & *uveſcere*, & *uvens*, & *uvidum* locis innumeris corruperunt librarii ſcribae in *humere*, *humeſcere*, *humens*, *humidum*. Exemplis luculentis oſtenderunt Jo. Fredericus Gronovius Diatr. ad Papin. Silv. C. 23. & Nic. Heinſius ad Ovid. L. 3. Amor. Eleg. 5. ℣. 6. Horatius L. 1. Od. 5. ℣. 14.

me tabula ſacer
Votiva paries indicat uvida
Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris Deo.

quem locum ſatis mature fuiſſe maculatum teſtantur Scholia antiqua, his verbis: *uvida*] *melius quam humida.* Sunt autem Helenii Acronis. In priore noſtri hemiſtichio *anhelatim* habent nonnulli libri. Quae vocula ſi legitime percuſſa eſt, jam uno adverbio locupletior erit Latinus ſermo.

38. IN COLLO FIGERE DENTE NOTAS] dictum ſupra ad Eleg. 7. ℣. 14.

39. NON LAPIS HANC GEMMAEQUE JUVENT] Ita ſolebant ſeparatim efferre, ubi ſermo erat de unionibus & gemmis. nam uniones, ſive margaritae, peculiariter *lapides* dicuntur. Horatius L. 3. Od. 24. ℣. 48.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat & turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile
Summi materiem mali
Mittamus.

Ovidius fragm. de medicamine faciei, ℣. 19.

Vultis odoratos poſitu variare capillos:
Conſpicuam gemmis vultis habere manum.
Induitis collo lapides Oriente paratos:
Et quantos oneri eſt aure tuliſſe duos.

& L. 1. Art. Amat. ℣. 432.

Quid, cum mendaci damno moeſtiſſima plorat,
Elapſusque cava fingitur aure lapis?

Tragicus Latinus Hippol. ℣. 391.

Cervix monili vacua; nec niveus lapis
Deducat aures, Indici donum maris.

& Herc. in Oeta ℣. 662.

Conjux modico nupta marito
Non diſpoſito clara monili
Geſtat pelagi dona rubentis;
Nec gemmiferas detrahit aures
Lapis Eoa lectus in unda.

Silius L. 12. ℣. 231.

Quale micat ſemperque novum eſt, quod Tiburis aura
Paſcit ebur; vel qui miro candoris honore
Lucet in aure lapis, rubris advectus ab undis.

Martialis L. 11. Epigr. 50.

Nunc plorat ſpeculo fallax ancilla relicto:
Gemma vel a digito, vel cadit aure lapis.

Curtius L. 8. C. 9. *Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare litoribus infundit.* ——— *Lapilli ex auribus pendent; brachia quoque & lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent.* Julius Solinus C. 56. Polyhiſt. *Margaritas legunt plurimas maximasque. Conchae ſunt, in quibus hoc genus lapidum requiritur.* &c. Arnobius L. 2. *Idcirco animas miſit, ut divini ponderis & gravitatis oblitae gemmas, lapillos, margaritas caſtitatis diſpendio compararent? conſpiciendis quaererent corporibus fucos? innecterent his colla? laminas pertunderent aurium?* Spartianus quoque diſcrevit Hadr. C. 3. *Quare adamante gemma, quam Trajanus a Nerva acceperat, donatus, ad ſpem ſucceſſionis erectus eſt.*

41. SE-

Heu ſero revocatur Amor, ſeroque juventas,
Quum vetus infecit cana ſenecta caput.
Tum ſtudium formae: coma tum mutatur, ut annos
Diſſimulet viridi cortice tincta nucis.

45 Tol-

41. Seroque juventa] ſcribe *juventas*, ut pridem Heinſius monuit. & ſic potior pars librorum. de ipſa voce dictum eſt ſupra ad Eleg. 4. ℣. 33. *Sero* autem fieri dicuntur, quae fruſtra fiunt, amiſſa temporis occaſione. Plautus Menaechm. Act. 5. Sc. 6. ℣. 31.

nunc fores pultabo, adeſſe ut me ſciat,
Atque ut eum ex hoc ſaltu damni ſalvom ut educam foras.
Sed metuo, ne ſero veniam, depugnato praelio.

Terentius Heaut. Act. 2. Sc. 3. ℣. 103.

Clit. *Syre, dic modo*
Verum. Syr. *age modo: hodie ſero ac nequicquam voles.*

Salluſtius, apud Servium ac Junium Philargyrium, *Serum bellum in anguſtiis futurum.* Caeſar L. 5. bell. Gall. C. 19. *Contra ea Titurius, ſero facturos clamitabat, quum majores manus hoſtium, adjunctis Germanis, conveniſſent; aut quum aliquid calamitatis in proximis hibernis eſſet acceptum.* Naſo Remed. Amor. ℣. 91.

Principiis obſta. ſero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.

Martialis L. 1. Epigr. 16.

Non eſt, crede mihi ſapientis dicere, Vivam.
Sera nimis vita eſt craſtina: vive hodie.

Et L. 8. Epigr. 44.

Titulle moneo, vive ſemper; hoc ſerum eſt:
Sub paedagogo coeperis licet, ſerum eſt.
At tu, miſer Titulle, nec ſenex vivis.

Seneca Hippol. ℣. 595. Phaedrae verbis:

magna pars ſceleris mei
Olim peracta eſt. ſerus eſt nobis pudor.

Huc pertinet dictum Horatii elegans atque urbanum in homines quosdam perverſe doctos, atque ideo inſolentes, nec quidquam recte facientes, L. 1. Sat. 10. ℣. 21.

At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miſcuit. O ſeri ſtudiorum! quine putetis
Difficile, & mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit.

Apulejus Apolog. *Ceterum, quamobrem plurimos jam piſces cognoverim, quorumdam adhuc neſcius eſſe nolui, diſcat Aemilianus, quoniam uſque adeo rebus meis curat, quamquam eſt jam praecipiti aevo, & occidua ſenectute, tamen ſi videtur, ſuſcipiat doctrinam, ſeram plane, & poſtumam.* Hinc nata adagia, *Sero veniſti*; *Sero ſapiunt Phryges*; *Sera eſt in fundo parſimonia.* &c.

42. Quum vetus infecit cana senecta caput] pariter Albius noſter L. 2. Eleg. 2. ℣. 20.

dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inficiatque comas.

& Naſo L. 4. Triſt. Eleg. 8. ℣. 2.

Jam mea cycneas imitantur tempora plumas;
Inficit & nigras alba ſenecta comas.

Eleganter ac poëtice fingitur ſenectus cano colore inficere ac tinguere capillos, quae tamen revera omnem capillitii colorem demit & tollit ob caloris nativi penuriam. Itaque idem ille Naſo & magis vere nec minus eleganter cecinit L. 3. Art. Amat. ℣. 163.

Femina canitiem Germanis inficit herbis;
Et melior vero quaeritur arte color.

Aelius Spartianus Hadr. C. 20. *Illud quoque innotuit, quod, cum cuidam caneſcenti quiddam negaſſet, eidem iterum petenti, ſed infecto capite, reſpondit, Jam hoc patri tuo negavi.* Horatius verbum *inficiendi* transtulit ad pallorem; qui non minus e vultu colorem detergit, quam canities e capillis; Epod. 7. ℣. 15.

Tacent: & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculſae ſtupent.

Paullo verecundius magnus magiſter L. 4. Aen. ℣. 499.

Haec effata ſilet: pallor ſimul occupat ora.

Id quod Servius factum dicit, ex conſcientia cogitatae mortis. Ergo ex horrore, ſanguinem cunctum ad cordis ſedem intus revocante. Nec alia cauſſa pallendi erat conjuratis illis apud Flaccum, niſi obſtinata libido perdendi rempublicam. Proprie poſuit noſter Eques L. 3. Eleg. 4. ℣. 32.

Ut juveni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.

Ceterum *vetus* Albii *caput* pulcre expreſſit Horatius Epod. 8. ℣. 3.

Cum ſit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem ſenectus exaret.

43. Tum studium formae est] ſequitur in proximo hexametro, *Tollere tunc cura eſt.* quae numerorum ſimilitudo eſt indigna

dul-

Tollere tunc albos cura eſt a ſtirpe capillos,
Et faciem demta pelle referre novam.
At tu dum primi floret tibi temporis aetas,
Utere. non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque. puero quae gloria victo?
In veteres eſto dura, puella, ſenes.
Parce precor tenero. non illi ſontica cauſſa eſt;
Sed nimius luto corpora tangit amor,

Vel

dulciſſimo poëta, atque inconcinna, ne dicam puerilis. Sed hoc loco verbum ſubſtantivum aberat a Sfortiano Statii, itemque a libro Colbertino: &, ſi quid ego hic ſapio, jure merito abeſſe debet.

43. 44. COMA TUM MUTATUR, UT ANNOS DISSIMULET VIRIDI CORTICE TINCTA NUCIS] non ut in atrum colorem abeat; ſed ut rufeſcat, & flava fiat. Plinius L. 15. C. 22. *tinguntur cortice earum lanae, & rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis. Id compertum infectis tractatu manibus.* Ceterum in uno Anglicano erat *Diſſimulat:* quod rectum erit, ſi levi mutatione ſcribas, *& annos.* ſed ego vulgatam malo. Hoc artificium vertendi comas, *fucare* vocabant. Auſonius Epigr. 17.

Canus rogabat Laidis noctem Myron:
Tulit repulſam protinus.
Cauſſamque ſenſit: & caput fuligine
Fucavit atra candidum.

Serenus Samonicus ſect. 5.

Quos pudet aetatis longae, quos ſancta ſenectus
Offendit, cupiunt properos abscondere canos,
Et nigrum crinem fuco ſimulare doloſo.

Julius Solinus Polyhiſt. C. 55. *Indis omnibus longa & promiſſa caeſaries, non ſine fuco caerulei aut crocei coloris.* Propertius L. 2. Eleg. 14. ℣. 27.

Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
An, ſi caeruleo quaedam ſua tempora fuco
Tinxerit, idcirco caerula forma bona eſt?

45. TOLLERE TUNC CURA EST ALBOS A STIRPE CAPILLOS] in priore Wittiano, in uno Anglicano Heinſii, itemque in excerptis codicis Laudiani, ſic legebatur:

Tollere tunc albos cura eſt a ſtirpe capillos.

quam verborum collocationem quo minus vulgatae ſcripturae praeferamus, cauſſa nulla eſt. nec dubitabit quisquam, qui aures habeat ſubactas lectione bonorum poëtarum.

49. NEU MARATHUM TORQUE] Quis fuerit hic Marathus, diximus ad Eleg. 4. ℣. 81. alius ab illo fuit Julius Marathus, Auguſti libertus, qui memorias de rebus patroni ſui conſcripſit, Suetonio laudatas Aug. C. 79. & 94.

50. VETERES SENES] Contemtim *veteres* dicit, quaſi vietos, & rancidos, & carioſos. Ita Donatus exponit hanc vocem ad prolog. Andriae ℣. 7. & melius etiam Callicoeta illa apud Ariſtaenetum L. 1. Epiſt. 18. Nec omnino male in illa ſua balbutie Longinus Maximianus, quem pro Cornelio Gallo habere ſolent mortales quidam invenuſti.

51. NON ILLI SONTICA CAUSSA EST] Haec non intellexit Ach. Statius. Recte autem quid ſit *cauſſa ſontica*, & *morbus* item *ſonticus*, jam olim expoſuit Petrus Crinitus L. 25. de Hon. Diſc. C. 11. Feſtum vide in verbo *Inſons*, & in *Sonticum*; & Scaligerum hoc loco.

52. SED NIMIUS LUTO CORPORA TINGIT AMOR] ſic melius, quam *luteo.* Virgilius Ecl. 4. ℣. 44.

Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.

Servius: *eſt hypallage, pro croco luteo. nam crocum lutei coloris eſt.* Vide Nonium in *Luteus color.* Auctor Ciris ℣. 316.

Saepe tuo dulci nequicquam capta ſopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.

Bene Andreas Alciatus L. 2. Parerg. C. 1. *Proximus* rufo *color eſt* luteus, *a Lutea herba, quam Graeci Iſatidem, Latini Glaſtum, nos vulgo Guardum dicimus, ſic dictus: quo colore ovi vitellum eſt, itemque Caltha, quam ideo Chryſanthemum a flore aureo Graeci nuncupant. Probatiſſimum quoque triticum quibusdam* luteum *dicitur. Cum in majorem ruborem vergit,* croceus *eſt. hinc,*

Au-

Vel miser absenti moestas quam saepe querelas
Conjicit, & lacrimis omnia plena madent.

55 Quid

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis. *Cum viridis aliquid assumit*, aurigineus *dicitur: qui color a morbo nomen assumsit, quo laborant icterici. quo colore etiam galbula avis proditur.* Firmat hoc M. Varro in Eumenid. *Nam ut arquatis & lutea quae non sunt, & quae sunt, lutea videntur: sic insanis sani & furiosi videntur esse insani.* Habet autem ille color aliquid ex lurido & pallido admixtum. Lucretius L. 4. ℣. 333.

Lurida praeterea fiunt, quaecumque tuentur
Arquati: quia luroris de corpore eorum
Semina multa fluunt simulacris obvia rerum;
Multaque sunt oculis in eorum denique mista,
Quae contage sua palloribus omnia pingunt.

Hinc amantium pallor Horatio dicitur *viola tinctus*, L. 3. Od. 10. ℣. 14. Libri veteres hic fere *luteo* habent: sed *luto* est in Colotiano, & in primo Vaticano. Ceterum, pro *tingit*, malebat Douza *tangit*: quod verbum habebant duo Palatini, & noster tertius. Recte, opinor. Vide quae notavit Scriverius ad Martial. L. 6. Epigr. 74. Heinsius ad Ovid. L. 4. Fastor. ℣. 740. Gronovius L. 3. Observ. C. 18.

53. Veh miser] veteres plurimi, *Vel miser:* id quod ego verum arbitror. sic enim in re aliqua praecipua loquebantur. Terentius Hecyr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 3.

Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
Quam sancte, ut quivis facile posset credere,
Numquam illa viva ducturum uxorem domum.

Andr. Act. 3. Sc. 2. ℣. 9.

Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te esse ortum?

Cicero L. 2. ad famil. Epist. 13. *Raras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur) sed suaves accipio literas: vel quas proxime acceperam, quam prudentis, quam multi & officii & consilii!* L. 7. Epist. 15. *Quam morosi sint qui amant, vel ex hoc intelligi potest. moleste ferebam antea te invitum istic esse: pungit me rursus, quod scribis esse te istic libenter.* ibidem Epist. 24. *Amoris quidem tui, quoquo me verti, vestigia: vel proxime de Tigellio. Sensi enim ex literis tuis, valde te laborasse.* L. 4. ad Attic. Epist. 16. *Occupationum mearum vel hoc signum erit, quod epistola librarii manu est.* Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 646.

Fallitur & multo custodis cura Lyaeo:
Illa vel Hispano lecta sit uva jugo.

Quos versus ideo produxi, ut ne quem fallat interpretis Delphinici acumen, *Hispanum* pro inmiti aut minus generoso vino hic poni contendentis, quod vinum ex Laletana provincia peteretur: eamque significationem patere ex particula *vel.* Nemo hoc dixerit, qui quidem Latine sciat. Nec Bartholomaeus Merula dixit; de cujus horreo faecem illam Laletanam petivit fidelis exscriptor.

54. Moestas quam saepe querelas Conjicit] minus bene reponunt *Concinit*; etsi id alicubi reperitur. *Conjicere* & *jacere querelas* optimi scriptores dixerunt. Afranius pro eo quod est concertare & expostulare posuit, Simulante:

Vellem intervenissem ante: nam, ut signa indicant,
Hi conjecere verba inter se acrius.

eâdem Fabula:

Noli, mater, me praesente cum patre
Conjicere, non, si me vivum vis, mel meum.

Ceterum *Conicit* hic scribunt veteres libri. Et sic scripsisse Romanos, hoc est unum I extrivisse in omnibus compositis verbi *jacio*, consentiunt magistri tum antiqui tum recentiores. Nostris hodie auribus, adeo delicati sumus, putent ista, & tamquam rancida despuuntur.

54. Lacrimis omnia plena madent] Passeratius malebat *lomina plena*, hoc est *lumina.* Fruterius autem *somnia plena*; vel *omina plena*, pro *ora*, quia Festus *omina* dici tradat quasi *oremina*; vel denique *omnia plana.* Hae non sunt nugae; non enim mortualia. Sed cur in fletu uberrimo ac profusissimo non poterant *omnia* madere, & vultus & vestes, & ipse lectus? ita sane Rex ille vates (cujus sanctissimam Musam eo quo par est honore veneramur, neque ideo deterimus, si ad haec nostra frivola advocamus) Psalm. 6. ℣. 7. interprete Georgio Buchanano:

De nocte pectus anxium suspiriis
Pulsans, gemensque, lacrimis
Lavo cubile: strata fletuum madent
Rorata largis imbribus.

Helius Eobanus ita verterat:

Anxia continuo rumpebam pectora questu,
Nec lacrimas oculi continuere mei.

Fleti-

Fletibus uda madent totas mihi ſtragula noctes,
Et meus aſſiduo lectulus imbre fluit.

Sic autem Antonius Godellus, Bezae noſtri veſtigiis inſiſtens:

Je ſoupire le jour ſous les rudes atteintes
De mes longues douleurs;
Le repos de la nuit eſt troublé par mes pleintes,
Et mon lit agité nage preſqu'en mes pleurs.

Elegantiſſime, meo quidem animo, Joannes Deodatus, numeris Italicis:

Di doglia ingombro, e di gravoſo affanno
Alito ſol ſoſpiri:
Di pianti un largo rio il mio letto inonda,
Ch' a gli occhi di verſar poſa non danno
I notturni martiri.
D'amaro lagrimar bagno la ſponda,
Oue'l dolor m'affonda.

Certe lacrimas copioſius profluentes poëtae fontibus comparare ſolent, & rivis, & fluminibus, & imbribus, & nivibus a ſolis de ventorum tepore ſolutis. quae ſingula res quasque vicinas large lateque ut irrigent neceſſe eſt. Exempla paucula ex poëtis principibus depromemus. Et FONTI quidem lacrimas ubertim proſilientes componit dux noſter Homerus L. 9. Iliad. ℣. 13.

ἂν δ' Ἀγαμέμνων
Ἵςατο δακρυχέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,
Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει
ὕδωρ.

Agamemnon autem
Surrexit lacrimas fundens, ceu fons aquae nigrae,
Qui ab excelſa petra obſcuram fundit aquam.

quae ipſa verba deinde de Patroclo lacrimante repetuntur in limine L. 16. Naſo Epiſt. Hermiones ℣. 64.

Has ſolas habeo ſemper, ſemperque profundo.
Hument incultae fonte perenne genae.

Sidronius Hoſſchius, ille quidem iſtis recentior, ſed ingenii jucunda fertilitate & poëticae facundiae dulcedine non adeo dispar, Lacrim. S. Petri Eleg. 10.

Utque per attritas rivum ſibi ducit arenas,
Quae riguo manat fonte perennis aqua;
Sic exeſa tibi ſulcos duxere per ora
Ex oculis imbres qui tibi ſemper eunt.

& Eleg. 11.

Sunt alii fontes, uſuque invenimus illos:
Acrius ad lacrimas, quam dolor, urget amor.
Ille meis oculis humentes evocat imbres,
Perque genas, fontis more perennis, agit.

Areoſtus Cant. 23. Orlandi furentis ſt. 125.

Di ſe ſi meraviglia c' habbia in teſta
Una fontana d'acqua sì vivace.

& Cantu 28. ſt. 97.

Come che in viſo pallida e ſmarrita
Sia la donzella, e habbia i crini inconti,
E facciano i ſoſpir continua uſcita
Del petto acceſo, e gli occhi ſien duo fonti; &c.

Atque his omnibus excellentior, afflatu divino inpulſus Jeremias, Prophet. C. 9. ℣. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiae populi mei.* Quem locum expreſſit Angelus Politianus, vir ſine exemplo, iſtis quidem temporibus, in Monodia qua Laurentii Medicis mortem deplorat:

Quis dabit capiti meo
Aquam? quis oculis meis
Fontem lacrimarum dabit,
Ut nocte fleam,
Ut luce fleam?

RIVO Catullus Carm. 65. ℣. 55.

Moeſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genae.
Qualis in aërii pellucens vertice montis
Rivus muſcoſo proſilit e lapide.
Qui quum de prona praeceps eſt valle volutus,
Per medium denſi tranſit iter populi.

Ovidius L. 9. Metam. ℣. 651.

Saepe etiam Nymphae teneris Lelegeïdes ulnis
Tollere conantur: ſaepe, ut moderetur amori,
Praecipiunt; ſurdaeque adhibent ſolatia menti.
Muta jacet; viridesque ſuis terit unguibus herbas
Byblis: & humectat lacrimarum gramina rivo.

noſter Secundus Baſ. 6.

Nec lacrimas numeras, quae per faciemque ſinumque
Duxerunt rivos ſemper euntis aquae.

ingenioſiſſimus Areoſtus Cant. 18. del Furioſo, ſtanza 186.

Medoro andò piangendo il Signor caro,
Che conobbe il quartier bianco e vermiglio;
E tutto il viſo li bagnò d'amaro
Pianto, che n' hauea un rio ſotto ogni ciglio.

Hoſſchius Lacrim. S. Petri Eleg. 11.

Torrentes, rivosque aliquando curſus, & unda
Deficit: exhauſtis alveus aret aquis.
Nulla dies ſemper nimbis aequalibus humet:
Saepe fugat Boreas nubila, ſaepe Notus.
At vos perpetuis, lacrimae, mihi currite rivis:
Currite: quod fundat, vena perennis habet.

Nec ſprevit ipſe rex ille vates, Pſalm. 119. ℣. 136. Helio Eobano interprete:

Sicut aquae largos fundunt mea lumina rivos,
Dum video legis culta perire tuae.

melius certe ac fidelius, quam alii complures fecerunt; apud quos hi *rivi* exaruerunt.

quod

quod non debuisse fieri Joannes quoque Bochius perspexit, in hujus Psalmi parodia:

mihi lumina fletu
Opplentur, largoque fluunt undantia rivo,
Quod non sancta tuae serventur foedera legis.

Eleganter, & cum quodam decôre Maroniano, Franciscus Bencius, L. 1. quinque Martyrum, ℣. 197.

Haec ille: & riguis oculorum e fontibus humor
Liquitur, & multo conspergit flumine vultum.
Sicut ubi irriguo suspensos obice terrae,
Mollia per prata ut fluitent leni agmine rivi,
Aggere semoto evolvis, vel tramite flexo
Perque hortos & culta trahis; mora nulla, sequuntur,
Et circum inmittunt silvis frondentibus imbrem.

sed pergamus. FLUMINI lacrimas comparavit magnus magister L. 1. Aen. ℣. 465.

Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.

Ovidius Epist. Hermiones ℣. 62.

Flere licet certe: flendo diffundimus iram:
Perque sinum lacrimae fluminis instar eunt.

Claudianus L. 3. de Raptu Proserp. ℣. 128.

Larga vel invito prorumpunt flumina vultu.

M. Hier. Vida, perfectissimus poëta, Hymn. Jesu Christi ℣. 8.

Tunc etiam; sed jam erumpit mihi pectore fletus,
Et lacrimas oculi fluminis instar agunt.

& veteres secutus in re bene seria Petrus Bembus, vir utriusque linguae & Latinae & vernaculae facundia praeclarissimus, volum. 2. L. 3. Epist. 2. *Con queste parole caldissime lagrime mandate fuora, ed indi più e più, secondo che il perduto vigore le ritornava, i pianti e le strida rinforzando, altro già che dolersi e lamentarsi, e bagnar di lagrime ciò che v' era, quasi come se un fiume di loro nel capo havuto havesse, due dì e due notti non fece, senza mai sonno nè cibo alcuno pigliare, nè udire conforto di qual si fosse allei persona più congiunta e più cara.* Facundissimus item Areostus Cantu 23. Orlandi furentis, strophа 122.

Poi ch' allargare il freno al dolor puote,
Che resta solo, senza altrui rispetto,
Giù da gli occhi rigando per le gote
Sparge un fiume di lagrime sù 'l petto.

& Cantu 43. st. 93.

Tenendo tutta via le belle braccia
Al timido marito al collo Argia,
E di lagrime empiendogli la faccia,
Ch' un fiumicel de gli occhi le n' uscia,
S' attrista, &c.

Cum IMBRE multi contulerunt. Ovidius Epist. Ariadnae ℣. 138.

Adspice demissos lugentis in ore capillos;
Et tunicas lacrimis, sicut ab imbre, graves.

L. 1. Trist. Eleg. 3. ℣. 18.

Uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
Imbre per indignas usque cadente genas.

L. 3. Eleg 2. ℣. 19.

Nil nisi flere libet. nec nostro parcior imber
Lumine, quam verna de nive manat aqua.

L. 4. Eleg. 1. ℣. 98.

Corque vetusta meum tamquam nova vulnera sentit;
Inque sinum moestae labitur imber aquae.

Amor. L. 3. Eleg. 6. ℣. 68. de Ilia:

Dixerat. Illa oculos in humum dejecta modestos
Spargebat tepidos flebilis imbre sinus.

Seneca Thyest. ℣. 950.

Imber vultu nolente cadit:
Venit in medias voces gemitus:
Moeror lacrimas amat assuetas.
Flendi miseris dira cupido est.

& Troad. ℣. 966.

inrigat fletus genas,
Imberque victo subitus e vultu cadit.

Papinius L. 4. Theb. ℣. 591.

Moerent Argolici dejecto lumine manes.
Torvus Abas, Proetusque nocens, mitisque Phoroneus,
Truncatusque Pelops, & saevo pulvere sordens
Oenomaus largis humectant imbribus ora.

Petronius: *Intravit ipsa, una comitata virgine, sedensque super torum meum diu flevit. Ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, sed attoniti exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas. Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, &c.*

Cum NIVIBUS SOLUTIS itidem non pauci. Homerus L. 19. Odyss. ℣. 204. de Penelope, quam Ulyxes fefellerat sub persona Aethonis:

Τῆς δ' ἄρ' ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς·
Ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
Ἥντ' εὖρος κατέτηξεν ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύοι,
Τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες·
Ὡς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης,
Κλαιούσης ἑὸν ἄνδρα παρήμενον.

Huic autem jam audienti fluebant lacrimae, liquefiebat autem corpus:
Sicut autem nix liquefit in altis montibus,
Quam Eurus liquefecit, postquam Zephyrus diffudit,
Liquefacta autem hac fluvii implentur fluentes:

Sic

Quid me spernit? ait. poterat custodia vinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiva mihi est; ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum.
Et possim media quamvis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso saeva puella toro?

Vel

Sic hujus liquefiebant pulcrae genae lacrimantis,
Flentis suum virum adsidentem.

Albinovanus Consol. ad Liviam Aug. ℣. 102.

Liquitur: ut quondam Zephyris & solibus ictae
Solvuntur tenerae, vere tepente, nives.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 7. ℣. 58.

Suspensaeque diu lacrimae fluxere per ora,
Qualiter abjecta de nive manat aqua.

Epist. Laodamiae ℣. 52.

Sed timeo: quotiesque subit miserabile bellum,
More nivis lacrimae sole madentis eunt.

L. 2. Pontic. Epist. 3. ℣. 89.

Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
Gutta per attonitas ibat oborta genas.

Seneca Hippol. ℣. 381.

Lacrimae cadunt per ora, & assiduo genae
Rore irrigantur: qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussae nives.

Papinius L. 11. Theb. ℣. 193.

Ibant in lacrimas, veluti cum vere reverso
Bistoniae tepuere nives; submittitur ingens
Haemus, & angustos Rhodope descendit in amnes.

Petronius:

Haec ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Consecuitque genas, oculis nec defuit imber.
Sed qualis rapitur per valles improbus amnis,
Quum gelidae periere nives, & languidus Auster
Non patitur glaciem resoluta vivere terra;
Gurgite sic pleno facies manavit, & alto
Insonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Cum inpetu UNDARUM Areostus Cant. 44. Orlandi furentis, St. 40. de sorore Rinaldi Bradamante:

Nè negar, nè mostrarsene contenta
S' ardisce; e sol sospira, e non risponde.
Poi, quando è in luogo, ch' altri non la senta,
Versan lagrime gli occhi à guisa d' onde.

Paullo licentius exspatiati sumus, sed in gratiam liberalioris juventutis, cui volui gustum anteponere excerptorum poëticorum. Aureum est effatum Paulli Manutii, viri majoris quam capere possunt hodie inepti quidam mortales, qui in re tenui mirificos spiritus gerunt: *Nihil jucundius, atque etiam nihil utilius, quam in legendo similia conferre. quo in genere qui versantur, his fere neque deest umquam, quod scribant, & ea, quae scribunt, augere, & exornare facile possunt. Hoc vero quidquid est industriae, si quis negligit; nimirum is, quanti sit eloquentia, quamque partes in ea multae requirantur, simul negligere videtur.*

55. QUID ME SPERNIS] est in nonnullis *spernit*; verius, atque figuratius. Horatius L. 1. Od. 23. ℣. 1.

Vitat hinuleo me similis Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum, & silüae metu.

ita istic libri meliores; non *vitas*, quod intruserunt homines male religiosi, qui syllabae modulo metuebant. Verbum *spernere* enarravimus supra ad Eleg. 4. ℣. 77.

55. POTERAT CUSTODIA VINCI] sic omnes libri; nisi quod in quinto Vaticano erat *falli*. quomodo Aldus olim expressit, & Gryphii, ac Plantinus. Naso L. 3. Art. Amat. ℣. 645.

Fallitur & multo custodis cura Lyaeo.

L. 3. Amor. Eleg. ℣. 49.

Per me decepto didicit custode Corinna
Liminis adstricti sollicitare fidem.

noster supra Eleg. 2. ℣. 15.

Tu quoque ne timide custodes, Delia, falle.

tamen & *vincendi* verbo utitur L. 2. Eleg. 4. ℣. 33.

Sed precium si grande feras, custodia victa est.

Vide sis, nec pigebit, Nasonem L. 2. Amor. Eleg. 12.

63. VEL

Vel quum promittit, subito sed perfida fallit:
Est mihi nox multis evigilanda modis.

65 Dum

63. VEL QUUM PROMITTIT, SUBITO SED PERFIDA FALLIT] Ita recte Passeratius distinxit: alii post *subito* virgulam ponebant. Terentius Heaut. Act. 4 Sc. 4. verbis Bacchidis, a Syro se duci suspicantis, ℣. 4.

Aut quum venturam dixero, & constituero: quum is certe
Renuntiarit, Clitipho quum in spe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo poenas pendet.

Propertius L. 2. Eleg. 18. ℣. 43.

Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid juvat in nullo pondere verba loqui?
Hic unus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.

64. EST MIHI NOX MULTIS EVIGILANDA MODIS] non *modis*, sed *malis* habent major pars librorum. Ego tamen vulgatam rejicere non possum, quum multiplici & maxime vario aestu in diversissimas partes jactentur miseri amantes atque distrahantur. Catullus, de Ariadna Thesei amore correpta, Carm. 61. ℣. 95.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos, quaeque Idalium frondosam,
Qualibus incensam jactastis mente puellam
Fluctibus, in flavo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!

Maro L. 4. Aen. ℣. 522. *Nox erat*; &c.

At non infelix animi Phoenissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit. ingeminant curae: rursusque resurgens
Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu.

Ovidius L. 1. Amor. Eleg. 2. initio:

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?
Et vacuam somno noctem, quam longa, peregi;
Lassaque versati corporis ossa dolent.

L. 4. Trist. Eleg. 3. ℣. 21.

Ecquid, ut incubuit justo mens aegra dolori,
Lenis ab admonito pectore somnus abit?
Tunc subeunt curae, dum te lectusque locusque
Tangit, & oblitam non sinit esse mei.
Et veniunt aestus, & nox immensa videtur;
Fessaque jactati corporis ossa dolent.

Phaedra apud Senecam Hippol. ℣. 99.

Sed major alius incubat moestae dolor.
Non me quies nocturna, non altus sopor
Solvêre curis: alitur, & crescit malum,
Et ardet intus; qualis Aetnaeo vapor
Exundat antro.

luculentissime Valerius Flaccus, alacris & foecundi facundique ingenii poëta, de Medea, L. 7. ipso initio:

Ergo ubi, cunctatis extremo in limine plantis,
Contigit aegra toros, & mens incensa tenebris;
Vertere tunc varios per longa insomnia questus,
Nec pereat quo scire malo: tandemque fateri
Ausa sibi, paullum medio sic fata dolore est:
Nunc ego quo casu, vel quo sic pervigil usque
Ipsa volens errore trahor? non haec mihi certe
Nox erat ante tuos, juvenis fortissime, vultus.

& paullo post:

Tum jactata toro, nimiumque experta cubile,
Ecce videt tenui candescere limen Eoo:
Nec minus insomnem lux orta refecit amantem,
Quam cum languentes levis erigit imber aristas;
Gratave jam fessis descendunt flamina remis.

deinde ℣. 141.

Dixerat haec, stratoque graves projecerat artus,
Si veniat miserata quies; cum saevior ipse
Turbat agitque sopor: supplex hinc cernitur hospes,
Hinc pater: illa nova rumpit formidine somnos,
Erigiturque toro.

denique ipsa ad Venerem, latentem sub persona Circae, ℣. 240.

I, precor, atque istum pro me dimitte timorem;
Sed magis his miseram, quando potes, eripe curis.
Unde metus aestusque mihi, quaeque aspera, mater,
Perpetior durae jamdudum incendia mentis?
Nulla quies animo, nullus sopor, haeret amanti.
Quaere malis nostris requiem, mentemque repone:
Redde diem noctemque mihi; da prendere vestes
Somniferas, ipsaque oculos componere virga.
Tu quoque nil, mater, prodes mihi: fortior ante
Sola fui.

Hoc erat lectorem eloquentiae vi flexanima rapere in rem praesentem, atque ipsos animi affectus nativis coloribus delineare. Aliquanto simplicius, ut decebat pastorem, Idas ille Aurelii Nemesiani, Eclog. 2. ℣. 40.

Dum mihi venturam fingo, quodcumque movetur,
 Illius credo tunc sonuisse pedem.
Ah pereant artes, & mollia jura colendi!
 Horrida villosa corpora veste tegam.
Nunc, si clausa mea est, si copia nulla videndi;
 Heu miserum, in laxa quid juvat esse toga?

De-

Eheu, nulla meae tangit te cura salutis!
Pallidior buxo, violaeque simillimus erro.
Omnes ecce cibos, & nostri pocula Bacchi
Horreo: nec placido memini concedere somno.

leviculum hic mendum haesit, ni fallor. nam *nostri pocula Bacchi* nimis effertur anguste. Scripsit, puto, poëta *noti pocula Bacchi*; & voluit dicere, nullum se vini genus nosse vel reperire, quo delectetur; ac pariter omnes consuetarum dapum delicias fastidire, ut solent aegrotantes. Ita ferme Petronius:

Nolo ego semper idem capiti suffundere costum,
Nec noto stomachum conciliare mero.

65. DUM MIHI VENTURAM FINGO] Nihilo deterius noster Secundus L. 2. Eleg. 2.

Dum vacuum falsis complexibus aëra capto,
Dum mea in absentes porrigo colla manus;
Et, quemcumque movet strepitum levis aura per aedeis,
Dilectos dominae suspicor esse pedes.

Sed utrumque longe post se reliquit Lud. Areostus Cantu 7. Orlandi Furentis stroph. 24. 25. Tu vide, & expende.

67. MOLLIA JURA COLENDI] Scaliger corrigebat *mollis cura colendi*, probante Guyeto. Heinsio autem placebat *mollia rura colenti*. Ego vulgatam malo. *jura colendi* sunt, leges comendi. Nam certos quosdam modos ponendi capilli atque aptandae vestis sollicite servabant, non aliter ac jura & leges, quae migrare non licebat. Ita saepe loquuntur poëtae. Ovidius Epist. Sapphûs ℣. 73.

Ecce, jacent collo sparsi sine lege capilli;
Nec premit articulos lucida gemma meos.

& L. 3. Art. Amat. ℣. 133.

Munditiis capimur: ne sint sine lege capilli:
Admotae formam dantque negantque manus.

& Medicam. faciei ℣. 25.

Feminea vestri poliuntur lege mariti.

Seneca Hippol. ℣. 320.

Natus Alcmena posuit pharetram,
Et minax vasti spolium leonis,
Passus aptari digitis zmaragdos,
Et dari legem rudibus capillis.

ibidem, ℣. 804.

Te frons hirta decet, te brevior coma
Nulla lege jacens.

Oedip. ℣. 416.

Spargere effusos sine lege crines,
Rursus adducto revocare nodo.

Est autem *lex* idem quod *jus*. Cicero Philipp. 11. C. 12. *qua lege? quo jure? eo, quod Jupiter ipse sanxit, ut omnia, quae reipublicae salutaria essent, legitima & justa haberentur.* Plautus Epid. Act. 3. Sc. 4. ℣. 81.

Atque me minoris facio prae illo, qui omnium
Legum atque jurium fictor, conditor cluet.

Propertius L. 1. Eleg. 9. ℣. 3.

Ecce jaces, supplexque venis ad jura puellae.

& L. 4. Eleg. 8. ℣. 87.

Indixit leges. respondi, Ego legibus utar.

70. ME MISERUM, LAXAM QUID JUVAT ESSE TOGAM] laxae togae erant mollium, & delicatorum. Naso Remed. Amor. ℣. 680.

Nec compone comas, quia sis venturus ad illam:
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

Hoc in Maecenate potissimum carpebant homines severi. Auctor ejus epicedii ℣. 26.

Invide, quid tandem tunicae nocuere solutae?
Aut tibi ventosi quid nocuere sinus?

intelligit sinum togae; non vero tunicae, quod voluit nuperus interpres. Albii nostri verba ante oculos habuit Annaeus Oedip. ℣. 422.

Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque syrma.

Nicolaus Heinsius hic legebat,

Heu misero! in laxa quid juvat esse toga?

vere; nisi quod verius libri veteres tantum non omnes, *Heu miserum:* cujus voculae ultima litera praepositionem *in* absorpsit. nam *esse in toga, in Coïs, in Tyriis*, usitate dicebatur. Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 297.

Sive erit in Tyriis; Tyrios laudabis amictus:
Sive erit in Coïs; Coä decere puta.

Martialis L. 10. Epigr. 52.

Thelin viderat in toga spadonem,
Damnatam Numa dixit esse moecham.

71. DE-

Desistas lacrimare, puer. non frangitur illa:
Et tua jam fletu lumina fessa tument.
Oderunt, Pholoe, moneo, fastidia Divi:
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.

Hic

71. DESISTAS LACRIMARE] *Desistere* non est plane idem quod *desinere*: habet enim quamdam mutatae mentis ac consilii significationem. Id quod exemplis fiet manifestius. Maro L. 1. Aen. ℣. 36.

Cum Juno, aeternum servans sub pectore vulnus,
Haec secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?

Propertius L. 1. Eleg. 8. ℣. 30.

Falsa licet cupidus deponat gaudia livor.
Destitit ire novas Cynthia nostra vias.

Caesar L. 1. Bell. Gall. C. 8. *Helvetii ea spe dejecti, navibus junctis ratibusque compluribus factis alii, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnumquam interdiu, saepius noctu, si perrumpere possent, conati, operis munitione & militum concursu & telis repulsi, hoc conatu destiterunt.* L. 3. Bell. Civ. C. 112. *Haec dum apud hostes geruntur, Pothinus, nutricius pueri & procurator regni in parte Caesaris, quum ad Achillam nuntios mitteret, hortareturque ne negotio desisteret, neve animo deficeret, indicatis deprehensisque internuntiis, a Caesare est interfectus.* Cicero L. 5. ad famil. Epist. 2. *Hac accepta tam insigni injuria, tamen illo ipso die misi ad Metellum communes amicos, qui agerent cum eo ut de illa mente desisteret.* Accusat. 5. in Verrem C. 39. *Cleomenem & navarchos ad se vocari jubet: veniunt. accusat eos, quod hujusmodi de se sermones habuerint: rogat, ut id facere desistant.* L. 3. de Offic. C. 31. *Juravit, hoc coactus terrore, Pomponius. rem ad populum detulit: docuit, cur sibi caussa desistere necesse esset: Manlium missum fecit.* lib. de Clar. Orat. C. 91. *Itaque cum me & amici & medici hortarentur, ut caussas agere desisterem: quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi.* L. 3. de Offic. C. 3. *Itaque cum sunt docti a peritis, facile desistunt sententia.* Vatinius Ciceroni, L. 5. ad famil. Epist. 10. *De Dionysio tuo adhuc nihil extrico; & eo minus, quod me frigus Dalmaticum, quod illinc ejecit, etiam hic refrigeravit. Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam.* Vides usum hujus verbi, qualis fuit apud castam antiquitatem. quam contemsit ac sprevit Joannes Barclajus in Apologia pro Euphormione: *Nunc igitur est in Euphormione Protagon, Vir hoc saeculo major, & dignus fabulantium miraculis vatum. hic alius, Nihil de eo mortale praedicabat. Et solertissimus senex, multis in eum praeconiis effusis, in haec verba desistit: Nulla saecula Protagonis genium aequarunt.* Quid attinebat his Gallicismis conspurcare veteris Latii nitorem? Et tamen hunc ajebant esse illum, qui Romam Romano ore loqui doceret.

71. NON FRANGITUR ILLA] ut *flecti* dicuntur homines ingenio mitiore ac faciliore; sic *frangi*, quibus durior est natura atque inclementior. Cicero Catilin. 1. C. 9. *Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut umquam te corrigas?* &c. Philipp. 12. C. 2. *Atque hac voce Q. Fufii capti sumus: Ne si a Mutina quidem recesserit, audiamus Antonium? ne si in senatus quidem potestatem futurum se dixerit? durum videbatur. itaque fracti sumus: cessimus.* Propertius L. 2. Eleg. 21. ad Jovem pro Cynthia aegrotante, ℣. 4.

Hoc tibi vel poterit conjux ignoscere Juno.
Frangitur & Juno, si qua puella perit.

ibidem Eleg. 14. initio:

Assiduae multis odium peperere querelae.
Frangitur in tacito femina saepe viro.

Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 179.

Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus:
Frangis, si vires experiere tuas.

Seneca Thyest. ℣. 200.

novi ego ingenium viri
Indocile: flecti non potest, frangi potest.

Est tamen, ubi utrumque verbum de eadem persona effertur, non sine energia magnae adfectionis. Cicero orat. pro P. Sulla C. 6. *Quibus ego rebus ita flectebar animo atque frangebar, ut etiam ex memoria quas mihi ipsi fecerat insidias deponerem.*

73. ODERUNT, PHOLOE, MONEO, FASTIDIA DIVI] fastidiosam hanc puellam atque asperam fuisse, Horatius ostendit L. 1. Od. 33. ℣. 6. sic tamen, ut & procax fuerit, saeviente circa jecur Cupidine, ut solet illud genus muliercularum. Quae hic Marathum fa-

Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes,
Neſcius ultorem poſt caput eſſe Deum.
Saepe etiam lacrimas fertur riſiſſe dolentis,
Et cupidum ficta detinuiſſe mora.
Nunc omnes odit faſtus, nunc diſplicet illi
Quaecumque adpoſita eſt janua dura ſera.
At te poena manet, ni deſinis eſſe ſuperba.
Quam cupies votis hunc revocare diem!

faſtidit, eadem Notum adpetit apud Flaccum L. 3. Od. 15.

Non, ſi quid Pholoën ſatis,
Et te, Chlori, decet. filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulſo Thyas uti concita tympano.
Illam cogit amor Noti
Laſcivae ſimilem ludere capreae. &c.

80. QUAECUMQUE OPPOSITA EST JANUA DURA SERA] in Sfortiano Statii erat *appoſita*, itemque in noſtro tertio a manu prima. vere. vide Nic. Heinſium ad Ovid. Epiſt. Didûs ℣. 100. ad Epiſt. Deïanir. ℣. 60. ad L. 3. Amor. Eleg. *6.* ℣. 7. Eleg. 14. ℣. 10. pro *dura*, quod habent plurimi codices, legitur *firma* in pauculis quibuſdam. ſed illud figuratius; & ſolent poëtae januis ſenſum dare. diximus ſupra ad Eleg. 2. ℣. 11.

81. NISI DESINIS ESSE SUPERBA] omnes veteres miro conſenſu *ni* habent, voce decurtata, pro uſitata *niſi*. optime, & veriſſime: quamquam hoc leviculum quiddam ac nugatorium videbitur hominibus invenuſtis; qui, aurium judicium quale ſit, non magis ſciunt, quam rex ille Phrygum Midas. Tale eſt illud magni magiſtri L. *6.* Aen. ℣. 292.

Et, ni docta comes tenuis ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formae,
Inruat.

Adi ſis ad Julium Scaligerum L. *6.* Poëtic. C. 4. quo loco ſuper Paulli Cerrati poëmate diſceptat. Poenam vero manere hanc puellarum ſuperbiam, quae animum arguit crudelem, etiam alii poëtae ſtatuerunt, plus una occaſione. Feſtive ingenioſiſſimus Areoſtus Cantu 4. Orlandi Furentis, ſtroph. *63.*

Penſò Rinaldo alquanto, e poi riſpoſe:
Una donzella dunque dè morire,
Perchè laſciò sfogar ne l'amoroſe
Sue braccia al ſuo amator tanto deſire!
Sia maledetto chi tal legge poſe
E maledetto chi la può patire.
Debitamente muore una crudele,
Non chi dà vita al ſu' amator fedele.

Quae verba hunc ferme ſenſum habent:

Haec ſecum volvens animo, ſic deinde profatur:
Ergo erit, ut pereat forma praeſtante puella,
Ardentem cupidis juvenem quod foverit ulnis?
At prius & leges pereant, legumque repertor,
Et quicumque poteſt tam ſaevum ferre tyrannum.
Perdite crudeles non una morte puellas:
Quid meruere bonae, quae fati limine ab ipſo
Languentes revocant Veneris dulcedine amantes?

Atque hujus ſuae ſententiae rationes reddit, ex iniquitate legis ductas; quae lex in ſequiore ſexu puniat id, quod viris tantum non laudi datur, quum tamen amoris calcaria (ut loquitur Lucretius) non his minus ſint quam illis acri ictu extimeſcenda.

X.

QUID mihi, ſi fueras miſeros laeſurus amores,
Foedera per Divos clam violanda dabas?

Ah

1. MISEROS LAESURUS AMANTES] melius libri *laeſurus amores*. Fruterius olim, & nuper Nicolaus Heinſius, malebant *luſurus*. Sane utrumque recte dicitur, ſed ſenſu nonnihil

Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.

5 Par-

nihil diverso. Elegia proxime superiore habuimus, ℣. 75.

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes.

quod quale sit, sequentia satis declarant. Hic vero *amorem laedere* perhibetur ille, qui prior foederis mutui fidem rupit ac violavit. Pulcerrime ad rem nostram Venusinus poëta Epod. 15. initio:

Nox erat, & caelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera;
Cum tu magnorum numen laesura Deorum
In verba jurabas mea.

Naso L. 14. Metam. ℣. 380.

Nec Venere externa socialia foedera laedam,
Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem.

Idem Epist. Didûs ℣. 59.

Nec violasse fidem tentantibus aequora prodest.
Perfidiae poenas exigit ille locus.
Praecipue cum laesus Amor: quia mater Amoris
Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.

L. 2. Art. Amat. ℣. 397.

Laesa Venus justa arma movet, telumque remittit:
Et, modo quod questa est, ipse querare, facit.

Remed. Amor. ℣. 458.

Et Parin Oenone summos tenuisset ad annos,
Si non Oebalia pellice laesa foret.

L. 1. Metam. ℣. 608. de Junone:

Atque, suus conjux ubi sit, circumspicit; ut quae
Deprensi toties jam nosset furta mariti.
Quem postquam coelo non repperit; Aut ego fallor,
Aut ego laedor, ait.

Horatius L. 1. Od. 33, ad hunc nostrum poëtam:

Albi, ne doleas, plus nimio memor
Inmitis Glycerae; neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.

Venus apud Martialem L. 6. Epigr. 21.

Saepe ego lascivum Martem furibunda cecîdi,
Legitimos esset cum vagus ante toros.
Sed postquam meus est, nulla me pellice laesit.

2. JAM VIOLANDA] Ita Scaliger ex uno suo: sed obstant alii omnes, in quibus *clam violanda*; h. e. furto tacito. id quod fieri non posse, nec Deos aut caecos esse aut surdos, ostendunt sequentia.

3. AH MISER] exclamatio pathetica. Cicero Philipp. 2. C. 7. *O miser, sive illa tibi nota non sunt, nihil enim boni nosti, sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare!* & Philipp. 15. C. 17. *O miser cum re, tum hoc ipso, quod non sentis, quam miser sis.* Horatius L. 1. Od. 27. ℣. 18.

Ah miser,
Quanta laboras in Charybdi!
Digne puer meliore flamma.

Catullus Carm. 8.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.

Lucretius L. 2. ℣. 14.

O miseras hominum menteis, o pectora caeca!
Qualibus in tenebris vitae, quantisque periclis
Degitur hoc aevi, quodcumque est!

Martialis L. 7. Epigr. 64.

Lis te bis decimae numerantem frigora brumae
Conterit una tribus, Gargiliane, foris.
Ah miser, & demens! viginti litigat annis
Quisquam, cui vinci, Gargiliane, licet?

3. ETSI QUIS PRIMO PERJURIA CELAT, &c] citavit hos binos versiculos Lutatius Papinii interpres ad haec verba L. 5. Theb. ℣. 689.

Sed videt hoc, videt ille Deûm regnator, & ausis
Sera quidem, manet ira tamen.

Indigne hanc moram ferunt quidam, etiam alias sapientes. Cicero orat. pro Coelio C. 24. *proh Dii immortales! cur interdum in hominum sceleribus maximis aut connivetis, aut praesentis fraudis poenas in diem reservatis?* Prudentius Caesar respondit Diviconi, ceterisque Helvetiorum legatis, L. 1. Bell. Gall. C. 14. *Quod sua victoria tam insolenter gloriarentur, quodque tam diu se impune tulisse injurias admirarentur, eodem pertinere. Consuesse enim Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.* Pulcre noster Albius, tacitis pedibus Poenam venire, dixit. quod autem sera veniat, inde est, quia claudicare dicebatur; sed continuato cursu serius ocius nocentes tamen adsequi. Horatius L. 3. Od. 2. ℣. 31.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

inibi recte Porphyrio: *Hoc proximum est illi,*

quod

Parcite, Caeleſtes: aequum eſt impune licere,
Numina formoſis laedere veſtra ſemel.
Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terrae ruſticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.

Mu-

quod dicitur, *Deos iratos pedes laneos habere*; *quia nonnumquam tarde veniunt nocentibus.* Hi lanei pedes nullo ſtrepitu moti, merito *taciti* dicuntur. Aliter, ſed inepte, ſi verum amamus, hoc adagium expoſuit Macrobius L. 1. Saturn. C. 8. Tibullum noſtrum in Orlando ſuo Furente ſaepe expreſſit Ludovicus Areoſtus. Hunc autem locum ita ibi converſum videbis, initio Cantus ſexti:

Miſer chi mal' oprando ſi confida,
Ch' ogn' hor ſtar debbia il maleficio occulto;
Che quando ogn' altra taccia, intorno grida
L' aria, e la terra ſteſſa, in ch' è ſepulto.
E Dio fa ſpeſſo, ch' el peccato guida
Il peccator, poi ch' alcun dì gli ha indulto;
E ſe medeſmo, ſenſa altrui richieſta,
Inauuedutamente manifeſta.

6. NUMINA FORMOSIS LAEDERE VESTRA SEMEL] Etiam hic *ludere* reponunt. ſed reclamat ipſe Albius Eleg. 3. ℣. 79.

Et Danai proles, Veneris quae numina laeſit,
In cava Letheas dolia portat aquas.

Naſo Epiſt. Phyllidis ℣. 43.

Si de tot laeſis ſua numina quisque Deorum
Vindicet; in poenas non ſatis unus eris.

& L. 3. Amor. Eleg. 3. ℣. 31.

Formoſas Superi metuunt offendere laeſi:
Atque ultro, quae ſe non timuere, timent.

Valerius Cato Dir. ℣. 154.

Laedere, Coelicolae, potuit vos noſtra quid aetas,
Conditio nobis vitae quo durior eſſet?

Cicero L. 5. ad famil. Epiſt. 2. *Scribis ad me, te exiſtimaſſe, pro mutuo inter nos animo & pro reconciliata gratia, numquam te a me ludibrio laeſum iri.*

8. ET DURUM TERRAE RUSTICUS URGET OPUS] proprie *opus* dicitur de agricultura, ac labore ruſtico. noſter L. 2. Eleg. 1. ℣. 6.

Luce ſacra requieſcat humus, requieſcat arator;
Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.

ibidem Eleg. 7. ℣. 8.

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum.
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Terentius Heautont. Act. 1. Sc. 1. ℣. 90.

Ancillas, ſervos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumtum exercerent ſuum,
Omnis produxi ac vendidi.

Cicero lib. de Senect. C. 7. *Poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos vicinos, & familiares meos, quibus abſentibus numquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non ſerendis, non percipiendis, non condendis fructibus.* Maro L. 3. Geor. ℣. 518.

it triſtis arator,
Moerentem abjungens fraterna morte juvencum:
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.

Ovidius L. 1. Pontic. Epiſt. 4. ℣. 12.

Cernis ut in duris (& quid bove firmius) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.

Atque ita ſolenniter optimi quique ſcriptores. Hinc idem ille Pelignus olor arva vocat *operoſa*, propterea quod in iis opus fiat, L. 1. Art. Amat. ℣. 399.

Tempora qui ſolis operoſa colentibus arva,
Fallitur, & nautis adſpicienda putat.

Sic & C. Calvus in Poëmatis rus dixit *laborioſum*, in quo laboratur, apud Gellium L. 9. C. 12.

Durum rus fugis & laborioſum.

9. LUCRA PETITURAS] putarunt olim viri docti, antepenultimam in voce *petituras* perperam extendi. ita enim Muretus hic notavit: *Si nihil vitii ſubeſt, ſecundam ſyllabam produxit, praeter conſuetudinem.* Et Helius Eobanus L. 2. Silv. ſic ſcripſit, in Elegia ad Georgium Sturtiadem:

Quo bello Europam varioque ardere tumultu,
Praecipue loca quae tu petiturus eras.

At *petiturus* formatur a *petitum*. Vides quanti viri haeſerint in re quantilla. Quocirca aequum eſt ignoſci poëtaſtris quibusdam parvulis, ſi nonnumquam formula excidunt.

9. FRETA PER PARENTIA VENTIS] eleganter mare dicitur ventis parêre. Corruperunt hoc verbum in Lucano, qui non intelligebant, L. 5. ℣. 602.

Pri-

Muneribus meus eſt captus puer. at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi perſolvet poenas, pulvisque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.

Ure-

Primus ab Oceano caput exſeris Atlanteo,
Core, movens aeſtus: jam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat undas.
Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, aequor.

ita legi ajunt in libris ſcriptis. Credo. ſed alii item ſcripti habebant, *vento cui pareat aequor.* quod quanto ſit pulcrius ac figuratius, nemo non videt. Vidit certe Bernardus Taſſus, magni Torquati pater, qui ſic vertit Cant. 17. del Floridante, ſt. 33.

Così nave, qual hora Auſtro e Ponente
A quella parte la ſoſpinge, ed a queſta,
Mai non s'acqueta, fin ch' al vincitore
Vento non ubidiſce il ſalſo humore.

Sic ante Lucanum Naſo eſt locutus, L. 8. Metam. ℣. 472.

utque carina,
Quam ventus, ventoque rapit contrarius aeſtus,
Vim geminam ſentit, paretque incerta duobus.

Idem ille Naſo L. 2. Amor. Eleg. 16. ℣. 35.

Et vocet in rivos parentem ruſticus undam,
Frigidaque arboreas mulceat aura comas.

Maro initio Aeneidos, quod initium L. Varius & Plotius Tucca ſuſtulerunt:

egreſſus ſilvis vicina coegi
Ut quamvis avido parerent arva colono.

Id quod cupide adripuit Feſtus Avienus Deſcript. orbis terrae ℣. 14.

Qua colitur populis, qua tellus paret aratro.

Hinc *arvis imperare* dicitur diligens agricola L. 1. Geor. ℣. 99.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

10. SIDERA CERTA] ad quorum ductum curſus dirigatur. Horatius L. 2. Od. 16. initio:

Otium Divos rogat in patenti
Prenſus Aegaeo, ſimul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis.

Helicen intelligit, & Cynoſuram. Quibus ſtellis praefert Herûs ſuae facem nataturus Leander, apud Naſonem Epiſt. 18. ℣. 149.

Nec ſequar aut Helicen, aut, qua Tyros utitur, Arcton:
Publica non curat ſidera noſter amor.

ſed ſufficiat indicaſſe. blanditiae ſunt ingenioſae, & multa urbanitate condîtae.

13. JAM MIHI PERSOLVES POENAM] libri ferme omnes *perſo vet* habent: id quod ego verum arbitror. eſt enim iſta perſonae commutatio valde conveniens ſermoni hominis irati, & cum eo, a quo ſe laeſum dolet, expoſtulantis. Sic Hippolytus in cognomine Tragoedia ℣. 705.

Procul impudicos corpore a caſto amove
Tactus. quid hoc eſt? etiam in amplexus ruit?

Validae ſignificationis verbum eſt *perſolvere*: notat enim, ita ſolvere, ut reliquum maneat nihil. Cicero orat. pro P. Sulla. C. 31. *Perſolvi patriae quod debui: reliqua jam a me meae perpetuae conſuetudini naturaeque debentur.* D. Brutus Ciceroni L. 11. ad famil. Epiſt. 11. *Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſolvere difficile eſt.* Priamus apud Maronem L. 2. Aen. ℣. 535.

At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Di, ſi qua eſt caelo pietas, quae talia curet,
Perſolvant grates dignas, & praemia reddant
Debita.

Entellus ibid. L. 5. ℣. 484.

Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo: hic victor caeſtus artemque repono.

L. 9. ℣. 423. ubi caedes Euryali ac Niſi:

Saevit atrox Volſcens, nec teli conſpicit uſquam
Auctorem, nec quo ſe ardens inmittere poſſit.
Tu tamen interea calido mihi ſanguine poenas
Perſolves amborum, inquit: ſimul enſe recluſo
Ibat in Euryalum.

noſter ſupra Eleg. 5. ℣. 17.

Omnia perſolvi. fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix utitur ille meis.

13. PULVISQUE DECOREM DETRAHET, &c.] Audire mihi videor ſenem illum comicum Terentii, Adelph. Act. 5. Sc. 3. ℣. 54.

D. Ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. M. *imo de nocte cenſeo.*
Hodie modo hilarum fac te. D. *& iſtam pſaltriam*

Una

Uretur facies, urentur sole capilli:
Deteret invalidos & via longa pedes.
Admonui quoties, Auro ne pollue formam.
Saepe solent auro multa subesse mala.
Divitiis captus si quis violavit Amorem;
Asperaque est illi, difficilisque Venus.
Ure meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.

Nec

Una illuc mecum hinc abstraham. M. *pugnaveris.*
Eo pacto prorsum illic alligaris filium.
Modo facito ut illam serves. D. *ego istuc videro.*
Atque ibi favillae plena, fumi, ac pollinis,
Coquendo sit saxo, & molendo: praeter haec
Meridie ipso faciam ut stipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est. M. *placet.*
Nunc mihi videre sapere. atque equidem filium
Tum, etiam si nolit, cogas, ut cum illa una cubet.

21. URE MEUM POTIUS FLAMMA CAPUT, ET PETE FERRO CORPUS] extremorum cruciatuum instrumenta describit; qualibus fere in servos, aut sontes ac noxios, animadvertebatur. Propertius L. 1. Eleg. 1. ℣. 27.
Fortiter & ferrum, saevos patiemur & ignes:
Sit modo libertas, quae volet ira, loqui.
L. 4. Eleg. 7. ℣. 43.
Lygdamus uratur. candescat lamina vernae.
Horatius L. 1. Epist. 15. ℣. 36.
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos.
Cicero Accus. 5. in Verr. C. 63. *Huccine tandem omnia reciderunt, ut civis Romanus in provincia populi Romani, in oppido foederatorum, ab eo, qui beneficio populi Romani fasces & secures haberet, deligatus in foro virgis caederetur? Quid, cum ignes ardentesque laminae, ceterique cruciatus admovebantur?* Male Lambinus *candentesque laminae*, quod habebant vulgatae, contra libros scriptos propugnabat. Tullium expressit Juvenalis Sat. 14. ℣. 22.
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.
Ab ultima antiquitate acerbissimi supplicii originem repetit Naso L. 3. Metam. ℣. 692.
Praebuimus longis Pentheus ambagibus aures,
Inquit: ut ira mora vires absumere posset.
Praecipitem, famuli, rapite hunc: cruciataque diris
Corpora tormentis Stygiae demittite nocti.
Protinus abstractus solidis Tyrrhenus Acoetes
Clauditur in tectis: & dum crudelia jussae
Instrumenta necis ferrumque ignisque parantur;
Sponte sua patuisse fores, lapsasque lacertis
Sponte sua fama est, nullo solvente, catenas.
Sic & Oedipus in tragoedia cognomine, ℣. 862.
Huc aliquis ignem. flamma jam excutiet fidem.
Per tam cruentas vera quaerenti vias
Ignosce, quaeso, si ferus videor tibi
Et impotens. parata vindicta in manu est.
Dic vera.
Cicero Topic. C. 20. *Facit etiam necessitas fidem, quae cum a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quae dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.*

22. INTORTO VERBERE TERGA SECA] *verbera* sunt flagella, quibus servi caedebantur: sunt & lora, & virgae. Justinus L. 2. C. 5. *Verbera in aciem, non tela adferenda; omissoque ferro, virgas ac flagella, ceteraque servilis metus paranda instrumenta.* Sed & in homines liberos tam dira inmanitate saeviebatur, ubi tormentorum res erat. Egregie in negotio detestabili Curtius L. 6. C. 11. de Philota: *Per ultimos deinde cruciatus, utpote damnatus, & inimicis in gratiam regis torquentibus, laceratur. Ac primo quamquam hinc ignis, illinc verbera, jam non ad quaestionem, sed ad poenam ingerebantur; non vocem modo, sed etiam gemitus habuit in potestate: sed postquam intumescens corpus ulceribus, flagellorum ictus nudis ossibus incussos ferre non poterat; Si tormentis adhibituri modum essent, dicturum se, quae scire expeterent, pollicetur.* Proprie ac vere *secare* dixit noster. ita & Horatius Epod. 4. ℣. 11.

Sectus

Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.
Ipse Deus tacito permisit vela ministro,
Ederet ut multo libera verba mero.

Ipse

Sectus flagellis hic triumviralibus
Praeconis ad fastidium.

Erat in uno Anglicano, *intorto verbere membra seca*: quod non probo. Prudentius περὶ στεφανῶν Hymno 16. ℣. 698. de pusione parvulo, Christum professo:

Mox & remota veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent;
Plus unde lactis, quam cruoris, defluat.

23. NEC TIBI CELANDI SPES SIT PECCARE PARANTI] Quam nihil recti possit colligi ex scriptura depravata, insigni exemplo fuit hic unus versiculus. Nam quum libri veteres fere habeant, *Nec tibi celanti fas sit*; dici vix potest quam variis modis haec verba torserint homines eruditi, ut sensum aliquem elicerent, quem puto nec ipsi intelligebant. Veram autem lectionem ex illis suis excerptis reposuit Scaliger. Sed fidem Scaligeri elevare ausus est Janus Gebhardus, nec sine contumelia verborum; ut est hoc magistrorum genus protervum atque injuriosum. Igitur Gebhardo credemus, Scaligerum ea confinxisse quae nusquam exstiterint? & lectoris credulitate abusum sua ipsius somnia pro sensu Albiano venditasse? Dii meliora. Adnotavit manu sua hanc veteris libri scripturam ipse Scaliger in Adversariis; quae Adversaria hodie sunt penes Virum Clarissimum Tiberium Hemsterhusium, unde nos evolvenda habuimus. Reperit & Nicolaus Heinsius in codicibus Tibulli Scaligeranis enotatam. Quocirca Gebhardum melius fuerat abstinere tam turpi suspicione. Quid tamen fuit, cur *spes* ista tantopere offenderit hunc fastidiosum? Certe ipse Cicero sic loquitur L. 3. de Offic. C. 8. *Atque etiam ex omni deliberatione celandi & occultandi spes opinioque removenda est. satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.*

24. EST DEUS, OCCULTOS QUI VETAT ESSE DOLOS] Vera ac sapiens sententia; sed loco meliore, & mente puriore digna. Vides tamen illos ipsos extra legem viventes non potuisse a semet inpetrare, quin ita statuerent, Deum omnium humanarum actionum, imo & cogitationum, arbitrum esse atque inspectorem. Plautus Capt. Act. 2. Sc. 2. ℣. 63.

Est profecto Deus, qui, quae nos gerimus, auditque & videt.
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illic curaverit.
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.

Catullus Carm. 27.

Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent.
Si tu oblitus es; at Dii meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut poeniteat postmodo facti faciet tui.

Sallustius Epist. 2. ad Caesarem: *Mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam divino numine invisi: neque bonum, neque malum facinus cujusquam pro nihilo haberi: sed ex natura diversa praemia bonos malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem praebet.* Cicero orat. pro rege Dejotaro C. 6. *Si palam te interemisset, omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma convertisset. si veneno; Jovis illius quidem Hospitalis numen numquam celare potuisset, homines fortasse celavisset.* Praeclare vir summus, & suae tempestatis ingeniorum omnium princeps, Boetius, ipso fine Consolationis Philosophiae: *Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis judicis cuncta cernentis.*

25. IPSE DEUS TACITO PERMISIT VELA MINISTRO] ita Scaliger constituit locum corruptissimum, quum in suo codice invenisset *permisit leva ministro.* laudo correctionem: non tamen ut *permittere vela* putem idem esse, quod permittere libidini ac voluptati. Nec diversas aliorum opiniones vellicabo. Ego *tacitum Dei ministrum* capio de doloso vini liquore, cujus liquoris vapore, tamquam velo quodam, aciem mentis obnubit subrepens sensim ebrietas. Et ad tale velum respexisse

Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Jussit, & invitos facta tegenda loqui.
Haec ego dicebam: nunc me flevisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si precium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.

Illis

spexisse puto Horatium L. 1. Sat. 4. ℣. 89.

Condita cum verax aperit praecordia Liber.

& L. 3. Od. 21. ℣. 13.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo.

Nimirum rejecto velo, quo contectus subierat, Bacchus aperit & sub divum rapit abstrusa mentis sobriae consilia, saepe & facinora in occulto delitescentia. Quocirca merito *inverecundum* vocat idem ille sapientiae non minus quam poëticae artis praeclarus doctor, Epod. 11. ℣. 19.

Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero
Arcana promorat loco:

Unde hoc? quia Bacchum semper subsequuntur comites,

caecus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

Vide sis Athenaeum L. 2. Deipnos. C. 2.

27. SOMNO DOMITOS EMITTERE VOCEM] Nihil falsi profatur; & saepe ista accidunt, sive ab agitatione animi inquieti, & diurnis occupationibus involuti, sive ab efficace vi malae conscientiae. Lucretius L. 4. ℣. 1014.

Multi de magnis per somnum rebu' loquuntur,
Indicioque sui facti persaepe fuere.

& L. 5. ℣. 1158.

Etsi fallit enim Divûm genus humanumque,
Perpetuo tamen id fore clam diffidere debet.
Quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur,
Et celata diu in medium peccata dedisse.

Cicero Topic. C. 20. *Cujus generis etiam illa sunt, ex quibus nonnumquam verum invenitur, pueritia, somnus, imprudentia, vinolentia, insania. Nam & pueri saepe indicaverunt aliquid, ad quod pertineret, ignari: & per somnum, vinum, insaniam, multa saepe patefacta sunt.* Recte noster Baudius L. 4. Iambicor.

Nempe omnis ordo exercet histrioniam,
Venalium grex, rex, sacerdos, plebs, eques:
Sed furta, fraudes, ac scelus mortalium
Cogente vero lingua aberrans indicat,
Muti eloquuntur, inscientes edocent.

31. DIVITIS AURI PONDERE] Pulcrum epitheton: quod repetitur Elegiae proxime insequentis versu 7. *Divitis hoc vitium est auri.* & L. 3. Eleg. 3. ℣. 11.

Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?

Pariter Dracontius Hexaëmer. ℣. 201.

Munera praeterea funduntur divitis auri.

Petrus Lotichius, antiquis suppar poëta, L. 2. Eleg. 11.

Post obitus, miseri cum lux brevis occidit aevi,
Pondera nil auri divitis ampla juvant.

Praeclare Rochus Honerdius, vir amplissimus, Thamarae Act. 1. Sc. 2.

muricis sacri nitor,
Gemmae, rubentis munus augustum sali,
Suffulta cedro tecta, cedrus divite
Auro revincta fluctuantem pectoris
Non sistit aestum.

33. NON TIBI SI PRECIUM] *precium* hic est merces stupri. vide infra ℣. 52. Ovidius L. 3. Amor. Eleg. 8. ℣. 30.

Jupiter admonitus nihil esse potentius auro,
Corruptae precium virginis ipse fuit.

Horatius L. 3. Od. 16. initio:

Inclusam Danaën turris aënea,
Robustaeque fores, & vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Jupiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Converso in precium Deo:

&

Illis eriperes verbis mihi, sidera caelo
Lucere, & puras fluminis ire vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus,
Tergebam humentes credulus usque genas.

Quid

& L. 1. Sat. 2. ℣. 104. ubi de periculis eorum, qui peccant in stolatis:

an tibi mavis
Insidias fieri; preciumque avellier; ante
Quam mercem ostendi?

Propertius L. 3. Eleg. 9. ℣. 29.

Quid? modo quae nostris opprobria vexerat armis
Et famulos inter femina trita suos,
Conjugii obscaeni precium Romana poposcit
Moenia, & addictos in sua regna patres.

ibidem Eleg. 11. ℣. 14.

Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi:
Aut si qua est, precio tollitur ista mora.

Noster L. 2. Eleg. 4. ℣. 14.

Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
Illa cava precium flagitat usque manu.

Naso Amor. L. 1. Eleg. 10. ℣. 17.

Quid puerum Veneris precio prostare jubetis?
Quo precium condat, non habet ille sinum.

& L. 3. Art. Amat. ℣. 551.

A doctis precium scelus est sperare poëtis.
Me miserum! scelus hoc nulla puella timet.

Terentius Heaut. Act. 2. Sc. 2. ℣. 5.

Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exangeant:
Occasio, locus, aetas, mater, cujus sub imperio est, mala,
Cui nihil jam praeter precium dulce est.

Hinc & meretrices & meretricum noctes *preciosae* dicebantur. Propertius L. 3. Eleg. 11. initio:

Quaeritis, unde avidis nox sit preciosa puellis,
Et Venere exhaustae damna querantur opes.

L. 4. Eleg. 5. ℣. 43.

Nec te Medeae delectent probra sequacis:
Nempe tulit fastus ausa rogare prior.
Sed potius mundi Thaïs preciosa Menandri,
Quum ferit astutos comica moecha Getas.

De terrae Campaniae deque agri Falerni laudibus multi multa. Eleganter Florus *Liberi Cererisque certamen* vocat L. 1. C. 16. Vide sis Phil. Cluverium L. 4. Ital. Ant. C. 1.

35. SIDERA CAELI LUCERE] sequamur Statium, *coelo* legentem ex libro Vaticano. Horatius Epod. 15.

Nox erat, & caelo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera.

Maro L. 1. Geor. ipso initio:

Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

Seneca Herc. fur. ℣. 125.

Jam rara micant sidera prono
Languida mundo.

36. PURAS FLUMINIS ESSE VIAS] idem ille Statii codex *ire* habebat pro *esse*. quod amplector. Sane τὸ *esse* quin sit corruptum ex *isse*, dubitari nequit. *Ire* autem proprie de aquis dici vel hinc adparet, quod *pedes* iis dederint poëtae. Lucretius L. 5. ℣. 273.

inde super terras fluit agmine dulci,
Qua via secta semel liquido pede detulit undas.

Horatius Epod. 16. ℣. 48.

Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.

Vide istic Lambini notam. Sed tu de verbo *eundi* quaerebas. Recte: dabitur. Lucretius, purissimi oris poëta, ita loquitur L. 6. ℣. 530.

Et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
Et mora quae fluvios passim refrenat eunteis.

Pomponius Mela L. 2. C. 4. de Pado atque Istro: *Inde tam citus prosilit, ut discussis fluctibus diu qualem emisit undam agat, suumque etiam in mari alveum servet, donec eum ex adverso litore Istriae eodem impetu profluens Ister amnis excipiat. Hac re per ea loca navigantibus, qua utrimque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium haustus est.* Minucius Felix: *Adspice Oceanum; refluit reciprocis aestibus. vide fontes; manant venis perennibus. fluvios intuere; eunt semper exercitis lapsibus.* Dracontius Hexaëmer. ℣. 235.

miratur amoenis
Sic florere locum, sic puros fontibus amnes
Quatuor, undifluo stringentes gurgite ripas,
Ire per arboreos saltus, camposque virentes.

Utramque tralationem pulcre conjunxit vir nostra admiratione major Angelus Politianus, Nutric. ℣. 286.

nec fabula mendax,
Parrhasio lapides movisse Amphiona plectro;
Orpheos atque lyram curva de valle secutas
In caput isse retro liquido pede fluminis undas.

Quid faceres, nisi & ipse fores in amore puellae?
Sit precor exemplo sit levis illa tuo.
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli.
Saepe insperanti venit tibi munere nostro,
Et latuit clausas post adoperta fores.

Tum

40. SIT PRECOR EXEMPLO SED LEVIS ILLA TUO] Gebhardus praeferebat lectionem Comeliniani codicis,

Sic precor exemplo sit levis illa tuo.

proxime verum. quod vidit noster Canterus, nimirum ut bis ponatur verbum substantivum, hoc modo:

Sit precor exemplo sit levis illa tuo.

Sed & hanc laureolam sibi vindicavit Guyetus. Adeone tutum esse nihil hominibus Belgis! Ad Albii nostri mentem accedit Naso L. 3. Metam. ℣. 402. de Narcisso:

Sic hanc, sic alias undis aut montibus ortas
Luserat hic Nymphas; sic coetus ante viriles.
Inde manus aliquis despectus ad aethera tollens,
Sic, amet iste licet, sic non potiatur amato,
Dixerat: adsensit precibus Rhamnusia justis.

41. VERBIS NE QUISQUAM CONSCIUS ESSET] Achilles legendum putabat, non *verbis*, sed *vobis*; probante Guyeto. sibi habeant. Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 489.

Neve aliquis verbis odiosas offerat aures.

Achillis commentum Douza noster jam olim rejecit Praecid. C. 4. sed de Guyeto nihil potuit praescire.

42. IPSE COMES MULTA LUMINA NOCTE TULI] officiosum vero daduchum, nec severissimi supercilii. Cicero orat. in L. Pison. C. 9. *Quod mihi igitur certamen esset hujusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari; an cum altero, barbaro Epicureo, cum altero, Catilinae lanternario?* & Catilin. 1. C. 6. *Quae nota domesticae non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae? quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? Cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem praetulisti?* Proprie loquitur consul. nam quod *facem* Petrus Ramus exponit de sumtu in praebendis scortis, in eo nimis perverse Sallustium ad partes vocat. Frugalius ille Plauti Phaedromus, qui sibi ipse lucebat cereum, ad amicum scortillum contendens, Curcul. Act. 1. Sc. 1. Alia erat ratio servorum, quos dominis praesto esse conveniebat, saepe cum magno suo malo. Valerius Maximus L. 6. C. 8. *M. Antonius, avorum nostrorum temporibus clarissimus orator, incesti reus agebatur. Cujus in judicio accusatores servum in quaestionem perseverantissime postulabant, quod ab eo, cum ad stuprum iret, laternam praelatam contenderent.* Tu lege sequentia, dignissima quae legantur propter egregiam fidem in vili homuncione. Delicatissimum est Valerii Aeditui epigramma apud Gellium L. 19. C. 9.

Quid faculam praefers, Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus: haec lucet pectore flamma satis.
Istam nam potis est vis saeva exstinguere venti:
Aut imber coelo candidus praecipitans.
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nulla'st quae possit vis alia opprimere.

43. SAEPE INSPERANTI VENIT TIBI MUNERE NOSTRO] illa demum solida est jucunditas, de cujus fructu nihil ante praecerpsit credulae spei inpatientia, quaeque praeter opinionem tale nihil cogitantibus evenit. Catullus Carm. 103.

Si quidquam cupidoque, optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior?

Cicero orat. pro Marcello C. 7. *Sed quisnam est iste tam demens? de tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti?* Sed ut nihil est perfectum in rebus mortalium, ita hujus quoque inexspectatae laetitiae tanta efficacia nonnumquam fuit, ut exitium gaudentibus adferret, interclusa anima, nec repentini motus vim atque magnitudinem sustinente. Vide Gellium

Tum miſer interii ſtulte confiſus amari.
Non poteram ad laqueos cautior eſſe tuos?
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nunc noſtri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Sit procul a nobis, formam cui vendere cura eſt,
Et precium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es auſus,
Rideat aſſiduis uxor inulta dolis.
Et quum furtivo juvenem laſſaverit uſu,
Tecum interpoſita languida veſte cubet.

Sem-

lium L. 3. C. 15. eſt & memorabile ejus rei exemplum apud Balthaſ. Caſtilionem L. 3. del Cortegiano. *Venire* eſt verbum amoris, Propertio noſtro in primis familiare.

44. Sed latuit] Melius, opinor, libri Statiani *Et latuit.* quod & quatuor Heinſiani agnoſcunt, & veteres codices Antonio Perrejo conlati. Atque huc ibant excerpta Pocchi, in quibus *Eſt latuit*, aberratione ſcribae librarii. Latuit autem puella, tamquam quae nollet reperiri, quum tamen id vel maxime concupiſceret. Horatius L. 1. Od. 9. ℣. 21.

Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellae riſus ab angulo,
Pignusve dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

46. Non poteram ad laqueos cautior esse tuos] Haec debent legi cum interrogatione, quae rei indignitatem deteſtetur, ac ſimul animi commoti indignationem profiteatur. In multis libris eſt, *Nam poteram*; minus convenienter. *Laqueos* vocat inſidias & fraudes amatorias. Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 591.

Dum cadit in laqueos captus quoque nuper amator,
Solum ſe thalamos ſperet habere tuos.
Poſtmodo rivalem, partitaque foedera lecti
Sentiat. has artes tolle; ſeneſcet amor.

49. Illa velim rapida &c.] flammis aut aquis deleri, fatum erat carminum infeliciter natorum; certe votum hominum politiorum. Vide ſis quae hic Paſſeratius notavit. Argutiam hinc quaeſivit Martialis L. 5. Epigr. 54.

Colchida quid ſcribis? quid ſcribis, amice, Thyeſten?
Quid tibi vel Niobe, Baſſe, vel Andromache?
Materia eſt, mihi crede, tuis aptiſſima chartis
Deucalion: vel, ſi non placet hic, Phaëthon.

Et Jacobus Sannazarius L. 1. Epigr. 72. cujus lemma eſt, *in malum librum.*

Si ſapis, hoſpes, abi; miſerum neu tange libellum.
Non hic Maeonidem, Virgiliumve leges.
Sed foedas Bavii chartas, & olentia Maevi
Carmina, Romani dedecus eloquii.
Quid dubitas ſacros incendia poſcere lucos,
Abnuerit liquidas ſi dare Phoebus aquas?

55. Furtivo juvenem lassaverit usu] Naſo Amor. L. 3. Eleg. 11. ℣. 13.

Vidi, cum foribus laſſus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque latus.

Plura notavit Hiſpanus interpres ad iſta Petronii: *rurſusque in ſomnum decidi gaudio laſſus.* Priap. Carm. 47.

Quicumque veſtrûm, qui venitis ad coenam,
Libare nullos ſuſtinet mihi verſus;
Illius uxor, aut amica, rivalem
Laſciviendo languidum precor reddat.

Sed nos Secundum noſtrum audiamus, pulcre haec Albiana in rem ſuam trahentem, Juliae Eleg. 7.

Jamque diem video properantem, cum tuus illi
Et gravis adſpectus, & grave nomen erit.
Julia, tum lentas producens frigida noctes,
Optabis noſtras in tua colla manus.
Julia, non veniam: veniet, querulumque ſubibit
Ille, peregrino laſſus amore, torum.
Et tecum, mea lux, meliori digna cubili,
Vallatus denſa veſte jacebit iners.

Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciva soror dicatur plura bibisse
Pocula, nec plures emeruisse viros.

Illam

57. SINT EXTERNA TUO SEMPER VESTIGIA LECTO] Ovidius Amor. L. I. Eleg. 8. ℣. 97.

Ille viri toto videat vestigia lecto;
Factaque lascivis livida colla notis.

Pluribus haec *vestigia* inlustrabamus ad Propert. L. 2. Eleg. 7. ℣. 95. Sed hunc ordinem verborum aliter conlocant scripti libri magno numero, tum & priscae editiones, hoc modo:

Semper sint externa tuo vestigia lecto.

Mutarunt, opinor, qui pentemimerin desiderari putabant, homines inepti. Vir doctus *hesterna* malebat prae vulgato *externa.* quod non possum probare. Livius L. I. C. 58. *Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo.* Ovidius Epist. Oenon. ℣. 102.

Ut minor Atrides temerati foedera lecti
Clamat, & externo laesus amore dolet.

& L. 14. Metam. ℣. 380. de Pico, quem tentabat Circe:

Ille ferox ipsamque precesque repellit:
Et, Quaecumque es, ait, non sum tuus: altera captum
Me tenet; & teneat per longum comprecor aevum.
Nec Venere externa socialia foedera laedam,
Dum mihi Janigenam servabunt fata Canentem.

Cicero L. 2. de Nat. Deor. C. 63. *Canum vero tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio, tantumque odium in externos,* &c.

58. PATEAT CUPIDIS SEMPER APERTA DOMUS] Est in voce *cupidus* significatio quaedam peculiaris ad rem amorum. Terentius Phorm. Act. I. Sc. 3. ℣. 6.

Quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset:
Neu me cupidum eo inpulisset, quod mihi principium 'st mali!

Plautus Cas. Act. 2. Sc. 3. ℣. 49.

Cl. *Tu ecastor tibi, homo, malam rem quaeris.*
ST. *Subolet, sentio.*
Egone? Cl. *tu. nam quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis?*

Cicero orat. pro Cluent. C. 5. *Ea igitur mater Aviti, Melini illius adolescentis generi sui, contra quam fas erat, amore capta, primo, neque id ipsum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filii dolor, non filiae moeror a cupiditate revocaret.* Vide ibidem C. 6. tum Dial. de Senect. C. 14. *Bene Sophocles, cum ex eo quidam jam affecto aetate quaereret, utereturne rebus venereis: Dii meliora, inquit. libenter vero istinc, tamquam a domino agresti ac furioso, profugi. Cupidis enim rerum talium odiosum & molestum est fortasse carere. satiatis vero & expletis jucundius est carere.* Ariadna apud dulcissimum Catullum Carm. 61. ℣. 143.

Jam jam nulla viro juranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fidelis:
Qui, dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed, simul ac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Noster L. 2. Eleg. 5. ad Iliam de Marte, ℣. 56.

Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.

Propertius L. 2. Eleg. 18. ℣. 37.

Altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.

Naso Epist. Oenon. ℣. 129.

Illam de patria Theseus, (nisi nomine fallor)
Nescio quis Theseus, abstulit ante sua.
A juvene, & cupido, credatur reddita virgo.

Martialis L. 7. Epigr. 74. ad Mercurium:

Sic tibi lascivi non desit copia furti,
Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales.

Auctor Ciris, elegans ille & politus, quicumque tandem exstiterit, ℣. 77.

forma quum vinceret omnes,
Et cupidos quaestu passim spoliaret amantes.

60. VEL PLURES EMERUISSE VIROS] Statius ac Gebhardus ex suis libris emendabant, *quam plures emeruisse viros.* hoc sensu; Bibacissimae sorori inprecor pares poculi ac concubitus vices. Non capio. Mihi videtur optare Tibullus, ut hujus sui pullipremonis uxor

ne

Illam saepe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illa nulla queat melius consumere noctem,
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit; nec tu stultissime sentis,
Quum tibi non solita corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te disponere crines,
Et tenues denso pectere dente comas?

Ista

ne sit minus bibosa, neve minus virosa, (noli ridere: Nigidii & Lucilii atque Afranii verba sunt) quam esset sua sibi soror. Cujus sororis disciplinam uxor jam perdidicerit, tamquam in schola Elephantidis, vel Astyanassae. Certe τὸ *quam*, quocumque modo verses, a versiculis sequentibus alienum est. In uno Scaligeri libro erat, *nec plures:* id quod ego verum arbitror ac germanum. neque me movet aliorum codicum dissensio. Deinde docti quidam viri *haec meruisse* legebant, pro *emeruisse*. Male. & revincit eos Nasonis locus, citatus nobis ad ℣. 55. *emerere* hic est id, quod Juvenalis *exsorbere* vocat Sat. 10. ℣. 223. &, non paullo urbanius, *peragere* poëta incertus in lusibus jocosis, Carm. 34.

62. ROTA LUCIFERI] Luciferum vehi curru, hodie nusquam legitur. Ideo Douza adolescens *rotam Luciferi* pro ipso Lucifero capiebat: quomodo *rota solis* pro ipso solis corpore legatur apud alios poëtas. Recte: ut tamen memineris *rotam* hic esse orbem, sive discum. Nam & sic alibi intelligendum venit. Lucretius L. 5. ℣. 434.

Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
Altivolans poterat, neque magni sidera mundi.

ibidem ℣. 566.

Nec nimio solis major rota, nec minor ardor
Esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 559.

Stagna vaga ceu luce micant, ubi Cynthia coelo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phoebi.

Apulejus L. 9. Metam. *Sed cum primum rota solis lucida diem peperit.* Quibus in locis *rotam* qui pro curru capiet, frustra erit.

64. ATQUE OPERUM VARIAS DISPOSUISSE VICES] Pariter Naso, de puellis maturioribus, L. 2. Art. Amat. ℣. 675.

Adde, quod est illis operum prudentia major:
Solus & artifices qui facit, usus adest.

tralatio est ab re castrensi, ubi opera varie disponuntur; sed tralatio libera, & detriti pudoris. Pro *Atque*, quod vulgatae habent, vidimus *Aut* in libris duodecim: aptius, ni fallor, & convenientius.

67. DISPONERE CRINES] sic supra Eleg. 9. ℣. 10.

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?
Saepeque mutatas disposuisse comas?

Verum quum tertio abhinc versu habuerimus *disposuisse*, parum belle idem verbum hic repetitur. Credo fuisse *componere* a manu poëtae. nam & sic eleganter loquebantur. Tullius Orat. post reditum in senatu C. 6. *madenti coma, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressa voce & temulenta*, &c. Naso Remed. Amor. ℣. 679.

Nec compone comas, quia sis venturus ad illam.

& Amor. L. 1. Eleg. 7. ℣. ult.

Pone recompositas in statione comas.

Propertius L. 1. Eleg. 15. ℣. 5.

Et potes hesternos manibus componere crines.

Tamen si quis citra opem librorum nihil mutari debere contendet, ille hanc emendatiunculam pro somnio habeat licebit.

68. AUT TENUES] melius Statii Florentinus, *Et tenues.* Eodem crines epitheto commendat Ovidius Amor. L. 1. Eleg. 14. ℣. 5.

Quid, quod erant tenues, & quos ornare timeres;
Vela colorati qualia Seres habent?
Vel pede quod gracili deducit aranea filum,
Cum leve deserta sub trabe nectit opus.

L. 3. Eleg. 10. ℣. 3.

Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos.

& Manilius L. 1. ℣. 834.

Nam modo, ceu longi fluitent de vertice crines,
Flamma comas imitata volat, tenuisque capillus
Diffusos radiis ardentibus explicat ignes.

70. Ty-

Iſta haec perſuadet facies? auroque lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta ſinu?
Non tibi, ſed juveni cuidam vult bella videri:
Devoveat pro quo remque, domumque tuam.
Nec facit hoc vitio, ſed corpora foeda podagra,
Et ſenis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noſter puer. hunc ego credam
Cum trucibus venerem jungere poſſe feris.
Blanditiaſne meas aliis tu vendere es auſus?
Tune aliis demens oſcula ferre mea?

Tunc

70. TYRIO PRODEAT APTA SINU] in tunica oſtrina. *apta*, collecto pectore & vincto, ut Terentius loquitur. Eſt ab antiquo verbo *apere*, quod ſignificabat vinculo comprehendere. Vide Pompejum Feſtum in voce *Apex*; Servium ad L. 10. Aen. ℣. 270. Nonium in voce *Aptam*. Atque ita Catullus poſuit Carm. 25.

Piſonis comites, cohors inanis,
Aptis ſarcinulis & expeditis.

Prodire autem eſt verbum pompae muliebris. Catullus Carm. 58. ℣. 96.

Prodeas nova nupta, ſi.
Jam videtur, & audias
Noſtra verba. viden? faces
Aureas quatiunt comas.
Prodeas nova nupta.

Et ſic aliquoties ibidem loci. Horatius L. 2. Od. 8. ℣. 7.

tu, ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulcrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.

Propertius L. 2. Eleg. 19. ℣. 79.

Vidiſtis quamdam Argiva prodire figura.

Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 131.

Nec prodite graves inſuto veſtibus auro:
Per quas nos petitis, ſaepe fugatis, opes.

& L. 4. Faſt. ℣. 309.

Cultus, & ornatis varie prodiſſe capillis,
Obfuit; ad rigidos promptaque lingua ſenes.

Sed iſtic horum partim Nic. Heinſius occupavit.

72. DEVOVEAT PRO QUO REMQUE, DOMUMQUE TUAM] Recte Lipſius emendabat, *teque domumque tuam*, fultus illo Propertiano, L. 2. Eleg. 7. ℣. 38.

Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum.

Ut ſcilicet *domus* pro gente ac familia capiatur. quo modo alias. utrumque (quod & Douza vidit) firmat poëta Veronenſis Carm. 76.

Gellius eſt polcher: quid ni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic polcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum ſavia reppererit.

Ceterum quae Douza addit exponendae lectioni vulgatae, ea mallem ſilentio praeteriſſet. *Devoveat* autem & maritum & mariti domum, ut adulterum ſervet. Cicero orat. ad Quirites poſt reditum, ipſo initio: *Quod precatus a Jove Optimo Maximo, ceteriſque Diis immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, cum me fortunasque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque devovi,* &c.

73. NON FACIT HOC VITIO] ſcribe cum libris melioribus, *Nec facit. Vitio* autem fieri dicuntur, quaecumque prave fiunt. quod etiam ad auſpicia & ad religiones extenditur. Plenius efferebant *vitio mentis*. Maro Epiſt. ad Auguſtum Caeſarem: *Sed tanta inchoata res eſt, ut paene vitio mentis tantum opus ingreſſus mihi videar.* Ovidius L. 5. Metam. ℣. 195.

Increpat hos, Vitioque animi, non crinibus, inquit,
Gorgoneis torpetis, Eryx.

77. BLANDITIASNE MEAS &c.] Conſtructio & amplificatio non abſimilis huic Ciceronianae, Accuſ. 1. in Verr. C. 18. *Apollinemne tu Delium ſpoliare auſus es? illine tu templo tam antiquo, tam ſancto, tam religioſo, manus impias ac ſacrilegas afferre conatus es?* Vide politiſſimi Menagii Epigramma 34.

80. Et

Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna superba tuo.
At tua tum me poena juvet, Venerique merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat: & grata sis, Dea, mente, rogat.

80. ET GERET IN GREMIO REGNA SUPERBA TUO] libri fere habent *in regno*; ac deinde partim *bella*, partim *regna*. Forte *in regno sceptra*. Sed non libet hic morari. Tamen *regna superba*, quin rectum sit, ambigere vix licet. infra L. 4. Carm. 5.

Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna superba tibi.

82. AUREA PALMA] parmam intellige, sive clypeolum brevem, in quo signarentur bini versiculi sequentes. Miro consensu libri cuncti *palma* scribunt, non *parma*. id quod in hac vocula solenniter obtinuisse videri potest. Festus: *Thraces, gladiatores, a similitudine palmularum Thraciarum.* Propertii codices magno numero ita habent L. 2. Eleg. 19. ℣. 44.

Et vetus in templo bellica palma vacat.

L. 4. Eleg. 10. ℣. 21.

Picta nec inducto fulgebat palma pyropo.

tum post paullo, ℣. 40.

Belgica cui vasti palma relata ducis.

Vide sis insignem illum Turnebum L. 3. Adv. C. 7. Egregium vero Albii nostri donarium! Quanto sapientius Cicero Accus. 2. in Verr. C. 47. *Faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solum libido & voluptas, verum etiam ipsius nequitiae fama delectat, ut multis in locis notas ac vestigia scelerum suorum relinqui velint.*

XI.

QUIS fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit!

Tunc

Haec Elegia scripta videtur ante eam, quae nunc est ordine tertia; tunc videlicet, quum in cohortem Messalae adlegeretur, invitus, ut adparet, & Deliae suae amore irretitus. Pocchus ad libri sui oram ita scripserat: *Hoc est principium secundi libri in codicibus vetustioribus, & est de amoribus Nemesis.* Et ex libris suis Perrejus: *Principium secundi libri de amoribus Nemesis.* At ego tales nullos oculis usurpavi: nec vidi alium, qui moneret.

1. QUIS FUIT HORRENDOS PRIMUS QUI PROTULIT ENSES] Plinius L. 7. C. 56. *Aes conflare & temperare, Aristoteles Lydum Scythen monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putat. Aerariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas. Ferrum Hesiodus in Creta eos, qui vocati sunt Dactyli Idaei.* ——— ——— *Fabricam ferrariam invenere Cyclopes.* ——— ——— *Clypeos invenerunt Proetus & Acrisius inter se bellantes, sive Chalcus Athamantis filius. Loricam Midias Messenius. Galeam, gladium, hastam, Lacedaemonii.* Alii aliter statuerunt. Telchinas e Creta primum in Cyprum, deinde Rhodum venisse, primosque ferrum & aes fabricatos, atque etiam Saturno falcem fecisse, tradit Strabo L. 14. Ad Chalybas, Ponticam gentem, ferri fabricandi gloriam refert Valerius Flaccus L. 5. ℣. 141.

Nocte sub extrema clausis telluris ab antris
Pervigil auditur Chalybum labor; arma fatigant
Ruricolae, Gradive, tui: sonat illa creatrix
Prima manus belli terras crudelis in omnes.
Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri
Eruerent, ensesque darent; odia aegra sine armis
Errabant, iraeque inopes, & segnis Erinnys.

Lucretius nihil definit, L. 5. ℣. 1291.

Aere solum terrae tractabant, aereque belli
Miscebant fluctus, & volnera vasta serebant:

Et

Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata:
Tunc brevior dirae mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
Vertimus, in ſaevas quod dedit ille feras.

Divi-

Et pecus atque agros adimebant. nam facile ollis
Omnia cedebant armatis nuda & inerma.
Inde minutatim proceſſit ferreus enſis,
Verſaque in opprobrium ſpecies eſt falcis ahenae.
Et ferro coepere ſolum proſcindere terrae,
Exaequataque ſunt creperi certamina belli.

Neque etiam Cicero, L. 2. de Nat. Deor. C. 63. *Quibus* [bubus] *cum terrae ſubigerentur fiſſione glebarum, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis numquam ulla afferebatur.*

Ferrea tum vero proles exorta repente eſt,
Auſaque funeſtum prima eſt fabricarier enſem,
Et guſtare manu victum domitumque juvencum.

Recte autem noſter *proferendi* verbo utitur: eſt enim in eo verbo ſignificatio novitatis. Saepe ita Tullius. L. 3. de Offic. C. 14. *Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquillius, collega & familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas.* Orat. pro Archia C. 6. *Ego vero fateor, me his ſtudiis eſſe deditum. Ceteros pudeat, ſi qui ita ſe literis abdiderunt, ut nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adſpectum lucemque proferre.* L. 1. de Orat. C. 35. *Petis a Craſſo, ut eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco quaſi per tranſennam praetereuntes ſtrictim adſpeximus, in lucem proferat, & ſuo quidque loco collocet.* Horatius L. 1. Epiſt. 6. ℣. 24.

Quidquid ſub terra eſt, in apricum proferet aetas;
Defodiet condetque nitentia.

L. 2. Epiſt. 2. ℣. 116.

Obſcurata diu populo, bonus eruet, atque
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum.

Art. Poët. ℣. 130.

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota indictaque primus.

2. FERUS ET VERE FERREUS] Cicero L. 1. ad Q. fratrem Epiſt. 3. *Quid, quod eodem tempore deſidero filiam? qua pietate, qua modeſtia, quo ingenio? Quid filium venuſtiſſimum, mihique dulciſſimum? quem ego ferus ac ferreus e complexu dimiſi meo, ſapientiorem puerum quam vellem.*

4. TUNC BREVIOR DIRAE MORTIS APERTA VIA EST] Elegantiſſime. ſic & alii poëtae Romani. Lucretius L. 2. ℣. 917.

Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et leti vitare vias?

Maro L. 3. Geor. ℣. 481.

Nec via mortis erat ſimplex. &c.

Propertius L. 3. Eleg. 5. ℣. 44.

Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas:
Naturae miſeras auximus arte vias.

Horatius L. 1. Od. 28. ℣. 16.

omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.

Phaedrus L. 4. Fab. 6.

Nec ad profeſſae mortis audacem viam
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem.

Tragicus Romanus Herc. fur. ℣. 1245.

ſana ſi mens eſt mihi,
Referte manibus tela: ſi remanet furor,
Pater recede. mortis inveniam viam.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 32.

Ergo anteire metus, juvenemque exſtinguere pergit
Aeſonium; letique vias ac tempora verſat.

Paullus Oroſius, diligens lector bonorum ſcriptorum, L. 5. C. 21. *Nec ipſius mortis erat via ſimplex, aut una conditio, ut in nece civium ſaltem jus hoſtium ſervaretur, qui nihil a victis praeter vitam exigunt.* Ipſe noſter ſupra Eleg. 3. ℣. 50.

Nunc Jove ſub domino caedes, nunc vulnera ſemper:
Nunc mare, nunc leto multa reperta via.

5. AT NIHIL ILLE MISER MERUIT] ſic ferme Cicero Philipp. 2. C. 22. *Sed nihil Caeſari: tibi certe confitendum eſt, cauſſam pernicioſiſſimi belli in perſona tua conſtitiſſe.* Poëta vocat *miſerum*, qui nullo ſuo merito incuſaretur. Sic *miſerum* pro innocente apud Tullium poni obſervat Aſconius ad Accuſ. 1. in Verr. C. 15. quamquam Aſconio nec Manutius, nec Hottomannus adſtipulantur. Sed clarior eſt locus Philipp. 2. C. 38. *Frequentiſſimo ſenatu Kal. Jan. ſedente patruo, hanc tibi eſſe cum Dolabella cauſſam dicere auſus es, quod ab eo ſorori & uxori tuae ſtuprum oblatum eſſe comperiſſes. Quis interpretari poteſt, impudentiorne, qui in ſenatu, an improbior, qui*

in

Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.

Non

in Dolabellam: an impurior, qui patre audiente: an crudelior, qui in illam miseram tam spurce, tam impie dixeris? Lucretius, de Iphigenia Dianae mactanda, L. 1. ℣. 94.

Nec miserae prodesse in tali tempore quibat.
Quod patrio princeps donasset nomine regem.

Virgilius, de Didone, L. 4. Aen. ℣. 697.

nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore.

6. NOS AD MALA NOSTRA VERTIMUS, IN SAEVAS QUOD DEDIT ILLE FERAS] Sane Osirim & Isidem, repertis in Thebaide aeris & auri officinis, arma fabricasse, quibus feras interficerent homines illi inculti, auctor est Diodorus Siculus L. 1. Biblioth. Pythagoras apud Nasonem L. 15. Metam. ℣. 106.

primaque e caede ferarum
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum:
Idque satis fuerat: nostrumque petentia letum
Corpora missa neci salva pietate fatemur.

7. DIVITIS HOC VITIUM EST AURI] Naso L. 1. Metam. ℣. 141.

Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque,
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.

Vide Propertium L. 3. Eleg. 5. Senecam L. 3. de Ira C. 32. Boëtium L. 2. Consol. Philos. metr. 5. Sed inprimis Historias inventi orbis novi.

7. NEC BELLA FUERUNT] Fuerunt sane bella etiam ante aurum e terris erutum. Sed postilla acuit furorem cupiditas. Lucretius L. 5. ℣. 1243.

aes, atque aurum, ferrumque repertum est,
Et simul argenti pondus, plumbique potestas,
Ignis ubi ingenteis silvas ardore cremarat
Montibus in magnis: seu coeli fulmine misso:
Sive quod inter se bellum silvestre gerentes,
Hostibus intulerant ignem formidinis ergo.

& deinde, ℣. 1425.

Tunc igitur pelles, nunc aurum & purpura curis
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.

Horatius L. 1. Sat. 3. ℣. 99.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus, & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus.

Sic Brasiliae populi, & miseri illi insulares apud Americam, mutuis lanienis inter sese crudelissime desaeviebant, nudi ipsi, atque inopes omnium rerum bonarum. Scytharum gente quid ab omni memoria bellacius? tamen, si Justino credimus L. 2. C. 2. *aurum & argentum perinde aspernantur, ac reliqui mortales appetunt.* videlicet quia nullum his rebus precium statuebant. *Quippe ibi* (ita pergit sapiens scriptor) *divitiarum cupido est, ubi & usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio & abstinentia alieni foret! profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur; neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet.*

8. FAGINUS ADSTABAT QUUM SCYPHUS ANTE DAPES] libri quidam, *Fagineus stabat.* Sed nihil mutandum. Horum poculorum non infrequens est mentio apud antiquos. Virgilius Eclog. 3. ℣. 35.

Verum id, quod multo tute ipse fatebere majus,
Insanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis.

Atque istic quidem ab artificio operoso commendantur. apud alios a frugali simplicitate. Naso L. 8. Metam ℣. 669.

post haec caelatus eadem
Sistitur argilla crater; fabricataque fago
Pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris.

& L. 5. Fast. ℣. 522.

Nunc dape, nunc posito mensae nituere Lyaeo:
Terra rubens crater, pocula fagus erant.

Auctor Herculis in Oeta, ℣. 653.

Pectora pauper secura gerit.
Tenet e patula pocula fago;
Sed non trepida tenet illa manu.

His adde Valerium Maximum L. 4. C. 3. ex. 5. Erant & in sacra supellectile. Plinius L. 16. C. 38. *Fagis pectines transversi in pulpa. Apud antiquos inde & vasis honos. Manius Curius juravit se ex praeda nihil attigisse, praeter guttum faginum, quo sacrificaret.* Mensae quoque tenuiorum ex fago. Martialis L. 2. Epigr. 43.

Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes:
Fulcitur testa fagina mensa mihi.

9. NON

Non arces, non vallus erat; somnumque petebat
Securus saturas dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret dulcis: nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.

Nunc

9. NON ARCES, NON VALLUS ERAT] oppida erant nulla, nedum ut essent munita. Seneca Hippol. ℣. 531.

Nondum secabant credulae pontum rates:
Sua quisque norat maria. non vasto aggere
Crebraque turre cinxerant urbes latus.
Non arma saevâ miles aptabat manu.
Nec torta clusas fregerat saxo gravi
Balista portas.

Secedit ab istorum sententia iterum Lucretius L. 5. ℣. 1110.

Condere caeperunt urbeis, arcemque locare
Praesidium reges ipsi sibi perfugiumque.
Et pecudes & agros divisere, atque dedere
Pro facie quojusque, & viribus, ingenioque.
Nam facies multum valuit, viresque vigebant.
Posterius res inventa est, aurumque repertum.

Statius, & Guyetus, malebant *Non acies, non vallus erat:* propterea quod alibi dixerit poëta, *Non acies, non ira fuit.* Sed ille ipse locus videtur in mendo cubare.

10. SECURUS VARIAS DUX GREGIS INTER OVES] an oves eo modo *variae* dicuntur, quo lynces Maroni, & tigres Claudiano? latet omnino mendum; & quidem valde vetus, quod omnes libros insedit. Est enim vitium lanae, si *varia* sit. Varro L. 2. de Re Rust. C. 2. *Animadvertendum quoque linguane nigra aut varia sit, quod fere qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos.* Maro L. 3. Geor. ℣. 387.

Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum.

Columella L. 7. C. 3. *Non solum ea ratio est probandi arietis, si vellere candido vestitur, sed etiam si palatum atque lingua concolor lanae est. nam cum hae corporis partes nigrae, aut maculosae sunt, pulla vel etiam varia nascitur proles.* Possis itaque hic *niveas* rescribere, adjuncto usitatissimo, & poëtis perquam familiari. Amicus meus Petrus Francius, humanis rebus nuper ereptus, legebat *vacuas*, h. e. metu solutas, nec lupum timentes. Ita Cicero L. 1. ad Q. fratrem Epist. 3. *Sin eris ab isto periculo vacuus: ages scilicet, si quid agi posse de nobis putabis.* & Philipp. 7. C. 7. *Ut vacuum omni metu populum Romanum nostra vigilia & prospicientia redderemus.* Sed hinc non efficitur, ut τὸ *vacuas* sic solum, sine alio casu, quem regat, possit stare. Probabilior est Nicolai Heinsii emendatio, *saturas* scribentis. Sane hoc epitheto libenter utuntur poëtae in re pastoria. Propertius L. 3. Eleg. 11. ℣. 40.

Corniger Idaei vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oves.

Naso L. 4. Fast. ℣. 735.

Pastor, oves saturas ad prima crepuscula lustra.

Virgilius L. 8. Aen. ℣. 213.

Interea, cum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet.

idem Eclog. 10. ℣. ult.

Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

& L. 3. Geor. ℣. 213.

Aut intus clausos satura ad praesepia servant.

Alibi *pastos* dixit. Eclog. 7. ℣. 39.

Cum primum pasti repetent praesepia tauri.

ac deinde ℣ 44.

Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.

Nemesianus Eclog. 2. ℣. 90.

Frigidus e silvis donec descendere suasit
Hesperus, & stabulis pastos inducere tauros.

Horatius Epod. 2. ℣. 61.

Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum.

Venustissime Varro L. 2. de Re Rust. C. 2. *Hoc item faciunt mane ante quam matres in pabulum exeant, ut agni satulli fiant lacte.*

11. VULGI NEC TRISTIA NOSSEM ARMA] Haec sunt prodigiose corrupta. Vulgus nec dabat arma, nec habebat. in armamentariis publicis adservabantur, publice fabricari jussa; nec populo dabantur, quum res ita posceret, nisi summo magistratu distribuente. Vide Ciceronem orat. pro Rabirio C. 7. in Pisonem C. 36. & Philipp. 10. C. 9. ubi & vestitum publice datum reperies. Ducem Heinsium etiam hic loci sequemur, pulcre ita emendantem,

Tunc mihi vita foret dulcis: nec tristia nossem
Arma.

Nihil melius, nihil verius. Quam *dulcem* noster, Ennius eleganter *vitalem* adpellat

apud

Nunc ad bella trahor: & jam quis forsitan hostis
Haesura in nostro tela gerit latere.
Sed patrii servate Lares: aluistis & iidem,
Cursarem vestros quum tener ante pedes.

Neu

apud Ciceronem Dial. de Amicit. C. 6. *Cui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat?*

12. NEC AUDISSEM CORDE MICANTE TUBAM] Male libri quidam *corde tremente.* quae fuit glossa *τοῦ micante.* Proprie ita loquebantur in negotio cordis. Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 722.

Vidit ut oppressam, vestigia corporis, herbam;
Pulsantur trepidi corde micante sinus.

Epist. Penelop. ℣. 45.

Usque metu micuere sinus; dum victor amicum
Dictus es Ismariis ipse per agmen equis.

Epist. Oenon. ℣. 37.

Attoniti micuere sinus, gelidusque cucurrit,
Ut mihi narrasti, dura per ossa tremor.

L. 3. Fast. ℣. 331. de Numa Jovem eliciente:

Corda micant regis: totoque a pectore sanguis
Fugit; & hirsutae diriguere comae.

L. 6. Fast. ℣. 338. de Priapo, Vestae insidias struente:

Spem capit obscaenam, furtimque accedere tentat;
Et fert suspensos corde micante gradus.

Manilius L. 5. ℣. 224. de iis, qui sub Caniculae sidere nascuntur:

Ante os est animus: nec magnis concita caussis
Corda micant, & lingua rabit, latratque loquendo.

Vellejus L. 2. Hist. C. 70. *Impetravit* [Brutus] *a Stratone Aegeate, familiari suo, ut manum morituro commodaret sibi; rejectoque laevo super caput brachio, cum mucronem gladii ejus dextera tenens sinistrae admovisset mamillae, ad eum ipsum locum qua cor emicat, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus exspiravit.* Apulejus L. 11. Metam. *Tunc ego trepidans, assiduo pulsu micanti corde, coronam, quae rosis amoenis intexta fulgurabat, avido ore susceptam, cupidus cupidissime devoravi.* Hinc Plautus, solens ac more suo, risum quaesivit Aulul. Act. 4. Sc. 3. ℣. 3.

Continuo meum cor caepit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare.

Praeclare Buchananus Psalm. 45.

Cor micat: exsultant trepidis praecordia fibris,
Eructantque novum gravido de pectore carmen.

Non tam bene alii poëtae, idem conati. Dixit tamen *corde tremente.* Sidonius Apollinaris Panegyr. Majoriani, ℣. 159.

non sic libravit in hostem
Spicula, qui nato serpentis corpore cincto
Plus timuit dum succurrit, dum jactibus iisdem
Interitum vitamque daret, stabilemque teneret
Corde tremente manum.

& ante Apollinarem Seneca Med. ℣. 927.

Cor pepulit horror: membra torpescunt gelu,
Pectusque tremuit.

14. HAESURA IN NOSTRO TELA GERIT LATERE] Proprie loquitur. nam *latus* praecipue petebant depugnantes. Cicero orat. pro Ligario C. 3. *Quid enim, Tubero, destrictus ille tuus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat?* Virgilius L. 10. Aen. ℣. 314.

huic gladio perque aerea suta,
Per tunicam squalentem auro, latus haurit apertum.

Naso L. 9. Metam. ℣. 412.

Donec eum conjux fatale poposcerit aurum:
Cognatumque latus Phegeïus hauserit ensis.

Auctor Elegiae in obitum Maecenatis, ℣. 30.

Nocte sub obscura quis te spoliavit amantem?
Quis tetigit ferro durior ipse latus?

Grotius noster (cur enim & Grotium non habeamus inter classicos scriptores?) Instrum. domest. Epigr. 2.

Otia qui gemino pendens agit ensis in unco,
Ivit in Albani militis ille latus.

Est omnino ex disciplina militari. alioqui noster eques dixisset non incommode,

Haesura in nostro pectore tela gerit.

Plura huc facientia notavimus ad Eleg. 4. ℣. 46.

15. ALUISTIS ET IIDEM] Statius *idem* scribit, per simplex *i*, ex veteribus monumentis, & Sfortiae libro. Sane sic & liber Mattii; & tres nostri; cum utroque Wittiano, ac priscis editionibus. Nec fere aliter invenias in codicibus notae paullo melioris. & Charisius ac Priscianus comprobarunt. Nihilominus *iidem*, geminato *i*, plus semel etiam in lapidibus literatis reperitur.

16. CURSAREM VESTROS QUUM TENER ANTE

Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:
  Sic veteris sedes incoluistis avi.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
  Stabat in exigua ligneus aede Deus.
Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
  Seu dederat sanctae spicea serta comae.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
  Postque comes purum filia parva favum.

At

ANTE PEDES] noster Secundus L. 3. Eleg. 13.

Cum teneri patriis discursaremus in hortis,
Cypridis ad lucum qua viret Haga mea.

18. SIC VETERES AEDES INCOLUISTIS AVI] Recte vidit Fruterius *veteris sedes* scribendum esse, L. 1. Verisimil. C. 5. id quod & Henricus Stephanus monuit Castig. in Cicer. p. 79. & liquidis literis exstat in secundo Vaticano, quem Heinsius inspexit. Multus est noster Albius in hoc epitheto. Sic *antiquus avus* reperitur L. 1. Eleg. 1. *priscus avus*, L. 2. Eleg. 1. *veteres senes*, & *vetus caput*, L. 1. Eleg. 9. *vetus consul*, L. 2. Eleg. 1. *vetus aetas*, L. 4. Carm. 1. Sed dubitare nos non sinit capitalis ille Hispanus, qui Tibullianam locutionem sua imitatione non leviter comprobavit, L. 3. Epigr. 63.

Hirpini veteres qui bene novit avos.

& L. 10. Epigr. 87.

Mirator veterum senex avorum
Donet Phidiaci toreuma caeli.

Accedit dulcissimus Lotichius L. 1. Eleg. 11.

Serior his utinam me vallibus occupet aetas,
Quas olim veteres incoluistis avi.

Etiam τὸ *sedes* verum est. Albius noster L. 2. Eleg. 4. ℣. 53.

Quin etiam sedes jubeat si vendere avitas:
Ite sub imperium, sub titulumque, lares.

& L. 3. Eleg. 4. ℣. 24.

Hic juvenis, casta redimitus tempora lauro,
Est visus nostra ponere sede pedem.

Catullus Carm. 64. ℣. 4.

Janua, quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, quum sedes ipse senex tenuit.

Sallustius: *Scythae Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.* Servavit nobis hoc fragmentum Porphyrio, Horatii interpres, ad L. 3. Od. 24. Cicero Divinat. in Q. Caecil. C. 5. *Quod auri, quod argenti, quod ornamenti in meis urbibus, sedibus, delubris fuit.* Ubi cur Paullus Manutius *aedibus* malit, caussa nulla est. Accus. 2. in Verr. C. 65. *Omnes denique hoc in hac caussa intelligent, hoc animo esse Siculos, ut, si in istum animadversum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas, & ex Sicilia decedendum, atque adeo fugiendum esse arbitrentur.* Accus. 3. C. 18. *Diffugerant enim permulti, id quod ostendam: non solum arationes, sed etiam sedes suas patrias istius injuriis exagitati reliquerant.* ibidem C. 55. *Quid ceteri Siculi? quid ille maximus numerus aratorum, qui non modo ex agris ejecti sunt, sed etiam ex civitatibus suis, ex provincia, denique bonis fortunisque omnibus ereptis profugerunt? qua ratione ii revocabuntur? quot praetorum innocentia sapientiaque opus est, ut illa aratorum multitudo aliquando in suis agris ac sedibus collocetur?* Haeret mendum in Cicerone, orat. pro L. Flacco C. 25. *Nominis prope Romani memoriam cum vestigio imperii non modo ex aedibus Graecorum, verum etiam ex literis esse deletam.* In libro scripto *sedibus* invenerat Henr. Stephanus. Idem divinus orator pro Sulla C. 6. *Ut jam immissum esse ab eo C. Cornelium, qui me in sedibus meis, in conspectu uxoris meae ac liberorum meorum trucidaret, obliviscerer.* Id Sallustius *de improviso domi suae confodere* extulit, Catilin. C. 28. Justinus L. 2. C. 2. *Nec domus illis ulla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis.*

21. HIC PLACATUS ERAT] Hoc malo, quam *pacatus*, quod est in libris nonnullis. Maro L. 2. Aen. ℣. 116.

Sanguine placastis ventos, & virgine caesa.

Seneca Hippol. ℣. 1190.

O Mors amoris una sedamen mali,
O Mors pudoris maximum laesi decus,
Confugimus ad te: pande placatos sinus.

23. LIBA IPSA FEREBAT] diu est, quod docti viri monuerint *ipse* legendum esse. Et

vero

At nobis aerata, Lares, depellite tela:
Hóſtia erit plena ruſtica porcus hara.
Hanc pura cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.

Sic

vero ſic habet Vaticanus quintus. ſequitur hic paullo poſt, ℣. 41.

Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos.

25. At nobis aerata, Lares, depellite tela] intellige Lares Rurales, ſive Agreſtes. de quibus diximus ad Eleg. 1. ℣. 24.

26. Hostiaque e plena rustica porcus hara] Melius multi libri priſci, *Hoſtia erit:* nam & ſalus poſcitur, & ſalutis precium promittitur. Juvenalis Sat. 10. ℣ 354.

Ut tamen & poſcas aliquid, voveasque ſacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci.

Et ſic vota ferme omnia concipiebantur, cum conditione, & promiſſo. In meo tertio eſt gloſſa interlinearis, *mactabitur:* expoſitio, ni fallor, verbi *erit.* Deinde *ruſtica* non debet mutari in *myſtica*; quod voluerunt nonnulli docti illi quidem, ſed plus ſatis acutum hic videntes. Nam quid rei erat Laribus cum Cereris myſteriis? Ruſticis Diis vovetur hoſtia ruſtica. Nihil ſimplicius, nihil decentius. Martialis L. 9. Epigr. 43.

Felix tunc ego, debitorque voti,
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

Nec illos juvant quidquam libri corrupti, qui *myſtica* habent. nam & alibi hae voces ſunt confuſae. Vide Fred. Lindebruchium in Terent. Phorm. Act. 4. Iſtud, *Hoſtiaque e plena,* quum ἀνακόλουθον crederetur, aliquid excidiſſe multi putarunt. quamquam in libris ſcriptis nullus eſt hiatus. Itaque Jo. Jovianus Pontanus hoc modo explevit:

At nobis aerata, Lares, depellite tela:
Neu petat hoſtili miſſa ſagitta manu.
Neu gladio celer inſtet eques. proſint mihi ad aras,
Quaeque tuli ſupplex munera, quaeque feram.
Thure pio caleantque foci, pinguisque trahatur
Hoſtia de plena myſtica porcus hara.

Audax facinus, atque inlaudatum. proditur tamen fucus vel unico iſto *trahendi* verbo. non enim *trahi* hoſtiae dicebantur, ſed *duci.* Sane quum trahebantur, evidens ſignum erat invito numine rem fieri divinam. Papinius L. 5. Theb. ℣. 175.

Alta etiam Superûm delubra vaporant,
Promiſſasque trahunt pecudes. Nigêr omnibus aris
Sanguis, & in nullis ſpirat Deus integer extis.

27. Hunc pura cum veste sequar] lege *Hanc*, quod habent libri plus quam triginta, atque omnis editio vetus. Purae veſtis uſus erat in ſacris vel maxime neceſſarius. Noſter L. 2. Eleg. 1. ℣. 13.

Caſta placent ſuperis. pura cum veſte venite.

Maro L. 12. Aen. ℣. 169.

puraque in veſte ſacerdos
Saetigeri foetum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit.

inibi Servius: *Impolluta & pura dicitur veſtis, qua feſtis diebus uti conſueverant ſacra celebraturi: ut neque funeſta ſit, neque fulgorata, neque maculam habeat* Θ K *homine mortuo. Eſt autem linea, & purpurea.* Hoc eſt, ni fallor, cum limbo purpureo. Paria dixerat ad L. 4. Aen. ℣. 683. *In ſacris* pura veſtis *appellatur, quae neque funeſta ſit, neque maculam habeat ex homine mortuo.* Priore loco *fulgurita* legendum arbitror, pro *fulgorata.* Pompejus Feſtus: *Pura veſtimenta ſacerdotes populi Romani, cum ſacrificabant, habere ſoliti erant; id eſt, non obſtita, non fulgurita, non funeſta, non maculata.* Eſt hic hiatus, ut vides. Sed eum commode explent Servii verba. Hanc puram veſtem Varro *caſtam* vocavit, Eumenidibus:

Nam quae venuſtas hic adeſt gallantibus?
Quae caſta veſtis?

Servavit nobis hoc fragmentum Nonius Marcellus in voce *Caſtum.*

27. Myrtoque canistra &c.] Hinc diſcere licet, myrtum non minus Laribus fuiſſe acceptam, quam Veneri. Firmat Horatius. L. 3. Od. 23. ℣. 16.

te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium,
Parvos coronantem marino
Rore Deos fragilique myrto.

Sane noſter in ſacro ambarvali utitur corona oleagina, L. 2. Eleg. 1. ℣. 16. decenter ſervato diverſorum Deorum honore diverſo.

31. Ut

Sic placeam vobis. alius ſit fortis in armis,
Sternat & adverſos Marte favente duces.
Ut mihi potanti poſſit ſua dicere facta
Miles, & in menſa pingere caſtra mero.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
Inminet, & tacito clam venit illa pede.
Non ſeges eſt infra, non vinea culta; ſed audax
Cerberus, & Stygiae navita turpis aquae.

Illic

31. UT MIHI POTANTI POSSIT SUA DICERE FACTA] *poſſit dicere*, dicat. Elegans locutio, & ſcriptoribus elegantiſſimis plurimum adamata. Horatius Carm. Saec. ℣. 11.

Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, & celas, aliusque & idem
Naſceris, poſſis nihil urbe Roma
Viſere majus.

Naſo L. 2. Faſt. ℣. 377. de Romulo:

Riſit; & indoluit Fabios potuiſſe Remumque
Vincere: Quinctilios non potuiſſe ſuos.

Plene inluſtratam dedit Gulielmus Canterus L. 2. Nov. Lect. C. 2. & ex Cantero Jacobus Pontanus, Jeſuita, ad Virgil. Eclog. 6. ℣. 24. In voce *potanti* foedum gloſſema (ita loquitur) reperiſſe ſibi viſus fuit Gebhardus; reponitque ex veſtigiis duorum codicum parum correctorum *bacchanti*. Quam ego vocem, hoc quidem certe in loco, non emerim titivillitio. Nam in Propertio, quem ille ad teſtimonium citat, ratio eſt multum diverſa. *Potare* eſt, mero prolui liberalius paullo atque largius. *faire la debauche*. Terentius Adelph. Act. 1. Sc. 2. ℣. 22.

Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare: non eſt.

ibidem Act. 4. Sc. 2. ℣. 47.

D. *Quid ibi facit?*
Sy. *Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit.*
D. *Ubi potetis vos?*

tum duobus locis luculentis Phorm. Act. 5. Sc. 5. Salluſtius Catilin. C. 11. *Ibi primum inſuevit exercitus populi Romani amare, potare, ſigna, tabulas pictas, vaſa caelata mirari.* Cicero L. 5. Tuſc. Quaeſt. C. 40. *Mihi quidem in vita ſervanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur: Aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi: aut ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante diſcedat.* Horatius L. 2. Od. 11. ℣. 13.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere, & roſa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aſſyriaque nardo
Potamus uncti?

& L. 1. Epiſt. 5. ℣. 14.

Potare & ſpargere flores
Incipiam, patiarque vel inconſultus haberi.

At ille noſter pro verbo non inmodeſtae hilaritatis malebat aliud verbum, in quo ineſt ſignificatio furoris atque inſaniae. Ceterum de hiſce pugnarum ac periculorum narrationibus volupe fuerit audire Naſonem Epiſt. Penelop. ℣. 31. & L. 2. Art. Amat. ℣. 127. & L. 9. Metam. ipſo initio. tum L. 12. ℣. 155. Inprimis vero Macrobium, loco inſigni, L. 7. Saturn. C. 2. Quibus adde, niſi grave eſt, Raphaëlem Thorium in Hieme, eo loco, *Omnis in oppoſito eſt Batavi ſapientia.*

32. IN MENSA PINGERE CASTRA MERO] *fingere* erat in uno Anglicano: prave, & contra uſum ſermonis Latini. Naſo Epiſt. Penelop. ℣. 31.

Atque aliquis poſita monſtrat fera praelia menſa;
Pingit & exiguo Pergama tota mero.

35. NON SEGES EST INFRA] Nihil ad hanc parcimoniam auctor Herculis furentis, ℣. 698.

Non prata viridi laeta facie germinant;
Nec adulta leni fluctuat Zephyro ſeges;
Non ulla ramos ſilva pomiferos habet:
Sterilis profundi vaſtitas ſqualet ſoli,
Et foeda tellus torpet aeterno ſitu;
Rerumque moeſtus finis, & mundi ultima:
Immotus aër haeret; & pigro ſedet
Nox atra mundo. Cuncta moerore horrida,
Ipſaque morte pejor eſt Mortis locus.

Praetulerim ego tantae ambitioni binos Jacobi Sannazarii verſiculos ex Epigr. 3. L. 1.

Peſt

Illic exesisque genis, ustoque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parva pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oves, at filius agnos;
Et calidam fesso comparat uxor aquam.
Sic ego sim, liceatque caput candescere canis,
Temporis & prisci facta referre senem.
Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit aratores sub juga curva boves.

Pax

Post obitum non ulla mihi carchesia ponet
Aeacus. infernis non viret uva jugis.

36. STYGIAE NAVITA PUPPIS AQUAE] In Lipsii excerptis erat *navita pullus*. Melius in libro Angeli Colotii, & in primo Vaticano, *navita turpis*. Hoc ego verum arbitror, epitheto ad res infernas aptato. Propertius L. 4. Eleg. 7. ℣. 55.

Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem.

Maro L. 6. Aen. ℣. 275.

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus & ultrices posuere cubilia Curae:
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus,
Et Metus, & malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formae.

Cato apud Sallustium Catilin. C. 52. *Bene & composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit: credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, diverso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda, atque formidolosa habere.*

37. ILLIC PERCISISQUE GENIS] Varia est librorum scriptura, & multiplex. Sed nihil certius emendatione Heinsiana, *Illic exesisque genis.* Tu vide summi viri rationes, bonas profecto ac firmas, in reliquiis Adversariorum.

39. QUAM POTIUS LAUDANDUS HIC EST] Non ludet operam, qui hunc locum contulerit cum alio argumenti ejusdem loco M. Ant. Flaminii, L. 3. Carm. 7. cujus carminis est initium,

Pausilypi colles, & candida Mergilina.

Tum demum patebit, quid possit ingeniosa exercitatio, & quantum illi absint a laude recte scribendi, qui veterum poëtarum imitationem pro nihilo ducunt, & tamquam ludum quemdam nugarum fastidiose contemnunt.

42. ET CALIDAM FESSO COMPARAT UXOR AQUAM] suavissime Ariadna apud Catullum Carm. 61. ℣. 158.

Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis:
Attamen in vostras potuisti ducere sedes,
Quae tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis.

Noster *comparat* dixit pro *parat*, exemplo veterum, atque ipsius Ciceronis. Neque enim hoc adeo rarum est, ac Salmasio videbatur Not. ad Capitolin. p. 106. qui scriptor suum illud, *aut convivante aut convivia comparante*, debet Tullio, Accus. 1. in Verr. C. 26. *Magnifice & ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium comparat: rogat Rubrium, ut, quos ei commodum sit, invitet: locum sibi soli, si videatur, relinquat.*

43. LICEATQUE CAPUT CANDESCERE CANIS] sunt qui minus probent hanc adliterationem. Tu vide sis quae notavimus ad Eleg. 1. ℣. 3. L. 1.

44. TEMPORIS ET PRISCI FACTA REFERRE SENEM] Heinsius legebat *seni*. Et sane ad hanc faciem loquuntur plurimi scriptores, more a Graecis accepto. Etiam ipse noster L. 3. Eleg. 3. ℣. 31.

liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui.

Quin tamen & accusativus recte jungatur cum verbo *licet*, idque propter pronomen intellectum, non est cur dubitemus. Vide Leon. Malaspinam in L. 1. ad Attic. Epist. 17. & Vossium nostrum lib. de Construct. C. 20.

46. DUXIT ARATUROS SUB JUGA CURVA BO-

Pax aluit vites, & succos condidit uvae,
Funderet ut nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomerque nitent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus e lucoque vehit, male sobrius ipse,
Uxorem plaustro progeniemque domum.

Sed

BOVES] Non damno illud *araturos*, quum sciam Nasonem ita loqui L. 3. Art. Amat. ℣. 120.

Quae nunc sub Phoebo ducibusque Palatia fulgent;
Quid, nisi araturis pascua bubus, erant?

& Plinium L. 18. C. 19. *Araturos boves quam arctissime jungi oportet, ut capitibus sublatis arent: sic minime colla contundunt.* Tamen, ne quid mentiar, admodum mihi blanditur Lipsiani libri scriptura, *aratores.* Sic & Pocchi excerpta habebant, & duo item Vaticani Heinsio inspecti. Sic & ille ipse Sulmonensis poëta L. 1. Fast. ℣. 698.

Bella diu tenuere viros. erat aptior ensis
Vomere: cedebat taurus arator equo.

Suetonius Vespas. C. 5. *Coenante rursus, bos arator, decusso jugo, triclinium irrupit.* Curtius L. 7. C. 8. *Dona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, jugum boum aratorum, & sagitta, & patera.* ita recte Acidalius restituit, homo & acuti & sinceri judicii; quum foret vulgo, *jugum boum, aratrum, & sagitta, & patera.* Dicuntur autem *aratores* a parte muneris sui utilissima ac potissima. Ad quem modum & alia animalia apud poëtas Latinos denominantur. Ita *equus bellator* Maroni dicitur L. 10. Aen. ℣. 891. L. 11. ℣. 89. ac Valerio Flacco L. 5. ℣. 586. & extra carmen Tacito lib. de morib. German. C. 14. *equus venator* Papinio L. 9. Theb. ℣. 685. Claudiano Nupt. Honor. & Mar. ℣. 5. *equus praedator* Papinio L. 4. Theb. ℣. 316. *juvencus pugnator* Maroni L. 11. Aen. ℣. 680. *taurus bellator* Papinio L. 3. Theb. ℣. 330. *canis venator* Maroni L. 12. Aen. ℣. 751. *molossus latrator* Martiali L. 12. Epigr. 1. & quae sunt plura id genus, alibi observanda. Sane epithetorum doctrinam nondum a quoquam satis explicatam habemus: unde fit ut saepe pro vitiosis rejiciantur locutiones pulcerrimae. id quod a Gebhardo atque aliis hic factum conspicere licet.

49. PACE BIDENS, VOMERQUE VIGENT] in Scaligeri excerptis erat *nitet.* unde Heinsius fecit *nitent.* Verissime. nam huic *nitori* statim opponitur *situs* armorum militarium. Naso L. 4. Fast. ℣. 928.

Sarcula nunc, durusque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes niteant: inquinet arma situs.

& Amor. L. 1. Eleg. 8. ℣. 51.

Aera nitent usu: vestis bona quaerit haberi:
Canescunt turpi tecta relicta situ.

Virgilius L. 1. Geor. ℣. 46.

Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.

Pulcra tralatione Cicero orat. 1. de Lege Agrar. C. 7. *Non dico, solum hoc in republica vectigal esse, quod amissis aliis remaneat: intermissis, non conquiescat: in pace niteat, in bello non obsolescat:* &c.

50. TRISTIA DURI MILITIS IN TENEBRIS OCCUPAT ARMA SITUS] Bacchylides dixerat, hastas & gladios in dulci pace jacere rubigine exesos, in scutis vero & clypeis nigrorum araneorum telas contexi. Notarunt Paullus Leopardus L. 4. Emend. C. 21. Andr. Schottus L. 2. Observ. C. 13. & hic Achilles Statius. Omnes ex Stobaeo, Serm. 53, de Pace.

51. RUSTICUS E LUCOQUE VEHIT MALE SOBRIUS IPSO] *ipse* legendum esse & libri quidam evincunt, & viri docti jam pridem viderunt. Sed quod maluerint, *Rusticus e luco revehit*; in eo fefellit illos ratio quaedam peculiaris, ac plane Tibulliana, in particulis (quas magistri vocant) conlocandis. Hoc facile perspicient ii, qui Tibulli locutiones & numeros exploratos habent. Non jam libet exagitare eorum sententiam, qui *male sobrius eluco* aliis obtruserunt, quasi id significaret *semisomnum per elucum*, seu per ἑωλοκρασίαν. Homines sumus. Poëta loquitur de lucis, in quibus sacra faciebant, & cum uxoribus ac liberis perpotabant. Virgilius L. 11. Aen. ℣. 740.

At non in Venerem segnes, nocturnaque bella;

Aut,

Sed Veneris tunc bella calent, scissosque capillos
  Femina, perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras subtusa genas: sed victor & ipse
  Flet, sibi dementes tam valuisse manus.
At lascivus Amor rixae mala verba ministrat,
  Inter & iratum lentus utrumque sedet.
Ah lapis est, ferrumque, suam quicumque puellam
  Verberat, e caelo deripit ille Deos.

Sit

Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exspectare dapes & plenae pocula mensae.
Hic amor, hoc studium; dum sacra secundus haruspex
Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Horatius L. 1. Od. 4. ℣. 11.
Nunc & in umbrosis Fauno decet inmolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit haedo.
Propertius L. 4. Eleg. 6. ℣. 71.
Candida nunc molli subeant convivia luco,
Blanditaeque fluant per mea colla rosae.
Hoc & nostros majores fecisse auctor est Tacitus L. 4 Hist. C. 14. *Civilis primores gentis, & promtissimos vulgi, specie epularum, sacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac laetitia incaluisse videt, a laude gloriaque gentis orsus, injurias & raptus & cetera servitii mala enumerat.*

55. FLET TENERAS SUBFUSA GENAS] ita Scaliger, & Gebhardus, auctoritate Virgilii L. 1. Aen. ℣. 229.
Tristior, & lacrimis oculos suffusa nitentis.
Sed primum nullus hic est ablativus, quem requirere videtur vox *subfusa*. Deinde aperte de verberibus sermo est, non de pudicitia expugnata. Quocirca non libet discedere a scriptura codicum nostrorum, qui *subtusa* habent. Ovidius Amor. L. 1. Eleg. 7. ℣. 39.
Ante eat effuso tristis captiva capillo,
Si sinerent laesae, candida tota, genae.
tum paullo post, ℣. 49.
At nunc sustinui, raptis a fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.

56. VICTOR ET IPSE FLET, SIBI DEMENTES TAM VALUISSE MANUS] Totus hic locus tam venusto artificio est pertractatus, ut melius non queat pingi. Flet puella, male habita ab ebrio amatore: flet amator; pigetque eum tam turpis victoriae. Adsidet inter utrumque Cupido, nihil motus his lacrimis: quinimo, ut ne pax desubito confiat, insidiose cavet, subjectis utrimque novae rixae alimentis. Nihil poterat amoenius cogitari, nihil exprimi vividius. Nunc te conferre volo brevem hanc lineolam cum exuberante copia Nasonis, Amor. L. 1. Eleg. 7. Fallor; aut illic artis inmensam varietatem magis miraberis; hic vero non minus te delectabit invidendus ille nitor nativae simplicitatis.

58. INTER ET IRATUM LENTUS UTRUMQUE SEDET] Nihil mutant libri meliores. at Gebhardus ex binis Palatinis *laetus* ivit nobis subpositum. Rustice profecto, atque inperite. Propertius L. 2. Eleg. 11. ℣. 14.
Nec mihi jam fastus opponere quaerit iniquos:
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Andromache insultans Helenae, apud Senecam Troad. ℣. 897.
Tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
Cum dimicantes lenta prospiceres viros,
Incerta voti.
Vide quae notavimus ad Eleg. 5. ℣. 45, supra.

59. AH LAPIS EST FERRUMQUE] Exposuimus ad Eleg. 1. ℣. 78.

60. VERBERAT] Verberare, vestem discindere, capillum diripere, satis frequens erat in liberis amoribus. Terentius Eunuch. Act. 4. Sc. 3. ℣. 4.
Quin etiam insuper scelus, postquam ludificatus est virginem,
Vestem omnem miserae discidit: tum ipsam capillo conscidit.
Adelph. Act. 1. Sc. 2. ℣. 40.
Fores effregit? restituentur. discidit
Vestem? resarcietur.
Inspice, si otium est, Theocritum Idyll. 2, haud longe a fine: Calpurnium Eclog. 3. ℣. 28. nostrum supra Eleg. 7. ℣. 79. Horatium L. 1. Od. 13. 17. 25. L. 3. Od. 15. 26. Nasonem Amor. L. 1. Eleg. 7. L. 2. Eleg. 5. ℣. 45. L. 2. Art. Amat. ℣. 169. L. 3. ℣. 565. Remed. Amor. ℣. 31. Propertium L. 4. Eleg. 5. ℣. 31. qui tamen istic scaenae serviebat. Honestius,

Sit ſatis, e membris tenuem reſcindere veſtem:
Sit ſatis, ornatus disſolüiſſe comae.
Sit lacrimas moviſſe ſatis. quater ille beatus,
Quoi tenera irato flere puella poteſt.

Sed

ubi ſuo ſenſu loquitur, has blanditias ferinas damnat L. 2. Eleg. 4. ℣. 21.

Nec tibi perjuro ſcindam de corpore veſtem;
Nec mea praecluſas fregerit ira fores.
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris auſim laedere pollicibus.
Ruſticus haec aliquis tam turpia praelia quaerat,
Cujus non hederae circuiere caput.

61. PERSCINDERE VESTEM] Non placet *perſcindendi* verbum violentum. nec ſane huc congruere videtur, contra nitente Ovidio L. 1. Amor. Eleg. 7. ℣. 47.

Aut tunicam ſumma deducere turpiter ora
Ad mediam: mediae zona tuliſſet opem.

Sed corruptum opinor ex *praeſcindere*, ſive (quod eſt in Cyllenii editione) *preſcindere*. unde recte Heinſius *reſcindere* faciebat. Propertius L. 3. Eleg. 6. ℣. 8.

Tu minitare oculos ſubjecta exurere flamma:
Fac mea reſciſſo pectora nuda ſinu.

tralate Horatius L. 1. Epiſt. 3. ℣. 32.

an male ſarta
Gratia nequicquam coit, & reſcinditur?

63. QUATER ILLE BEATUS] Numerus myſticus, felicitatis index in ominibus. Et ſic opinor capiendus Maro L. 2. Aen. ℣. 240.

quater ipſo in limine portae
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.

Videlicet monebant Dii Trojae praeſides, ne intra muros reciperetur fatalis equi moles. ſed Trojanorum conſilia alii Dii jam praecorruperant. Atque hoc aperte dicit magnus poëta:

Inſtamus tamen immemores, caecique furore,
Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.

Equidem non neſcio in alia omnia iviſſe Lutatium Papinii interpretem ad L. 5. Theb. ℣. 86. Sed non libet mihi alium in Marone ſenſum quaerere, niſi quem ipſa divini viri verba prae ſe ferunt. Servius quoque minus recte *quater* accepit pro eo quod eſt *ſaepe*. Non poteſt alius ullus intelligi numerus, praeter quaternarium. Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 447.

O quater, & quoties numero comprendere non eſt,
Felicem, de quo laeſa puella dolet!

L. 3. Triſt. Eleg. 12. ℣. 25.

O quater, & quoties non eſt numerare, beatum,
Non interdicta cui licet urbe frui!

Quem locum eſt imitatus Rutilius Claudius Numatianus, infelicium temporum poëta non infelix, L. 1. Itiner. ℣. 5.

O quater, & quoties non eſt numerare beatos,
Naſci felici qui meruere ſolo!

nec ſine myſterio idem Naſo de Althea, nondum omnino furiis evicta, L. 8. Metam. ℣. 462.

Tum conata quater flammis imponere ramum,
Coepta quater tenuit.

Eumdem numerum Papinius ponit in choris Bacchicis, unde profecto abeſſe oportebat omnem rei malae praeſignificationem, L. 2. Achill. ℣. 154.

Thyaſis Iſmenia buxus
Signa dedit: quater aera Rheae, quater Evia pulſant
Terga manu: variosque quater legere recurſus.

Quid, quod per quaternarium jurarint Pythagorei, a quibus omne hoc numerorum myſterium promanavit? Sed tu Macrobium conſule comment. in Somnium Scipionis L. 1. C. 6.

64. QUO TENERA IRATO FLERE PUELLA POTEST] Recte Douza noſter *Quoi tenera irato* repoſuit; more veterum, *quoi* pro *cui*. Ita enim verbum flendi cum tertio caſu connexuiſſe ipſummet Tibullum L. 2. Eleg. 5. ℣. 103.

Nam ferus ille ſuae plorabit ſobrius idem.

itemque Propertium L. 1. Eleg. 12. ℣. 15.

Felix, qui potuit praeſenti flere puellae.

Douzam ſequitur Paſſeratius. Merito. Nam quamvis mutaverit deinde ratio ſcribendi; tamen ſuus antiquitati mos conſtare debet. Nemo umquam in Catullo ſollicitavit,

Quoi dono lepidum novum libellum?

Etiam in Cicerone ſic legitur, L. 13 ad Attic. Epiſt. 42. *Venit ille ad me, καὶ μάλα κατηφής: & ego, σὺ δὲ δὴ τί σύννους; Rogas? inquit. quoi iter inſtet, & iter ad bellum, idque cum periculoſum tum etiam turpe.* In Marone, *quoi non riſere parentes*, Eclog. 4. &, *Quoi non dictus Hylas*, L. 3. Geor. habent membranae antiquiſſimae. Noſter L. 1. Eleg. 1. ℣. 46.

Martia quoi ſomnos claſſica pulſa fugent.

ſic



Sed manibus qui saevus erit: scutumque, sudemque
 Is gerat, & miti sit procul a Venere.
At nobis Pax alma veni, spicamque teneto:
 Perpluat & pomis candidus ante sinus.

sic habet tertius noster codex. Et Propertius, in illo optimo libro Groningano L. 2. Eleg. 3. ỳ. 7.

Nam quoi non ego sum fallaci praemia vati?

At, dices, hae sunt hallucinationes librariorum. Imo, o bone, scribae illi librarii qui aliter scripserunt, secuti sunt morem temporum suorum, non vero antiquitatis remotioris. Nam veterem illam orthographiam in usu fuisse ad suam usque aetatem testatur Fabius Quintilianus L. 1. C. 7. *Illud nunc melius, quod* CVI, *tribus quas proposui literis enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum,* QU *&* OI *utebantur, tantum ut ab illo* QUI *distingueretur.* hoc est, a nominativo. Nam & in primo & in tertio casu QUI scripsisse veteres, ostendit Donatus in Andr. Act. 1. Sc. 1. ỳ. 140. Ex illo dativo QUI, enatus fuit alter QUOI. Sed hac de re ante nos jam olim monuit Leonardus Malaspina in Cicer. L. 7. ad Attic. Epist. 13. cui laus sua esto inlibata.

67. At nobis Pax alma veni] Apud Gyraldum, *Interea Pax alma veni*, legitur Syntagm. I. Hist. Deor. Credo, errore memoriae. Certe libri nihil mutant.

67. Spicamque teneto] intellige, manu tenuisse fasciculum aristarum; non, quod quidam volunt, spicis coronatam. Talis Ceres cum spicarum manipulo in dextra, & binis pomis ac binis papaveribus, conspicitur apud Boissardum P. 6. Antiq. p. 60. Sunt enim Pacis eadem, quae Cereris, insignia. caussam reddit Naso L. 4. Fast. ỳ. 407.

Pace Ceres laeta est. at vos optate, coloni,
 Perpetuam Pacem, perpetuumque Ducem.

Et sic Virginem, sive Astraeam, quam & ipsam possis Pacem perhibere, describit Caesar Germanicus Arat. ỳ. 95.

Virginis inde subest facies, cui plena sinistra
 Fulget spica manu, maturisque ardet aristis.

Insignem Titi imp. nummum, in quo Pax spicas dextra, sinistra caduceum tenens, cum studiosis eruditae vetustatis communicavit Inlustrissimus Spanhemius Observ. ad Callimach. Hymn. in Cerer. ỳ. 138. in Othonis numismate argenteo eamdem Pacem eodem prorsus modo describit Hannibal Carus L. 2. Epist. 186. in aereo Taciti nummo Pax dextra spicas gerit, sinistra hastam, apud eumdem. Huic omnino similis alter nummus M. A. Carini, ex gaza Ducis Arschotani.



68. Perpluat et pomis candidus ante sinus] saepe enim Pax effingitur cum cornu Amaltheae, pleno pomorum, uvarum, spicarum, atque aliarum rerum bonarum. Atque haec Pax comitem secum semper habet Copiam. Horatius Carm. Saec. ỳ. 57.

Jam Fides, & Pax, & Honor, Pudorque
Priscus, & neglecta redire Virtus
Audet: adparetque beata pleno
 Copia cornu.

L. 1. Od. 17. ỳ. 14.

 Hinc tibi Copia
Manabit ad plenum benigno
 Ruris honorum opulenta cornu.

Quod verbum *manandi* admonet me bellissimae emendationis Nicolai Heinsii, *Perpluat* hoc loco legentis Not. ad Ovid. L. 1. Metam. ỳ. 572. Verissime. Est enim *perpluere*, ubertim pluere. Ceterum Pacem cum cornu Copiae ex nummo Augusti pulcerrimo produxit J. F. Gronovius ad Senec. Med. ỳ. 65.

ALBII TIBULLI
LIBER SECUNDUS.

I.

QUisquis ades, faveas. fruges lustramus, & agros,
Ritus ut a prisco traditus exstat avo.

Bac-

1. Quisquis adest, faveat] Recte Douza F. *Quisquis ades, faveas.* Sic initio Elegiae proxime insequentis:

Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

Recte, inquam. nec audio Gebhardum obloquentem. Est enim praeconis, populum praesentem adloquentis, & silentium imperantis, docente Festo Pompejo in voce *Faventia*; Servio ad L. 5. Aen. ℣. 71; Donato in Andr. prolog. ℣. 24; Porphyrione in Horat. L. 3. Od. 1. Nimirum, ut in secunda persona ediceret, FAVETE LINGUIS. Clare Cicero, quamquam parum probans, L. 2. de Divinat. C. 40. *Jam illa*, FAVETE LINGUIS: *& praerogativam, omen comitiorum: hoc est, ipsum esse contra se copiosum, & disertum.* Atque ita passim poëtae, ex formula solenni. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 71.

Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.

Horatius L. 3. Od. 1. initio:

Odi prophanum vulgus, & arceo.
Favete linguis.

Naso L. 1. Art. Amat. ℣. 268.

Quisquis ubique viri, dociles advertite mentes;
Pollicitisque favens vulgus adeste meis.

Juvenalis Sat. 12. ℣. 83.

Ite igitur, pueri, linguis animisque faventes,
Sertaque delubris, & farra imponite cultris.

Sed haec satis sunto, ad defendendum adolescentis doctissimi veram emendationem. In tribus Vaticanis, unoque Anglicano, erat hoc lemma, SACRUM AMBARVALE. quod & Perreji & Lipsii excerpta agnoscebant.

1. Fruges lustramus et agros] Noli committere, quin Catonem inspicias lib. de R. R. cap. 141. itemque Virgilium, loco huc unice faciente, L. 1. Geo. ℣. 338.

2. Ritus ut a prisco traditus exstat avo] Hic est ille ritus a Catone descriptus, eo, quem indicavi, loco. *Tradere* autem est verbum sacrorum. Cicero L. 2. de Legib. C. 11. *Jam ritus familiae, patrumque servare, id est (quoniam antiquitas proxime accedit ad Deos) a Diis quasi traditam religionem tueri.* & L. 1. de Divinat. C. 41. *Quocirca bene apud majores nostros senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem, atque quaestum.* Caesar L. 6. Bell. Gall. C. 14. *Multa* [Druides] *praeterea de sideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, & juventuti tradunt.* Ovidius, de Sileno, L. 11. Metam. ℣. 90.

titubantem annisque meroque
Ruricolae cepere Phryges: vinctumque coronis
Ad regem traxere Midan: cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui simul agnovit socium comitemque sacrorum,
Hospitis adventu festum genialiter egit
Per bis quinque dies, & junctas ordine noctes.

Huic *tradendi* verbo respondet verbum *accipiendi.* Cicero L. 1. de Nat. Deor. C. 11. *Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum, mentis infinitae vi ac ratione designari & confici voluit.* & L. 2. de Legib. C. 10. *Non a sacerdotibus, non a patribus acceptos Deos, ita placet coli, si huic legi paruerunt ipsi.* Accus. 5. in Verr. C. 72. ad Cererem & Liberam: *Quarum sacra populus Romanus a Graecis adscita*



Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat: & ſpicis tempora cinge Ceres.

5 Luce

ſcita & accepta tanta religione & publice & privatim tuetur, non ut ab aliis huc allata, ſed ut ceteris hinc tradita eſſe videantur.

3. DULCISQUE TUIS E CORNIBUS UVA PENDEAT] clariſſimus & vir & poëta Jacobus Sannazarius ita expreſſit, L. 2. Eleg. 5.

Bacche bimater, ades: ſic ſint tibi nexa corymbis
Cornua: ſic nitidis pendeat uva comis.

Talis Bacchus, multo pulcerrimus, eſt apud Boiſſardum P. 3. Antiq. p. 149. quem nunc reperies in recentato Inſcriptionum Gruterianarum opere auguſto p. LXVI. 8. Eſt & alter Bacchus formoſiſſimus, frontem ſplenio gemmato revinctus, caput umbrante pampino, pendentibus utrimque pone aures uvarum racemis, in Muſeo Romano Cauſei de la Chauſſe, ſect. 2. num. 2. adde pulcerrimae Iaſpidis elegans exemplum, quod publicavit magnus Caſaubonus lib. 1. de Poëſi Satyrica Cap. 2. p. 67. Sic & alii poëtae. Naſo L. 3. Metam. ℣. 666.

Ipſe, racemiferis frontem circumdatus uvis,
Pampineis agitat velatam frondibus haſtam.

Papinius L. 5. Theb. ℣. 269. de Baccho inornato, ac plorante:

Non ille quidem turgentia ſertis
Tempora, nec crinem flava diſtinxerat uva.

inibi Barthius aliquid de his uvis ex Nemeſiano & Albrico notavit De Bacchi cornibus quaedam non inmemorabilia videre licet apud Gyraldum Syntagm. 8. Hiſt. Deor. in *Bugene*. Erant vero aurea. Horatius L. 2. Od. 19. ℣. 29.

Te vidit inſons Cerberus aureo
Cornu decorum.

Atque hoc deſumtum putat Delrius de hiſtoria Moſis, qui quum ex monte deſcenderet, viſus eſt habere faciem cornutam, h. e. ſplendentem, & radios ejaculantem, Comment. in Senec. Hippol. ℣. 753. Vide magnum Voſſium L. 1. de Idololatr. C. 30. & Reverendiſſ. Huetium Demonſtr. Euangel. Propoſ. 4. Sic & Politiano jam olim viſum, viro majori quam hodie capiunt homuncionum quorumdam ſuperbae anguſtiae, Nutric. ℣. 252.

Pars hymnos fudere Deo. ſic maximus ille
Nondum clara ſacris radiatus tempora Moſes
Ignibus, ut rubras ſicco pede tranſiit undas,
Demerſo inſignem cecinit Pharaone triumphum.

Ceterum Bacchus cornuum ſuorum aurum in Lydiae flumine Hermo renovare credebatur. Papinius L. 3. Silv. 3. ℣. 60.

Smyrna tibi gentile ſolum, potusque verendo
Fonte Meles, Hermique vadum, quo Lydius intrat
Bacchus, & aurato reficit ſua cornua limo.

Sed hoc jam olim Janus Parrhaſius notavit ad Claudian. L. 2. de Rapt. Proſerp. ℣. 68.

4. SPICIS TEMPORA CINGE CERES] Ex ritu ſolenni. Horatius Carm. Saec. ℣. 30.

Fertilis frugum pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona.

Quomodo ſaepe conſpicitur in nummis antiquis; etiam Pacis nomine. Hinc *ſpiciferam* vocabant, & *frugiferam*, & *matrem agrorum.* Manilius L. 2. ℣. 442.

Spiciferae eſt Virgo Cereris; fabricataque Libra Volcano.

Apulejus L. 6. Metam. verbis Pſyches: *Per ego te frugiferam tuam dextram iſtam deprecor, per laetificas meſſium cerimonias, per tacita ſacra ciſtarum*, &c. Lapis vetus apud Gruterum, XXVI. 8.

CERERI
FRVGIF
SACR
L. VEIANIVS. COSMVS
P P

alius ibid. 9.

CERERI. AVGVST
MATRI. AGR

Sic ego iſtud exaratum vidi in autographo Steph. Vinandi Pighii; & in Annalibus ad A. V. DCCLXX. melius quam MATRI SACR. quomodo Aldus edidit in Orthographia. Lapis agri Brixienſis in Syntagmate Reineſiano, Claſſ. I. XXXV.

CERERI
MATRI. MAXIMAE
FRVGIFERAE
QVINTIVS. GEMELLVS
V. S. L. M.

Sed

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator;
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad praesepia debent
Plena coronato stare boves capite.

Omnia

Sed de Cerere *spicifera* videndus Vir omni praedicatione major Ezechiel Spanhemius ad



Callimach. Hymn. in Cererem ℣. 2. Gestabat autem hanc spiceam coronam Dea in rebus laetis; in luctu deponebat. Sic raptâ filiâ Persephone, postquam intellexit non posse reddi virginem, eo quod apud inferos jejunium solvisset, (Nasonem audis L. 4. Fast. ℣. 609.)

Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Moesta parens; longa vixque refecta mora est.
Atque ita, Nec nobis caelum est habitabile, dixit:
Taenaria recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit: pactus nisi Jupiter esset,
Bis tribus ut caelo mensibus illa foret.
Tum demum vultusque Ceres animumque recepit;
Imposuitque suae spicea serta comae.

& L. 3. Amor. Eleg. 10. ℣. 35.

Diva potens frugum silvis cessabat in altis:
Deciderant longae spicea serta comae.

Claudianus L. 3. de Raptu Proserp. ℣. 149.

Non exspectatae respectu cladis, amictus
Conscidit, & fractas cum crine avellit aristas.

Paullo ante ipsa Dea Cybelae dixerat, ℣. 124.

Somnia quin etiam variis infausta figuris
Saepe monent, nullusque dies non triste minatur
Augurium, quoties flaventia serta comarum
Sponte cadunt.

Fratres quoque Arvales spicea corona insigniebantur, & infulis albis. Masurii Sabini verba ex primo Memorialium servavit nobis A. Gellius L. 6. C. 7. *Ea mulier ex duodecim filiis maribus unum morte amisit, in illius locum Romulus Accae Larentiae sese filium dedit; seque & ceteros ejus filios Fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit Fratrum Arvalium numero duodecim. Cujus sacerdotii insigne est spicea corona, & albae infulae.* Sed & Plinium audiamus, L. 18. C. 2. *Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Larentia nutrice sua genitos, spicea corona, quae vitta alba colligaretur, in sacerdotio eis pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vita finitur, & exsules etiam captosque comitatur.*

5. LUCE SACRA REQUIESCAT HUMUS] Jo. Marius Mattius ex libro suo vetere profert, *Luce tua*, L. I. Opin. C. 13. & sic ad unam Cererem foret referendum. Non placet. nam & pro frugum pecorumque ubertate & pro vinearum proventu simul fiebat. Quod ignorare patremfamilias diligentem haud quaquam oportebat. Cicero L. 2. de Legib. C. 12. *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requietem habet litium, & jurgiorum; in servis, operum & laborum: quas compositor anni conferre debet & ad perfectionem operum rusticorum. quod tempus, ut sacrificiorum libamenta serventur, foetusque pecorum, quae dicta in lege sunt; diligenter habenda ratio intercalandi est.*

8. NUNC AD PRAESEPIA DEBENT PLENA CORONATO STARE BOVES CAPITE] propter societatem operum ac laborum. Magnus ab omni aevo honos habitus fuit bubus aratoribus. Res pulcras videbis, si voles, apud Varronem L. 2. de R. R. cap. 5; Columellam praefat. L. 6; Plinium L. 8. C. 45. Hinc Pythagoras Nasonianus L. 15. ℣. 120.

Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit curvi demto modo pondere aratri

Ru-

Omnia ſint operata Deo: non audeat ulla
Lanificam penſis impoſuiſſe manum.
Vos quoque abeſſe procul jubeo, (diſcedite ab aris)
Quîs tulit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis. pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Cer-

Ruricolam mactare ſuum; qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat meſſes, percuſſit colla ſecuri.

Sane id Romanos aliquando non mitius puniviſſe, quam ſi homo foret occiſus, oſtendit Valerius Maximus L. 8. C. 1. Sed haec olim fuerunt. Conſtantinus Imp. ſtatuit, ne boves aratorii ob civilia debita pignori caperentur; neve ad curſum publicum, ab his qui iter faciunt, abstraherentur, etiam deficientibus illis, qui curſui publico erant deſtinati; docente magno Cujacio L. 4. Obſerv. C. 20. Coronati hic ſtant boves ambarvali ſacro, itidem ut aliis feriis alia animalia ab quotidiano labore ceſſantia. Ovidius L. 1. Faſt. ℣. 663.

State coronati plenum ad praeſepe juvenci:
Cum tepido veſtrum vere redibit opus.

quo loco de Albiana imitatione non omiſit monere inluſtriſſimus Neapolis. Expreſſit & vir ſummus Hier. Fracaſtorius L. 1. de Intellectione, ubi puer ita ad citharam canit:

Lege lychnida, Leuce,
Et viridem violis intexito amaracon albis.
Serta duo mihi necte: unum quod poſtibus ipſe
Appendam, Thelaira, tuis, mea maxima dona,
Nota tibi: aſt aliud, quod feſta luce laborum
Inmunes decoret plena ad praeſepia tauros.

Sic in Veſtae ſacro aſini coronabantur, qui molas egerant. Propertius L. 4. Eleg 1. ℣. 21.

Veſta coronatis pauper gaudebat aſellis.

Naſo L. 6. Faſt. ℣. 311.

Ecce, coronatis panis dependet aſellis;
Et velant ſcabras florida ſerta molas.

In feſto Dianae canes. id erat Idibus Auguſtis. Papinius L. 3. Silv. 1. ℣. 57.

ipſa coronat
Emeritos Diana canes, & ſpicula tergit,
Et tutas ſinit ire feras: omniſque pudicis
Itala terra focis Hecataeas excolit Idus.

Conſualibus equi. qua de re Plutarchus in Quaeſt. Rom. ubi & aſinos tradit tunc coronari ſolere. Tamen Cato ille priſcus, mulis, equis, aſinis nullas eſſe ferias dixit, auctore Columella L. 2. C. 22. Nunc a ruta ad pulegium. In Scaligeri excerptis verſiculus minor ita erat ſcriptus,

Plena coronato vertice ſtare boves.

Et quaſdam membranas ita habere, notavit inluſtriſſimus Neapolis ad Ovid. L. 1. Faſt. credo, reſpiciens ad illa ipſa excerpta. Nam in aliis libris tale quidquam exſtare, nemo unquam ſignificavit. Nec vero Tibullus ita ſcripſiſſet; Tibullus inquam, quo uno nullus poëtarum ſollicitius ſibi cavit a ſtridulis poſitionibus literarum SC. SP. SQ. ST. Nihil me movet inmenſa vis exemplorum, quae in contrarium adferri ſolent. Ex Tibullo probanda eſt Tibullianae ſcriptionis conſuetudo.

9. Non audeat ulla Lanificam &c.] Haec edicit tamquam praeco, ex ſolenni ſacrorum more. Servius ad L. 1. Geor. ℣. 268. *Sunt aliqua, quae, ſi feſtis diebus fiant, ferias polluant. Quapropter & pontifices ſacrificaturi praemittere calatores ſuos ſolent, ut ſicubi viderint opifices adſidentes, opus ſuum prohibeant, ne pro negotio ſuo & ipſorum oculos & cerimonias Deûm attaminent.* Macrobius L. 1. Saturn. C. 16. *Affirmabant autem ſacerdotes, pollui ferias, ſi indictis conceptiſque opus aliquod fieret. Praeterea regem ſacrorum flamineſque non licebat videre feriis opus fieri: & ideo per praeconem denuntiabatur, ne quid tale ageretur; & praecepti negligens multabatur. Praeter multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egiſſet, porco piaculum dare debere; prudentem expiare non poſſe, Scaevola pontifex affirmabat.* Hi praecones dicebantur *praeclamitatores*, itemque *praeciae*, a praeciendo, & praeclamando. auctor Feſtus Pompejus, ſed a carnifice Paullo mutilatus. Ceterum in vocibus, *ulla lanificam*, ineſt aliquid antiquae venuſtatis, quod hodie ignorat poëtantium natio. De eo nos ſemel atque iterum in loco monuimus.

13. Casta placent Superis] Martialis Epiſt. ad Domitianum, L. 8. *Cum pars libri & major & melior ad majeſtatem ſacri numinis*

tui

Cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras,
Vinctaque post olea candida turba comas.

tui allegata sit, meminerit non nisi religiosa purificatione lustratos accedere ad templa debere. Macrobius L. 3. Saturn. C. 1. *Hoc autem reputo principaliter praemittendum, quo ad hoc quis Diis superis rem sacram recte perficiat, prius eum rite purificari oportere.* Id quod sequitur, *pura cum veste venite*, capiendum de veste candida. Ovidius L. 4. Fast. ℣. 619.

Alba decent Cererem: vestes Cerealibus albas
Sumite. nunc pulli velleris usus abest.

Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. *Cum ob cultum omnia candidatum, & ob notam vittae & privilegium galeri, Cereri initiantur.* Hoc & Neapolis observaverat.

14. ET MANIBUS PURIS SUMITE FONTIS AQUAM] numquam enim nisi loti accedebant ad sacra. Hesiodus Ἔργ. καὶ Ἡμέρ. ℣. 724.

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.
Οὐ γὰρ τοίγε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.
Neque umquam mane Jovi libato nigrum vinum
Manibus illotis, neque aliis inmortalibus.
Neque enim illi exaudiunt, respuunt vero etiam preces.

In voce *puris* suspicor adcrevisse literam supremam ex proximo verbo *sumite*, & legendum *puri*, ut fontis potius sit quam manuum epitheton. Ita sane Naso L. 4. Fast. ℣. 314.

Haec ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam;
Ter caput irrorat, ter tollit in aethera palmas.

eodem libro, ℣. 778. in Palilibus:

His Dea placanda est: haec tu conversus ad ortus
Dic ter, & in vivo prolue rore manus.

Propertius L. 3. Eleg. 1. ℣. 3.

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Grajos orgia ferre choros.

deinde Eleg. 8. ℣. 13.

Ac primum pura somnum tibi discute lympha.

Sed nihil pertendo. Sunt enim auctoritates & multae & clarae, unde vulgata scriptura firmari queat. Neque etiam ignoro, quid sint in sacris *purae manus.*

15. UT EAT SACER AGNUS AD ARAS] Ut sue gravida, (id quod Servius notavit ad L. 1. Geor. ℣. 345.) ita & agno fiebat Ambarvalibus. Maro L. 1. Geor. ℣. 341.

annua magnae
Sacra refer Cereri laetis operatus in herbis,
Extremae sub casum hiemis, jam vere sereno.
Tum pingues agni, & tum mollissima vina.

is agnus circum agros ducebatur; ideo *ambarvalis* dictus. Festus: *Ambarvales hostiae appellabantur, quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur. Ambarvalis hostia est, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab iis, qui pro frugibus faciunt.* In membro priore legebat Scaliger, *a duodecim fratribus.* Id quod nos in medio relinquemus: neque enim fieri non potuit, ut egerint partito. Nunc Macrobium audiamus, L. 3. C. 5. *Ambarvalis hostia est, ut ait Pompejus Festus, quae rei divinae causa circum arva ducitur ab his, qui pro frugibus faciunt. Hujus sacrificii mentionem* [Virgilius] *in Bucolicis habet, ubi de apotheosi Daphnidis loquitur:*

Haec tibi semper erunt, & cum sollemnia vota
Reddemus Nymphis, & cum lustrabimus agros.

Ubi lustrare *significat circumire. Hinc enim videlicet & nomen hostiae acquisitum est ab ambiendis arvis. Sed & in Georgicorum libro primo:*

Terque novas circum felix eat hostia fruges.

Vides & Maronem & nostrum Albium consulto uti verbo *eundi:* in quo verbo est significatio liberae voluntatis. Non enim hostiae ligabantur; &, si apud aram reluctarentur, non litabant. Plinius L. 8. C. 45. *Hoc quoque notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare; sicut nec claudicante, nec aliena hostia Deos placari, nec trahente se ab aris.* Macrobius, loco laudato: *Observatum est a sacrificantibus, ut si hostia, quae ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur: quia invito Deo offerri eam putabant. Quae autem stetisset oblata, hanc volenti numini dari aestimabant.* Servius ad L. 2. Aen. ℣. 133. VINCULA RUPI. *Atqui solutae sunt hostiae. Nam piaculum est in sacrificio aliquid esse religatum. Unde est,*

Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.

item,

vittasque resolvit
Sacrati capitis.

Ergo vincula religionis intellige. ut,

Et vinclis innaret Cloelia ruptis.

scilicet foederis. Nec enim obsides umquam ligantur. Sed huic expositioni illud occurrit, Unde

iste

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agreſtes.
  Vos mala de noſtris pellite limitibus.
Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis,
  Neu timeat celeres ſegnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus agris
  Ingeret ardenti grandia ligna foco.

Tur-

iſte ligatus fuerit, quia cum Trojani non ligarunt. ultro enim ſe obtulerat. Unde intelligendum, a Graecis magis ligatum ante tempus ſacrificii. Nam conſuetudo illa, quam ſupra diximus, erat in ipſo tempore ſacrificiorum. Ante enim ligabantur. ut Juvenalis:

Sed procul extenſum petulans quatit hoſtia funem.

Et Junius Philargyrius ad L. 2. Geor. ℣. 394. *Improbant haruſpices hoſtiam, quae, admota altaribus, reluctatur.*

17. Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes] *Dii patrii* ſunt Penates. Cicero Philipp. 2. C. 30. *Cn. Pompeji liberi primum patriam repetebant. eſto: fuerit haec partium cauſſa communis. Repetebant praeterea Deos patrios, aras, focos, larem ſuum familiarem.* Macrobius L. 3. Saturn. C. 4. *Addidit Hyginus in libro, quem de Diis Penatibus ſcripſit, vocari eos θεοὺς πατρῴους. Sed nec hoc Virgilius ignoratum reliquit:*

Dii patrii, ſervate domum, ſervate nepotem.

de purgatione agreſtium aliquid diximus ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 13.

19. Neu seges eludat messem fallacibus herbis] Proprie dixit *eludat.* Maro L. 1. Geor. ℣. 226.

Multi ante occaſum Majae coepere: ſed illos
Exſpectata ſeges vanis eluſit ariſtis.

Propertius meus *deludere* poſuit L. 2. Eleg. 12. ℣. 31.

Terra prius falſo partu deludet arantes.

Alii *decipere* vocarunt, & *fallere*, & *mentiri.* Ovidius L. 5. Metam. ℣. 480.

illic ſaeva vertentia glebas
Fregit aratra manu: parilique irata colonos
Ruricolaſque boves leto dedit: arvaque juſſit
Fallere depoſitum; vitiataque ſemina fecit.

L. 2. Pontic. Epiſt. 9. ℣. 29.

Vana laborantis ſi fallat vota coloni,
Accipiat gravidae cur ſuis exta Ceres?

L. 4. Faſt. ℣. 645.

Saepe Ceres primis dominum fallebat in herbis;
Et levis obſeſſo ſtabat avena ſolo.

Amor. L. 3. Eleg. 10. ℣. 34.

Cum bene jactati pulſarant arva ligones,
Ruperat & duram vomer aduncus humum,
Seminaque in latos iërant aequaliter agros;
Irrita decepti vota colentis erant.

Symmachus L. 10. Epiſt. 61. *Secuta eſt fames publica, & ſpem provinciarum omnium meſſis aegra decepit.* Horatius L. 1. Epiſt. 7. ℣. 87.

oves furto, morbo periere capellae;
Spem mentita ſeges; bos eſt enectus arando.

Silius de agro Falerno, L. 7. ℣. 160.

Dives ea, & numquam tellus mentita colono.

Alcimus Avitus L. 3.

Quin magis ipſa ſibi tellus adverſa negabit,
Seminis excepti vertens mentita nitorem.

pulcre Quintilianus Declam. 12. *Non enim vulgaris illa labes frumenti fuit, nec qualis aliis ab agricolis accuſari ſolet perfidia terrarum, & ingratae meſſis irritus labor. —— etiam ſicubi forte jejunae herbae ſolum vicerant, vanis tantum ariſtis ſpem feſellerunt, & inanes culmos triſtis agricola jactavit ventis nihil relicturis.* Hanc ille *terrarum perfidiam* a poëtis accepit. Noſter hujus libri Eleg. 3. ℣. 34.

At tibi dura Ceres, Nemeſim quae abducis ab urbe,
Perſolvat nulla ſemina terra fide.

Horatius L. 3. Od. 16. ℣. 30.

Purae rivus aquae, ſilvaque jugerum
Paucorum, & ſegetis certa fides meae.

De his autem votis Cereri ſuſceptis, expoſito ſimul Albiano verſiculo, praeclare egit Illuſtriſſimus Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Cerer. ℣. 137.

20. Segnior agna] eſt in libris nonnullis, *tardior agna.* Ego iſtud malo. dicitur enim *ſegnis* quaſi *ſine igne.* Vide Servium ad L. 1. Aen. ℣. 427. ad L. 2. ℣. 373. ad L. 12. ℣. 525. Angelum Decembrium L. 3. de Polit. Liter. p. 231. & Voſſium noſtrum in Etymologico L. L.

21. Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis] *nitidus*, bene ſaginatus. Cato lib. de R. R. cap. 1. *Vicini quo pacto niteant, id*

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, & ex virgis exstruet ante casas.
Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

Nunc

id animum advertito. In bona regione bene nitere oportebit. Horatius L. 1. Epist. 4. ℣. penult.

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises.

& L. 2. Sat. 2. ℣. 128.

quanto aut ego parcius, aut vos
O, pueri nituistis, ut huc novus incola venit?

Phaedrus L. 3. Fab. 7.

Cani perpasto macie confectus lupus
Forte occurrit: salutantes dein invicem
Ut restiterunt, Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.

Quod sequitur, *areis*, a Scaligero est, sacrificium post collectas fruges fieri solitum intelligente. In libris passim reperias *agris*. Et *plenos agros* jam semente facta veluti gravidos intelligebat eruditissimus Torrentius ad Horat. Epod. 2. ℣. 43. nec non Salmasius Not. in Vopiscum p. 361. Sequamur; praesertim in tanta vetustorum codicum conspiratione. Statim in versu breviore *Ingeret* scribendum, non *Ingerat*. Ostendunt sequentia.

23. TURBAQUE VERNARUM, SATURI BONA SIGNA COLONI] olim legebatur *satyri coloni*: quae aberratio, quamquam levis ac paene jocularia, in quantas angustias redegerit bonum Cyllenium, miraberis, si inspicere volueris. *Satur* est, locuples, copiosus Cicero Dial. de Senect. C. 16. *Mea quidem sententia haud scio, an ulla beatior esse possit: neque solum officio, quod hominum generi universo cultura agrorum est salutaris: sed & delectatione, quam dixi, & saturitate copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam Deorum pertinent.* Horatius Epod. 2. ℣. 65.

Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares.

25. VIDEN' UT FELICIBUS EXTIS] in Lipsii excerptis erat *coelestibus extis.* quod non probo. Gaudet noster in bonitate extorum, fausta omnia ac felicia portendentium. Nam per exta exquirebatur voluntas Deorum. Vide quae ex Trebatii libris de Religionibus exscripsit Macrobius L. 3. Saturn. C. 5. Illud, *Viden' ut*, repentinum aliquid notat; ut passim observare est apud poëtas. De quantitate ambigi posset, nisi monuissent veteres Magistri. Servius ad L. 6. Aen. ℣. 779. *Viden' ut geminae stant vertice cristae?*] DEN *naturaliter longa est. brevem tamen eam posuit, secutus Ennium. Et adeo ejus est immutata natura, ut jam, ubique brevis inveniatur.* Lutatius ad Papin. L. 10. Theb. ℣. 807. *Viden' ut jugulo consumserit ensem?*] *Syllaba cum naturaliter longa sit, tamen eam corripuit, secutus auctoritatem Maronis, dicentis.* VIDEN' UT GEMINAE STANT VERTICE CRISTAE? Ennium integrum legerat Servius: nos non nisi misere mutilum habemus. Sed Maroni potuit & Catullus praeivisse, Carm. 59. ℣. 8.

Sic certe. Viden' ut perniciter exsiluere.

26. SIGNIFICET PLACIDOS NUNTIA FIBRA DEOS] *Significare* est verbum haruspicinae, omnisque adeo divinationis. Cicero Catilin. 2. C. 13. *Quae quidem ego neque mea prudentia, neque humanis viribus fretus polliceor vobis, Quirites: sed multis & non dubiis Deorum immortalium significationibus.* Orat. de Harusp. Resp. C. 12. *Quod igitur ex aliquo disjuncto diversoque monstro significatum caveremus, id cum sibi ipsum monstrum est, & cum in eo ipso periculum est, ex quo periculum portenditur, non pertimescemus?* L. 1. de Divinat. C. 1. *Gentem quidem nullam video neque tam humanam, atque doctam, neque tam immanem, tamque barbaram, quae non significari futura, & a quibusdam intelligi praedicique posse, censeat.* Fibram noster pulcre *nuntiam* vocat, quae quasi verbis claris enuntiet voluntatem Deorum. Et sic Propertius L. 4. Eleg. 1. ℣. 100.

Aut sibi commissos fibra locuta Deos.

Ipse Albius L. 1. Eleg. 9. ℣. 3.

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum.

& L. 3. Eleg. 4. ℣. 5.

venturae nuntia sortis
Vera monent Tuscis exta probata viris.

Pythagoras apud Nasonem L. 15. Metam. ℣. 136.

Protinus ereptas viventi pectore fibras
Inspiciunt: mentesque Deûm scrutantur in illis.

27. NUNC

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis: & Chio solvite vincla cado.
Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed, Bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.

Gen-

27. NUNC MIHI NUNC FUMOS VETERIS PROFERTE FALERNOS CONSULIS] Haec a Scaligero habemus. In libris est,

Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos
Consulis.

Atque ita citatum legas apud Jo. Jovianum Pontanum L. 2. de Adspirat. Certe *fumos* dici vina fumum bibere instituta, ut Flaccus loquitur, egebat bonis fidejussoribus. *Falernos* autem quod vocat genere masculino, intellige cados. Joannes Pierius Valerianus, vir multo eruditissimus, ita corrigebat L. 51. Hieroglyphic. C. 19. & Castig. in L. 2. Geor. Maronis ℣. 97.

Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos
Consulis.

ut scilicet *fumosus consul* sic dicatur, quomodo legimus apud Juvenalem,

Fumosos equitum cum dictatore magistros.

Sed longe id recedit a genio Albianae Musae. Et jam olim displicuit nostro Fruterio. Vide notata ad L. 1. Eleg. 11. ℣. 18. Per veterem consulem intelligitur vetustas vini, & precium ab aevo. Varro L. 1. de Re Rust. C. 65. *Genera sunt vini, in quo Falerna, quae quanto plures annos condita habuerunt, tanto, cum promta sunt, fructuosiora.*

28. CHIO SOLVITE VINCLA CADO] Chium miscebant cum Falerno delicatius potaturi. Horatius L. 1. Sat. 10. ℣. 24.

At sermo lingua concinnus utraque
Suavior: ut Chio nota si commixta Falerni est.

Plinius L. 14. C. 15. *Quid, non & Caesar Dictator triumphi sui coena vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit? idem Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit.* Pulcre Ausonius, eruditissimus poëta, de Harmonio, Grammatico Trevirorum, Epist. 18.

Cecropiae commune decus Latiaeque camenae,
Solus qui Chium miscet & Ammineum.

Sed horum partim Torrentius notavit ad Horatium, explicato simul Tibullo.

29. VINA DIEM CELEBRENT] Hinc discere licet, Cereris sacra, quae pro frugibus fierent, non fuisse abstemia. Horatius L. 2. Sat. 2. ℣. 125.

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.

Catonem adde lib. de R.R. cap. 134. & Servium in L. 1. Geor. ℣. 344. Verbum *celebrandi* inlustratum dedimus ad L. 1. Eleg. 3. ℣. 33. Est autem in eo verbo, praeter religionis venerationem, etiam significatio festivae hilaritatis. ut hoc ipso loco. Macrobius L. 2. Saturn. C. 7. *Sed quia & paullo ante Aurelius Symmachus, & ego nunc, Laberii fecimus mentionem; si aliqua hujus atque Publii dicta referemus, videbimur & adhibendi convivio mimos vitasse lasciviam, & tamen celebritatem, quam, cum adsunt, illi excitare pollicentur, imitari.*

29. NON FESTA LUCE MADERE EST RUBOR] Sallustius Jugurth. C. 66. *In diem tertium constituunt, quod is festus celebratusque per omnem Africam ludum & lasciviam magis quam formidinem ostentabat.* Virgilius L. 2. Geor. ℣. 527.

Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, & socii cratera coronant,
Te libans, Lenaee, vocat.

Macrobius L. 1. Saturn. C. 11. ubi de sacrificio, quod Junoni Caprotinae faciebant liberae pariter atque ancillae, Nonis Juliis: *Quae* [ancillae, habitu matrumfamilias ac virginum sumto] *cum a Livio in castris distributae fuissent, viros plurimo vino provocaverunt, diem festum apud se esse simulantes.* Inspice sodes Horatium L. 3. Od. 28.

31. SED, BENE MESSALAM, SUA QUISQUE AD POCULA DICAT] Scaliger malebat, *Bene Messalae.* Parum refert: nam utroque modo dicebant. Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 601.

Et, Bene, dic, dominae; bene, cum quo dormiat illa.

L. 2. Fast. ℣. 637.

Et, Bene vos, Patriae bene te Pater, optime Caesar,
Dicite suffuso, sint rata verba, mero.

 Ritum

Gentis Aquitanae celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor avis,
Huc ades, adspiraque mihi, dum carmine nostro
Redditur Agricolis gratia Caelitibus.
Rura cano, rurisque Deos. his vita magistris
Desuevit querna pellere glande famem.

Illi

Ritum ipsum liberaliter inlustravit Barn. Brissonius L. 1. de Formul. Ex quo deinde alii hauserunt.

34. ET MAGNA INTONSIS GLORIA VICTOR AVIS] ita optime Scaliger, ex corrupta librorum scriptura *victor ades*; sive, ut ipse putabat, *victor abis*. Certe in secundo codice Bibliothecae Bodlejanae erat *victor abes*. Georgius Fabricius, vir, sua tempestate, eruditionis laude atque ingenii vix cuiquam secundus, sic citabat, ad Horat. L. 1. Od. 12.

intonsis gloria, victor ades.

pro, (inquit) *gloria intonsorum*; *quales Romani veteres fuerunt*. Sed non ita loquebantur Romani. Semper *intonsum* jungebant vel cum voce alia substantiva, vel cum nomine aliquo proprio. Ovidius L. 3. Trist. Eleg. 1. ỳ. 60.

Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad intonsi candida templa Dei.

L. 2. Pont. Epist. 9. ỳ. 31.

Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta sub adducto si pede nulla fluant.

L. 6. Fast. ỳ. 264.

Hic locus exiguus, qui sustinet atria Vestae,
Tunc erat intonsi regia magna Numae.

L. 2. Fast. ỳ. 30. ubi de Februis:

Denique quodcumque est, quo pectora nostra piamur,
Hoc apud intonsos nomen habebat avos.

Ab his avis intonsis deducit poëta antiquam Messalae nobilitatem. Nec poterat argumento uti certiore. Varro L. 2. de Re Rust. C. 11. *Omnino tonsores in Italiam primum venisse ex Sicilia dicuntur post* R. C. A. CCCCLIIII. *ut scriptum in publico Ardeae literis exstat, eosque adduxisse P. Ticinium Menam. Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum statuae, quod pleraeque habent capillum, & barbam magnam.* Cicero orat. pro Coelio C. 14. *Aliquis mihi ab inferis excitandus est ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur: sed illa horrida, quam in statuis antiquis & imaginibus videmus.* Albianum versiculum expressit Propertius meus, sed ita, ut fecerit grandiorem, L. 4. Eleg. 6. ỳ. 38.

Mox ait: O longa mundi servator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite major avis.

36. REDDITUR AGRICOLIS GRATIA CAELITIBUS] redditur gratia, pro beneficiis acceptis. Catullus Carm. 65. ỳ. 150.

Hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis.

Cicero Philipp. 5. C. 15. *Qui honos mihi maximus videtur, primum, quia justus est. Non enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur.* &c. Est tamen hic significatio religionis. Vide supra ad L. 1. Eleg. 3. ỳ. 34. *Dei agricolae* sunt Bacchus potissimum ac Ceres. noster L. 4. Carm. 1. ỳ. 163.

Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve.

Maronem vide initio L. 1. Georg. ipsumque hujus Elegiae principium.

37. HIS VITA MAGISTRIS] ad Deos auctores refert artes & inventa hominum, vitae communi utilia. Cicero L. 2. de Offic. C. 4. *Qui denique ex bestiis fructus, aut quae commoditas, nisi homines adjuvarent, percipi posset? nam & qui principes inveniendi fuerunt, quem ex quaque belua usum habere possemus, homines certe fuerunt.* Et qui sic fuissent, eos hominum aliorum fama, beneficiorum memor, in concilium Deorum collocabat. id quod operose docere, nihil est necesse.

38. DESTITUIT QUERNA PELLERE GLANDE FAMEM] Hanc praecipuam primorum mortalium alimoniam fuisse, nondum inventis frugibus, omnis tradidit antiquitas. Plinius prooem. L. 16. *Proximum erat narrare glandiferas* [arbores] *quoque, quae primae victum mortalium aluerunt, nutrices inopis ac ferae sortis.* Maro L. 1. Geor. ỳ. 147.

Prima Ceres ferro mortalis vertere terram
Instituit: cum jam glandes atque arbuta sacrae
Deficerent silvae, & victum Dodona negaret.

Addit glandibus poëta summus arbuta: quomodo ante eum Lucretius L. 5. ỳ. 940.

Glan-

Illi compositis primùm docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire casam.

Illi

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque; &, quae nunc hiberno tempore cernis
Arbuta poeniceo fieri matura colore,
Plurima tum tellus, etiam majora, ferebat.

Alii & fraga, & corna, & frondes teneriores. Ovidius L. 1. Metam. ℣. 103.

Contentique cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos foetus, montanaque fraga legebant,
Cornaque, & in duris haerentia mora rubetis;
Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes.

Et Amor. L. 3. Eleg. 10. ℣. 7.

Ante nec hirsuti torrebant farra coloni:
Nec notum terris area nomen erat.
Sed glandem quercus oracula prima ferebant.
Haec erat, & teneri cespitis herba cibus.

Idem L. 4. Fast. ℣. 395.

Messis erant primis virides mortalibus herbae;
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulae tenera fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. bene erat jam glande reperta;
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.

Quintilianus Declam. 12. *Utinam saltem nobis rudem victum silvae ministrassent, & carpere arbuta, concutere quercum, legere fraga licuisset: & quaecumque primi mortales ante traditos divinitus mitiores cibos contra famem objecerunt, pestifer annus reliquisset.* Arnobius L. 2. *Quid enim, si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis saeculis, quod inventis frugibus glandes spreverint, & repudiaverint arbuta?* Quod Cereri adscribunt poëtae, id Hispanos regi suo Habidi debere auctor est Justinus L. 44. C. 4. *Qui ut regnum accepit, tantae magnitudinis fuit, ut non frustra Deorum majestate tot periculis ereptus videretur. Quippe barbarum populum legibus junxit, & boves primus aratro domari, frumentaque sulco quaerere docuit, & ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum quae ipse passus fuerat, homines coëgit.* Nec tamen ideo suus glandi honos decrevit apud hos ipsos populos, Plinio teste L. 16. C. 5. *Glandes opes esse multarum gentium, etiam pace gaudentium constat. Nec non & inopia frugum arefactis molitur farina, spissaturque in panis usum. Quin & hodieque per Hispanias secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta.* Et talis infantibus dabatur a nutrice. Arnobius L. 2. *Sed aut fitilla de milio, aut sit panis ex farre, aut, ut saecula imitemur antiqua, ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agrestibus bacculae.* Ceterum verbum *Destituit* huic loco, ni fallor, minus aptum est, quam *Desuevit*, quod legitur in libris melioribus. *Destituere* est, derelinquere, deserere. Livius L. 34. C. 34. *Itaque ne aut repente trepidetis, aut rem inchoatam turpiter destituatis, scribendum ante vestris civitatibus censeo, explorandumque, quid quaeque animi, quid virium habeat.* At *desuescere*, quod est contrarium τοῦ *adsuescere*, vel *consuescere*, longe aliam habet notionem. Hoc & *desuefieri* dicebant. Varro L. 2. de Re Rust. C. 9. de catulis: *Duobus mensibus primis a partu non disjunguntur a matre, sed minutatim desuefiunt.* Titinnius in Gemina *desuere* videtur dixisse active, pro eo quod est desuefacere:

Parasitos amovi, lenonem aedibus absterrui,
Desuevi ne quo ad coenam iret extra consilium Meum.

39. Illi compositis primum docuere tigillis] *primi* erat in secundo Wittiano. Sed & vulgata bene habet. Propertius L. 2. Eleg. 9. ℣. 3.

Hic primum vidit sine sensu vivere amantes.

Maro L. 1. Geor. ℣. 136.

Tunc alnos primum fluvii sensere cavatas.

Tigilla sunt tigna parva, sive perticae; quibus pectinatim positis, & fronde, vel arundine, aut stramine intectis fit tuguriolum ad habitationem agrestem. Vide super hac vocula Douzam nostrum L. 2. Praecidan. pro Arbitrio C. 16. & Nic. Heinsium ad Ovid. L. 14. Metam. ℣. 534. Viderat quoque nonnihil Cyllenius.

40. Viridi fronde operire domum] Nam prius in cavernis atque antris habitarant, ferarum more. Lucretius L. 5. ℣. 956.

Sed nemora, atque cavos monteis, silvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbreisque coacti.

illa latibula Naso *domos* vocat, sed ita, ut ipse se corrigere videatur, L. 1. Metam. ℣. 121.

Tum

Illi etiam tauros primùm docuisse feruntur
  Servitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri; tunc insita pomus;
  Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.

45 Au-

Tum primum subiere domos. domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & vinctae cortice virgae.

Est nimirum *domus* appellatio splendidior, quam quae conveniat spelaeis, atque etiam tuguriis rusticanis. Unde fit ut non invitus amplectar veterem hic lectionem, *operire casam:* sic enim habent multi codices scripti, & primae quoque editiones. Lucretius L. 5. ℣. 1012.

Inde casas postquam ac pelleis ignemque pararunt,
Et mulier conjuncta viro concessit in unum.

Maro Eclog. 2. ℣. 29.

O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humilis habitare casas!

Noster infra Eleg. 3. ℣. 28.

Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parva te jubet esse casa.

Ac, ne quis dubitet de veritate hujus scripturae, tectis hisce angustis atque exilibus ipse opponit *domos.* sic L. 1. Eleg. 1. ℣ 54.

Te bellare decet terra, Messala, marique,
Ut domus hostiles praeferat exuvias.

L. 3. Eleg. 3. ℣. 4.

Non ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo.

Pariter Juvenalis, de scurris Graecis, Sat. 3. ℣. 72.

Exquilias, dictumque petunt a vimine collem,
Viscera magnarum domuum dominique futuri.

Suetonius Neron. C. 38. *Tunc praeter immensum numerum insularum, domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae.*

43. TUNC VICTUS ABIERE FERI] Epulae belluinae. *victus* vocabulo saepe ita Plautus utitur. Milit. Act. 3. Sc. 1. ℣. 141.

Nunc volo obsonare, ut, hospes, tua te ex virtute, & mea,
Meae domi accipiam benigne, lepide, lepidis victibus.

Mostel. Act. 1. Sc. 1. ℣. 43.

Non omnes possunt olere unguenta exotica,
Si tu oles: neque superior accumbere:
Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus.

43. TUNC CONSITA POMUS] Melius excerpta Lipsii, *insita pomus.* Erant enim arbores pomiferae, sed silvestres ac ferae; quae non nisi insitionis cura agrestem naturam paullatim exuerunt, adoptione melioris. Varro id docet L. 1. de Re Rust. C. 40. *In quamcunque arborem inseras, si ejusdem generis est duntaxat, ut sit utraque malus, ita inserere oportet, referentem ad fructum, meliori genere ut sit surculus, quam est quo veniat arbor.* Palladius L. 14. de R. R. de pomo:

Insita proceris pergit concrescere ramis,
Et sociam mutat malus amica pyrum.
Seque feros silvis hortatur linquere mores,
Et partu gaudet nobiliore frui.

Hanc tam utilem artem tamque jucundam primum Saturnum in Italia evulgasse tradunt. Macrobius L. 1. Saturn. C. 7. *Huic Deo insertiones surculorum pomorumque educationes, & omnium cujuscemodi fertilium tribuunt disciplinas.* Aliter Lucretius, qui hunc Saturno honorem dare non voluit, L. 5. ℣. 1363.

At specimen sationis, & insitionis origo,
Ipsa fuit rerum primum natura creatrix:
Arboribus quoniam bacae, glandesque caducae
Tempestiva dabant pullorum examina subter.
Unde etiam libitum'st stirpeis committere ramis,
Et nova defodere in terram virgulta per agros.
Inde aliam, atque aliam culturam dulcis agelli
Tentabant, fructusque feros mansuescere terra
Cernebant indulgendo, blandeque colendo.

Neque multum abit Plinius prooemio L. 16. *Pomiferae arbores, quaeque mitioribus succis voluptatem primae cibis attulerunt, & necessario alimento delicias miscere docuerunt, sive illae ultro, sive ab homine didicere blandos sapores adoptione & connubio, idque munus etiam feris volucribusque dedimus, intra praedictas constant.*

44. TUNC BIBIT IRRIGUAS FERTILIS HORTUS AQUAS] *irriguas* noster active posuit: quae irrigant. Sic etiam Maro L. 4. Geor. ℣. 32.

Haec circum casiae virides, & olentia late
Serpulla, & graviter spirantis copia thymbrae
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.

Notavit ibi Junius Philargyrius; additque, alias passive poni. Ita est. Horatius L. 2. Sat. 4. ℣. 16.

Cole

Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores:
    Miſtaque ſecuro ſobria lympha mero eſt.
Rura ferunt meſſes, calidi quum ſideris aeſtu
    Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
    Compleat ut dulci ſedula melle favos.

Agri-

Cole ſuburbano, qui ſiccis crevit in agris,
Dulcior: irriguo nihil eſt elutius horto.

Naſo L. 8. Metam. ℣. 646.

Quodque ſuus conjux riguo collegerat horto,
Truncat olus foliis.

Propertius L. 1. Eleg 20. ℣. 37.

Et circum riguo ſurgebant lilia prato
Candida, purpureis miſta papaveribus.

Verbum *bibit* non incommode Achilles inluſtravit. cui junge doctiſſimum Cerdam in Virgil. Eclog. 3. ℣. ult.

45. AUREA TUNC PRESSOS PEDIBUS DEDIT UVA LIQUORES] Antiqui illi non calcabant uvas: itaque nec vinum bibebant, ſed ſuccum uvarum percoctarum, & prae maturitate ſponte diruptarum. Atque hoc eſt, quod argute extulit Auctor Aetnae, neſcio ſi Cornelius Severus, ℣. 13.

Annua ſed ſaturae complerent horrea meſſes,
Ipſe ſuo flueret Bacchus pede.

Scio aliter viſum interpretibus hujus poëtae: quorum rationes ſecum expendat, cui eſt otium. Vitem & vitis culturam, & vini collectionem ac condituram primum inveniſſe Oſirin, ſive Bacchum, auctor eſt Diodorus Siculus Biblioth. L. 1. & noſter item Albius L. 1. Eleg. 8. ℣. 33. Pulcre Jo. Jovianus Pontanus Amor. L. 1. Carm. 18.

Primus devictis rediens Lenaeus ab Indis
Impoſuit capiti ſerta novella ſuo.
Primus pampinea docuit de vite liquorem
Exprimere, & puris dulcia mella favis.
Primus & inſtituit plenis convivia menſis,
Inſolitasque mero concelebrare dapes.

46. MIXTAQUE SECURO SOBRIA LYMPHA MERO EST] Achilles Statius ſic exponit: SECURO, *quod capiti non noceat: an potius, quod ſecuros, & curis ſolutos reddat.* Prior interpretatio non nauci eſt: altera verior, & Achille dignior. Atque ut vinum *ſecurum* dicitur,

Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet
In venas animumque:

ſic aqua epitheto aptiſſimo *ſobria* vocatur, eo quod ſicc's atque abstemiis conveniat, nec habeat quidquam commune cum vini hilaritate. Vide Joſ. Caſtalionem Dec. 7. Obſerv. C. 3. Eques noſter loquitur itidem ut Maro L. 1. Geor. ℣. 9.

Veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.

47. CALIDI QUUM SIDERIS AESTU] *ſidus* hic eſt ſol; non autem Canis aſtrum, quod quidam voluerunt. Naſo L. 6. Metam. ℣. 341.

Jamque Chimaeriferae, cum ſol gravis ureret arva,
Finibus in Lyciae, longo Dea feſſa labore,
Sidereo ſiccata ſitim collegit ab aeſtu.

48. DEPONIT FLAVAS ANNUA TERRA COMAS] Elegantiſſime. Sic in Panegyrico ad Meſſalam ℣. 172.

Tondeturque ſeges maturos annua partus.

Recte *annua*, quae quotannis renovatur. Hinc *annuus* agricolae *labor* Ciceroni Accuſ. 3. in Verr. C. 48. *Multis autem non modo granum nullum, ſed ne paleae quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur.* Et *fructus annuus* ibidem C. 54. *Tum, ſemente prohibita, aut meſſe amiſſa, fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum.* Sic *Luna* dicitur *menſtrua* Propertio, atque aliis item poëtis. Catullus Carm. 31. ℣. 17.

Tu curſu, Dea, menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.

49. RURE LEVIS VERNO FLORES APIS INGERIT ALVEO] Fruterius *vernos flores* legebat L. 1. Veriſimil. C. 5. eo quod *vernum rus* non alibi, *flores* autem *vernos* paſſim odoratus eſſet. Sed miſer, ac ſi bidental moviſſet, non potuit effugere profeſſoriae verbera linguae; tanta vi Gebhardus *vernum rus* tuetur. Auſus quin etiam, ut animo ſuo morem gerat, male corrumpere locum quemdam Papinii L. 1. Achil. ℣. 557. ubi tu Barthium

 vide.

Agricola assiduo primùm satiatus aratro,
Cantavit certo rustica verba pede.
Et satur arenti primum est modulatus avena
Carmen, ut ornatos diceret ante Deos.

55 Agri-

videto. Tamen neuter verum vidit. nam τὸ *verno* referri debet ad *alveum*; non ad *rus*, non ad *flores*. Sane temporis epitheta eleganter ad ipsas res transferuntur. Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 367.

Hanc matutinos pectens ancilla capillos
Incitet: & velo remigis addat opem.

Maro L. 11. Aen. ℣. 35.

Circum omnis famulûmque manus Trojanaque turba,
Et moestum Iliades crinem de more solutae.

Neque hoc est adeo poëticum, ut locum non invenerit etiam extra carmen. Cicero orat. pro Milone C. 13. *Tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo, tu in publicum abjecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* Cur vero *alveum* noster vocaverit *vernum*, docet nos Junius Columella, florentissimus scriptor, L. 9. de Re Rust. C. 14. *Saepe etiam vacuatis ceris usque in ortum Arcturi, qui est ab Idib. Februariis, jejunae favis accubantes torpent more serpentum, & quiete sua spiritum conservant; quem tamen ne amittant, si longior fames incesserit, optimum est per aditum vestibuli siphonibus dulcia liquamina immittere, & ita penuriam temporum sustinere, dum Arcturi ortus, & hirundinis adventus commodiores polliceantur futuras tempestates. Itaque, post hoc tempus, cum diei permittit hilaritas, procedere audent in pascua. Nam ab aequinoctio verno sine cunctatione jam passim vagantur, & idoneos ad foetum decerpunt flores, atque intra tecta comportant.* Deinde castrabantur alvearia mense Junio, eratque tum mellis vindemia, ut videre licet apud Palladium L. 7. de Re Rust. Tit. 7. Reliquum est, aliquid ut dicamus de vocula *Rure*. Magistri veteres, ubi status in loco significatur, *ruri* dicendum esse praeceperunt. Nimis profecto angusta lege, nec satis vera. nam de poëtis ut taceam, qui metri necessitate coacti talia admittere dicuntur, contra stat auctoritas clarissimorum scriptorum. Et prolatis exemplis minime futilibus, quae exscribere haud est necesse, meliora nos docuit vir doctissimus Leonardus Malaspina in Cicer. L. 13. ad Attic. Epist. 49.

51. LASSATUS ARATRO] ita Scaliger conjecit. In libris est *satiatus*: quasi tu dicas, fastidii plenus ab assiduo labore. Hanc scripturam bene defendit Gebhardus. quem inspexisse non pigebit.

52. CANTAVIT CERTO RUSTICA VERBA PEDE] Natam primum apud agricolas Poësin, etiam Horatius ostendit L. 2. Epist. 1. ℣. 139. versibus luculentis, & rem pulcre inlustrantibus:

Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, & ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum pueris, & conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus & vino Genium memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem
Versibus alternis opprobria rustica fudit:
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter.

Est igitur Poësis cultus divini filia, & caerimoniarum sacrarum. Et primum quidem Hymni sunt inventi, ac Chori: deinde etiam qualiscumque Comoediae rudimenta, jactis alterno cantu opprobriis. Sed hanc omnem laudem pastoribus, utpote quam aratores antiquioribus, dare maluit Julius Caesar Scaliger L. 1. Poëtic. C. 4. quem adcurata diligentia refutavit Franc. Fernandius de Cordova Didascal. multipl. C. 19. Tu vide eruditas Dacerii in Horatium Notas. Ubi & hunc Albii nostri locum recte atque eleganter exponit.

54. UT ORNATOS DICERET ANTE DEOS] *ornatos*, sertis coronatos. Horatius L. 3. Od. 23. ℣. 15.

Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.

& L. 1. Epist. 19. ℣. 26.

Ac ne me foliis ideo brevioribus ornes.

Juvenalis Sat. 9. ℣. 138.

O parvi nostrique Lares, quos ture minuto,
Aut farre, & tenui soleo exornare corona.

Apulejus L. 3. Metam. *Respicio pilae mediae, quae stabuli trabes sustinebat, in ipso fere medi-*

Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Huic

ditullio Eponae deae simulacrum residens aediculae, quod accurate corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum. Silius L. 15. Punic. ℣. 420.

Et laetus repetens gentis primordia ductor
Festa coronatis agitabat gaudia signis,
Pacificans Divos.

τὸ *duceret*, quod Scaligero placuit, multi habent libri: multii alii *diceret*. Sed *ducere carmen* gravioris esse operae videtur, quam ut homini rustico conveniat: nec facile reperias, nisi in negotio carminis heroici. Exemplis hoc demonstrabimus inlustrium poëtarum. Horatius *ducendi* verbum aperte opponit opusculis ludicris, L. 1. Sat. 10. ℣. 44.

Forte epos, acer
Ut nemo, Varius ducit. Molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.

Propertius L. 1. Eleg. 7. initio:

Dum tibi Cadmeae ducuntur, Pontice, Thebae,
Armaque fraternae tristia militiae.

ibidem Eleg. 9. ℣. 9.

Quid tibi nunc misero prodest grave ducere carmen,
Aut Amphioniae moenia flere lyrae?

L. 4. Eleg. 6. ℣. 13.

Caesaris in nomen ducuntur carmina: Caesar
Dum canitur, quaeso, Jupiter, ipse vaces.

Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 18. ℣. 1.

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem,
Primaque juratis induis arma viris.

L. 1. Metam. ipso initio:

primaque ab origine mundi
Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.

Sed verbum *dicere* amabant potius in rebus momenti levioris. Maro Eclog. 3. ℣. 55. in certamine cantandi:

Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba.

tum paullo post, ℣. 59.

Alternis dicetis: amant alterna Camoenae.

Eclog. 5. ℣. 2.

Tu calamos inflare levis, ego dicere versus.

Eclog. 6. ℣. 5.

Pastorem, Tityre, pinguis
Pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.

L. 3. Geor. ℣. 6.

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?
Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno,
Acer equis?

Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 238.

Quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat.

Et proprie quidem in Hymnis ac laudibus Deorum ita loquebantur. Horatius L. 1. Od. 21.

Dianam tenerae dicite virgines:
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.

tum Carm. Saec. ℣. 8.

Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas puerosque castos
Diis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.

& L. 4. Od. 12. ℣. 9.

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula:
Delectantque Deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiae placent.

Noster, ad Isin, L. 1. Eleg. 3. ℣. 31.

Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Nemesianus Eclog. 1. ℣. 63.

Saepe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Laetus Phoebea dixisti carmen avena.

Ubi frustra Barthius *duxisti* malebat. His ego rationibus permotus *diceret* hoc loco malui, quam *duceret*: praesertim quum non desint codices scripti, qui sententiam meam tueantur.

55. AGRICOLA ET MINIO SUFFUSUS, BACCHE, RUBENTI] intempestive Bacchum adpellari putat Achilles: aut certe aliquid deesse suspicatur. Frustra. Ab Hymnis transit poëta ad Choros: qui vel maxime in honorem Liberi patris instituti fuerunt. qua de re Vossium nostrum vide L. 2. Institut. Poët. C. 2. Ideo autem minio inficiebantur, quia ipse Bacchus hoc metallo colorari credebatur. Certe Bacchi statua apud Phelloënses lignea conspiciebatur, minio inlita; aliam habebant Phigalenses itidem minio inluminatam; auctore in Achaicis & in Arcadicis Pausania. Ridet hoc Arnobius L. 6. adversus gentes: *Inter Deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero oblitam minio, & nomine Frugiferi nuncupari.* Adludit vir sanctissimus ad fabulam, qua Bacchus cum giganti-

bus

Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris. hirtas duxerat hircus oves.

Rure

bus decertasse perhibetur, leonis specie induta, eosque unguibus ac dentibus discerpsisse. Horatius L. 2. Od. 19. ℣. 21.

Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors gigantum scanderet inpia,
Rhoetum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala.

Ubi Scholiastes ineditus, qui margines occupat egregii illius codicis Graeviani, haec notavit: *Fabulam tangit. Dum gigantes per montes montibus impositos peterent regna Jovis, Liber pater, filius Jovis, inducta pelle Leonis cum unguibus & mala, retorsit unum gigantem, Rhoethum nomine, ac retro praecipitavit illum. Quae pellis fertur fuisse Nemeaei leonis, quam Hercules ei dedit.* Haec ille Grammaticus. Bacchum autem cur *Frugiferum* vocarint, non est obscurum ex Diodori Siculi libro primo. quem sequitur in Georgicis divinus Maro, & noster Albius L. 1. Eleg. 8. ℣. 29. Tamen si quis Arnobii verba ad Solem referre malit, non ego pertinaciter repugnabo; nam Solem eumdem esse quem Bacchum, & leonis nonnumquam effigie designari, docent nos veteris sapientiae magistri. Nunc in semitam redeamus. Rustici quoque Dii miniabantur. Virgilius Eclog. 10. ℣. 27.

Pan Deus Arcadiae venit: quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.

Rationem reddit Servius ad Eclog. 6. ℣. 22. *Sanguineis frontem moris & tempora pingit*] *Multi ob hoc dictum putant, quod robus color Deorum sit. Unde & triumphantes facie miniata, & in Capitolio Jupiter in quadrigis miniatis.* (male editum fuit *in quadrigas miniatas*) Deinde ad Eclog. 10. MINIO *autem ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter aetheris similitudinem. Aether autem est Jupiter. Unde etiam triumphantes habent omnia Jovis insignia, sceptrum, palmatam. Unde ait Juvenalis,* In tunica Jovis. *Faciem quoque de rubrica illinunt instar coloris aetherii.* Sed non paullo luculentius Plinius L. 33. C. 7. *Invenitur in argentariis metallis minium quoque, & nunc inter pigmenta magnae auctoritatis, & quondam apud Romanos non solum maximae, sed etiam sacrae. Enumerat auctores Verrius, quibus credere sit necesse, Jovis ipsius simulacri faciem diebus festis minio illini solitam, triumphantumque corpora: sic Camillum triumphasse. Hac religione etiam nunc addi in unguenta coenae triumphalis, & a censoribus in primis Jovem miniandum locari. Cujus rei quidem causam miror: quamquam & hodie id expeti constat Aethiopum populis, totosque eo tingi proceres, huncque ibi Deorum simulacris colorem esse.* Igitur religionis gratia in sacris Liberi patris minio faciem inlinebant agricolae, choros in ejus honorem acturi.

56. PRIMUS INEXPERTA DUXIT AB ARCE CHOROS] Scaliger hic ἄστυ Atheniensium intelligit, & Tibullum ait initia tragoediae ordiri, quum hircum datum in praemium dicat. ideo suum illud *arce* intrusit, omnibus libris invitissimis, & *arte* exhibentibus. Infeliciter hoc quidem in loco rem gessit vir magnus. Poëta noster non nisi de primis illis ac rudibus rusticorum choris agit, quos ducebant nullo magistro praeeunte. *Ars inexperta* dicitur, cujus nullum factum est periculum, quae numquam prolata est in usum. Sic L. 1. Eleg. 8. ℣. 31.

Primus inexpertae commisit semina terrae,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Horatius Art. Poët. ℣. 125.

Si quid inexpertum scaenae committis, & audes
Personam formare novam.

Papinius L. 4. Silv. 5. ℣. 10.

Nunc cuncta Veris frondibus annuis
Crinitur arbos: nunc volucrum novi
Questus, inexpertumque carmen,
Quod tacita statuere bruma.

Curtius L. 3. C. 5. *Inexperta remedia haud injuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem ejus etiam a latere ipsius pecunia solicitaret hostis.* Itaque cantare & saltare coeperunt agricolae, harum artium omnino rudes, postquam Bacchi die festo epulis ac mero incaluissent. Sic L. 1. Eleg. 8. ℣. 37.

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos nescia membra modos.

58. DUX PECORIS HIRCUS. DUXERAT HIRCUS OVES.] non possum non probare ingeniosam Nicolai Heinsii emendationem, legentis

Dux pecoris. hirtas duxerat hircus oves.

Eam tu bonis rationibus stabilitam reperies in Adversariorum fragmentis. Adjice haec Columellae verba, L. 7. Rei Rust. C. 2.

Ergo

Rure puer verno primam de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & femineus labor eſt, hinc penſa, colusque,
Fuſus & appoſito pollice verſat opus.
Atque aliqua aſſiduae textis operata Minervae
Cantat, & adplauſo tela ſonat latere.

Ipſe

Ergo duo genera ſunt ovilli pecoris, molle, & hirſutum. Sermo hic eſt de remota antiquitate, quum pecus fere in montibus paſceret, atque ideo lana eſſet hirta ac ſoloce. Nondum enim inſtituerant oves velleribus tegere, quod poſtea fecerunt Tarentini, ut eſſent mollioris lanae. Illam minus delicatam vocabant *Oſcam.* Varro lib. 6. de L. L. *Eſt lana, quam in Romulo Naevius appellat Oſcam, ab Oſceis.* Vide quae iſtic notavit magnus Scaliger p. 129. edit. Dordrac.

62. Molle gerit tergo lucida vellus ovis] *lucida*, tota candida. huic opponitur *pulla*, qualis erat Pollentina in Italia; & Cordubenſis in Baetica; auctore Columella L. 7. Rei Ruſt. C. 2. Martialis L. 14. Epigr. 157. de priore:

Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
Sed ſolet & calices haec dare terra ſuos.

Eſt in Albiano verſiculo mira concinnitas epithetorum. quam video placuiſſe inluſtriſſimo Huetio in illa nobili oda, ad virum incomparabilem Nicolaum Heinſium perſcripta:

Inde paſtorum reſonant cicutae,
Lucidum tergo gerit agna vellus,
Explicat longum latus inter altas
Vacca geniſtas.

Sed in eo vincitur, quod *agnae* nullum dederit adpoſitum. Sequentia ex Pervigilio ſunt adumbrata, ℣. 81.

Ecce jam ſuper geniſtas explicant tauri latus.

itemque ex Calpurnio, Eclog. 1. ℣. 5.

Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccae
Molle ſub hirſuta latus explicuere geniſta?

longum autem *latus* Virgilio debetur L. 3. Geor. ℣. 54.

Tum longo nullus lateri modus.

Adtendat juventus liberalior, & condiſcat imitandi rationem. Sed in Pervigilio (dicam obiter) mendum eſt. Nam quamvis geniſtae Maroni *humiles* dicantur, tamen eas incubitu ſuo haud facile premant boves. ſunt enim virgulto ſatis firmo, ac lentiſſimo, ut docet Columella L. 4. C. 31. Magni poëtae verba ſunt L. 2. Geor. ℣. 434.

ſalices, humilesque geneſtae,
Aut illae pecori frondem, aut paſtoribus umbras
Sufficiunt, ſepemque ſatis, & pabula melli.

Salicibus vix eſſe minores colligas ex ipſo hujusdem libri initio, ubi inter arbores connumerantur, ℣. 9.

Arboribus varia eſt natura creandis.
Namque aliae, nullis hominum cogentibus, ipſae
Sponte ſua veniunt, camposque & flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentaeque geneſtae,
Populus, & glauca canentia fronde ſalicta.

Hinc adducor, ut legendum arbitrer,

Ecce jam ſubter geniſtas explicant tauri latus.

Certe juvat non parum Calpurnius: nec repugnat lex carminis. Ipſe quoque Huetius haud obſcure favet.

65. Atque aliqua adsidue textrix operata Minervam Cantat] *textis* malebat Fruterius L. 1. Veriſimil. C. 5. & cum illo Guyetus. Sic ferme Virgilius L. 3. Aen. ℣. 136.

Connubiis arvisque novis operata juventus.

Sed non paullo elegantius in primo Vaticano & in Colotiano, inque excerptis Lipſii legitur, *Minervae.* Unde Tibullo ſua conſtabit manus, ſi legamus,

Atque aliqua adſiduae textis operata Minervae
Cantat.

pari figura Ovidius L. 4. Metam. ℣. 33.

ſolae Minyeïdes intus,
Intempeſtiva turbantes feſta Minerva.

Propertius L. 2. Eleg. 7. ℣. 43.

Conjugium falſa poterat differre Minerva,
Nocturno ſolvens texta diurna dolo.

Maro L. 8. Aen. ℣. 409.

Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva.

Ipſe interque greges, interque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primùm ſe exercuit arcu.
Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus!
Nec pecudes velut ante petit: fixiſſe puellas
Geſtit, & audaces perdomuiſſe viros.

Hic

ex adverbio feci adjectivum; quo nihil frequentius apud optimum quemque poëtam. *Texta* facile vel unus tuebitur Papinius L.10. Theb. ỳ. 56.

Peplum etiam dono, cujus mirabile textum
Nulla manus ſterilis, nec disſociata marito
Verſarat calathis, caſtae velamina Divae
Haud ſpernenda ferunt. variis ubi plurima floret
Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro.

Sed & Naſo Epiſt. Helen. ỳ. 223.

Purpura nempe mihi, precioſaque texta dabuntur;
Congeſtoque auri pondere dives ero.

& Martialis L. 8. Epigr. 28.

Non ego contulerim Babylonica picta ſuperbe
Texta, Semiramia quae variantur acu.

66. ADPLUSO TELA SONANT LATERE] ita Scaliger; ut *tela* ſint inſtrumenta textoria. At *tela* hic eſt numeri ſingularis, & ſignificat tam ipſum opus quod texitur, quam jugum in quo ſtamen explicatur. Et ſic capiendus Valerius Flaccus, quem perperam huc vocavit Vir magnus, L. 3. ỳ. 341.

Dat pictas auro atque ardenti murice veſtes,
Quas rapuit tela feſtina vocantibus auſtris
Hypſipyle.

Vides Heinſii emendationem; cujus & interpretationem vide, non paullo meliorem quam eſt Salmaſiana ad Julium Capitolinum p.127. Virgilius L. 9. Aen. ỳ. 489.

aut vulnera lavi,
Veſte tegens; tibi quam noctes feſtina diesque
Urguebam, & tela curas ſolabar anilis.

Ovidius L. 3. Faſt. ỳ. 819.

Pallade placata lanam mollite, puellae:
Diſcite jam plenas exonerare colos.
Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit; & rarum pectine denſet opus.

& Amor. L. 3. Eleg. 9. ỳ. 30.

Durat opus vatum Trojani fama laboris,
Tardaque nocturno tela retexta dolo.

Certe *ſonant* nuſquam legitur, niſi in ſolis duobus Gebhardi Palatinis, atque in Perreji excerptis. Tum & *adplauſo* ſcribe cum Nic. Heinſio, in Notulis. Maro, de equis Turni, L. 12. Aen. ỳ. 86.

Circumſtant properi aurigae, manibusque laceſſunt
Pectora plauſa cavis, & colla comantia pectunt.

Valerius Flaccus, de nymphis Bithynis, L. 3. ỳ. 527.

Ipſa citatarum tellus pede plauſa ſororum
Perſonat; & teneris ſubmittit gramina plantis.

Iſaacus Voſſius ex fide, ut ait, optimi libri ſic iſta concipiebat, *appulſo pectine lana ſonat*, Obſerv. ad Catull. p. 249. Ipſe quidem librum non nominat: ſed ego conjectura ducor, ut credam fuiſſe Archiepiſcopi Eboracenſis, ſcriptum A. 1425. nam ex eo hic loci ita habent Heinſii excerpta Anglicana: *tela ſonat latere*, vel *pectine tela ſonat.* unde licet ſuſpicari, ſic in aliis quoque libris extitiſſe. Neque enim eſt abſonum. Auctor Ciris ỳ. 178.

Non Libyco molles plauduntur pectine telae.

Virgilius L. 1. Geor. ỳ. 294.

Interea longum cantu ſolata laborem
Arguto conjunx percurrit pectine telas.

67. IPSE QUOQUE INTER AGROS] inter agros qui naſcitur, eum in aliqua foſſa aut ſcrobe naſci oportet. Neque arbitror Latine ita efferri poſſe; non magis quam ſi dicas, *inter urbem naſci.* Proprie iratus ille Priapo ſuo minabatur, Carm. 84.

Jacebis inter arva pallidus ſitu.

Veram autem hic ſcripturam habebant Florentinus Statii codex, & Lipſii itemque Perreji ac Pocchi excerpta, cum ſecundo Vaticano, & Colotiano libro, *Ipſe interque greges.* Rure quidem natum Amorem dicit, ſed inter greges & armenta & equas furore genitali afflatas. Quae quo pertineant, nemo non videt. Auctor Pervigilii Veneris, ſuaviſſimus ille ac delicatiſſimus, ỳ. 76.

Ipſe Amor puer Dionae rure natus dicitur.
Hunc ager, cum parturiret ipſa, ſuſcepit ſinu;
Ipſa florum delicatis educavit oſculis.

77. Et

Hic juveni detraxit opes: hic dicere juſſit
   Limen ad iratae verba pudenda ſenem.
Hoc duce cuſtodes furtim transgreſſa jacentes
   Ad juvenem tenebris ſola puella venit:
Et pedibus praetentat iter ſuspenſa timore,
   Explorat caecas cui manus ante vias.
Ah miſeri, quos hic graviter Deus urget: at ille
   Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte veni dapibus feſtis; ſed pone ſagittas,
   Et procul ardentes hinc procul abde faces.

Vos

77. Et pedibus praetentat iter suspensa timore] Hinc factum putant magiſtri adverbium *pedetentim*. Terentius Phorm. Act. 3. Sc. 3. ℣. 19.

Di bene vortant quod agas: pedetentim tamen.

inibi Donatus: *pedetentim*] *caute. a pedibus & tentando.* Seneca Oedip. ℣. 657.

Et ipſe rapidis greſſibus ſedes volet
Effugere noſtras: ſed graves pedibus moras
Addam, & tenebo. repet incertus viae,
Baculo ſenili triſte praetentans iter.

deinde ℣. 1047.

Pavitante greſſu ſequere fallentes vias,
Suſpenſa plantis efferens veſtigia.

Albium noſtrum non incurioſe ſecutus eſt Ludovicus Areoſtus, Cantu 28. Orlandi furentis, ſt. 62. 63. in fabella Jucundi & Aſtolphi:

Il Greco, ſi come ella li diſegna,
Quando ſente dormir tutta la torma,
Viene à l'uſcio, e lo ſpinge, e quel li cede:
Entra pian piano, e va à tenton col piede.

Fa lunghi i paſſi, e ſempre in quel di dietro
Tutto ſi ferma, e l'altro par che moua
A guiſa, che di dar tema nel vetro,
Non che 'l terreno habbia calcar, ma l'uoua;
E tien la mano inanzi ſimil metro,
Va brancolando in fin che 'l letto troua.

78. Caecas vias] ſic & Naſo Amor. L. 2. Eleg. 11. ℣. 16.

Litora marmoreis pedibus ſignanda, puellae.
Hactenus eſt tutum: cetera caeca via eſt.

81. Sancte veni dapibus festis] De vocatione Deorum aliquid diximus ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 29. Sunt autem *dapes* Deorum, *epulae* hominum, docente Servio in L. 3. Aen. ℣. 223. Pulcre huc facit Pompejus Feſtus: *Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna ſemente, aut verna. quod vocabulum ex Graeco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaque & daptice ſe acceptos antiqui dicebant, ſignificantes magnifice: & dapticum negotium, amplum, ac magnificum.* Noſter poëta Cupidinem invitat ſemente verna. Recte autem noſter *dapes* vocat *feſtas*. Sic infra, in Palilibus, Eleg. 5. ℣. 99.

At ſibi quisque dapes, & feſtas exſtruet alte
Ceſpitibus menſas, ceſpitibusque torum.

81. Sed pone sagittas, &c.] Haec ſunt belliſſima, & amoenae ſimplicitatis lenocinio amabiliſſima. Fruſtra ad hanc ſuavitatem adſpirant illi, qui perſpicere non poſſunt quid ſit pulcritudo naturalis. Huc, ni fallor, reſpexit Pervigilii Veneris auctor jucundiſſimus, ℣. 28.

Ipſa nymphas Diva luco juſſit ire myrteo.
It puer comes puellis. Nec tamen credi poteſt,
Eſſe Amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.
Ite nymphae: poſuit arma, feriatus eſt Amor.
Juſſus eſt inermis ire, nudus ire juſſus eſt;
Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne laederet.
Sed tamen nymphae cavete, quod Cupido pulcer eſt.
Eſt in armis totus idem, quando nudus eſt Amor.

tum deinde, ℣. 53.

Ruris hic erunt puellae, vel puellae montium;
Quaeque ſilvas, quaeque lucos, quaeque fontes incolunt.
Juſſit omnes adſidere pueri mater alitis:
Juſſit & nudo puellas nil Amori credere.

Quae verba non infelici imitatione expreſſit Stephanus Paſchaſius, Epigr. L. 2.

Spi-

Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce, palam pecori, clam ſibi quisque vocet.
Aut etiam ſibi quisque palam. nam turba jocoſa
Obſtrepit, & Phrygio tibia curva ſono.

Lu-

Spicula perdiderat pharetramque, ignesque, facesque,
Secureque omnes nudus adibat Amor.
Illum ego ſecurus dum contemplarer inermem;
Protinus ut vidi, protinus interii.
Imbellis tibi nudus Amor ſi forte videtur,
Falleris: in nudos non niſi nudus agit.

Nunc Cupidinem inermem audiamus conquerentem, apud Hieronymum Angerianum Carm. 174. illum quidem argutum poëtam, neque inſipidum, ſed facundiae (ut mihi videtur) parum expromtae. Sic autem habet:

Hic arma, atque faces, & myrtea ſerta, roſasque
Linquo; quibus quondam gloria parta fuit.
Linquo ſales, ludosque meos, atque omnia pulcra,
Quaeque Charis docuit, quaeque venuſta parens.
Exuor hic levibus pennis, & lumine claro:
Externas (o ſors!) cogor inire vias.
Sed vos hoc unum moneo; parete monenti;
Certa loquor; ſunt haec certa probata mihi;
Evitate malum. Potuit quae laedere Divos,
Vos laedet. quando ridet, abeſte: necat.

Vellem hunc inventionis lepôrem pari verborum laetitia conveſtire valuiſſet.

85. AUT ETIAM SIBI QUISQUE PALAM] Notat Scaliger, hanc veteribus fuiſſe ſuperſtitionem, ut non niſi taciti vota ſuſciperent. Sed hoc intelligendum de votis parum honeſtis, aut nimis inprobis. Cicero orat. pro Lege Manilia C. 16. *Hoc breviſſime dicam, neminem umquam tam impudentem fuiſſe, qui a Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt.* Horatius L. 1. Epiſt. 16. ℣. 57.

Vir bonus, omne forum quem ſpectat, & omne tribunal,
Quandocumque Deos vel porco, vel bove placat,
Jane pater, clare, clare cum dixit, Apollo;
Labra movet, metuens audiri: Pulcra Laverna
Da mihi fallere; da juſto ſanctoque videri;
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Sic noſtri paſtores Cupidinem, amorum ac foecunditatis patrem, pecori palam vocant; ſibi vero clamculum; ut recte obſervavit Adrianus Behotius L. 1. Apophor. C. 12. Urbaniſſime Sulpicia, infra L. 4. Carm. 5.

Optat idem juvenis, quod nos: ſed tectius optat.
Nam pudet haec illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia ſentis,
Adnue. quid refert clamne palamne roget?

Olim hic legebatur,

Vos celebrem cantate Deam, pecorique vocate
Voce Palem.

Putabant enim non Cupidinem dici agrorum Deum, ſed Palem. Quem errorem ſuſtulit Pomponius Laetus apud diſertiſſimum Bembum in libro de Culice Virgilii, & Terentii Fabulis. *Nam* (inquit) *quoniam dixerat poëta* [Tibullus] *Cupidinem in agris natum, invocari etiam illum ab agricolis tamquam eorum Deum praecipit: de agreſtibus enim loquebatur Diis.* Palam *autem dicit &* clam, *ſumta* (*ut mihi quidem videtur*) *ea figura dicendi ab Homero, ubi ille ſub Ajacis nomine cum Hectore decertaturi haec dicit:*

Martia quin ego dum interea circum induor arma,
Vos orate Jovem taciti, ne ſentiat hoſtis,
Adjuvet ut noſtri Saturnius orſa laboris.
Sive orate palam potius, neque enim horreo quemquam.

Graeca non addidit Bembus, more ſui Ciceronis, quamquam ipſe Graece peritiſſimus. Sed neque hoc ferebat perſona Pomponii. quem fuiſſe Graecorum ignarum teſtatur Raphaël Maphaeus, vulgo ab oppido natali Volaterranus dictus, L. 21. Comment. Urban. Noluit videlicet iſta attingere homo religioſus, ne qua peregrinitate contaminaret ſermonem Latinum, teſte Jo. Lud. Vive L. 2. de Verit. Fidei Chriſt. & noſtro Eraſmo in Vita Hieronymi. Tu Homeri verba reperies L. 7. Iliad. ℣. 195. quae & Behotius adſcribere operae precium putavit.

86. PHRYGIO TIBIA CURVA SONO] ad epulas & ſacrificia ſemper praeſto erat tibia Phrygia. Numanus apud Maronem L. 9. Aen. ℣. 618.

O ve-

Ludite, jam Nox jungit equos, currumque ſequuntur
Matris laſcivo ſidera fulva choro.
Poſtque venit tacitus fuſcis circumdatus alis
Somnus, & incerto ſomnia vara pede.

O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma; ubi adſuetis biforem dat tibia cantum.

inibi Servius: *Biforem cantum*] *Biſonum, imparem. Et ſervavit eis tibiarum ſuarum, id eſt Phrygiarum, naturam. Tibiae aut Serranae dicuntur, quae ſunt pares, & aequales habent cavernas; aut Phrygiae, quae & impares ſunt, & inaequales habent cavernas. Ergo biforem, diſſonum, diſſimilemque. Non ſunt enim pari modulatione conpoſitae. ut enim ait Varro: Tibia Phrygia dextra unum foramen habet, ſiniſtra duo. quorum unum acutum ſonum habet, alterum gravem.* Sic & Catullus Carm. 60. ℣. 21.

Ubi cymbalûm ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Caſſius Hemina L. 3. apud Nonium, in *cymbaliſſare: Mulier cantabat tibiis Phrygiis, & altera cymbaliſſabat.* Maro quoque tibiam vocat *curvam*, L. 11. Aen. ℣. 737.

At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella;
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exſpectare dapes & plenae pocula menſae.

Ipſe quidem calamus non erat curvus, ſed adfixum habebat cornu, aut codonem aereum curvum, quo ſonum ederet graviorem. Videſis Caſp. Bartholinum L. 1. de Tibiis C. 5.

87. Currumque sequuntur Matris] de Nocte ſiderum matre videantur viri docti, Achilles Statius h. l. Muretus L. 5. Var. Lect. C. 2. Turnebus L. 24. Adv. C. 27. Schottus L. 2. Obſerv. C. 13. inprimis vero Douza F. Notar. C. 4. Atque hinc, opinor, ipſa Nox dicitur *ſiderea* Valerio Flacco L. 5. ℣. 692.

inſtaurat menſas, pacemque reducit;
Et jam ſideream Noctem dimittit Olympo.

quamquam ibi *ſidereo* malebat Nicolaus Heinſius, conjectura ductus. elegantiſſime C. Juvencus, ipſo initio L. 2.

Jamque dies prono decedens lumine pontum
Inciderat, furvamque ſuper Nox caerula pallam
Sidereis pictam flammis per inane trahebat.

De ſtellarum comitatu non incurioſe egit Joannes Paſſeratius lib. Conject. C. 12. Currum Noctis quatuor equi trahunt, ſi Albio noſtro credimus L. 3. Eleg. 4. ℣. 17.

Jam Nox aetherium nigris emenſa quadrigis
Mundum, caeruleas laverat amne rotas.

Equidem miror. nam alii poëtae non niſi bigas Nocti dederunt. Varro lib. 4. de L. L. ex antiquo Tragico: *Itaque dicit Andromacha Nocti,*

Quae cava coeli ſignitenentibus
Conficiˀ bigis.

Ita haec recte caſtigavit Achilles Statius hic loci. nam quod Scaliger *Andromeda* reponit, quae fuerit Ennii tragoedia, nullo nititur tibicine. nec potuit Voſſio noſtro perſuaderi. Sed ad rem. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 721.

Et Nox atra polum bigis ſubvecta tenebat.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 211.

neque enim ignea cedunt
Aſtra loco; lentis haeret Nox conſcia bigis.

Claudianus L. 1. de Raptu Proſerp. ℣. 275.

Merſerat unda diem. ſparſo Nox humida ſomno
Languida caeruleis invexerat otia bigis.

Haec tamen poſſunt conciliari, ſi Nox aeſtate quadrigis, hieme bigis vehi fingatur. Utcumque eſt, hunc currum aurigare dicitur Somnus. Papinius L. 2. Theb. ℣. 59. ubi deſcribitur iter Mercurii, agentis ſecum umbram Laji:

Inde per Arcturum, mediaeque ſilentia Lunae
Arva ſuper populosque meat. Sopor obvius illi
Noctis agebat equos, trepidusque adſurgit honori
Numinis, & recto decedit limite coeli.

Claudianus Bell. Gildon. ℣. 213.

Humentes jam Noctis equos, Letheaque Somnus
Frena regens, tacito volvebat ſidera curru.

Sed hoc ante nos doctiſſimus Barthius obſervavit Commentationibus Papinianis, ingenti theſauro eruditionis poëticae.

89. Fulvis circumdatus alis Somnus] Somnum inter Deos alatos ponunt poëtae. Seneca Herc Fur. ℣. 1068.

Tuque o domitor
Somne malorum, requies animi,
Pars humanae melior vitae,
Volucer, matris genus Aſtraeae.

Juno apud Silium L. 10. Punic. ℣. 344.

non te majoribus, inquit,
Auſis, Dive, voco; nec poſco ut mollibus alis

Des victum mihi, Somne, Jovem.
ipse vero Somnus, ℣. 355.

quatit inde soporas
Devexo capiti pennas, oculisque quietem
Irrorat, tangens Lethaea tempora virga.

Multa congessit Passeratius ad Propert. L. 1. Eleg. 3. eo versu,

Dum me jucundis lapsam Sopor impulit alis.

Videndus autem de Somno alato Vir Amplissimus Gisbertus Cuperus in Apotheosi Homeri p. 178. cujus Somni effigiem nuper dedit ex schedis Pighianis Inlustrissimus Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Delum ℣. 234. Puer est, in morem Cupidinis alatus, inversae faci innitens. Sunt autem tales complures in monumentis Boissardi; unus quoque sine face, recumbens in latus sinistrum. Hinc lucem accipiet poëtarum nostratium generosissimus, nec plebi profanae committendus, Petrus Hoofdius, in Epistola Menelai ad Helenam:

De Slaepgodt, op zyn' luym, om vaek in my te werken,
Speeld' al 't gefluister nae, met wieghen van zyn' vlerken:
En zuyezust zoo lang, dat hy 't gedacht verdooft:
Toen viel hy toe, en sloot zyn' wieken om myn hoofdt.

Et sic quidem poëtae plerique omnes, videlicet ut alas habuerit hic Deus in humeris. Papinius autem, suo quodam jure peculiari, alas ei in pedibus & in capite adfingit; praeterea & chlamydem quoque dedit & currum, L. 10. Theb. ℣. 131.

Ipse quoque & volucrem gressum, & ventosa citavit
Tempora, & obscuri sinuatam frigore coeli
Implevit chlamydem, tacitoque per aethera curru
Fertur, & Aoniis longe gravis imminet arvis.

inibi Scholiastes Barthii nondum editus: *Dicit in pedibus & capite alas habuisse Somnum, ut Mercurius pingebatur.* Quo igitur currus volucri Deo? Hunc ei currum jure ademit Joannes Bernartius, quum scripti libri & princeps editio habeant *cursu.* Sed hujus emendatiunculae laudem invidit Barthius suo auctori, translato in Lindenbrogium honore. nimis profecto inique. Pergamus. In voce *fulvis* mendum est vetus, & multis jam pridem monitum. Itaque *furvis* reposuerunt Livinejus, Fruterius in Epist. Douza F. Not. C. 4. Passeratius lib. Conject. C. 12. Nic. Heinsius ad Claudian. L. 2. in Rufin. ℣. 325. & ad Ovid. L. 3. Metam. ℣. 272. Unus Statii codex *nigris* habebat. sed *fuscis* servant alii scripti complures. Recte, ni fallor. Nam & nox, & quaecumque noctis colorem referunt, dicuntur *fusca.* Virgilius L. 8. Aen. ℣. 369.

Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis.

Vetus poëta apud Festum in *Erebum: Varro vero Erebo natam noctem ait. Unde est & illud,*

Erebo creata fuscis crinibus Nox, te invoco.

Ipse noster L. 3. Eleg. 4. ℣. 55.

Et, quum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.

Talis & Mors, Somni germana. Horatius L. 2. Sat. 1. ℣. 58.

seu me tranquilla Senectus
Exspectat, seu Mors atris circumvolat alis.

Alecto, Noctis filia, fuscas alas gerit apud Maronem L. 7. Aen. ℣. 408.

Protenus hinc fuscis tristis Dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros.

Venti quoque saeviores, unde tenebrae imbresque & caligo, ita figurantur. Silius L. 12. ℣. 617.

Hinc Notus, hinc Boreas, hinc fuscis Africus alis
Bella movent, quantis animos & pectora possint
Irati satiare Jovis.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 609.

Tum valido contortam turbine portam
Inpulit Hippotades. fundunt se carcere laeti
Thraces equi: Zephyrusque, & Nocti concolor alas
Nimborum cum mole Notus; crinemque procellis
Hispidus, & multa flavum caput Eurus harena,
Induxere hiemem.

& L. 6. ℣. 492.

Lilia per vernos lucent velut alba colores,
Praecipitur quîs vita brevis, totusque parumper
Floret honor, fuscis & jam Notus inminet alis.

90. INCERTO SOMNIA NIGRA PEDE] unus Heinsii liber manu exaratus *incertos* habebat. quod potuit fuisse Graecismus, *Somnia incertos pedes nigra.* potuit & litera *s* primae voci adhaesisse ex sequente *Somnia*, ut jam saepe factum vidimus. Incerto ac lapsabundo pede ferri dicuntur Somnia, quia male cohaerent, & imagines rerum exhibent dormientibus nunc veras, nunc falsas, plerumque autem confusas & mendaces atque ineptas. Seneca Herc. Fur. ℣. 1069. verbis Chori ad Somnum:

Frater durae languide Mortis,

Veris



Veris miscens falsa, futuri
Certas, & idem pessimus auctor.

Pulcre Honoratus Fasitellus, poëta purus ac nitidus, cujus ego plura exstare carmina magno emerim:

Usque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili Sopor, unus ut
Quisque eat cubitum monet
Oscitante labello.

pulcre, inquam, Somnum pede debilem fecit. Rationem nos docet Pausanias Eliacis prioribus, sive L. 5. *In altero vero arcae latere, quod est a laeva, ordinem operis in orbem oculis persequenti, femina expressa est puerum consopitum dextera album sustinens; nigrum sinistra, & hunc dormientis effigie, distortis utrumque pedibus. Indicant inscriptiones, quod facile tamen, ut nihil scriptum sit, conjicere possis, eorum puerorum unum Mortem esse, alterum Somnum, mulierem illam Noctem utriusque nutricem.* Quem Pausaniae locum haud incuriose expendit ingeniosus scriptor Caesar Ripa L. 2. Iconolog. in Noctis imagine. Noster quoque Hoofdius alicubi *krepele droomen* dixit, manifesta imitatione antiquitatis. Non conveniunt libri in epitheto Somniorum: alii *nigra* habent, alii *vana.* Hoc qui probabunt, Marone se auctore tuebuntur, L. 6. Aen. ℣. 283.

In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.

itemque Ovidio, L. 11. Metam. ℣. 614.

Hunc circa passim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot messis aristas,
Silva gerit frondes, ejectas litus arenas.

atque etiam ipso nostro Albio, Somnia adloquente L. 3. Eleg. 4. ℣. 3.

Ite procul. vanum falsumque avertite visum.
Desinite in vobis quaerere velle fidem.

Illud qui malunt, Nasonem habent faventem L. 2. Fast. ℣. 662.

Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.

Sed Heinsius, quum *furvas* Somni alas fecisset, *pigra* hic reponit, ne bis idem dicatur. ingeniose. & possit firmari ex Papinio, L. 10. Theb. ℣. 102. in descriptione regiae Somni, quam in Nasonis aemulationem exstruxisse videtur:

Ipse autem, vacuus curis, humentia subter
Antra soporifero stipatus flore, tapetis
Incubat. Exhalant vestes, & corpore pigro
Strata calent.

Mihi autem (non dicam dolo) nec *vana* placent somnia, nec *nigra.* non quo utrumque epitheton, siquidem in loco ponatur, non sit probum atque elegans: sed quia neutrum hic dicat quidquam, quod quidem ad rem pertineat. Somnia noster Albius pedum vitio teneri ait, neque recto gradu ac firmo posse incedere. Huc vero quid facit, si vel *vana* sint ac sublestae fidei, vel *nigra* & noctis colore tincta? Veram lectionem ac germanam habebimus, ni fallor, si pudente unius literulae mutatione ex *vana* fecerimus *vara.* Ita collige. Quibus crura sunt introrsum retorta atque incurva, Latinis dicuntur *vari.* Pompejus Festus: *Valgos Opilius Aurelius, aliique complures ajunt dici, qui diversas suras habeant. e contrario vari dicuntur incurva crura habentes.* inibi & verba Plauti producit, ex nescio qua comoedia deperdita:

Sin ea mihi insignitos pueros pariat postea,
Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut paetum, aut brocchum filium.

Horatius L. 1. Sat. 3. ℣. 47.

hunc varum, distortis cruribus: illum
Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.

in hominem varum lusit Martialis, sed inmiti joco, L. 2. Epigr. 35.

Cum sint crura tibi simulent quae cornua Lunae,
In rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes.

Plinius L. 11. C. 45. *Vola homini tantum, exceptis quibusdam. Namque & hinc cognomina inventa, Planci, Plauti, Scauri, Pansae: sicut a cruribus Vari, Vatiae, Vatinii: quae vitia & in quadrupedibus.* Certe in canibus agnoscit Varro lib. 2. de Re Rust. C. 9. *Capitibus & auriculis magnis, ac flaccis: crassis cervicibus, ac collo: internodiis articulorum longis: cruribus rectis, & potius varis, quam vatiis.* Vocem *vari* transtulit Naso ad boum cornua, ad ramos arborum, ad brachia humana in luctae certamine. L. 1. Amor. Eleg. 3. ℣. 24.

Quaeque super pontum simulato vecta juvenco
Virginea tenuit cornua vara manu.

L. 2. Metam. ℣. 855. de Jove in taurum mutato:

Colla toris exstant: armis palearia pendent:
Cornua vara quidem, sed quae contendere possis
Facta manu, puraque magis perlucida gemma.

L. 11. ℣. 83.

Pectus quoque robora fiunt:
Robora sunt humeri: porrectaque brachia varos
Esse putes ramos; & non fallare putando.

L. 9. ℣. 33. verbis Acheloi cum Hercule depugnaturi:

Rejeci viridem de corpore vestem;
Brachiaque opposui: tenuique a pectore varas
In statione manus; & pugnae membra paravi.

Martialis L. 7. Epigr. 31.

Vara nec injecto ceromate brachia tendis.

Proxime ad nostrum Persius, si tralationem excipias, Sat. 4. ℣. 12.

Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis librae, rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo.

idem ille Genium vocavit *varum*, ut Albius noster Somnia, Sat. 6. ℣. 18.

geminos, horoscope, varo
Producis Genio.

Hinc *obvarandi* verbum est enatum. Nonius Marcellus: *Obvarare, pervertere, depravare. dictum a varis. Ennius Achille:*

Nam consiliis obvarant, quibus tamen
Concedit hic ordo.

Atque hos varos a loripedibus non fuisse diversos putabat Junius noster in Nomenclatore. istos vero rectis opponit Juvenalis Sat. 2. ℣. 23.

Loripedem rectus derideat, Aethiopem albus.

Et certe hujusmodi homines incerto gradu incedunt, ac tardo. Unde amator ille Plautinus convicium facit suis advocatis, Poenul. Act. 1. Sc. 3. ℣. 7.

Atque equidem hercle dedita opera amicos fugitavi senes.
Sciebam aetate tardiores. metui meo amori moram.
Nequiquam hos procos mihi elegi loripedes, tardissimos.

Adparet, opinor, cur poëta noster Somnia, incerto ac casabundo pede euntia, tamquam ebria, vocaverit *vara*. Qualis & Somnus apud Pausaniam, cum pedibus distortis.

II.

DICAMUS bona verba, venit Natalis, ad aras.
Quisquis ades, lingua vir, mulierque fave.

Uran-

1. DICAMUS BONA VERBA. VENIT NATALIS AD ARAS.] Haec est distinctio omnium ferme editionum: unde intelligere necesse sit, ipsum natalem venisse ad aras. Quod quum minus probaret Laevinus Torrentius, ita interpungebat, ad Horat. L. 3. Od. 1.

Dicamus bona verba: venit natalis. ad aras
Quisquis ades, lingua vir mulierque fave.

Melius autem ac verius Gronovius pater, ad Liv. L. 38. C. 43.

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras.

Dicamus bona verba ad aras, venit enim natalis. Deinde & genus loquendi exponit; nam Livius dixerat, *Quos adorent, ad quos precentur & supplicent, Ambraciensibus non superesse.* Sed ignoravit opinor vir optimus & candidissimus, (talis fuit) ita ordinasse distinctionem ante plus centum annos M. Ant. Muretum; nisi quod has duas voces, *venit natalis*, parenthesi incluserit. in principe editione utrimque colon erat: id quod tantumdem valet. Verum hoc leviculum est. Sed quod Gronovius sensu distinctionis vulgaris nihil putet ineptius, in eo non habet sibi adsentientem Nasonem, Epist. Cydippae ℣. 157.

Ter mihi jam veniens positas Hymenaeus ad aras
Fugit; & e thalami limine terga dedit.

& Pontic. L. 1. Epist. 2. ℣. 133.

Ille ego, qui duxi vestros Hymenaeon ad ignes;
Et cecini fausto carmina digna toro.

(Quem locum Daniel Crispinus, Helvetius, in sua Interpretatione sic reddidit: *ille ego, qui duxi Hymenaeum ad vestros amores.* in Notis autem, verbis Bartholomaei Merulae, ita: *ignes*] *id est Taedas, quae nubentibus a pueris praeferebantur.* Stulte utrumque. *Ignes* sunt, arae exstructis ignibus lucentes.) Quinimo ipse noster Albius haud aliter loqui videtur, Eleg. 5. hujus libri, ℣. 6. ad Apollinem:

Ipse triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus pulcerque veni.

Quam in rem plura produci possunt, ubi opus erit. nunc vero nihil pertendemus. Ex

more

Urantur pia tura focis, urantur odores,
Quos tener e terra divite mittit Arabs.

5 Ipse

more dixit poëta *bona verba:* summa enim diligentia cavebant, ne sibi vel inprudentibus ullum verbum excideret, in quo esset mali ominis significatio. Tacitus L. 4. Annal. C. 70. *Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla & laqueus inducantur?* Ovidius *bonas preces* vocavit L. 3. Trist. Eleg. 13. ℣. 18.

Libaque dem pro me genitale notantia tempus?
Concipiamque bonas ore favente preces?

Sed & *bona verba* ibidem, ℣. 24.

Nec dare tura libet nihil exorantia Divos:
In tantis subeunt nec bona verba malis.

Atque ita locis aliis compluribus. Vide L. 1. Fast. ℣. 72. & L. 5. Trist. Eleg. 5. ℣. 6. & L. 3. Pont. Epist. 4. ℣. 47. Nec sunt inutilia quae Hieronymus Ferrarius notavit ad Cicer. Philipp. 8. C. 3.

3. URANTUR PIA TURA] Omnem ritum sacri natalitii disces ex Nasonis Tristibus, locis modo indicatis. Adde Propertium L. 3. Eleg. 8. Horatium L. 4. Od. 11. nostrum Albium L. 1. Eleg. 8. ℣. 49. & L. 4. Carm. 6. siquidem hoc quoque Albianum est, ac non potius lepidissimae Sulpiciae.

4. TENER ARABS] mollis, convicio omnibus Orientalibus communi. Catullus Carm. 11.

Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonans Eoa
Tunditur unda:
Sive in Hircanos, Arabasque mollis.

Manilius L. 4. ℣. 652.

Nec procul, in molles Arabas terramque ferentem
Delicias, variaeque novos radicis odores,
Leniter adfundit gemmantia litora Pontus.

& deinde, ℣. 752.

Taurus habet Scythiae montes, Asiamque potentem;
Et molles Arabas, silvarum ditia regna.

Quae *regna ditia* exprimunt nostri equitis *terram divitem.* Ita quoque Seneca Med. ℣. 710.

Et quis sagittas divites Arabes linunt,
Pharetraque pugnax Medus, aut Parthus levis.

Claudianus, de quarto Conf. Honorii, ℣. 258.

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent.

Sed quae est notio voculae *mollis* apud hos poëtas? Ambigunt magistri. Servium audiamus, ad L. 1. Geor. ℣. 57.

India mittit ebur; molles sua tura Sabaei.

Sabaei (inquit) *populi sunt juxta Syriam & Arabiam: dicti Sabaei ἀπὸ σέβεσθαι, quod apud eos tus nascitur, quo Deos placamus.* MOLLES *autem ideo ait, vel quod sub aëre clementiore sunt, (Nam, ut ait Lucanus,*

Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia caeli.)

aut certe quia Alexander Magnus dicitur obscaenos omnes, ab exercitu suo segregatos, illic condidisse. Vel ideo molles, *quod femineos cultus vestesque gerunt.* In alia omnia ibat Valerius Probus, ibidem loci: *Sabaei*] *natio est Arabiae: quos* molles *vitio sermonis, quia parum viriliter loquantur, dicit.* Quod sane non est de nihilo. nam & in Romanis proceribus hoc ipsum vellicavit Persius, Sat. 1. ℣. 32.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid,
Eliquat; & tenero supplantat verba palato.

Claudianus L. 1. in Eutrop. ℣. 261.

verbisque sonat plorabile quiddam.
Ultra nequitiam fractis, & praelia narrat.

ibi tu Heinsii notam inspice. Sed potius est, ut *tener* hic significet inbellem, qui opponatur duro ac forti. id quod Servii prima ratio volebat. Arethusa apud Propertium, L. 4. Eleg. 3. ℣. 23.

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?
Num gravis inbelles atterit hasta manus.

Maro L. 2. Geor. ℣. 170.

Haec genus acre virûm Marsos, pubemque Sabellam,
Adsuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos
Extulit: haec Decios, Marios, magnosque Camillos:
Scipiadas duros bello: & te, maxime Caesar:
Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris
Inbellem avertis Romanis arcibus Indum.

L. 8. Aen. ℣. 705.

Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Aegyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.

Sunt

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro destillent tempora nardo:
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Ad-

Sunt autem voces reciprocae; *mollis*, & *inbellis*. Horatius L. 1. Od. 37. ℣. 18.

ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas.

L. 4. Od. 4. ℣. 32.

nec inbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

Horatius L. 2. Sat. 4. ℣. 34.

Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.

L. 1. Epist. 7. ℣. 45.

Parvum parva decent. mihi jam non regia Roma
Sed vacuum Tibur placet, aut inbelle Tarentum.

Propertius L. 4. Eleg. 6. ℣. 36.

Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes
Serpentem, inbelles quem timuere lyrae.

Papinius L. 10. Theb. ℣. 868. verbis Capanei:

Humilesne Amphionis arces,
Proh pudor, hi faciles, carmenque inbelle secuti
Et mentita diu Thebarum fabula muri?
Et quidnam egregium prosternere moenia molli
Structa lyra?

Possis & *tenerum* hic interpretari de habitu corporis tenuiore. Ita certe Juvenalis Sat. 6. ℣. 466.

Moechis foliata parantur.
His emitur, quidquid graciles huc mittitis Indi.

5. IPSE SUOS GENIUS ADSIT VISURUS HONORES] In Decreto Duumvirûm, Florentiae reperto, quod in Antiquitatum Monumentis olim evulgavit vir praeclarus Georgius Fabricius p. 35. deinde ex Mazochio Gruterus Inscr. CCXXVIII. 8. & nunc nuper R. P. D. Bernardus de Montfaucon Diar. Ital. p. 382. in eo inquam Decreto ita legitur:

ET. VT. NATALIBVS. AVGVSTI. ET. TIBERII. (CAESARVM PRIVS. QVAM. AD. VESCENDVM. DECVRIONES. (IRENT THVRE. ET VINO. GENII. EORVM. AD. EPVLANDVM ARA. NVMINIS. AVGVSTI. INVITARENTVR

sic noster Elegia proxime superiore Cupidinem vocat ad festas dapes. Wittianus prior supra vocem *Genius* hanc glossam habebat, *deus naturae*. non indocte. Horatius L. 2. Epist. 2. ℣. 187.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae deus humanae.

Varro L. 16. Rerum Divinarum: *Genium esse uniuscujusque animum rationalem; & ideo esse singulos singulorum. talem autem mundi animum, Deum esse.* —— —— *Genius Deus est, qui praepositus est, ac vim habet omnium rerum gerendarum.* Servius ad L. 1. Geor. ℣. 302. *Genium dicebant antiqui naturalem Deum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis.* Admodum pulcra sunt, quae Dionysius Lambinus notavit ad Horatii verba modo laudata.

6. SANCTAS COMAS] sic GENIUS SANCTUS dicitur in antiquo lapide apud Gruterum p. CVIII. 1. in alio Romae in Subura, quem habet Reinesius Classe I. n. 294.

GENIO. PACIFERO. SANCT.
SACRVM.

7. ILLIUS PURO DISTILLENT TEMPORA NARDO] Nicolaus Heinsius *Illius Assyria* corrigebat Not. in Nason. Epist. Sapphûs, ℣. 76. eo quod Horatius quoque nardum vocet *Assyriam*, L. 1. Od. 11. Recte sane Horatius; sed & recte noster Albius, cui aliter loqui visum fuit. in duobus libris *pura* invenimus: ceteri omnes *puro* habent. Quocirca in tanto consensu nihil temere inmutandum videtur. *Purum* exponit Cyllenius pro genuino ac non adulterato. Atque ita etiam sensit Vir doctissimus Antonius Bynaeus, amicus olim noster dum viveret, in commentario bonae frugis pleno de Morte Jesu Christi, L. 1. C. 3. Sed praestat Inlustrissimi Spanhemii sententia, *purum nardum* non de unguento, sed de tenui ac simplici & solo oleo nardino capientis, Observ. in Hymnum Callimachi in Apoll. ℣. 38. 39. Tu legito: feres enim precium operae.

8. LIBO] solenni dape in omni sacro natalitio. Ovidius L. 4. Trist. Eleg. 10. ℣. 12.

Nec stirps prima fui; genito jam fratre creatus;
Qui tribus ante quater mensibus ortus erat.

Lu-

Adnuat &, Cornute, tibi quodcumque rogabis.
En age, quid cessas? adnuet ille; roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores.
Jam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris totum quaecumque per orbem
Fortis arat valido rusticus arva bove.

Nec

Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Una celebrata est per duo liba dies.

& Amor. L. 1. Eleg. 8. ℣. 94.

Cum te deficient poscendi munera causae,
Natalem libo testificare tuum.

L. 1. Art. Amat. ℣. 429.

Quid, quasi natali cum poscit munera libo;
Et, quoties opus est, nascitur ipsa sibi?

Sed exempla sunt in promtu. Libum describit Servius in L. 7. Aen. ℣. 109. *Liba sunt placentae de farre, melle, & oleo, sacris aptae.* Horatius L. 1. Epist. 10. ℣. 10.

Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso,
Pane egeo, jam mellitis potiore placentis.

Dicta autem sunt liba, quod Diis libarentur. Alii ab Libero patre derivant. Ovidius L. 3. Fast. ℣. 733.

Nomine ab auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque: quod sacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus ille
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

quam sententiam minus probat Vossius in Etymologico, & priorem putat veriorem.

9. CERINTHE] nomen peregrinum, & servile. Pulcre vetusta in Horatium Scholia, quae Jacobus Cruquius congessit, L. 1. Sat. 2. ℣. 81. *Sit licet hoc Cerinthe tuum*] *Sermonem suum convertit ad puerum Cerinthum, pulcherrimum eo tempore.* ——— *Cerinthus autem dicitur illis temporibus fuisse pulcherrimum scortum, insigni specie & candore.* In libris ferme omnibus hic est *Cornute.* quam esse veram scripturam facile evincit *uxoris* mentio. servis enim non uxores erant, sed contubernales. Cornuti autem cognomen in multis familiis claris atque inlustribus reperitur. Hunc nostrum ego illum esse arbitrabar M. Cornutum, qui praeturam urbanam gessit Hirtio & Pansa Coss. A. V. DCCX. Cicero L. 10. ad famil. Epist. 12. *Placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbanum literas deferremus, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum.* ibidem Epist. 16. *Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas, Plance, literas. Redditae sunt enim frequenti senatu Cornuto, cum is frigidas sane & inconstantis recitasset literas Lepidi.* ——— —— *Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis* & Philipp. 14. C. 14. quo loco sententiam dicit post victoriam apud Mutinam partam: *Uti ob eas res bene, fortiter, feliciterque gestas, C. Pansa, A. Hirtius, consules, imperatores, alter, ambove, aut si aberunt, M. Cornutus, praetor urbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad omnia pulvinaria constituat.* Sic, inquam, ego opinabar. Verum quum destituar liquidis argumentis, nihil ulterius pertendam. Fuerit igitur haec Elegia perscripta ad juvenem aliquem praeclarum, sive Sulpiciae gentis, sive Caeciliae. nam in utraque *Cornuti* cognomen usitatum illo tempore fuisse scimus.

9. QUODCUMQUE ROGABIS] Ex solenni religione. infra L. 4. Carm. 6.

Praecipit & natae mater studiosa, quid optet:
Illa aliud tacita clam sibi mente rogat.

Ovidius L. 3. Trist. Eleg. 13. ℣. 25.

Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum;
In loca ne redeas amplius ista, precor.

10. ADNUIT ILLE, ROGA] Melius excerpta Lipsii, *adnuet.* Sic & Heinsius malebat.

11. UXORIS] Non reapse, sed spe & voto. Noster L. 3. Eleg. 3. ℣. 32.

Haec alii cupiant. liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge posse frui.

Et sic omnia nomina societatis conjugalis tam ad eos referuntur, qui voto jam potiuntur, quam ad eos qui cupiunt potiri. Vide Servium ad L. 2. Aen. ℣. 343. & ad L. 4. ℣. 35. 536.

14. FORTIS ARAT VALIDO RUSTICUS ARVA BOVE] Est enallage numeri. nam in Italiae solo pingui ac denso pluribus arabatur bubus. Plinius L. 18. C. 18. *Syria quoque tenui sulco arat; cum multifariam in Italia octoni boves ad singulos vomeres anhelent.* Hinc Ho-

Nec tibi gemmarum quidquid felicibus Indis
Naſcitur, Eoi qua maris unda rubet.
Vota cadunt. Viden' ut trepidantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor?

Horatium intellige. Epod. I. ℣. 25.

Non, ut juvencis inligata pluribus
Aratra nitantur meis.

Eſt autem valde artificioſa hujus pentametri ſtructura, duobus in priore tmeſi epithetis, quae dispeſcuntur uno verbo regente; binis deinde ſubjectis ſequentibus, quae tertium rurſus ſubjectum ſeparat.

15. GEMMARUM QUIDQUID FELICIBUS UNDIS NASCITUR] Feliciter ingenioſus ille Fruterius *Indis* reſtituit, L. I. Veriſimil. C. 13. quod firmant libri nonnulli, & priſcae editiones. Mare illud vaſtum, quod a ſinu Arabico uſque ad Gangen protenditur, olim *Indicum* & *Erythraeum* ſive *Rubrum* vocabatur. Martialis L. 10. Epigr. 16.

Quidquid Erythraea niger invenit Indus in alga.

Seneca Oedip. ℣. 120.

Litus intravit pelagi rubentis.
Promit hic ortus, aperitque lucem
Phoebus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.

Plinius L. 9. C. 35. *Praecipue autem laudantur* [margaritae] *circa Arabiam in Perſico ſinu maris Rubri.* Ita dictum volunt a colore, multis rationibus ſtipati viri clariſſimi; inprimis quidem, ubi agitur de ſinu Arabico. Sed nos oculatum teſtem audiamus, minime vanum, neque literarum peritia tam leviter inſtructum, ut a jure ſuffragii ſit repellendus. Is eſt Petrus della Valle, nobilis Romanus, Itiner. Turcic. Epiſt. 11. *Mi maravigliai ben' aſſai del nome di Roſſo, che ſi dà a queſto mare: perche non è come il mar Nero, che per la ſicurezza ſua, che naſce dal fondo cupo e ſporcho, merita degnamente quel nome: in queſto l'acqua è chiariſſima, che ſi vede il fundo più, che non ſi fa a Poſilipo la ſtate; ed a vederla di lontano piglia, come gli altri mari, color di turchino. L'arena poi, dalla quale vogliono alcuni che il nome derivi, (ſon tutte bugie) è come le altre; anzi bianca aſſai più delle noſtre: di maniera, che il nome non può venir da altro, che dal nome proprio di quel rè Eythra, ſepolto in un' iſola del oceano meridionale come dice Strabone, che ſignificava Roſſo; dal quale, come ſi vede in uſo appreſſo i Latini, tutto quel mare, e non il ſolo ſeno Arabico, che è una particella di eſſo, preſe di Roſſo il nome; che da' moderni poi, forſe perche così lo chiama la Sacra Scrittura nel paſſaggio degli Ebrei, al ſeno Arabico, di cui parliamo, più ſpetialmente è ſtato appropriato.* Sed hoc totum negotium eruditiſſime explicavit nuper amicus noſter ſuaviſſimus, & publico literarum bono natus, Hadrianus Relandus, elegantiſſima Diſſertatione de Mari Rubro.

17. VOTA CADUNT] rata ſunt. Vide notata ad L. I. Eleg. 7. ℣. 91. Achilles Statius in partem deteriorem interpretatur. quod factum non oportuit. Sed poſt vota rata, quid hic faciat *utinam*, optandi particula, vix bene perſpici poteſt. Credo verum vidiſſe Guyetum atque Heinſium, qui *viden' ut* legebant. Noſter hujus libri Eleg. I. ℣. 25.

Eventura precor. Viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

qui locus ita huic loco ſimilis eſt, ut non ovum magis ſit ovo.

17. STREPITANTIBUS ALIS] Non placet epitheton vaſtum in Deo puſillo. in codice Angeli Colotii, inque uno Achillis Statii, erat *trepidantibus*. & ſic liber Schefferi apud Heinſium. id quod ego verum arbitror. Eſt enim hoc alacritatis ac celeritatis verbum. Ovidius L. I. Metam. ℣. 506.

Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae.

non enim ibi ſolus eſt metus; ſed & ſumma acceleratio, & feſtinatio diligentiſſima. Idem L. 2. Pont. Epiſt. 2. ℣. 37.

Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales
Audet ad humanos feſſa venire ſinus.

Maro L. 4. Aen. ℣. 121.

Dum trepidant alae, ſaltusque indagine cingunt.

Elegantiſſime Horatius L. 2. Od. 4. ℣. 23.

Cujus octavum trepidavit aetas
Claudere luſtrum.

ibidem Od. 3. ℣. 12.

Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hoſpitalem conſociare amant
Ramis, & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.

Vincula quae maneant ſemper, dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Hac venias Natalis avi, prolemque miniſtres,
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

III.

L. 1. Epiſt. 10. ℣. 21.

Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?

L. 4. Od. 11. ℣. 11.

Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.

Vides ubique motum tremulum, agilem, inquietum: qualis eſt alarum in aëre motarum.

18. Flavaque conjugio vincula portet Amor] vincula intelligit legitima, quibus inter ſe conjuges devinciuntur. Hinc *cubile jungere* Claudianus dixit, Epithal. Palladii & Celerinae, ℣. 32. ubi de Hymenaeo:

Hunc Muſa genitum legit Cytherea, ducemque
Praefecit thalamis: nullum junxiſſe cubile
Hoc ſine, nec primas fas eſt attollere taedas.

& Nupt. Honorii & Mariae ℣. 122.

propere regalibus annue votis.
Junge toros.

Cyllenius poëtae noſtri verba de zona Veneris interpretatur. Neque hoc male. Papinius, de Venere, quam Lemniades graviter offenderant, L. 5. Theb. ℣. 61.

Illa Paphon veterem centumque altaria linquens,
Nec vultu nec crine prior, ſolviſſe jugalem
Ceſton, & Idalias procul ablegaſſe volucres
Fertur.

inibi Lutatius: *Ceſton*] *eſt vinculum ornamenti, quo circumdatur Venus, omnibus illecebris nuptiarumque cupiditatibus elaboratum. quo matrimonia dicitur alligare.* Scholiaſtes Barthii, nondum editus: *Ceſton*] *cinctorium Veneris vel zonam, quo amantium pectora in mutuum amorem conſtringebat.* Alius Magiſter: *Ceſtus, ceſti. Balteus Veneris, quo latebat concordia & amabilitas conjugum. Ideoque* jugalem *appellavit. Ut Juno dicitur, quae conjungit conjugia.* Recte ille. Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 239.

Quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen,
Quo vatem mulcere queat. dat Juno verenda
Vincula, & inſigni geminat Concordia taeda.

Haec autem vincula cur *flava* nolint, & vel *firma* faciant vel *fauſta*, vel denique *aurea*, cauſſa nulla eſt. *Flavus* color nuptiis vel maxime proprius ab omni aevo fuit. Claudianus Nupt. Honor. & Mariae, ℣. 211. Veneris verbis ad Amores:

Hi noſtra nitidos poſtes obducere myrto
Contendant. pars nectareis adſpergite tecta
Fontibus, & flamma lucos adolete Sabaeos.
Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite.

Plura notavimus ad L. 1. Eleg. 8. ℣. 46. quae huc revocare utile fuerit.

20. Inducat rugas, inficiatque comas] *cani* & *rugae* ferme conjungi ſolent apud bonos ſcriptores. Cicero de Senect. C. 18. *Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere poſſunt: ſed honeſte acta ſuperior aetas fructus capit auctoritatis extremos.* Propertius L. 3. Eleg. 23. ℣. 33.

Vellere tum cupies albos a ſtirpe capillos,
Et ſpeculo rugas increpitante tibi.

Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 117.

Et tibi jam cani venient, formoſe, capilli:
Jam venient rugae, quae tibi corpus arent.

L. 3. ℣. 73.

Quam cito (me miſerum!) laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido qui fuit ore color!
Quasque fuiſſe tibi canas a virgine jures,
Spargentur ſubitae per caput omne comae.

Horatius L. 4. Od. 13. ℣. 11.

refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugae
Turpant, & capitis nives.

21. Huc veniat natalis avis] cornicem interpretatur Scaliger, quae ſit concordiae ſymbolum. Quam in rem conſulantur duo magni viri, Angelus Politianus, Miſcell. C. 67. & Hadrianus noſter Junius L. 1. Animadv. C. 1. Uterque praecipue nititur teſtimonio Aeliani L. 3. de Animal. C. 9. Quo & Gyraldus eſt uſus Hiſt. Deor. Syntagm. 1. Sane Aelianus ibi dicit, audiſſe ſe, veteres olim in nuptiis, poſt Hymenaeum, cornicem vocare ſolitos fuiſſe; idque concordiae ſignum dari iis, qui liberûm quaerendorum cauſſa conveniſſent. Sed vel hinc intelligas, morem illum jam pridem in deſuetudinem veniſſe.

 Dein-

Deinde si vel maxime cornix signum sit (quod non negamus) concordiae; tamen hinc non conficitur, ut *avis natalis* dici queat. Accedit quod non pauca olim in more posita habuerint Graeci, quae Romana gravitas repudiavit. Certe cornix Plinio *ales* dicitur *inauspicatae garrulitatis*; *inauspicatissima foetus tempore, hoc est, post solstitium*, L. 10. C. 12. Igitur haudquam felix augurium facit liberos quaerentibus. Clamore & litibus gaudere, atque alias aves hostiliter invadere, notat Servius ad Eclog. 9. ℣. 15. itaque in obscaenis avibus merito posuit Naso Amor. L. 2. Eleg. 6. ℣. 35. Imo & ipsas inter se crudeliter depugnare ostendit vetus proverbium, quo *cornicum oculos configere* dicuntur, qui in eadem arte ostendere satagunt uter utro sit indoctior. quasi quum de verbi alicujus notione ac vi digladiantur duo lanistae grammatici. Macrobius L. 7. Saturn. C. 5. *Ut suis telis lingua violenta succumbat, & Graecus Graeco eripiat hunc plausum, tamquam cornix cornici oculos effodiat.* Quin etiam *cornicis* vocabulum probrosum haberi, ac pro non levi convicio jaci scimus in mulieres detriti floris. Horatius L. 4. Od. 13. ℣. 24.

sed Cynarae breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lyden.

Martialis L. 10. Epigr. 67.

Pyrrhae filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laërtes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Jam cornicibus omnibus superstes.

in Lusibus liberis, Carm. 57.

Cornix, & caries, vetusque bustum,
Turbâ & putrida facta saeculorum, &c.

Atque hinc est *cornicari*, verbum contumeliosum. Persius Sat. 5. ℣. 12.

Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte.

Quid multis? Locus est corruptus: sed felicissime persanatus ab Nicolao Heinsio,

Hac venias Natalis avi, prolemque ministres.

scribente in Adversariis. *Hac ave*, hoc augurio. Dixit autem noster *avi*, non *ave*, exemplo veterum & Ciceronis. Vide Charisium Instit. Grammat. L. 1. p. 98. Horatius L. 1. Od. 15. ℣. 5.

Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite.

22. TURBA NOVELLA] a vitibus tralata locutio. Varro L. 1. de Re Rust. C. 31. *Vineas novellas fodere, aut arare, & postea occare, id est comminuere, ne sit glaeba.* Virgilius Eclog. 3. ℣. 11.

Tum, credo, cum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vitis incidere falce novellas.

Junius Columella L. 5. C. 6. *Plenioribus ramis plures palmites alius ab alio separati imponantur, gracilioribus pauciores, vitisque novella tribus toris ad arborem religetur.* —— *Viti novellae pampinarium dimitti non oportet, nisi necessario loco natus est, ut viduum ramum maritet.* Palladius L. 6. Tit. 2. *Nunc consideremus novellae vitis sarmenta, & ei pauca & solida relinquamus, & adminiculis firmemus, donec brachia prolata durescant.* L. 12. Tit. 2. *Nunc & propago jure ducetur, & locis frigidis novellas vites, & arborum plantas circumfodere atque operire conveniet.* Hinc est *novellare*, novas vites ponere; & *novelletum*, vinea recenter instituta. Vide Joannem Brodaeum L. 10. Miscell. C. 15. & Beroaldum ac Torrentium in Sueton. Domitian. C. 7.

III.

RURA meam, Cornute, tenent villaeque puellam.
Ferreus est eheu quisquis in urbe manet.
Ipsa Venus laetos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris rustica discit Amor.

O

1. RURA TENENT CORNUTE MEAM] Veteres libri aliquanto concinnius, *Rura meam Cornute tenent.*

3. IPSA VENUS LAETOS JAM NUNC MIGRAVIT IN AGROS] Hunc locum non infeliciter tractavit poëta insignis Hercules Stroza,

za,

O ego, quum dominam adſpicerem, quam fortiter illic
  Verſarem valido pingue bidente ſolum.
Agricolaeque modo curvum ſectarer aratrum,
  Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.
Nec quererer, quod Sol graciles exureret artus,
  Laederet aut teneras puſtula rupta manus.
Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo:
  Nec cithara, intonſae profueruntve comae.

za, L. I. Amor. Eleg. 2.

Rura peto: valeatque forum, valeantque ſodales.
Et Venus, & Veneris ceſſit in arva puer.
Paſcit Amor pecus; at numerum Cytherea recenſet.
Vomere dura gravi jugera findit Hymen.
Et dominam mirantur oves, dominumque volucrem:
Vicinasque rudis combibit agna faces.
Plus ſolito petulans aries ſalit; ictaque tellus
Sentit aratori numen ineſſe ſuo.

4. VERBAQUE ARATORIS RUSTICA DISCIT AMOR] Urbaniſſime. Reſpexit, ni fallor, ad Moſchi Amorem arantem. quod delicatiſſimum epigramma ita vertit Politianus:

Peram humeris habilem poſito nunc induit arcu,
Et poſita baculum lampade ſumſit Amor.
Subque jugum miſſos ſtimulo citat, ecce, juvencos
Improbus, & cultae ſemina mandat humo.
Suſpiciensque polos, Imple, inquit, Jupiter arva,
Ne cogam Europae te juga ferre bovem.

5. O EGO] Exclamatio pathetica. qualis Elegia proxime ſequente. ℣. 7.

O ego, ne poſſim tales ſentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus eſſe lapis!

Horatius Epod. 12. ipſo fine:

O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos, capreaeque leones.

Vide ſis Chariſium, quo loco de Pronomine agit, L. 2. p. 131. 132.

6. VERSAREM VALIDO PINGUE BIDENTE SOLUM] Eſt in nonnullis *calido*: idque praeferebant Cyllenius & Gebhardus. Male. In opere ruſtico faciundo *valida* inſtrumenta requiruntur, hoc eſt, gravia & firma ac ponderoſa. Lucretius L. 5. ℣. 209.

Quod ſupereſt arvi, tamen id natura ſua vi
Sentibus obducat, ni vis humana reſiſtat,
Vitaï cauſa valido conſueta bidenti
Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.

Plinius L. 18. C. 6. de C. Furio Creſino, cui dies dicta erat, quod putaretur fruges alienas pellicere veneficiis: *Inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque (ut ait Piſo) bene curatam ac veſtitam, ferramenta egregie facta, graves ligones, vomeres ponderoſos, boves ſaturos.* Terentius Heaut. Act. I. Sc. I. ℣. 36.

C. *iſtos raſtros interea tamen*
Adpone: ne labora. M. *minime.* C. *quam rem agis?*
M. *Sine vacivom tempus ne quod dem mihi.*
C. *Hui, tam gravis hos quaeſo?*

7. CURVUM SECTARER ARATRUM] in quibusdam *curvus* eſt. ſic Maro Eclog. 3. ℣. 42.

Tempora quae meſſor, quae curvus arator haberet.

Plinius L. 18. C. 19. *Arator, niſi incurvus, praevaricatur. Inde translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque caveatur, ubi inventum eſt.* Sed ne ita legamus, obſtat Albii noſtri conſuetudo, numquam epithethon ſuo ſibi ſubjecto defraudantis. Praeterea ipſum aratrum *curvum* dicitur, & *incurvum*. Lucretius L. 5. ℣. 934.

Nec robuſtus erat curvi moderator aratri
Quisquam: nec ſcibat ferro molirier arva.

L. 6. ℣. 1253.

Praeterea jam paſtor, & armentarius omnis,
Et robuſtus item curvi moderator aratri,
Languebant.

Maro L. I. Geor. ℣. 170.

Continuo in ſilvis magna vi flexa domatur
In burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.

ibidem ℣. 493.

Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exeſa inveniet ſcabra robigine pila.

L. 2. ℣. 513.

Agricola incurvo terram dimovit aratro.

II. PAVIT ET ADMETI TAUROS FORMOSUS

Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis.
Quidquid erat medicae vicerat artis Amor.
Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

O

APOLLO] Noſter iterum L. 3. Eleg. 4. ℣. 67. ex perſona ipſius Apollinis:

Me quondam Admeti niveas paviſſe juvencas
Non eſt in vanum fabula ficta jocum.

Unde colligas, Apollinem ſponte Admeto ſerviiſſe, ipſius amore captum. Quod & Callimachus adſerit claris verbis, Hymn. in Apoll. ℣. 49. & Plutarchus in Numa. Ex Latinis Ovidius Epiſt. Oenon. ℣. 151. & L. 2. Art. Amat. ℣. 239. & L. 2. Metam. ℣. 679. Seneca Hippol. ℣. 296. Lactantius L. 1. Divin. Inſtit. C. 10. ſect. 3. Minucius Felix. Euſebius autem Pamphili Herculem cum Apolline ſimul Admeto ſerviſſe auctor eſt L. 1. Chronic. p. 17. Alii Phoebum damnatum a Jove tradunt ad hanc ſervitutem, propter cyclopas occiſos. in iis Hyginus Fab. 50. Lucanus L. 6. ℣. 368. Valerius Flaccus L. 1. ℣. 444. 566. Papinius L. 6. Theb. ℣. 375. inibi Lutatius; & ad L. 5. ℣. 444. Servius ad L. 7. Aen. ℣. 761. Probus ad L. 3. Geor. ℣. 2: ſed multis iſtic mendis deformis; quamquam levi opera eluendis. Boves paviſſe communis fert opinio: equas autem dicit Callimachus, oves Pindarus. Notarunt olim Nicod. Friſchlinus ad Callimach. l. c. Natalis Comes L. 4. Mytholog. C. 10. & nuper ad poëtam Cyrenaeum Inluſtriſſimus Spanhemius p. 76. 77. ubi & de Apolline *Nomio* res pulcrae. Hanc amantis Phoebi bubulcitationem leviter tetigit Olympius Nemeſianus, Eclog. 2. ℣. 70.

Forſitan indignus ducor, quod ruſticus Alcon
Te cupiam, qui mane boves in paſcua ducam:
Dii pecorum pavere greges, formoſus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, & pulcer Adonis.

At quanto luculentius Hier. Fracaſtorius Carm. 11. ℣. 13.

Nec te poeniteat paſtorem audire canentem,
Quando etiam Admeti tauros formoſus Apollo
Pavit ad Amphryſi ripas, tenuique cicuta
Non puduit cantare Deum ſub tegmine acerno:
Et Veneri dilectus oves ductavit Adonis.

13. NEC POTUIT CURAS SANARE] Verbum medicinae, quae corpori ſolet adhiberi, eleganter ad animum transtulit. ſic & alii ſcriptores praeclari. Lucretius L. 3. ℣. 509.

Et quoniam mentem ſanari, corpus ut aegrum,
Cernimus, & flecti medicina poſſe videmus.

Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 46. *Praeceps amentia ferebare, qui te exiſtimares avaritiae vulnera crudelitatis remediis poſſe ſanare.* Pro Marcello C. 8. *Quae quidem tibi nunc omnia belli vulnera ſananda ſunt, quibus praeter te mederi nemo poteſt.* Ita recte Lambinus & Graevius. Nugatur Jac. Gronovius cum ſuo *curanda.* Caeſar quoque ſic loquitur L. 1. Bell. Civ. C. 35. *Cum his agit, ne initium inferendi belli a Maſſilienſibus oriatur: debere eos Italiae totius auctoritatem ſequi potius, quam unius hominis voluntati obtemperare. Reliqua, quae ad eorum ſanandas mentes pertinere arbitrabatur, commemorat.* Hirtius L. 8. Bell. Gall. C. 38. *Ipſe reliquas civitates adit: obſides plures imperat: timentes omnium animos conſolatione ſanat.* Propertius L. 1. Eleg. 10. ℣. 17.

Et poſſum alterius curas ſanare recentes:
Nec levis in verbis eſt medicina meis.

ac ſaepe ita Naſo in Remediis Amoris.

14. QUIDQUID ERAT MEDICAE VICERAT ARTIS AMOR] Pulcre Apollo apud Ovidium L. 1. Metam. ℣. 521.

Inventum medicina meum eſt; OPIFERque per orbem
Dicor; & herbarum ſubjecta potentia nobis.
Hei mihi, quod nullis amor eſt medicabilis herbis:
Nec proſunt domino, quae proſunt omnibus, artes!

itemque Oenone, Epiſt. 5. ℣. 149.

Me miſeram, quod amor non eſt medicabilis herbis!
Deficior prudens artis ab arte mea.
Ipſe repertor opis vaccas paviſſe Phereas
Fertur, & e noſtro ſaucius igne fuit.
Quod neque graminibus tellus foecunda creandis,
Nec Deus auxilium, tu mihi ferre potes.

15. TUNC FISCELLA LEVI DETEXTA EST VIMINE JUNCI] prior Wittianus, *texta eſt de vimine junci.* minus recte. Virgilius Eclog. 2. ℣. 72.

Quin tu aliquid ſaltem, potius quorum indiget uſus,

Vimi-

O quoties illo vitulum geſtante per agros
Dicitur occurrens erubuiſſe ſoror.
O quoties auſae, caneret dum valle ſub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boves.
Saepe duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & e templis irrita turba domum.
Saepe horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos admirata eſt ipſa noverca prius.
Quisquis inornatumque caput, crinesque ſolutos
Adſpiceret, Phoebi quaereret ille comam.

Delos

Viminibus mollique paras detexere junco? bene ſane *viminibus:* non enim e ſolo junco fiebant. Idem poëta divinus Eclog. 10. ℣.71.

Haec ſat erit, divae, veſtrum ceciniſſe poëtam,
Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides.

& L. 1. Geor. ℣. 266.

Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga.

Nemeſianus Eclog. 2. ℣. 33.

Ipſe ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in uſus.

de junco dixerat Eclog. 1. ℣. 1.

Dum fiſcella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur.

Calpurnius Eclog. 3. ℣. 68.

Sed mihi nec gracili ſine te fiſcella ſalicto
Texitur, & nullo tremuere coagula lacte.

17. O QUOTIES ILLO VITULUM GESTANTE] Egregie Valerius Flaccus, vere Romani oris ac ſpiritus poëta, L. 1. Argon. ℣. 444.

Te quoque dant campi tanto paſtore Pheraei
Felices, Admete: tuis nam pendit in arvis
Delius, ingrato Steropen quod fuderat arcu.
Ah quotiens famulo notis ſoror obvia ſilvis
Flevit, ubi Oſſaeae captaret frigora quercus,
Pecteret & pingui merſos Boebeïde crines!

Quos verſiculos eo libentius adſcribo, quod arbitrer mendum eſſe in *arcu ingrato*; legendumque (niſi me animus fallit) *irato*. Certe Phoebus non mediocri iratus erat iracundia ob fulminatum ab Jove Phaëthonta: ideo, morem ut gereret animo in vindictam tumenti, cyclopas fulminum fabricatores ſagittis interfecit. Naſo L. 2. Metam. ℣. 381.

Squallidus interea genitor Phaëthontis, & expers
Ipſe ſui decoris, qualis, cum deficit orbem,
Eſſe ſolet, lucemque odit, ſeque ipſe, diemque:
Datque animum in luctus; & luctibus adjicit iram.

Sed plura iſtic ſunt, quae tu commodius tecum expendes. Sic e contrario ſcribae librarii *irato* apud Propertium intruſerant, pro eo quod fuerat *ingrato*, L. 1. Eleg. 6. ℣. 10. ut ego liquidis iſtic oſtendi argumentis.

26. PHOEBI QUAERERET ILLE COMAM] Simpliciter enuntiandum; nec mutandum quidquam. nam Douza noſter fruſtra hic aeſtuabat. Elegans eſt locutio, qua ſignificabant rei alicujus florem priſtinum ita concidiſſe, ut omnino periſſe videretur, ac proinde ſollicite quaeſitum vix aut ne vix quidem reperiri. Cicero Accuſ. 3. in Verr. C. 18. *Aetnenſis vero ager, qui ſolebat eſſe cultiſſimus, &, quod caput eſt rei frumentariae, campus Leontinus, cujus antea ſpecies haec erat, ut, cum obſitum vidiſſes, annonae caritatem non vererere, ſic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus.* Pro Milone C. 1. *Tamen haec novi judicii nova forma terret oculos: qui, quocumque inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt.* Ibi vetus erat gloſſema, *minime vident.* Seneca Epiſt. 91. *Quis hoc credat, ubique armis quieſcentibus, Lugdunum, quod oſtendebatur in Gallia, quaeri?* Florus L. 1. C. 16. *Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita ſubegit ac domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipſa Samnio requiratur.* Manilius L. 1. ℣. 412.

Ipſius hinc Mundi templum eſt, victrixque ſolutis
Ara nitet ſacris, vaſtos cum Terra gigantas
In coelum furibunda tulit. Tunc Dii quoque magnos
Quaeſivere Deos.

La-

Delos ubi nunc, Phoebe, tua eſt? ubi Delphica Pytho?
 Nempe Amor in parva te jubet eſſe caſa.
Felices olim, Veneri quum fertur aperte
 Servire aeternos non puduiſſe Deos.

Fa-

Lucanus L. 9. ℣. 965.
Circuit exuſtae nomen memorabile Trojae,
Magnaque Phoebei quaerit veſtigia muri.
quae veſtigia in altiſſimis ruinis aegre repe-riebantur. Papinius L. 4. Theb. ℣. 704.
deceptum margine ripae
Stat pecus, atque amnes quaerunt armenta natatos.
Hinc revocanda vetus ſcriptura apud Naſo-nem L. 2. Metam. ℣. 239.
tum Nymphae paſſis fonteſque lacuſque
Deflevere comis. quaerit Boeotia Dircen,
Argos Amymonen, Ephyre Pirenidas undas.
nimirum hi fontes exaruerant toti, incendio illo Phaëthonteo. Hodie legimus, *queritur Boeotia Dircen*; & minus recte, & minus ve-nuſte. Iterum Papinius L. 2. Achill. ℣. 210. quo loco ferox puer, acceptis ab Ulyſſe ar-mis, prodit ſexum ementitum:
Inmaniſque gradu, ceu protinus Hectora poſcens,
Stat medius trepidante domo. Peleïa virgo
Quaeritur. aſt alia plangebat parte retectos
Deïdamia dolos.
Petronius Specim. Bell. Civ. ℣. 24.
ut fuga mobilis aevi
Circumſcripta mora properantes differat annos,
Quaerit ſe natura, nec invenit.
deinde ℣. 265.
Sentit terra Deos, mutataque ſidera pondus
Quaeſivere ſuum.
Janus Vitalis, recentior poëta, ſed boni commatis:
Qui Romam in media quaeris novus advena Roma,
Et Romae in Roma nil reperis media.
Vertit Gallice Joachimus Bellajus Antiq. Rom. Son. 3. id quod videtur ignoraſſe Jo. Freinshemius in notis ad verba Flori laudata, Bellajum citans ut auctorem.

27. DELOS UBI NUNC PHOEBE TUA EST] Emphaſis eſt in voce *tua*. Cicero Accuſ. 1. in Verr. C. 17. *Delum venit. ibi ex fano Apollinis religioſiſſimo noctu clam ſuſtulit ſigna pulcerrima atque antiquiſſima, eaque in onerariam navem ſuam conjicienda curavit. Poſtridie cum fanum ſpoliatum viderent ii, qui Delum incolebant, graviter ferebant. Eſt enim tanta apud eos ejus fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipſum Apollinem natum eſſe arbitrentur.* Accuſ. 5. C. 72. *Teque, Latona, & Apollo, & Diana, quorum iſte Deli non fanum, ſed, ut hominum opinio & religio fert, ſedem antiquam, divinumque domicilium nocturno latrocinio atque impetu compilavit.* Callimachum vide Hymno in Delum.

27. UBI DELPHICA PYTHO] Eſt Phocidis oppidum apud Parnaſum, quod alio nomine *Delphi* appellabatur. auctor Pauſanias in Phocicis, ſive L. 10. Cyllenius perperam expoſuit de Pythone ſerpente, quem Apollo ſagittis confecit. exploſus propterea ab Jano Parrhaſio Comm. in Claudian. L. 2. de Raptu Proſerp. ℣. 22. Meminit hujus oppidi Lucanus L. 5. ℣. 134.
muto Parnaſus hiatu
Conticuit, preſſitque Deum: ſeu ſpiritus iſtas
Deſtituit fauces, mundique in devia verſum
Duxit iter: ſeu barbarica quum lampade Pytho
Arſit, in immenſas cineres abiere cavernas,
Et Phoebi tenuere viam.
Vides poëtam loqui de Delphis a Brenno crematis.

28. NEMPE AMOR IN PARVA TE JUBET ESSE CASA] Ovidius L. 2. Art. Amat. ℣. 240.
Cynthius Admeti vaccas paviſſe Pheraeas
Fertur, & in parva delituiſſe caſa.

29. VENERI QUUM FERTUR APERTE] Membranae temporum poſteriorum non ſemper utuntur dipthongis. Itaque cogitare poſſis *apertae* hic ab antiquo fuiſſe. (& ſic habet meus primus) nam ſane Venus *aperta* opponitur *furtivae*. Noſter L. 1. Eleg. 9. ℣. 57. *Nota Venus furtiva mihi eſt.* Naſo L. 1. Art. Amat. ℣. 275.
Utque viro furtiva Venus, ſic grata puellae.
qui & *apertum* facit Cupidinem L. 1. Amor. Eleg. 10. ℣. 15.
Et puer eſt & nudus Amor. ſine ſordibus annos,
Et nullas veſtes, ut ſit apertus, habet.
Sed noſtrum video *aperte* poſuiſſe pro eo quod eſt palam, in propatulo. ſic paullo inferius ponitur iterum ℣. 43. neque ibi, quin ſit adverbium, dubitari poteſt.

31. SED




ΖΑΚΥΝΘΙΩΝ





Fabula nunc ille eſt. ſed cui ſua cura puella eſt,
  Fabula ſit, mavult, quam ſine amore Deus.
At tibi dura Ceres, Nemeſin quae abducis ab urbe,
  Perſolvat nulla ſemina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundae conſitor uvae,
  Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.

Haud

31. Sed cui sua cura puella est] forte *cara*. Sic infra L. 3. Eleg. 2. initio:

Qui primus caram juveni, carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.

33. At tibi dura seges] Utcumque hunc verſiculum verſarunt viri praeclari, numquam tamen efficere potuerunt, ut ſenſum aliquem commodum elicerent. Recte autem vidit Nic. Heinſius, ſcribendum eſſe, *At tibi dura Ceres.* ita enim convenit optime cum Baccho, qui proxime ſubſequitur. Quos Deos & alibi conjunxit noſter Albius. Sic initio hujus libri:

Bacche veni, dulcisque tuis e cornibus uva
Pendeat: & ſpicis tempora cinge Ceres.

L. 4. Carm. 1. ℣. 163.

Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve.

Maro L. 1. Geor.

vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem caelo quae ducitis annum,
Liber & alma Ceres.

35. Et tu Bacche tener] Pueriliter peccant noſtri artifices, qui Bacchum fingunt & pingunt enormiter obeſum ac pinguem, cum prominente aqualiculo. Tenerum ac gracilem, vultu puerili, vel paene puellari ſemper fecerunt antiqui. Talis conſpicitur in Antiquitatibus Jani Jacobi Boiſſardi T. 3. p. 149. in Muſaeo Romano Michaëlis Angeli Cauſei de la Chauſſe, Sect. 2. num. 24. in nummo Zacynthiorum apud Jacobum Sponium Itiner. T. 1. Tabula 2. N. 1. & in aliis plurimis vetuſtatis monumentis. Sic & poëtae; quibus in hiſtoria Deorum adcredere omnino oportet. Pauca de multis ſeligemus. Naſo L. 1. Art. Amat. ℣. 189.

Nunc quoque qui puer es, quantus tum, Bacche, fuiſti,
Cum timuit thyrſos India victa tuos!

L. 3. Metam. ℣. 553. ex Penthei perſona:

At nunc a puero Thebae capientur inermi:
Quem neque bella juvant, nec tela, nec uſus equorum;
Sed madidus myrrha crinis, mollesque coronae,
Purpuraque, & pictis intextum veſtibus aurum.

ibidem in alia fabella, ℣. 607.

Adſumus, en, inquit ſociorum primus Opheltes:
Utque putat, praedam deſerto nactus in agro,
Virginea puerum ducit per litora forma.

L. 4. Metam. ℣. 20. in hymno mulierum Thebanarum:

Tu puer aeternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris caelo: tibi, cum ſine cornibus adſtas,
Virgineum caput eſt.

Seneca Oedip. ℣. 408.

Huc adverte favens virgineum caput.

tum paucis interjectis, ℣. 418.

Qualis iratam metuens novercam
Creveras falſos imitatus artus,
Crine flaventi ſimulata virgo,
Lutea veſtem retinente zona.

in Luſibus liberis, Carm. 36.

Trahitque Bacchus virginis tener formam.

Iſidorus L. 8. Etymol. C. 11. *idem Liber muliebri & delicato corpore pingitur.* Et ante Iſidorum Euſebius Pamphili L. 1. Chronic. p. 17. *Pingitur vero Liber muliebri & delicato corpore, propter mulieres in ſuo exercitu militantes: nam pariter ad arma viris feminas allegebat, ut Philochorus loquitur in ſecundo Atthidis libro.* Sed mittamus artifices, ſaepe inliteratos, & exemplis praeeuntium peccantes. In poëta vero quis ferat hunc ſtuporem? Tamen in cultiſſima Gallorum gente exſtitit haud ita pridem poëta non proletarius, Calvidii Leti perſonam indutus, qui plebis indoctae errorem erraret, L. 2. Callipaediae, ℣. 4.

Ipſe pater ſaturo turgens abdomine Bacchus
Saltat; & effuſo redolentia pocula vino,
Inverſaeque jacent paterae.

36. Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus] *devotos*, Baccho dedicatos, inquit Luſitanus interpres. Dixiſſet, diris defixos, atque irae divinae efficaciam non vane ſenſuros. Hoc enim precatur poëta amator, ut ne ſit meſſis ulla, neve ulla vindemia. Maro L. 1. Aen. ℣. 712.

Prae-

Haud impune licet formoſas triſtibus agris
Abdere: non tanti ſunt tua muſta, pater.
O valeant fruges. ne ſint modo rure puellae,
Glans alat, & priſco more bibantur aquae.
Glans aluit veteres, & paſſim ſemper amarunt.
Quid nocuit, ſulcos non habuiſſe ſatos?

Tum

Praecipue infelix peſti devota futurae
Expleri mentem nequit, ardeſcitque tuendo
Phoeniſſa.

Horatius L. 3. Od. 4. ℣. 27.

Non me Philippis verſa acies retro,
Devota non exſtinxit arbos.

Epod. 16. ℣. 9.

Inpia perdemus devoti ſanguinis aetas.

loquitur de urbe Roma, bellis civilibus ad ultimam perniciem adacta. Naſo Epiſt. Hypſipylae, ipſo fine:

Haec ego conjugio fraudata Thoantias oro.
Vivite devoto nuptaque virque toro.

Accedit *relinquendi* verbum grave atque ominoſum & infelix. Nam quae Dii reliquiſſent, ea ſtare haud quaquam poſſe arbitrabantur.

40. GLANS ALAT, ET PRISCO MORE BIBANTUR AQUAE] Hunc ajunt primum primorum hominum fuiſſe victum. Idcirco fama erat, terram tunc tuliſſe fructus ſponte ſua provenientes, quod videbis apud Naſonem L. 1. Metam. ℣. 101. Lucretius L. 5. ℣. 938.

Quod ſol, atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte ſua, ſatis id placabat pectora donum.
Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque.

Deinde ℣. 946.

At ſedare ſitim fluvii fonteſque vocabant:
Ut nunc montibus e magnis decurſus aquaï
Claricitat late ſitientia ſaecla ferarum.

Sapientiſſimus Boëtius L. 2. Conſol. Philoſ. Carm. 5.

Felix nimium prior aetas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu;
Facili quae ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.
Non Bacchica munera norant
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miſcere veneno.
Somnos dabat herba ſalubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altiſſima pinus.

addit denique:

Utinam modo noſtra redirent
In mores tempora priſcos!

Sed hoc, credo, referri debet ad ſimplicitatem innocuam temporum primorum, quum nec navigarent homines, nec quaeſtus cauſſa mercaturam exercerent, nec ferro atque armis in mutuam perniciem deſaevirent; non autem ad glandis paſtum, & crudae aquae potum. Quod eſſe brutorum potius, quam hominum ratione praeditorum, merito cenſebat elegantiſſima Sulpicia, Sat. ℣. 12.

Dic mihi Calliope, quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras & patria ſaecula mutat,
Quaſque dedit quondam morientibus eripit artes?
Noſque jubet tacitos, & jam rationis egenos,
Glandibus & purae rurſus procumbere lymphae?

Ridet & Arnobius L. 2. *ut ſaecula imitemur antiqua, ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agreſtibus bacculae. Potio autem vini ſit prorſus incognita, nec ſedandae alius admoveatur ſiti, quam liquor purus e fontibus, caldore ignis intactus, &, ſi fieri potis eſt, manibus ſubminiſtratus cavis.*

41. PASSIM SEMPER AMARUNT] promiſcua venere uſi ſunt, nullo certo foedere amoris, nullaque invidia. Plinius L. 5. C. 8. *Garamantes matrimoniorum exſortes, paſſim cum feminis degunt.* Secundus noſter Juliae Eleg. 7.

Paſſim communes exercebantur amores
Omnibus, & proprii neſcius orbis erat.

Id noſtrates venuſte efferunt, *in 't honderd.* Sed hoc jam olim Douza notavit. Voculae *paſſim* talis notio eſt apud Juſtinum L. 43. C. 1. *Ob cujus exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus exaequato omnium jure paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant.* Hinc *paſſalis*, adjectivum vetus atque elegans, apud Pompejum Feſtum: *Paſſales &*

oves

Tum quibus adſpirabat amor, praebebat aperte
Mitis in umbroſa gaudia valle Venus.
Nullus erat cuſtos, nulla excluſura volentes
Janua. ſi fas eſt, mos, precor, ille redi.
Ducite. ad imperium dominae ſulcabimus agros.
Non ego me vinclis verberibusque nego.

oves & gallinae appellantur, quod paſſim paſcuntur.

42. Quid nocuit, sulcos non habuisse satos] in uno Statii legebatur,

Quis docuit, ſulcos nos habuiſſe ſatos?

quod non poſſum probare. Recte *ſulcos ſatos* dixit. Feſtus: *Sulci appellantur, qua aratrum ducitur, vel ſationis faciendae cauſa, vel urbis condendae.* Varro L. 1. de Re Ruſt. C. 29. *Qua aratrum vomere lacunam ſtriam fecit, ſulcus vocatur. Quod eſt inter duos ſulcos elata terra, dicitur porca, quod ea ſeges frumentum porricit.* Noſter L. 4. Carm. 1. ℣. 184.

Cui fuerant flavi ditantes ordine ſulci
Horrea.

Macrobius L. 2. in Somn. Scip. C. 10. *Cumque rudes primum homines, & incuria ſilveſtri non multum a ferarum aſperitate disſimiles, meminerit vel fabuletur antiquitas: tradatque nec hunc eis, quo nunc utimur, victum fuiſſe, ſed glande prius & baccis altos, ſero ſperaſſe de ſulcis alimoniam.* Ad illum victum amator noſter redire optat. Satin' exanimi ſui ſententia?

45. Volentes] in nonnullis eſt *dolentes*: minus recte. Sed de eo errore jam monuimus ad Propert. L. 3. Eleg. 21. ℣. 17.

I V.

Hic mihi ſervitium video, dominamque paratam.
Jam mihi libertas illa paterna vale.

Ser-

1. Hic mihi servitium video] Differt *ſervitium* nonnihil a *ſervitute*: ſed uſus hanc ſuſtulit differentiam. Chariſius Soſipater L. 1. Inſtit. Gramm. *Servitium multitudo eſt ſervorum, ſervitus conditio ſerviendi. Sed veteres indifferenter ſervitium, & pro ſervitute poſuerunt.* Servitio enixae tulimus, *Virgilius in tertio.* Cornelius Fronto lib. de Different. Vocabul. *Servitus eſt ſub domino: ſervi patientia ſervitium facit.* Paria habet Beda, Chariſium ſecutus, lib. de Orthograph. p. 2346. Et vere ſic ſtatuerunt Magiſtri. Noſter hujus libri Eleg. 1. ℣. 41.

Illi etiam tauros primum docuiſſe feruntur
Servitium.

Propertius meus L. 2. Eleg. 16. ℣. 20.

Quod ſi nec nomen, nec me tua forma teneret,
Poſſet ſervitium mite tenere tuum.

Papinius L. 2. Silv. 2. ℣. 109.

Sis felix tellus dominis ambobus in annos
Mygdonii, Pyliique ſenis; nec nobile mutes
Servitium.

Silius L. 13. ℣. 884.

Proh quanto levius mortalibus aegra ſubire
Servitia, atque hiemes, aeſtusque, fugamque, fretumque,
Atque famem, quam poſſe mori!

Et ut iſti *ſervitium* poſuerunt pro ſervitute, ſic verſa vice *ſervitutem* pro ſervitio, ſive pro multitudine ſervorum, Horatius L. 2. Od. 8. ℣. 18.

Adde, quod pubes tibi creſcit omnis,
Servitus creſcit nova: nec priores
Inpiae tectum dominae relinquunt,
Saepe minati.

1. Dominamque paratam] in noſtro tertio, *dominamque parari.* id quod nullo modo accedit ad pondus participii. quae enim ſunt parata, ea praeſto ſunt, & in manibus, ut dicitur. Terentius Andr. Act. 2. Sc. 1. ℣. 16.

Quid tibi videtur? adeon' ad eum? B. Quid ni? ſi nihil impetres,
Ut te arbitretur ſibi paratum moechum, ſi illam duxerit.

Hh Heau-

Servitium sed triste datur, teneorque catenis,
 Et numquam misero vincla remittet Amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.
 Uror. io remove, saeva puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
 Quam mallem in gelidis montibus esse lapis!
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
 Naufraga quam vasti tunderet ira maris!
Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra est:
 Omnia jam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
 Illa cava precium flagitat usque manu.

Ite

Heautont. Act. 2. Sc. 3. ẏ. 115.

Hic si quid nobis forte adversi evenerit,
Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Adelph. Act. 5. Sc. 3. ẏ. 6.

em tibi,
Rescivit omnem rem: id nunc clamat. ilicet.
Paratae lites.

10. NAUFRAGA QUAM VASTI TUNDERET UNDA MARIS] Magis poëtice *ira maris* habebat Statii Florentinus. Et nos ita vidimus in excerptis codicis Colbertini: & in libro Thuaneo Nic. Heinsius. quem tu consule Not. in Ovid. L. 11. Metam. ẏ. 729.

12. OMNIA NAM TRISTI TEMPORA FELLE MADENT] Male ratiocinatur; quod videbis, si ita collegeris: Quia nullum vitae meae tempus caret amaro felle tristitiae, ideo fit ut dies sit amarior nocte. Quo quid puerilius? Mihi certum est, *nunc* fuisse a poëtae manu, non vero *nam*, repetitione nec insuavi, neque apud puras aures insolente, & (quod caput est) sensu rectissimo. Exemplum habemus hoc ipso libro, Eleg. 7. ẏ. 33.

Tunc morior curis, tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneatve modis.
Tunc tibi, lena, precor diras.

Juvat conjecturam meam non leviter codex Angeli Colotii, in quo *jam* scriptum exstat, teste Nicolao Heinsio in Excerptis Italicis. Sed & *jam* habent Lipsii excerpta, quae manu sua adcurate descripsit pater Douza. Et quamquam mea mihi conjectura nonnihil blanditur, malo tamen priscis libris accedere, ut *jam* legatur. Eodem modo peccatum fuit L. 1. Eleg. 4. ẏ. 34. *Madere* autem est verbum copiae plenae atque uberis, translatum ab re infectoria. Lucretius L. 4. ẏ. 796.

Scilicet arte madent simulacra, & docta vagantur,
Nocturno facere ut possint in tempore ludos?

Maro in Catalectis, Carm. 7.

Scholasticorum natio madens pingui.

Horatius L. 3. Od. 21. ẏ. 9.

Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.

Jocose Plautus *madide madere* eum dixit, qui esset probe vino saburratus, Pseudol. Act. 5. Sc. 2. ẏ. 7.

Molliter siste nunc me, cave ne cadam: non vides me, ut madide madeam?

13. NEC PROSUNT ELEGI] Vidi qui huc traherent ista Horatii, L. 1. Od. 33.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Inmitis Glycerae: neu miserabiles
Decantes Elegos, cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.

Sed Nemesis non potest fuisse eadem quae Glycere. Cujus quidem Glyceres memoria quum apud Albium nostrum nusquam reperiatur, haud vano argumento colligebat Torrentius, multa elegantissimi poëtae carmina desiderari. Sane magnam Horatium inter ac nostrum equitem amicitiam intercessisse, liquet ex illius Epistola quarta L. 1. Tamen in his Albianis, quae nunc habemus, Venusini poëtae memoria est omnino nulla. temporum, opinor, injuria; non negligentia aut tepore amoris Albiani. Ceterum in verbis Horatii *juniorem* Torrentius non de aeta-

te

Ite procul Musae, si nil prodestis amanti,
Non ego vos, ut sint bella canenda, colo.
Nec refero Solisque vias, & qualis, ubi orbem
Complevit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaero.
Ite procul Musae, si nihil ista valent.

At

te intelligebat, sed de amoris obsequio. Id quod Dacerius secutus (sed sic, ut velit videri ipse excogitasse) vertit, *ne faites point d'Elegies plaintives sur ce que cette infidele vous prefere un nouveau venu.* Dacerio adhaesit fideliter interpres Harlemensis. Significationem *junioris* tam novam atque insolentem ut acciperemus, exemplis opus erat atque auctoritatibus bonorum scriptorum. At vero ipse Horatius *juniorem* numquam aliter posuit, nisi respectans ad aetatem. L. 3. Od. 6. ℣. 25.

Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina.

L. 1. Epist. 17. ℣. 16.

utrius horum
Verba probes, & facta, doce: vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia.

L. 2. Epist. 1. ℣. 44.

Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno.

Neque illi, qui aliter statuunt, in omni Latinitate exemplum reperient ullum, quo suam tueantur sententiam. In tantas angustias redigantur necesse est, qui poëtam nostrum Hirtio & Pansa Coss. natum adfirmant, nec nisi quatuor ac viginti annos vixisse autumant, pravi aetatum finitores. Latine vero ille, qui ejecto vetere amatore factus est potior, dicitur *novus.* Horatius L. 1. Od. 36. ipso fine:

Omnes in Damalim putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

Plautus Asin. Act. 1. Sc. 3. ℣. 31.

Volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, se ut quom videat, gaudeat.

Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 560.

Hic rudis, & castris nunc primum notus Amoris,
Qui tetigit thalamos praeda novella tuos.

Calpurnius Eclog. 3. ℣. 9.

Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatque novum post tot mea munera Mopsum.

Secundus noster L. 2. Eleg. 8.

Qui dedit, hunc veteres inter fastidit amantes;
Qualis in eversa stat vetus aede deus.
Qui modo dat, nimium novus est, neque dignus, ut illis
Praeferat hunc, junxit quos sibi prisca fides.

Atque ita in aliis etiam rebus loquebantur. Cicero Dial. de Amicit. C. 19. *Exsistit autem hoc loco quaedam quaestio subdifficilis: numquando amici novi, digni amicitia, veteribus sint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere solemus. —— Atqui in ipso equo, cujus modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato, & novo.*

14. Illa cava precium flagitat usque manu] Hic erat gestus pecuniam efflagitantium. Intellige, puellam avaram, interea dum ei amator suus blanditias dicit, nihil respondisse, sed dejectis oculis cavam manum ostendisse, interpretem meretriciae procacitatis. Suetonius Vespas. C. 23. *Nuntiantis legatos, decretam ei publice non mediocris summae statuam colosseam, jussit, ut continuo ponerent, cavam manum ostentans, & paratam basim dicens.* Hoc & Achilles notavit. Plura & meliora magnus Casaubonus ad Sueton. August. C. 91. & Theodorus Marcilius ad Vespasian. verbis laudatis. Ceterum hanc Nemesim rapacem fuisse, ac spoliatricem, multis locis conqueritur noster poëta.

15. Si non prodestis amanti] Pentameter proxime sequens incipit a voce *non*, odiosa vicinitate. Itaque amplector scripturam codicis Florentini, *si nil prodestis.* ea est apud Achillem.

At mihi per caedem, & facinus ſunt dona paranda;
Ne jaceam clauſam flebilis ante domum.
Aut rapiam ſuspenſa ſacris inſignia ſanis.
Sed Venus ante alios eſt violanda mihi.
Illa malum facinus ſuadet, dominamque rapacem
Dat mihi: ſacrilegas ſentiat illa manus.
O pereat quicumque legit viridesque zmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tinguit ovem.
Hic dat avaritiae ſtimulos: hinc Coa puellis
Veſtis, & a Rubro lucida concha mari.

Haec

21. PER CAEDEM ET FACINUS] Eſt quaſi formula ſolennis. Cicero Agrar. 3. C. 4. *Num quis veſtrûm ad vim, ad facinus, ad caedem accommodatus eſt? nemo.* Agrar. 2. C. 28. *quinque hominum millibus ad vim, facinus, caedemque delectis, locus, atque urbs, quae bellum facere atque inſtruere poſſit, quaeritur.*

23. AUT RAPIAM SUSPENSA FOCIS INSIGNIA SACRIS] Alia ſcriptura eſt in pluribus libris, *ſacris inſignia fanis.* Sed hanc Scaliger interpolatitiam vocat. Vocet ſane: nos Ciceronem auctorem habemus, ſponſorem non malum. Ita ille Accuſ. 1. in Verr. C. 20. *Qua de re Charidemum Chium teſtimonium priore actione dicere audiſtis: ſeſe, cum eſſet trierarchus, & Verrem ex Aſia decedentem proſequeretur, juſſu Dolabellae fuiſſe una cum iſto Sami: ſeſeque tum ſcire ſpoliatum eſſe fanum Junonis, & oppidum Samum. —— Hoc dico, nullum te Aſpendi ſignum, Verres, reliquiſſe: omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, ſpectantibus omnibus, ploſtris evecta aſportataque eſſe. —— Pergae fanum antiquiſſimum & ſanctiſſimum Dianae ſcimus eſſe. id quoque a te nudatum ac ſpoliatum eſſe: ex ipſa Diana, quod habebat auri, detractum atque ablatum eſſe dico.* Et L. 3. de Offic. C. 23. *Quid, ſi pater fana expilet, cuniculos agat ad aerarium: indicetne id magiſtratibus filius?* Valerius Flaccus L. 7. ℣. 48.

Cur, age, non templis ſacrata avellere dona
Omnibus, atque ipſas gremiis abducere natas,
Praedo, libet?

27. VIRIDESQUE SMARAGDOS] Recte monuit Statius, in veteribus monumentis ſemper ſcribi *zmaragdos.* Vide notata nobis ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 51. Sed ea eſt temporis noſtri ſocordia, ut vetus ac vera ſcribendi ratio, quam orthographiam vocamus, pro nugarum ludo derideatur. Quid enim haec *πρὸς τ' ἄλφιτα*? Et quantos viros has tricas libenter neſcire credis? Zmaragdi praecipue commendantur a virore. Plinius L. 37. C. 5. *Nullius coloris adſpectus jucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondesque avide ſpectamus. Zmaragdos vero tanto libentius, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Praeterea ſoli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiant. Quin & ab intentione alia obſcurata, adſpectu zmaragdi recreatur acies.* &c. Lucretius L. 2. ℣. 805. de pluma colli columbini:

Namque alias fit, uti claro ſit rubra pyropo:
Interdum quodam ſenſu fit, uti videatur
Inter caeruleum virideis miſcere zmaragdos.

L. 4. ℣. 1122.

Scilicet & grandes viridi cum luce zmaragdi
Auro includuntur.

videlicet ad delicias mulierum damnoſas. Horatius L. 1. Sat. 2. ℣. 80.

Nec magis huic inter niveos viridesque lapillos
(Sit licet hoc, Cerinthe, tuum) tenerum eſt femur, aut crus
Rectius.

L. 1. Epiſt. 10. ℣. 19.

Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?

Quamquam hoc alii ad marmor Numidicum referunt, quo marmore pavimenta ſua ſternebant proceres Romani.

29. HIC DAT AVARITIAE CAUSSAS, ET COA PUELLIS VESTIS] Haec ſunt mendoſa, neque ſatis inter ſe cohaerent. Noſter ſecundus non *cauſſas* habet, ſed *ſtimulos:* atque ita complures Statiani, & Colbertinus, & Palatinorum optimus apud Gebhardum. Rectius

ſa-

Haec fecere malas. hinc clavim janua sensit,
Et coepit custos liminis esse canis.

Sed

sane, atque apertius. Ea vox in omni affectione animi locum habet. Cicero Orat. pro Coelio C. 5. *Erant apud illum illecebrae libidinum multae: erant etiam industriae quidam stimuli, ac laboris.* Propertius L. 3. Eleg. 17. ℣. 10.

Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rabidae stimulos frangere nequitiae.

Ovidius L. 1. Metam. ℣. 244.

Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque frementi
Adjiciunt.

Maro L. 3. Geor. ℣. 209. (qui nobis unus pro trecentis esto)

Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quam Venerem & caeci stimulos avertere amoris.

L. 6. Aen. ℣. 101.

eo frena furenti
Concutit, & stimulos sub pectore versat Apollo.

L. 7. ℣. 405.

Talem inter silvas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.

L. 9. ℣. 718.

Hic Mars armipotens animum viresque Latinis
Addidit, & stimulos acris sub pectore vertit.

L. 11. ℣. 337.

Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris.

ibidem ℣. 452.

Extemplo turbati animi, concussaque volgi
Pectora, & arrectae stimulis haud mollibus irae.

& ℣. 728.

Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia saeva
Suscitat, & stimulis haud mollibus injicit iras.

Pergamus. Pro *Hic* pronomine malebat Douza adverbium *Hinc*, inducto commate post *τὸ caussas.* Heinsius *Sic* conjiciebat. Sed scribendum videtur,

Hic dat avaritiae stimulos: hinc Coa puellis
Vestis.

Hic, profusus voluptatis emtor: *hinc*, ab hoc Venereo mercatore. Noli putare hoc meum esse somnium. *hinc Coa* liquidis literis exaratum est in duobus Anglicanis.

30 E RUBRO LUCIDA CONCHA MARI] Priscae editiones *a rubro* habent. Vere. Ovidius L. 2. Amor. Eleg. 6.

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
Occidit.

Livius L. 34. C. 9. *Jam tunc Emporiae duo oppida erant, muro divisa. Unum Graeci habebant a Phocaea: alterum Hispani.* Atque ita scribendum opinor in Propertio, L. 3. Eleg. 11. ℣. 6.

Et venit a Rubro concha Erycina salo.

nunc *e rubro* circumfertur: & nos obliti fuimus monere, neque enim omnibus horis sapimus. Vide de hac enallage praepositionis Danielem Vechnerum L. 1. Hellenolex. C. 6.

31. HAEC FECERE MALAS] avaras, rapaces, perjuras. Terentius Heautont. Act. 2. Sc. 2. ℣. 4.

Vereor ne mulier me absente hic corrupta sit,
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exangeant:
Occasio, locus, aetas, mater, cujus sub imperio est, mala;
Cui nihil jam praeter precium dulcest.

31. HINC CLAVIM JANUA SENSIT] Ita haec citavit Charisius L. 1. Instit. Gramm. p. 101. Unde adparet perperam legi *clavem*, & *sentit.*

32. ET COEPIT CUSTOS LIMINIS ESSE CANIS] sic olim Acrisius filiam suam Danaën servare instituit. Horatius L. 3. Od. 16.

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustaeque fores, & vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris.

Deinde scortilla canes in foribus habuerunt, qui essent perpetui ostiarii. Huc adludit Phronesium Plautina, Trucul. Act. 2. Sc. 4. ℣. 1. Dinarchum adloquens amatorem:

Num tibi nam, amabo, janua est mordax mea
Quo introire metuas, mea voluptas?

Vide notata nobis ad L. 1. Eleg. 7. ℣. 32. Festivum est epitaphium canis, a muliere non rustica enutriti, apud Joachimum Bellajum:

Latratu fures excepi, mutus amantes:
Sic placui domino, sic placui dominae.

Italice sic habet: neque enim est ab auctore Bellajo:

Latrai a' ladri, à gli amanti tacqui:
Onde à Messere ed à Madonna piacqui.

Dicitur autem exstare prope Bononiam in villa quadam suburbana. Talis caniculae historia est oppido tragica in Novellis Serenissi-

Sed precium si grande feras, custodia victa est:
Nec prohibent claves, & canis ipse tacet.
Heu quicumque dedit formam caelestis avarae,
Quale bonum multis addidit ille malis!
Hinc fletus, rixaeque sonant. haec denique caussa
Fecit, ut infamis hic Deus esset Amor.
At tibi, quae precio victos excludis amantes,
Diripiant partas ventus &.ignis opes.

Quin

nissimae Margaritae Valesiae Navarraeorum reginae, num. 70.

33. SED PRECIUM SI GRANDE FERAS, &c.] Hinc potuit hausisse Antipater Thessalonicensis, Antholog. L. 7. Epigr. 161.

Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς φίλος, οὔτε θυρωρὸς
Ἐν πόσιν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται.

Vertit elegantissimus Muretus, qui & princeps imitationem Albianam observavit:

Nam precium si grande feras, nec janitor ullus,
Nec vinctus rigidas stat canis ante fores.

Neque multum abit Naso Amor. L. 3. Eleg. 8. ℣. 63.

Me prohibet custos: in me timet illa maritum.
Si dederim, tota cedet uterque domo.

34. CANIS IPSE TACET] Festive lena illa Plautina, Asinar. Act. 1. Sc. 3. ℣. 29.

Is dare volt, is se aliquid posci. nam ubi de pleno promitur,
Neque ille scit quid det, quid damni faciat. illi rei studet:
Volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis: & quoque catulo meo
Subblanditur novus amator, se ut quom videat, gaudeat.

36. QUALE BONUM MULTIS ATTULIT IPSE MALIS] Lipsii excerpta habebant *abdidit*; unde Douza *addidit* faciebat. quod integrum in Italicis Heinsii excerptis exstat. *abdidit* quoque est in nostro tertio, & in Colbertino. Sane verbum *addere* saepe ponitur in partem deteriorem. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 129.

Ille malum virus serpentibus addidit atris.

Naso Epist. Briseïd. ℣. 102.

Me quaedam (memini) dominam captiva vocabat:
Servitio, dixi, nominis addis onus.

Vide sis Macrobium L. 6. Saturn. C. 4. & J. F. Gronovium in Senec. Herc. Fur. ℣. 1237. Posses & *obdidit* rescribere ex his ipsis vestigiis, sensu non inconcinno. Sed certior est Douzae emendatio. Tum & *ille*, pro *ipse*, alii codices.

38. UT INFAMIS HIC DEUS ESSET AMOR] Anacolython videri potest, si totum distichon expendas. Mihi aliquando *hinc* legendum, pro *hic*, persuadebat & sensus, & verborum structura. Vidi deinde sic habere unum ex Palatinis Gebhardi, & omnem editionem priscam. Sed neque hoc ipsum satis rectum est. Quid, si scribamus, *ut infamis nunc Deus erret Amor? nunc*, his temporibus, atque his moribus: olim enim fuit aliter. *erret*, aegre tueatur pristinam dignitatem, & vix adeo habeatur pro Deo, qui ludat luto tam vili. Sed arbitrentur doctiores. Ego enim nihil mihi adcredi postulo.

40. ERIPIANT PARTAS VENTUS ET IGNIS OPES] Est in nonnullis *Diripiant*; quomodo noster supra L. 1. Eleg. 7. ℣. 60.

Attigeris: labentur opes, ut vulnere nostro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

Id sane verbum convenit pulcerrime cum vi atque impetu violenti ignis, a vento vehemente glomerati. qualium incendiorum non infrequens descriptio est apud poëtas Latinos. Seneca Med. ℣. 411.

Non rapidus amnis, non procellosum mare,
Pontusque Coro saevus, aut vis ignium
Adjuta flatu, possit inhibere impetum
Irasque nostras.

ac deinde ℣. 579.

Nulla vis flammae tumidique venti
Tanta.

Lucanus L. 3. ℣. 500.

non hasta viris, non letifer arcus;
Telum flamma fuit: rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.

Silius L. 9. ℣. 605.

raptus-

Quin tua tunc juvenes spectent incendia laeti,
Nec quisquam flammae sedulus addat aquam.
Seu tibi mors veniat, neque sit qui lugeat ullus,
Nec qui det moestas munus in exsequias.
At bona quae, nec avara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.

At-

raptusque sonoro
Ignis edax vento per propugnacula fertur.
Non aliter Pindo Rhodopeve incendia pastor
Quum jacit, & silvis spatiatur fervida pestis,
Frondosi ignescunt scopuli, subitoque per alta
Collucet juga dissultans Vulcanius ardor.

Virgilius L. 2. Geor. ℣. 306.

inde secutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad caelum picea crassus caligine nubem:
Praesertim si tempestas a vertice silvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

Deinde *positas* habebat unus Gebhardi, pro *partas*, & Brixiana ac Cyllenii editio. Probabat Guyetus, & *positas* exponebat reconditas. Ridicule. *partas* intellige corpore quaesitas. Naso L. 3. Amor. Eleg. 8. ℣. 66.

O, si neglecti quisquam Deus ultor amantis,
Tam male quaesitas pulvere mutet opes!

Hoc alibi vocat *tori reditu census augere paternos.*

43. SEU VENIAT TIBI MORS, NEC ERIT QUI LUGEAT ULLUS] Prioris hemistichii rythmum insuavem atque hiulcum qui patienter ferunt, eos par est trivialibus Anserum deliciis vehementer delectari. sed haec sunt a librariis. Poëta ipse scripserat, *Seu tibi mors veniat.* Deinde cum Scaligero ac Douza scribe *neque sit.* est enim inprecantis devotio, Ne sit ullus qui mortuam defleat, aut munere suo condecoret supremum honorem. Ita sane postulant praecedentia, *diripiant, spectent, addat.* Erat autem dirum non defleri; non lugeri. Imo sine fletu sepulturam non esse statuebant, docente Servio ad L. 6. Aen. ℣. 325. Quam sint carae manibus lacrimae carorum, vide apud Papinium Lacrimis Etrusci, L. 3. Silv. 3. De his diris nos aliquid notavimus ad L. 1. Eleg. 3. ℣. 8.

44. NEC QUI DET MOESTAS MUNUS IN EXSEQUIAS] Alia scriptura est in nonnullis libris, *Nec qui det moestas manibus exsequias.* quam cur minus probem, in caussa est mos perpetuus injiciendi in rogum res quasque preciosissimas. Quem morem commode inlustravit Joannes Kirchmannus L. 3. de Funerib. Roman. C. 5. Proprie *munera* vocabant. Virgilius L. 11. Aen. ℣. 195.

Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensisque decoros,
Frenaque, ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, & non felicia tela.

Valerius Flaccus L. 3. ℣. 312.

Vos, age, funereas ad litora volvite silvas,
Et socios lustrate rogos: date debita caesis
Munera, quae nostro misisset Cyzicus igni.

Nemesianus Eclog. 1. ℣. 64.

Felix o Meliboee, vale. Tibi frondis odorae
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo.
Dant Fauni quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges.
Dat grandaeva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphae, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos. dant carmina Musae,
Carmina dant Musae; nos te modulamur avena.

Catullus Carm. 97.

Multas per gentis, & multa per aequora vectus
Advenio has miseras, frater, ad inferias:
Ut te postremo donarem munere mortis.

45. AT BONA, QUAE NEC AVARA FUIT] Commodius distinxit Douza, *At bona quae, nec avara fuit.* Mulier (inquit Cyllenius) quae pulcra & elegans & venusta fuerit, nec rapax. Decepit virum diligentem notio τοῦ *bona*; quam melius idem ille Douza interpretatur ex sententia Catulliani epigrammatis, 106.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
Accipiunt precium, quae facere instituunt.

Videlicet *bonas* vocat, quae pro cultura horti sui nullam exigerent mercedem, & copiam

piam

Atque aliquis ſenior, veteres veneratus amores,
Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.
Et, Bene, diſcedens dicet, placideque quieſcas,
Terraque ſecurae ſit ſuper oſſa levis.
Vera quidem moneo: ſed proſunt quid mihi vera?
Illius eſt nobis lege colendus amor.
Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas:
Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.

Quid-

piam facerent etiam nihil adferentibus. Horatius L. 4. Od. 1.

Non ſum, qualis eram bonae
Sub regno Cynarae.

Quod quale ſit, ipſemet exponit L. 1. Epiſt. 14. ℣. 33.

Quem ſcis inmunem Cynarae placuiſſe rapaci.

Ceterum hic ipſe verſiculus, in quatuor voces biſyllabas exiens, ingratum neſcio quid & raucum tinnit, neque aures delicatas ſatis videtur inplere.

48. Annua constructo serta dabit tumulo] de ſertis annuis ad carorum ſepulcra oblatis multi multa notarunt. Tu vide Deſ. Heraldum L. 1. Adverſ. C. 6. & Jo. Kirchmannum L. 4. de Funer. Roman. C. 3. Haec Albiana ſerta de ſolo apio interpretatur Jo. Baptiſta Pius, cunctis aliis & frondibus & floribus excluſis, Annot. Poſter. C. 115. In quo quantum fallatur vir bonus, erudite oſtendit Hier. Magius, meliore fato dignus quam qui ab inmani Turca ſtrangularetur, L. 2. Miſcell. C. 17. Ego poëtam de roſis loqui opinor. In hanc rem, pulcram inſcriptionem produxi ad Propertium, L. 1. Eleg. 17. ℣. 22. Virgilius L. 5. Aen. ℣. 79.

Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo ſanguine ſacro,
Purpureosque jacit flores.

L. 6. ℣. 885.

Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere.

Auctor Copae, vetus ac venuſtus, ℣. 35.

Eia, age, pampinea feſſus requieſce ſub umbra,
Et gravidum roſeo necte caput ſtrophio,
Candida formoſae decerpens ora puellae.
Ah pereat, cui ſunt priſca ſupercilia.
Quid cineri ingrato ſervas bene olentia ſerta?
Anne coronato vis lapide iſta legi?

Quae deinceps ſequuntur apud noſtrum, diligenter inluſtrata dedit Jo. Kirchmannus L. 3. de Funer. Roman. C. 9.

52. Illius est nobis lege colendus amor] Amare me neceſſe eſt iis conditionibus, quas illa praeſcribit. Pulcra locutio. Terentius Heautont. Act. 5. Sc. 2. ℣. 45.

adulеſcens quam minima in ſpe ſitus erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.

Sed propius ad rem noſtram lena illa Plautina, Aſinar. Act. 1. Sc. 3. ℣. 14.

Solus ductato, ſi ſemper ſolus, quae poſcam, dabis.
Semper tibi promiſſum habeto hac lege, dum ſuperes datis.

tum deinde ℣. 81.

AR. *Habeo, unde iſtuc tibi quod poſcis dem: ſed in leges meas*
Dabo, ut ſcire poſſis, perpetuum annum hunc mihi uti ſerviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorſus, quam me, ad ſe virum.
CL. *Quin tu ſi voles, domi ſervi qui ſunt caſtrabo viros.*
Poſtremo ut voles nos eſſe, ſyngrapham facito afferas.
Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecum una argentum afferto, facile patiar cetera.

53. Sedes jubeat si vendere avitas] Quod eſt & miſerum, & probroſum, id ſe extemplo velle facere oſtendit amator demens. ſcilicet ut ſit, cujus eum deinceps perpetuo poeniteat.

Ut quondam Marſaeus, amator Originis, ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque.

Talia & apud Naſonem reperies in Remediis Amorum, & paſſim apud Comicos. Hoc vero numquam fecerit vir ſapiens ac gravis, niſi rebus undequaque perditis, & amiſſa omni

Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
Quidquid & herbarum Theſſala terra gerit:
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidae ſtillat ab inguine equae:
(Si modo me placido videat Nemeſis mea vultu)
Mille alias herbas miſceat illa: bibam.

omni ſpe ſalutis. Cicero Philipp. 12. C. 6. *L. Piſonis, ampliſſimi viri, praeclara vox, a te non ſolum in hoc ordine, Panſa, ſed etiam in concione jure laudata eſt. Exceſſurum ſe ex Italia dixit, deos penates & ſedes patrias relicturum, ſi (quod dii omen averterint!) rempublicam oppreſſiſſet Antonius.*

56. Quidquid et herbarum Thessala terra gerit] Scaliger malebat *genit*: nimis profecto antiquarie. *Gerere* eſt ferre. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 122.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis.

de herbis Theſſalicis Lucanum audiamus L. 6. ℣. 438.

Theſſala quin etiam tellus herbasque nocentes
Rupibus ingenuit, ſenſuraque ſaxa canentes
Arcanum ferale magos. Ibi plurima ſurgunt
Vim factura Deis. & terris hoſpita Colchis
Legit in Haemoniis, quas non advexerat, herbas.

Sed nec ſola Theſſalia magicas herbas progignebat. Alia, his etiam portentoſiora, invenire licet apud Plinium L. 24. C. 17. Quamquam noſter, quod non eſt inſuper habendum, de ſolis herbis illis loquitur, quae furorem amatorium in ſeſe habere credebantur; atque ideo non citra periculum ſumebantur.

57. Indomitis gregibus Venus afflat amores] *afflandi* verbum ſaepe in partem bonam ponitur. Maro L. 1. Aen. ℣. 591.

Reſtitit Aeneas, claraque in luce refulſit,
Os humerosque deo ſimilis: namque ipſa decoram
Caeſariem nato genetrix, lumenque juventae
Purpureum, & laetos oculis afflarat honores.

ſaepe in partem pejorem; ut hoc loco. Horatius L. 2. Sat. 8. ℣. ult.

quem nos ſic fugimus ulti,
Ut nihil omnino guſtaremus: velut illis
Canidia afflaſſet, pejor ſerpentibus Afris.

Columella L. 8. C. 5. ubi de pullis gallinaceis: *Longius autem non eſt permittendum teneris evagari, ſed circa caveam continendi ſunt, & farina ordeacea paſcendi dum corroborentur. cavendumque ne a ſerpentibus afflentur, quarum odor tam peſtilens eſt, ut interimat univerſos.* Ceterum *greges* hic ſumi pro armentis, non eſt cur moneamus. Sic de bubus, equis, elephantis loquuntur optimi quique ſcriptores.

58. Hippomanes cupidae stillat ab inguine equae] Non libet recoquere quae & priſci & novi auctores de hoc viru tradiderunt, ſatis inter ſe diverſa. *Hippomanis* vocem ego aequivocam eſſe arbitror, non nomen aliquod proprium, ſtricte ſumtum, ſed ſubſtantivum tribus rebus commune, quae in eamdem furoris efficaciam convenirent. Videmus enim ea voce notari virus illud, quod equae in libidinem concitatae e locis emittunt; deinde carunculam fici inſtar in fronte pulli equini primulum cadentis de matre; denique herbam neſcio quam in Arcadia, cujus meminit Theocritus in Pharmaceutriis. Neque tamen ignoro, quid in Theocrito mutaverit Salmaſius. Sed & ille nactus eſt ſuos cenſores. Ita ut ſentirem, perfecit auctoritas viri doctiſſimi Joannis Pierii Valeriani L. 4. Hieroglyph. C. 24. Quem tu ſi conſulas, ejusque rationes expendas, multa tibi certa erunt, in quibus modo fluctuabas. Sed tanta eſt temporum noſtrorum confidentia, tantusque vetuſtatis contemtus, ut in his atque aliis in rebus, quae incertae videntur, nec tamen ſunt, ad ſacram ſuam anchoram confugiant minuti ſimioli ac perpuſilli, & praeclariſſimum quemque ſcriptorem modo inconſtantiae, modo vanitatis, modo mendacii non jam accuſent, ſed peragant quoque apud judices ſui ſimillimos, quorum omnis ſapientia huc denique redit, Nihil ſcire velle.

V.

PHOEBE fave; novus ingreditur tua templa sacerdos;
Huc age cum cithara, carminibusque veni.
Nunc te vocales inpellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.

Ipse

M. Valerius Corvinus Messala duos habuit filios, Marcum & Lucium. quorum Marcus consulatum gessit cum L. Cornelio Lentulo Getulico, A. V. DCCL. Lucius autem per adoptionem datus est genti Aureliae, dictusque L. Aurelius Cotta Messalinus Volusus; factus & ipse consul cum Cn. Cornelio Cinna Magno, A. V. DCCLVII. Cum hoc Lucio magnum amicitiae usum habuit Naso poëta, etiam in exilio. ita enim ostendit ipse L. 3. Pontic. Epist. 2. ubi haec in fine:

Adde, quod est animus semper tibi mitis; & altae
Indicium mores nobilitatis habet.
Quos Volesus patrii cognoscat nominis auctor;
Quos Numa maternus non neget esse suos:
Adjectique probent genitiva ad nomina Cottae,
Si tu non esses, interitura domus.

Plinius L. 10. C. 22. ubi de anseribus: *Sed (quod constat) Messalinus Cotta, Messalae oratoris filius, palmas pedum ex his torrere, atque patinis cum gallinaceorum cristis condire reperit.* Qui idem scriptor mortem quoque ejus commemorat L. 32. C. 10. *Multi podagris quoque admittendas* [hirudines, quas sanguisugas vocant] *censuere. Decidunt satietate, & pondere ipso sanguinis detractae, aut sale adspersae. Aliquando tamen affixa relinquunt capita, quae caussa vulnera insanabilia facit, & multos interimit, sicut Messalinum ex consularibus patriciis, cum ad genua admisisset.* Huic ego Lucio, quum in collegium Quindecimvirorum inspiciundis libris Sibyllinis cooptaretur, de novo honore hac ipsa Elegia gratulatum fuisse poëtam nostrum arbitrabar. Sed decepit me cognomen *Messalini*; quo cognomine, non minus quam *Messalae*, cohonestabatur M. Valerius, fratrum major. Vellejus L. 2. C. 112. *Felix eventu, forte conatu, prima aestate bellum Messalini opus mandandum est memoriae: qui vir, animo etiam quam gente nobilior, dignissimusque qui & patrem Corvinum habuisset, & cognomen suum Cottae fratri relinqueret, praepositus Illyrico, subita rebellione, cum semiplena legione vicesima, circumdatus hostili exercitu, amplius XX. hostium fudit fugavitque, & ob id ornamentis triumphalibus honoratus est.* Dio quoque, in hujusdem rebellionis historia, semper *Valerium Messalinum* appellat L. 55. & Tacitus L. 3. Hist. C. 34. *Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala, ineratque imago paternae facundiae, respondit.* Atque ante hos omnes Ovidius, quem operae fuerit inspexisse L. 2. Pont. Epist. 2. in Fastis Capitolinis ad A. V. DCCL, dicitur M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALINVS. Itaque conveniens est, ut hic Marcum intelligamus; praecipue quum ei poëta in fine hujus carminis & consulatum auguretur & triumphum. Quale augurium minori fratri dare, majore praeterito ac neglecto, cujus foret rusticitatis? Erat autem hic honor quindecimviratus, sub principibus, quaedam quasi pollicitatio futuri consulatus. Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 174.

Hunc & bissenos (sic indulgentia pergat
Praesidis Ausonii) cernes attollere fasces
Ante diem. Certe jam nunc Cybeleïa novit
Limina, & Euboicae carmen legit ille Sibyllae.

1. PHOEBE FAVE] Decôre orditur ab invocatione Apollinis, omnium vaticiniorum praesidis, in cujus templo Palatino servabantur libri fatales. Suetonius Aug. C. 31. *Postquam vero pontificatum maximum, quem numquam vivo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit, quidquid fatidicorum librorum Graeci Latinique generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta undique cremavit: ac solos retinuit Sibyllinos: hos quoque dilectu habito: condiditque duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi.* Versiculus hic est adfabre factus, quique pompam & incessum novi sacerdotis ipso numerorum motu pulcre praefiguret.

3. 4. NUNC TE VOCALES] Hos binos versiculos pulcre expressit Seneca Agamemn. ℣. 322.

Arcus

Ipſe triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua ſacra veni.
Sed nitidus, pulcerque veni. nunc indue veſtem
Sepoſitam, longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuiſſe Jovi.

Tu

Arcus victor pace relata
Phoebe relaxa;
Humeroque graves levibus telis
Pone pharetras; reſonetque manu
Pulſa citata vocale chelys.
Nil acre velim,
Magnumque modis intonet altis:
Sed quale ſoles leviore lyra
Flectere carmen ſimplex, luſus
Cum docta tuos Muſa recenſet.

5. Ipse triumphali devinctus tempora lauro] Non tantum ipſe Deus lauro coronabatur, ſed & omnis ſupplicum chorus. Seneca Agamemn. ℣. 310.

Canite, o pubes inclita, Phoebum.
Tibi feſta caput turba coronat:
Tibi virgineas laurum quatiens
De more comas innuba fundit
Stirps Inachia.

7. Nitidus] Ad cultum univerſum refertur. Horatius L. 3. Od. 24. ℣. 20.

Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.

& L. 1. Epiſt. 7. ℣. 83.

ex nitido fit ruſticus, atque
Sulcos & vineta crepat mera.

Proprie tamen *nitidus* dicitur de capillo bene pexo atque unguentato. Noſter L. 1. Eleg. 8. ℣. 51.

Illius nitido ſtillent unguenta capillo.

Eleg. 9. ℣. 16.

Nec nitidum tarda comſerit arte caput.

Horatius L. 2. Od. 7. ℣. 7.

Cum quo morantem ſaepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malabathro Syrio capillos.

L. 1. Epiſt. 14. ℣. 32.

Quem tenues decuere togae, nitidique capilli.

Martialis L. 8. Epigr. 77.

Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo
Splendeat, & cingant florea ſerta caput.

8. Vestem Sepositam] Ad laetos & feſtos dies reſervatam. Videndus Homerus Hymn. in Apollin. ℣. 184. & 203. Sulpicia noſtra ad Junonem, infra L. 4. Carm. *6.* ℣. 13.

Adnue, purpureaque veni perlucida palla.

Etiam Venus in veſte non quotidiana ibat ad nuptias inluſtriores. Claudianus Epithal. Palladii & Celerinae, ℣. 103.

at illa
Fontibus abluitur gelidis, legemque capillo
Reddit, & ornatum formae: praelisque ſolutae
Mira Dioneae ſumit velamina telae.

Dioneam vocat, eo quod hanc ei veſtem mater Dione ipſa texuiſſet. Sic & alii Dii, in honore & ſolenni laetitia. Papinius Genethliaco Lucani, L. 2. Silv. 7. ℣. 5.

Ipſi, quos penes eſt honor canendi,
Vocalis citharae repertor Arcas,
Et tu Baſſaridum rotator Evan,
Et Paean, & Hyantiae ſorores,
Laetae purpureas novate vittas,
Crinem comite, candidamque veſtem
Perfundant hederae recentiores.

Non fruſtra *candidam.* Hic enim color potentiae & honorum index ab omni memoria ſemper habitus fuit. Sed & homines pauperculi aliquid veſtium ſervabant in celebrationem dierum feſtorum, vel in adventum hoſpitis honoratioris. Ovidius, de Philemone & Baucide, L. 8. Metam. ℣. 655.

In medio torus eſt de mollibus ulvis
Impoſitus lecto, ſponda pedibusque ſalignis.
Veſtibus hunc velant, quas non niſi tempore feſto
Sternere conſuerant: ſed & haec vilisque levisque
Veſtis erat, lecto non indignanda ſaligno.

9. Saturno rege fugato] Notiſſima fabella, ſed quae philoſophis non potuit ſe probare. Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 2. *Cum veritas argumento ſubeſt, ſolaque fit narratio fabuloſa, non unus reperitur modus per figmentum vera referendi. Aut enim contextio narrationis per turpia & indigna numinibus ac monſtro ſimilia componitur: ut dii adulteri, Saturnus pudenda Caeli patris abſcindens, & ipſe rurſus a filio regno potito in vincula conjectus; quod genus totum philoſophi neſcire ma-*

Tu procul eventura vides: tibi debitus augur
Scit bene quid fati provida cantet avis.

Tu-

luerunt; *aut sacrarum rerum notio sub figmentorum velamine honestis & tecta rebus & vestita nominibus enuntiatur. Et hoc est solum figmenti genus, quod cautio de divinis rebus admittit.* Vide sis Lactantium L. 1. Instit. Divin. C. 13.

10. VICTORI LAUDES CONCINUISSE JOVI] Videlicet quod parentem filius armis esset adortus, & regno omni ejecisset. Egregias vero laudes. Nec quidquam hic juvat mythologia. Vocabula ista *patris* & *filii* in animis legentium altum semper horrorem defigent. Meliore judicio alii poëtae Phlegraeam Jovis victoriam celebrarunt; alii dederunt Apollini celebrandam, omisso hoc tam inpio epinicio. Horatius L. 3. Od. 1. ℣. 6.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.

Seneca Agamemn. ℣. 332. verbis chori Argivarum virginum ad Apollinem:

Licet & chorda graviore sones,
Quale canebas, cum Titanas
Fulmine victos videre Dei;
Vel cum montes montibus altis
Superimpositi struxere gradus
Trucibus monstris. stetit imposita.
Pelion Ossa. pinifer ambos
Pressit Olympus.

Papinius L. 4. Silv. 2. ℣. 53.

Talis, ubi Oceani finem mensasque revisit
Aethiopum, sacro diffusus nectare vultus,
Dux superûm secreta jubet dare carmina Musas,
Et Palleneos Phoebum laudare triumphos.

Ludovicus quoque Areostus, Apollinem adfatus, initio cantus tertii:

E volendone a pien dicer gli onori,
Bisogna non la mia, ma quella cetra,
Con che tu dopo i gigantei furori
Rendesti gratia al regnator de l'etra.

Quae sic ferme vertas Latine:

His ego si meritos conor detexere honores;
Phoebe, tuis opus est fidibus, quîs praelia coeli,
Et domitos Terrae juvenes, fractumque furorem
Anguipedum, multa cecinisti laude parenti.

Deinde quod noster Eques dicit Apollinem fuisse Jovi gratulatum de fuga Saturni, in eo alios illum auctores habuisse oportet, quam qui nunc supersunt. Nam sane Apollo tum temporis nondum erat natus, siquidem Nasoni credimus, L. 6. Metam. ℣. 331.

Non hac, o juvenis, montanum numen in ara est.
Illa suam vocat hanc, cui quondam regia Juno
Orbe interdixit: quam vix erratica Delos
Orantem accepit, tum cum levis insula nabat.
Illic, incumbens cum Palladis arbore palmae,
Edidit invita geminos Latona noverca.

11. TU PROCUL EVENTURA VIDES] sic, verbis Apollinis, L. 3. Eleg. 4. ℣. 47.

At mihi fatorum leges, aevique futuri
Eventura pater posse videre dedit.

Res autem futuras edocebat Apollo (id quod hic videmus) quatuor potissimum modis, Augurio, Sortibus, Haruspicio, Oraculis. Sed ad oracula referuntur etiam hariolorum ac vatum furibundae praedictiones. His accedunt Somnia; & quae ex Flammis ducuntur vaticinia. Reliqua divinandi genera ad Apollinem non magnopere videntur pertinuisse. Praeclare huc faciunt aurei scriptoris Minucii Felicis verba aurea, postquam hoc totum esset graviter insectatus: *Isti igitur impuri spiritus, ut ostensum a magis, a philosophis, & a Platone, sub statuis & imaginibus consecrati delitescunt, & adflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnumquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta. Nam & falluntur, & fallunt, ut & nescientes sinceram veritatem, &, quam sciunt, in perditionem sui non confitentes. Sic a coelo deorsum gravant, & a Deo vero ad materiam avocant, vitam turbant, somnos inquietant, inrepentes etiam corporibus occulte, ut spiritus tenues: morbos fingunt, terrent mentes, membra distorquent, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium vel hostiis pecudum saginati, omissis, quae constrinxerant, curasse videantur. Hi sunt & furentes, quos in publicum videtis excurrere, vates & ipsi absque templo, sic insaniunt, sic bacchantur, sic rotantur: par & illis instigatio daemonis, sed argumentum dispar furoris.*

14. Lu-

Tuque regis ſortes: per te praeſentit haruſpex,
  Lubrica ſignavit quum Deus exta notis.
Te duce Romanos numquam fruſtrata Sibylla eſt,
  Abdita quae ſenis fata canit pedibus.
Phoebe ſacras Meſſalinum ſine tangere chartas
  Vatis: & ipſe, precor, quid canat illa, doce.
Haec dedit Aeneae ſortes, poſtquam ille parentem
  Dicitur, & raptos ſustinuiſſe Lares:
Nec fore credebat Romam, quum moeſtus ab alto
  Ilion, ardentes reſpiceretque Deos.

Ro-

14. LUBRICA SIGNAVIT QUUM DEUS EXTA NOTIS] Propertius L. 4. Eleg. 1. ℣. 100.

Nec ſibi commiſſos fibra locuta Deos.

Hae notae ſi abeſſent, dirum habebatur. Ovidius, in illa egregia peſtilentiae deſcriptione, L. 7. Metam. ℣. 600.

Fibra quoque aegra notas veri, monitusque Deorum
Perdiderat.

Exta autem talia, e quibus nihil reſponſi vel divinationis elici poterat, *muta* appellabantur, auctore Pompejo Feſto.

16. ABDITA QUAE SENIS FATA CANIT PEDIBUS] Cumaeam intelligit Sibyllam, quae Aeneae ſortes dedit, cuique Aeneas magnifice pollicetur apud Maronem L. 6. ℣. 69.

Tum Phoebo & Triviae ſolido de marmore templum
Inſtituam, feſtosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris.
Hic ego namque tuas ſortis, arcanaque fata
Dicta meae genti ponam, lectosque ſacrabo
Alma viros.

Et hujus quidem unius libri publica religione ſervabantur. Lactantius lib. de ira Dei, C. 23. *Verum quia plures, ut oſtendi, Sibyllae a doctiſſimis auctoribus fuiſſe traduntur: unius teſtimonium ſatis non ſit ad confirmandam, ſicut intendimus, veritatem. Cumaeae quidem volumina, quibus Romanorum fata conſcripta ſunt, in arcanis habentur: ceterarum tamen fere omnium libelli, quo minus in uſu ſint omnibus, non vetantur.* Plures fuiſſe oſtenderat vir ſanctiſſimus L. 1. Divin. Inſtit. C. 6. ubi haec addit: *Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur, & habentur, praeterquam Cumaeae: cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, niſi a quindecimviris, inſpectos habent.*

18. IPSE PRECOR, QUOD CANAT ILLA, DOCE] Recte Heinſius, *quid canat illa.* Tu, o Phoebe, doce Meſſalinum quid canat Sibylla, obſcuris vera involvens. Sic & ego divinaveram, antequam Heinſii notas vidiſſem. nunc gaudeo in conſpiratione viri excellentis.

20. RAPTOS SUSTINUISSE LARES] libri fere *captos* habent. Quocirca non defuerunt, qui carperent Scaligeri emendationem veriſſimam, tantum ut carperent. Sed a Scaligero ſtat Virgilius L. 1. Aen. ℣. 378.

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoſte Penates
Claſſe veho mecum.

21. HAEC FORE CREDEBAT ROMAM] Referunt ad Sibyllam, quae, quum eſſet futuri conſcia, jam tum credebat Romam fore, quum fumaret Troja. Hoc ſi ita eſt, uſus eſt noſter Albius verbo admodum languido ac debili. Quis enim umquam dixit, Vatem hoc vel illud, non *canere*, ſed *credere*? Nicolaus Heinſius refingebat, *Haec fore prodebat Romam.* Sed libri veteres magno numero veram nobis lectionem ſervaverunt, *Nec fore credebat Romam.* Quae verba recte ac decore dicuntur de Aenea, crudele patriae excidium deflente, ac fati ſui incerto, nec ſperare auſo tam excelſum fortunae faſtigium in rebus deſperatiſſimis.

22. ARDENTES RESPICERETQUE DEOS] ardentia Deorum templa. Sic Virgilio *Ucalegon ardere* dicitur L. 2. Aen. ℣. 311. & *Claudius venalis pependiſſe* Suetonio C. 9. Paſſeratius hic nodum quaeſivit in ſcirpo; nec ſolvit Gebhardus, contentus exſcripſiſſe. Licet & *Deos ardentes* intelligere de ſtatuis Deorum ardentibus, una cum templis. Sic enim ſae-

Romulus Aeternae nondum formaverat Urbis
Moenia, conſorti non habitanda Remo.
Sed tunc paſcebant herboſa palatia vaccae,
Et ſtabant humiles in Jovis arce caſae.

La-

pe loquuntur optimi ſcriptores. Horatius L. 4. Od. 4. ℣. 48.

Poſt hoc ſecundis uſque laboribus
Romana pubes crevit, & inpio
Vaſtata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.

Vide iſtic notata doctiſſimo Lambino. Idem ille olor Venuſinus L. 2. Od. 18. ℣. 27.

pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et uxor, & vir, ſordidosque natos.

& L. 1. Sat. 8. initio:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum.

Juvenalis Sat. 8. ℣. 111.

Ipſi deinde Lares, ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in aedicula Deus unicus.

Auctor Herculis in Oeta, ℣. 173.

non templa ſuis
Collapſa Deis, ſparſosve focos,
Natis miſtos arſiſſe patres,
Hominique Deos, templa ſepulcris.

Ipſe noſter Albius L. 1. Eleg. 11. ℣. 20.

Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus aede Deus.

Propertius L. 4. Eleg. 1. ℣. 5.

Fictilibus crevere Deis haec aurea templa.

Naſo Epiſt. Medeae, ℣. 70.

Aurea barbarica ſtat Dea facta manu.

23. ROMULUS AETERNAE NONDUM FORMAVERAT URBIS MOENIA] *Aeternam Urbem*, ſolenni locutione, vocabant Romam. ſed hoc nemo neſcit: nec ſinunt neſcire monumenta antiqua. Cicero Philipp. 2. C. 21. *Dum genus hominum, dum populi Romani nomen exſtabit, quod quidem erit, ſi per te licebit, ſempiternum, tua illa peſtifera interceſſio nominabitur.* Jupiter apud Maronem L. 1. Aen. ℣. 275.

Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Moenia, Romanosque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi.

Atque hinc ipſi imperatores dicti *Aeterni.* quo titulo plus ſemel ornantur & in Legibus, & in Inſcriptionibus. Achilles Statius pro eo, quod eſt *formaverat*, malebat *firmaverat.* Et ſic exſtat in uno noſtro; ſed prave, ac perperam. Neque enim huc trahere poſſis iſta Velleji L. 1. C. 8. *Id geſſit Romulus, adjutus legionibus Latini avi ſui, libenter enim his, qui ita prodiderunt, acceſſerim: cum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Vejentibus, aliisque Etruſcis ac Sabinis, cum imbelli paſtorali manu vix potuerit.* Noſter poëta loquitur de novo illo Romuli conſilio, quod animo agitabat, condendae urbis. Sunt enim *formae* deſcriptiones ac delineationes operum atque aedificiorum, antequam excitentur. Cicero L. 2. ad famil. Epiſt. 8. *Quare ego nec praeterita nec praeſentia abs te, ſed, ut ab homine longe in poſterum proſpiciente, futura exſpecto; ut ex tuis literis cum formam reip. viderim, quale aedificium futurum ſit, ſcire poſſim.* Suetonius Jul. C. 31. *Et ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat aedificaturus, conſideravit.* Hinc eſt verbum *formare*, quo utitur noſter; non quod Romulus has architectorum rationes ſciret, ſed quod futurae urbis ſpeciem atque imaginem animo, tamquam in aliqua membrana, praeformaret. Proprie Papinius L. 3. Silv. 1. ℣. 117. ubi Hercules Surrentinus perſuadet Pollio novi templi exſtructionem:

dixit, mentemque reliquit.
Nec mora: conſcripta formatur imagine tela.

Vides ichnographiam in linteo coloribus depictam.

26. STABANT HUMILES IN JOVIS ARCE CASAE] ubi nunc eſt arx Jovis Capitolini, ibi erat Romuli caſa. Vide Dionyſium Halicarnaſſeum L. 1. C. 50. quo loco dicit, caſam eam fuiſſe humilem absque ulla contignatione. Haec deinde dicta fuit *Curia Calabra.* Servius ad L. 8. Aen. ℣. 654. *Romuleoque recens horrebat regia culmo] Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo autem Calabra, quod, cum incertae eſſent Calendae aut Idus, a Romulo conſtitutum eſt, ut ibi patres vel populus calarentur, id eſt, vocarentur, & ſcirent qua die Calendae eſſent,*

vel

Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbrae,
Et facta agreſti lignea falce Pales.
Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſilveſtri fiſtula ſacra Deo.

Fiſtu-

vel etiam Idus. Sed Macrobius hanc caſam a curia diſpeſcit, ita tamen, ut propemodum contiguas faciat, L. 1. Saturn. C. 15. *Sacrificio a rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex kalata, id eſt, vocata in capitolium plebe juxta curiam Kalabram, quae caſae Romuli proxima eſt, quot numero dies a Kalendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat.* Haec autem caſa longiſſimo tempore ſuperſtes fuit. Vitruvius L. 2. C. 1. *In Capitolio commonefacere poteſt & ſignificare mores vetuſtatis Romuli caſa in arce ſacrorum, ſtramentis tecta.* Sed & apud alios, Vitruvio longe juniores, memoria eſt hujus caſae, Senecam puta, & Petronium.

27. LACTE MADENS] lacte & libo fiebat omnibus Diis agreſtibus. diximus ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 14. Sed & Baccho lacte ſacrificabatur, ut erudite oſtendit ad Catullum Iſaacus Voſſius p. 250. T. Valgius, apud Philargyrium in L. 3. Geor. ℣. 176.

Sed nos ante caſam tepidi mulgaria lactis,
Et ſinum vini ceſſamus ponere Baccho.

Muſis quoque aqua fiebat & lacte, docente Servio ad Eclog. 7. ℣. 21, non vino. & Deae Rumiliae, auctore Plutarcho in Vita Romuli.

29. PENDEBATQUE VAGI PASTORIS IN ARBORE VOTUM] In votis ac donariis verba erant ſolennia, *figere, ſuſpendere, pendere.* Niſus apud Maronem L. 9. Aen. ℣. 405.

Aſtrorum decus, & nemorum Latonia cuſtos,
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

Sed nos Albianum *pendendi* verbum inluſtremus, nec prioribus iſtis neglectis. Artem aliquam qui deſinebant, artis inſtrumenta Diis quisque ſuis ſuspendebant. Quod opinor primus obſervavit Turnebus L. 6. Adv. C. 9. deinde & alii atque alii poſt Turnebum. Ita noſter hic paſtor fiſtulam emeritam ſuspendit Pani. *Pendebat* illa ex ilice: ſic enim propritim loquebantur. Virgilius Eclog. 7. ℣. 24.

Nymphae, noſter amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite: proxima Phoebi
Verſibus ille facit. aut, ſi non poſſumus omnes,
Hic arguta ſacra pendebit fiſtula pinu.

Quod eſt imitatus Aurelius Nemeſianus Eclog. 1. ℣. 14.

Viximus, & calamis verſus cantavimus olim,
Dum ſecura hilares aetas ludebat amores.
Nunc album caput, & Veneres tepuere ſub annis:
Jam mea Ruricolae dependet fiſtula Fauno.

quamquam ille & Horatio non debet nihil, L. 3. Od. 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non ſine gloria:
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Cuſtodit.

Papinius L. 4. Silv. 4. ℣. 88.

Jam Sidonios emenſa labores
Thebais optato collegit carbaſa portu:
Parnaſique jugis, ſilvaque Heliconide feſtis
Tura dedit flammis, & virginis exta juvencae,
Votiferaque meas ſuſpendit ab arbore vittas.

Longus, dulciſſimus ille Paſtoralium ſcriptor, L. 1. interprete Laurentio Gambara, de antro Nympharum:

Antrum erat hoc poſitum in ſilva, prope litora ponti
Silvicolis: calami enodes, multaeque cicutae,
Munera paſtorum, pendebant fornice rupis.

Deinde, L. 4, Daphnis, vitam ruſticam relicturus, paſtoralia anathemata Diis agreſtibus ſuspendit, Baccho peram & pellem, Pani fiſtulam ac tibiam obliquam, Nymphis pedum & mulctralia, quae ipſemet fabricaverat. *Pendere* quoque dicuntur ſpolia hoſtilia, vel templis vel domibus ducum victorum adfixa. Virgilius L. 7. Aen. ℣. 184.

Multaque praeterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque ſecures,
Et criſtae capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque roſtra carinis.

Silius L. 1. ℣. 621.

In foribus ſacris, primoque in limine templi
Captivi currus, belli decus, armaque rapta
Pugnantum ducibus, ſaevaeque in Marte ſecures,

Per-

Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo;
Nam calamus cera jungitur uſque minor.

At

Perfoſſi clypei, & ſervantia tela cruorem,
Clauſtraque portarum pendent.

31. FISTULA, CUI SEMPER DECRESCIT ARUNDINIS ORDO] Ovidius, de alis Daedali, L. 8. Metam. ℣. 189.

ponit in ordine pennas,
A minima coeptas, longam breviore ſequenti:
Ut clivo creviſſe putes. ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis.

Macrobius L. 1. Saturn. C. 21. *Solem vero ſub nomine Attinis ornant fiſtula & virga. Fiſtula ordinem ſpiritus inaequalis oſtendit: quia venti, in quibus nulla aequalitas eſt, propriam ſumunt de ſole ſubſtantiam. Virga poteſtatem ſolis aſſerit, qui cuncta moderatur.* Haec ut intelligas, inſpicere debes egregium marmor apud Jo. Jac. Boiſſardum T. 3. Antiq. p 47. Satyrum fiſtula ludentem in alio marmore exhibet idem Boiſſardus T. 6. p. 132. alium in gemma Sarda Abrahamus Gorlaeus Annulo 31. Hinc tibi conſtare poterit de fiſtulae figura. quam & pulcre deſcripſit Jul. Caeſar Scaliger L. 1. Poëtic. C. 4. Multo tamen pulcrius atque luculentius Achilles Tatius, ſuaviſſimus ille amorum Clitophontis ac Leucippes ſcriptor, L. 8. p. 474. ſqq. edit. Salmaſ. Ajunt Panos inventum eſſe. Lucretius L. 4. ℣. 590.

Et genus agricolûm late ſentiſcere, cum Pan
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans,
Unco ſaepe labro calamos percurrit hianteis,
Fiſtula ſilveſtrem ne ceſſet fundere muſam.

Virgilius Eclog. 2. ℣. 32.

Pan primus calamos cera conjungere pluris
Inſtituit.

Naſo L. 1. Metam. ℣. 705.

Panaque, cum prenſam ſibi jam Syringa putaret,
Corpore pro Nymphae calamos tenuiſſe paluſtres:
Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos
Effeciſſe ſonum tenuem, ſimilemque querenti:
Arte nova vocisque Deum dulcedine captum,
Hoc mihi concilium tecum, dixiſſe, manebit:
Atque ita diſparibus calamis compagine cerae
Inter ſe junctis nomen tenuiſſe puellae.

Valerius Flaccus L. 4. ℣. 384.

Cum ſubita Arcadio ſonuit nova fiſtula ritu;
Imperiumque patris celerans Cyllenius ales
Advenit, & leni modulatur carmen avena.

Alii Marſyam fecerunt auctorem, quem Silenum vel Satyrum fuiſſe tradunt. Vide ſis Salmaſium Exerc. p. 832. Certe fiſtulam fuiſſe inſtrumentum muſicae agreſtis ac paſtoralis, ita eſt liquidum, ut magis liquere non poſſit. Unde fit, ut mihi aqua haereat in verbis Macrobii praefat. Saturn. *Vides quam multorum vocibus chorus conſtet. una tamen ex omnibus redditur. Aliqua eſt illic acuta, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris feminae: interponitur fiſtula. Ita ſingulorum illic latent voces, omnium apparent: & fit concentus ex diſſonis.* An ille fiſtulam cum tibia confudit? Sane tibiam in choris fuiſſe, & quidem bene grandem, apertis verbis oſtendit Horatius Art. Poët. ℣. 202.

Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, ſed tenuis, ſimplexque foramine pauco
Adſpirare, & adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.

Sed ad fiſtulam. ſeptem cannis conſtabat, cera inter ſe ac lino conglutinatis, in ſummo qua inflabantur aequalibus, in imo qua exit ſpiritus inaequalibus. Naſo Remed. Amor. ℣. 181.

Paſtor inaequali modulatur arundine carmen.

Virgilius Eclog. 2. ℣. 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Calpurnius Eclog. 4. ℣. 43.

Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,
Ah dolor, & pecudes inter conductus Iberas
Irrita ſeptena modularer ſibila canna.

Politianus initio Ruſtici, divini carminis:

Ruris opes ſaturi, gnavoque agitanda colono
Munera, & omniferae ſacrum Telluris honorem
Ludere ſeptena geſtit mea fiſtula canna.


Non tam paucis tubulis contentus fuit Polyphemus, apud Naſonem, videlicet pro corpuſculi ſui modulo L. 13. Metam. ℣. 783.

Cui poſtquam pinus, baculi quae praebuit uſum,
Ante pedes poſita eſt, antennis apta ferendis,
Sumtaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum;
Senſerunt toti paſtoria ſibila montes,
Senſerunt undae.

Hanc ille fiſtulam de collo dependentem geſtabat, ſi quando ſpatiabatur. Virgilius L. 3. Aen. ℣. 661.

Lanigerae comitantur oves: ea ſola voluptas,
Solamenque mali: de collo fiſtula pendet.

Sed poſtremum hemiſtichium, ne quid diſſimulem,









mulem, multi pro insititio ac spurio habuerunt. Delevit quoque Nicolaus Heinsius: neque Servius aut Donatus videntur agnovisse. Exstare tamen in plerisque codicibus antiquis, praeterquam in uno, ubi hic versus pentemimeri claudatur, testis est vir praeclarus Joannes Pierius Valerianus. Et nos quoque invenimus in libro scripto luculentae bonitatis. Sane fistula egregie cecinisse Polyphemum, negari nequit. Ipse de suo artificio gloriatur apud Theocritum Idyll. 11.

> Συρίσδεν δ' ὡς ὄυτις ἐπίσαμαι ὧδε Κυκλώπων.

vertit Eobanus, sed nimis libere, fistulae oblitus:

> *Nec me carminibus quisquam praestantior uno*
> *Cyclopum qui pascat oves haec culmina circum.*

Potuisset ita, ni fallor:

> *Fistula nec cuiquam hic cantat tam suave Cyclopum.*

Philostratus L. 2. Imagin. in Cyclope, interprete Stephano Nigro: *Galateae ad hoc pelagus ludentis amore captus est, de monte ipsam contemplans. Et ipsa quidem fistula adhuc sub ala quiescit. Est autem ipsi pastoralis cantus, quod scilicet candida sit, ac contumax, & labrusca suavior; quodque hinnulos Galateae atque ursos alat.* Ceterum mos hic erat omnium pastorum, fistulam de collo suspendere. Manilius L. 5. ℣. 115. de Haedorum signo:

> *Nec non & cultus pecorum nascentibus addunt,*
> *Pastoremque suum generant, cui fistula collo*
> *Haereat, & voces alterna per oscula ducat.*

Sed hoc ante me observavit praestantissimus Turnebus L. 28. Adv. C. 15. Nec tamen quivis pastor fistulam construere sciebat; neque ipsa ex quavis arundine fiebat. De indocto cantore Virgilius Eclog. 3. ℣. 25.

> *Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera*
> *Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas*
> *Stridenti miserum stipula disperdere carmen?*

De materia Plinius L. 16. C. 36. *Calamus vero alius totus concavus, quem Syringiam vocant, utilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. Orchomenius est continuo foramine pervius, quem auleticum vocant: hic tibiis utilior, fistulis ille.* Hinc factum fuit ut fistulae adfabre factae in magno precio haberentur, & pro ingenti munere vel darentur dono caris ac familiaribus, vel a morientibus suprema voluntate relinquerentur. Sic Dorco a praedonibus maritimis ad necem vulneratus, fistulam suam donat Chloae moribundus, prius tamen suavium pactus & fletum funebrem, apud Longum L. 1. Et Aegon, Pisas proficiscens, suam Corydoni fistulam munus dabat apud Theocritum Idyll. 4. Virgilius Eclog. 2. ℣. 37.

> *Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
> *Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,*
> *Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.*

Calpurnius Eclog. 4. ℣. 58.

> *Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos*
> *Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas*
> *Donavit, dixitque: Truces haec fistula tauros*
> *Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.*
> *Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis*
> *Montibus Hyblaea modulabile carmen avena.*

Politianus initio Rustici:

> *Fistula, Mantoae quam nuper margine ripae*
> *Ipse renidenti dum dat mihi Tityrus ore,*
> *Hac, puer, Ascraeum repete, inquit, arundine carmen.*

Ipsae quoque Musae Gallo Cornelio fistulam donant Hesiodi, quam & hic ab iisdem Deabus habuerat, apud principem poëtam Eclog. 6. ℣. 67.

> *Ut Linus haec illi divino carmine pastor,*
> *Floribus atque apio crinis ornatus amaro,*
> *Dixerit, Hos tibi dant calamos (en accipe) Musae,*
> *Ascraeo quos ante seni.*

Sed crescente cum opibus luxuria, brevi eviluit atque evanuit agrestis instrumenti honos. Martialis L. 14. Epigr. 63. cujus lemma est *Fistula*:

> *Quid me compactam ceris & arundine rides?*
> *Quae primum structa est fistula, talis erat.*

Est etiam hodie Fistula in usu apud Turcas, quamquam non nihil diversa. Illam egregie describit Vir undequaque laudatissimus Petrus della Valle Itin. Turc. Epist. 2. sect. 9. *Frà gli instrumenti musicali hò trouato quì la Sampogna di Pan, che in fin hoggi si suona: i Turchi la chiamano* MUSCAL, *ed i Greci* MUSCAGLI: *è composta pur di canne, ma piccole e dispari, una più lunga dell' altra, a guisa delle canne degli organi: non però di sette canne sole, conforme a quella di Corydone in Virgilio,*

> Est mihi disparibus septem compacta cicutis
> Fistula:

ma di quattordici, e quindeci canne, e forse di più; per le quali, chi suona, và correndo con le labbra innanzi, ed indietro. Le canne non sono nè anche congiunte insieme per linea retta, come in alcune, che ne hò vedute dipinte, e scolpite nelle statue; mà vengono a stare in modo, che la sampogna s' incurva alquanto in arco:

At qua Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulſa per vada linter aqua.
Illa ſaepe gregis ditis placitura magiſtro
Ad juvenem feſta vecta puella die eſt.
Cum qua foecundi redierunt munera ruris
Caſeus, & niveae candidus agnus ovis.

In-

però, di dolcezza di ſuono, non arriua a i flauti de i Deruiſci di gran lunga. Sunt & iſtae Derviſiorum tibiae ex arundine, de quibus paullo ante haec dixerat Vir nobiliſſimus: *Finita la predica, ſi raunarono i Deruiſci in mezo della Meſchita in giro: e quiui, al ſuono di quattro ò cinque flauti, fatti di canne, che con diſtintione di tutte le voci, baſſo, tenore, contralto e ſoprano, faceuano una dolciſſima armonia, cominciarono a ballare.*

32. NAM CALAMUS] Heinſius malebat, *Dum calamus.*

33. VELABRI REGIO] Varro L. 4. de L. L. *Velabrum dicitur a vehendo. Velaturam facere etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt.* Sed de Velabro plene te edocebunt Alexander Donatus L. 2. Romae C. 15. 27. & Famianus Nardinus L. 5. C. 10. L. 7. C. 4. itemque Olaus Borrichius lib. de Antiqua Urbis Romae Facie C. 10. ſect. 6.

34. EXIGUUS PULSA PER VADA LINTER AQUA] *linter* non niſi hoc uno loco maſculino genere prolatum reperiri ajunt. Vide Voſſium L. 1. de Analog. C. 26. Pro *pulſa* maluerunt alii *pulla:* & in iis duo acuti ſane homines, Janus Gulielmius in Plauti Rudent. C. 5. & Jo. Goropius, in Vertumno p. 54. ubi & *Velabri* novam originem ex illa ſua officina Cimbrica depromit, contra Varronem. Mihi *pulſa* magis placet. Et valide me juvat Propertius meus L. 4. Eleg. 2. ℣. 8.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & ajunt
Remorum auditos per vada pulſa ſonos.

Catullus Carm. 61. ℣. 58.

Inmemor at juvenis fugiens pellit vada remis.

Virgilius L. 1. Geor. ℣. 154.

Et quando infidum remis inpellere marmor
Conveniat, quando armatas deducere claſſes.

Ovidius L. 4. Triſt. Eleg. 1. ℣. 10.

Quique refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulſa brachia verſat aqua.

Noſter L. 1. Eleg. 4. ℣. 72.

Hic placet, anguſtis quod equum compeſcit habenis:
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

35. GREGIS DITIS PLACITURA MAGISTRO] *diti* legitur in Plantiniana A. 1560. atque etiam in Douzica. Et ſic Heinſius legebat. ſed libri nihil mutant. *Grex dives* dicitur, qui & numeroſus eſt, & nova quotannis foetura ſuppletur. Pulcre hoc epitheton ad alias etiam res transtulerunt poëtae Latini. Noſter L. 1. Eleg. 11. ℣. 7.

Divitis hoc vitium eſt auri: nec bella fuerunt,
Faginus adſtabat quum ſcyphus ante dapes.

L. 3. Eleg. 3. ℣. 26.

Nam grave quid prodeſt pondus mihi divitis auri?

Propertius L. 3. Eleg. 1. ℣ 59.

Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri.

ibidem Eleg. 3. ℣. 26.

Nec bibit e gemma divite noſtra ſitis.

Naſo L. 6. Metam. ℣. 451.

Ecce venit magno dives Philomela paratu;
Divitior forma: quales audire ſolemus
Naïdas & Dryadas mediis incedere ſilvis:
Si modo des illis cultus, ſimileſque paratus.

Deinde *paritura* ex libris reponit Paſſeratius, pro vulgato *placitura:* quod non poſſum probare. Neque enim hic agitur niſi de convivio, ad quod vocata virgo vicina primulos illos amoris igniculos excitavit in animo convivatoris; donata idcirco agreſtri munuſculo, caſeolo, atque agno novello. Virgilius Eclog. 3. ℣. 76.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola.

Obſtat quoque ipſe noſter Albius, quantum qui maxime, paullo inferius, ℣. 53.

Te quoque jam video, Marti placitura ſacerdos
Ilia, Veſtales deſeruiſſe focos.

38. CASEUS] non vilis dos ubertatis ruſticae, quaque vel maxime glorientur paſtores. Maro Eclog. 1. ℣. 35.

Pinguis & ingratae premeretur caſeus urbi.

Ovidius L. 13. Metam. ℣. 830.

Lac mihi ſemper adeſt niveum. pars inde bibenda
Servatur: partem liquefacta coagula durant.

Au-

Inpiger Aenea volitantis frater Amoris,
Troïa qui profugis ſacra vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes adſignat Jupiter agros:
Jam vocat errantes hoſpita terra Lares.
Troja quidem tum ſe mirabitur, & ſibi dicet
Vos bene tam longa conſuluiſſe via.

Illic

Auctor Copae, ℣. 17.
Sunt & caſeoli, quos juncea fiſcina ſiccat:
Sunt autumnali cerea pruna die.
T. Calpurnius Eclog. 2. ℣. 69.
Mille ſub uberibus balantes paſcimus agnas:
Totque Tarentinae praeſtant mihi vellera matres:
Per totum niveus premitur mihi caſeus annum.
dulciſſimus Prudentius Hymno 3. Cathemer. ℣. 66.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices,
Perque coagula denſa liquor
In ſolidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Plura de caſeo dabunt tibi Varro L. 2. de Re Ruſt. C. 11. Columella L. 7. C. 8. & L. 12. C. 13. 42. Plinius L. 11. C. 41. 42. Palladius L. 6. Tit. 9.

38. NIVEAE CANDIDUS AGNUS OVIS] Hi enim ſunt omnium laudatiſſimi. Maro Eclog. 2. ℣. 20.
Deſpectus tibi ſum, nec qui ſim quaeris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
quem locum corrumpunt, qui epitheton *nivei* jungunt cum lacte, non cum pecore: idque jam olim monuit Servius grammaticus. Iterum poëta princeps L. 3. Geor. ℣. 391.
Munere ſic niveo lanae, ſi credere dignum eſt,
Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit,
In nemora alta vocans: nec tu aſpernata vocantem.

39. VOLITANTIS FRATER AMORIS] ex ſtupro Anchiſae cum Venere. quam rem copioſiſſime deſcripſit Homerus, ſive quis alius auctor fuit Hymni in Venerem. Ipſa quidem ſic Amorem adfatur apud poëtam L. 1. Aen. ℣. 667.
Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquae,
Nota tibi: & noſtro doluiſti ſaepe dolore.
Ovidius, de Cupidine hujus noſtri Albii funus ducente, L. 3. Amor. Eleg. 9. ℣. 13.
Fratris in Aeneae ſic illum funere dicunt
Egreſſum caſtris, pulcer Iüle, tuis.
L. 3. Pontic. Epiſt. 3. ℣. 62. ad Cupidinem:
Sic regat imperium, terrasque coërceat omnes
Caeſar, ab Aenea qui tibi fratre nepos.
& Epiſt. Didus ℣. 31.
Parce Venus nurui, durumque amplectere fratrem
Frater Amor: caſtris militet ille tuis.

40. TROICA QUI PROFUGIS SACRA VEHIS RATIBUS] *Troïa* erat in libro bibliothecae Bodlejanae. Recte, & poëtice. Vide Nicolao Heinſio notata ad Naſon. Epiſt. Penelop. ℣. 28. *Sacra* ſunt ipſi Dii. Maro L. 2. Aen. ℣. 717. verbis Aeneae:
Tu, genitor, cape ſacra manu, patriosque Penates.
Horatius L. 4. Od. 4. ℣. 54.
Gens, quae cremata fortis ab Ilio
Jactata Tuſcis aequoribus, ſacra,
Gnatosque, maturosque patres
Pertulit Auſonias ad urbes.
Ovidius L. 13. Metam. ℣. 624.
Nec tamen everſam Trojae cum moenibus eſſe
Spem quoque fata ſinunt. Sacra, & ſacra altera patrem,
Fert humeris venerabile onus Cythereïus heros.
Epiſt. Didus, ℣. 80.
Sed neque fers tecum: nec, quae mihi, perfide, jactas,
Preſſerunt humeros ſacra paterque tuos.
L. 3. Faſt. ℣. 12.
Ilia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
& clariſſime L. 10. Metam. ℣. 696. de Hippomene, intempeſtive Atalantam ſuam amplectente:
Luminis exigui fuerat prope templa receſſus,
Speluncae ſimilis, nativo pumice tectus;
Relligione ſacer priſca: quo multa ſacerdos
Lignea contulerat veterum ſimulacra Deorum.
Hunc init; & vetito temerat ſacraria probro.
Sacra retorſerunt oculos: turritaque Mater,
An Stygia ſontes, dubitavit, mergeret unda.

43. TROJA QUIDEM TUM SE MIRABITUR]

45 Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Unda Deum caelo miserit Indigetem.

Ecce

Trojam nominis sui etymon duxisse a voce nostrate *Truy*, quae vox suem sive scropham significet, quotusquisque nostrûm novit? Hinc etiam ipsa urbis insignia, scropha in aureo vexillo: quali vexillo in Italia usi feruntur Antenor & Aeneas. Haec tradere ausus est posteritati nescio quis homo nugator, Messalae Corvini nomen ementitus, in putido libello *de progenie Augusti Caesaris.* Secutus est ducem tam non bonum bonus Cyllenius. Et quaedam his quoque argutiora excogitavit Jo. Goropius Hispanic. L. 5. p. 67.

45. QUUM TE VENERANDA NUMICI UNDA DEUM CAELO MISERIT INDIGETEM] Videtur indicare, Numicium amnem abluisse Aeneae viventi quod habuisset mortale: atque ita Aeneam inter Deos receptum. quam rem pulcerrimis versibus copiose describit Ovidius L. 14. Metam. ℣. 581. Sic decebat poëtas, qui per ambages ac Deorum ministeria praecipitant liberum spiritum. Sed de morte Aeneae non una est opinio. Sunt qui tradant corpus ejus submersi inventum fuisse in fluvio Numicio, post pugnam cum Mezentio. Ita Servius ad L. 6. Aen. ℣. 88. ad L. 7. ℣. 150. 797. & Juvenalis Sat. 11. ℣. 60.

Nam, cum sis conviva mihi promissus, habebis
Euandrum, venies Tirynthius, aut minor illo
Hospes, & ipse tamen contingens sanguine coelum:
Alter aquis, alter flammis ad sidera missus.

Ibi Probus, sive quis alius est interpres vetus: *Aeneas, qui in Numicium fontem lapsus, creditur consecratus.* Alii in praelio caesum ferunt. Sisenna apud Nonium: *Urbe condita juxtim Numicium flumen obtruncatur.* Livius L. 1. C. 2. *Secundum inde praelium Latinis, Aeneae etiam ultimum operum mortalium fuit.* Justinus L. 43. C. 1. *Commune utrique bellum adversus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Laviniae nuptias, fuit; in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Aeneas jure victoriae utroque populo potiretur, urbem ex nomine uxoris Lavinium condidit. Bellum deinde adversus Mezentium, regem Etruscorum, gessit. in quo cum ipse occidisset, in locum ejus Ascanius filius successit.* Alii corpus occisi nusquam comparuisse dixerunt. in his Festus in voce *Indiges*; Servius ad L. 1. Aen. ℣. 263. ad L. 9. ℣. 750. ubi tamen in schedis Petri Danielis nihil tale reperitur. Sed supplendae sunt ex editione Veneta, itemque ex Fabriciana, his verbis: *Primo praelio interemtus Latinus est in acie. Inde ubi Turnus Aeneam vidit superiorem, Mezentii imploravit auxilium. Secundo praelio Turnus occisus est: & nihilominus Aeneas postea non comparuit. Tertio praelio Mezentium occidit Ascanius. Hoc Livius dicit, & Cato in Originibus.* Hinc alii ad Deos discessisse, alii necatum in flumine apud quod pugnatum erat, jactitabant. Vide Aurelium Victorem lib. de Orig. Roman. Latini sacellum ei dicaverunt, (auctor Dionysius Halicarnasseus L. 1. C. 40.) cum hac inscriptione:

PATRI. DEO. INDIGETI
QVI. NVMICI. AMNIS
VNDAS. TEMPERAT

Fuit igitur *Indiges* dictus, nomine proprio ac perpetuo. Ovidius L. 14. Metam. ℣. 605.

Lustratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambrosia cum dulci nectare mista
Contigit os; fecitque Deum: quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem; temploque arisque recepit.

Livius L. 1. C. 2. *Situs est, quemcumque eum dici jus fasque est, super Numicium flumen: Jovem Indigetem appellant.* Pompejus Festus: *Indiges, indigetis facit. Hoc nomine Aeneas ab Ascanio appellatus est, cum pugnans cum Mezentio nusquam adparuisset. in cujus nomine etiam templum construxit.* Solinus C. 2. *Tribusque mox annis cum Latino regnat socia potestate, quingentis jugeribus ab eo acceptis: quo defuncto summam biennio adeptus, apud Numicum parere desivit anno septimo, Patrisque Indigetis ei nomen datum.* Propter famam non satis certam, & merita Aeneae ingentia, multa ejus sepulcra multis in locis per Italiam excitata fuerunt. qua de re egit cum cura nobilissimus Historicus Dionysius Halicarnasseus L. 1. C. 34. Superest ut de *veneranda* Numicii unda videamus: neque enim hoc epitheton hic ponitur sine caussa. Expediet nos Servius in L. 7. Aen. ℣. 150. *Haec fontis stagna Numici] ista jam ab incolis discuntur. Quod autem ait* stagna, *verum est. Nam Numicus ingens ante fluvius fuit: in quo repertum est*

Ecce super fessas volitat Victoria puppes.
  Tandem ad Trojanos diva superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
  Jam tibi praedico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murusque Lavini est,
  Albaque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura sacerdos
  Ilia, Vestales deseruisse focos:

Con-

est cadaver Aeneae, & consecratum. Post paullatim decrescens, in fontem redactus est: qui & ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestae enim libari non nisi de hoc fluvio licebat. Vides eruditionem nostri poëtae in vocula, ut adparebat, tenui atque exili.

47. VOLITAT VICTORIA] alata Victoria saepe conspicitur in nummis & monumentis antiquis: nec raro apud poëtas. Eam noster vere *superbam* vocat. Egregie Cicero orat. pro Marcello C. 3. *At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, & in victoria, quae natura insolens & superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos numquam vidimus, diligamus! Te vero, quem praesentem intuemur, cujus mentem sensusque eos cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benivolentia complectemur? Parietes medius fidius, ut mihi videtur, hujus curiae tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, & suis sedibus.*

50. BARBARE TURNE] de difficultate loquendi exposuit Cyllenius; quasi Turnus vel male Latine pronuntiasset, vel balbus fuisset aut blaesus. Ignoscamus homini minime malo. *Barbarus* est, Italus, Latinus. Saepe ita Plautus. quod Achille Statius jam notavit. Vide Festum in *Barbari*; & in *Vapula Papiria.* Et tamen ipse Turnus erat Graja stirpe oriundus, ut docet regina Amata apud Maronem L. 7. Aen. ℣. 371. Ibi tu Servium consule.

51. ANTE OCULOS LAURENS CASTRUM, MURUSQUE LAVINI EST] Haec animo videbat vaticinans Sibylla, quae nondum erant in rerum natura. singula enim per prolepsin dicuntur. Castrum Laurens Virgilius *urbem* vocat L. 9. Aen. ℣. 8.

Aeneas, urbe & sociis & classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.

Servius: *Hanc Castrum Laurens ait dici Varro, oppidum tacet. Sed ubi primum Aeneas egressus sit, eum locum Trojam nuncupari traditur.* Ea urbs deinde dicta est Laurentum. *Murum Lavini* qui intelligunt de Lavinio oppido, sic dicto a Lavinio regis Latini fratre, cogitare debebant hoc modo concidere inspirati animi vaticinationem. Canit illa de urbe Lavinio, quam Aeneas in honorem uxoris Laviniae excitavit. Propertius L. 2. Eleg. 25. ℣. 64. de Virgilio:

Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis moenia litoribus.

Sed de his locis, itemque de Alba, videndus Dionysius Halicarnasseus L. 1. C. 28. sqq. Virgilius L. 1. Aen. ℣. 258. Livius L. 1. C. 1. 3. auctor libri de Origine Roman. Justinus L. 43. C. 1. Georgius Fabricius, vir suae aetatis omnium politissimus, ex antiquo Tibulli codice profert *Laures castrum,* sine *n* litera, more veterum, multis in vocibus hanc literam detrahentium, Castigat. in Terent. Hecyr. Act. 4. Sc. 4. ℣. 18. Sane in Inscriptionibus satis crebra est ista detractio. Verbum quoque *est* aberat a priore Wittiano.

53. TE QUOQUE JAM VIDEO] Haec noster ita narrat, tamquam si Ilia vigilans fuerit compressa, nec vero admodum invita. At dormienti stuprum fuisse inlatum alii tradiderunt. Ovidius L. 3. Fast. ℣. 17.

Dum sedet; umbrosae salices, volucresque canorae,
Fecerunt somnos, & leve murmur aquae.
Blanda quies victis furtim subrepit ocellis:
Et cadit a mento languida facta manus.

Concubitusque tuos furtim, vittasque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc, tauri, de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnae jam locus Urbis erit.
Roma, tuum nomen terris fatale regendis
Qua sua de caelo prospicit arva Ceres:

Qua-

Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitam:
Et sua divina furta fefellit ope.
Somnus abit: jacet illa gravis.

Plura illic sequuntur, sed ad fidem poëticam composita, ut in rebus antiquis, nec satis certis. Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 242.

Sic victa sopore doloso
Martia fluminea posuit latus Ilia ripa.

ubi interpretes de hoc sopore nihil se alibi legisse ajunt, inmemores notissimi omnium poëtae. Prudentissimus Virgilius nihil statuit, nec de somno, nec de vi, L. 1. Aen. ℣. 273.

regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Livius L. 1. C. 3. 4. *Pulso fratre, Amulius regnat. addit sceleri scelus: stirpem fratris virilem interimit: fratris filiae Rheae Silviae per speciem honoris, quum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit. Sed debebatur, ut opinor, fatis tantae origo urbis, maximique secundum Deorum opes imperii principium. Vi compressa Vestalis, quum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia Deus auctor culpae honestior erat, Martem incertae stirpis patrem nuncupat.* Est & precium operae Servium audire, Virgilii verba sic explicantem: *Historia hoc habet. Amulius & Numitor fratres fuerunt, filii Procae. Amulius autem fratrem pepulit regno, & filium ejus necavit: filiam quoque ejus, Iliam, Vestae sacerdotem fecit, ut spem sobolis auferret, a qua se puniri posse cognoverat. Haec, cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata, refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est: unde nati sunt Remus & Romulus, quos cum matre Amulius praecipitari jussit in Tiberim.* Alii stuprum inlatum ei in fano scripserunt, sive ab aliquo e procis ejus; sive ab ipso Amulio, insidiante potius quam libidini serviente; sive denique a numine cujus id fanum erat. Super quo negotio legi merentur, quae Dionysius scribit Halicarnasseus L. 1. C. 47. 48. a quo non multum abit Aurelius Victor, sive quis alius auctor est libri de Origine Romanorum; & Plutarchus in Romulo. Ceterum Iliam fuisse Aeneae filiam Ennius prodidisse dicitur apud Servium in L. 6. Aen. ℣. 777. Quod quidem quale sit, ego fateor me ignorare. Post partum ex hoc violento concubitu, quum se illa in rapidum Anienis profluentem misisset, tantopere Deo fluviali placuisse dicitur, ut eam uxorem duxerit. Quam rem pulcerrimis versibus exponit disertissimus Naso L. 3. Amor. Eleg. 6. ℣. 45. Alii Tiberi nupsisse tradiderunt; in quibus est Horatius L. 1. Od. 2. ℣. 20. Ubi audire juvat Helenium Acronem, ita commentantem: *Diversae de Ilia poëtarum opiniones sunt. Nam Ilia mater fuit Romuli, quem ex Marte suscepit: quae mortua sepulta ad ripam Anienis fluvii dicitur, qui in Tiberim cadit. Et quia abundans aquis Anio cineres Iliae in Tiberim deduxit, ita dicta est Ilia Tiberi nupsisse. Ideo dixit* uxorius amnis; *qui se ad ejus querelam jactaret ultorem. Alii dicunt, quod ipsa Ilia Anieni nupserit. nam poëtae multi hoc sentiunt. Sed Horatius, ut Tiberi det caussas irascendi, Tiberis magis dixit uxorem.* Sic autem Porphyrio: *Ilia, auctore Ennio, in amnem Tiberim jussu Amulii regis Albanorum praecipitata est. Anieni matrimonio juncta. Atqui hic loquitur, quasi Tiberi potius nupserit.* Sed de Iliae morte variae fuerunt sententiae veterum scriptorum: quas videre licet apud Dionysium Halicarnasseum L. 1. C. 49. Nec tamen de nihilo confictas arbitror has nuptias fluviales. Videlicet vel in Aniene, vel in Tiberi fuisse demersam violenta nece. Sic Polyxena, ad Achillis tumulum mactata, Achilli nupsisse perhibebatur. Umbra violenti ducis haec effatur apud Senecam Troad. ℣. 195.

Desponsa nostris cineribus Polyxena
Pyrrhi manu mactetur, & tumulum riget.

59. ROMA TUUM NOMEN] *numen* reponit Theodorus Marcilius Emend. in Horat. L. 2. Epist. 1. Sane haec duo frequenter commutant. Sed *nomen Romanum*, pro ipso imperio

Quaque patent ortus, & qua fluitantibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Vera cano. sic usque sacras innoxia laurus
Vescar, & aeternum sit mihi virginitas.

Haec

rio ac potentia & majestate, adeo frequens est apud omnis generis scriptores, ut quasi in aliquam formulam transierit. Nec tamen ignoramus quae de Roma Dea, quaeque de templis ac sacerdotibus Romae & Augusto communibus proferri solent. sed hoc totum, quantum fuit, mortuo Tibullo institui coepisse arbitramur. Suetonius Aug. C. 52. *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit: nam in Urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* Deinde, pro *terris*, Gebhardus ex uno Palatino rescribit *rebus.* Sibi habeat: relinquat nobis scripturam receptam. Maronis unico testimonio defungemur, L. 1. Aen. ℣. 337.

Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent.

Ceterum hos Albii nostri versus in mente habuisse verosimile est (quod & Theodorus Sitzmannus ante nos observavit) Cl. Rutilium, poëtam saeculo suo majorem, L. 1. Itiner. ℣. 55.

Nam Solis radiis aequalia munera fundis,
Qua circumfusus fluctuat Oceanus.
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus;
Eque tuis ortos in tua condit equos.

62. Solis anhelantes abluit amnis equos] Oceanum vocat *amnem:* quomodo & L. 3. Eleg. 4. ℣. 18. Et volunt expressum esse ex Homero, qui ποταμὸν appellaverit ὠκεανὸν L. 11. Odyss. ℣. penultimo. Ego potius ad originem vocis Latinae respexisse arbitror; quae haec est apud Festum: *Amnis proprie dicitur a circumnando, quoniam* am *ex Graeca praepositione sumtum, quae est ἀμφὶ, significat Circum, & Nare fluere.* Paullo aliter Varro lib. 4. de L. L. p. 12. *Amnis, id flumen est quod circuit aliquid: nam ab ambitu amnis.* Atque ita capere possis Nasonem, si libebit argutari, L. 5. Fast. ℣. 82.

Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.

Cum Tibullo facit poëta princeps L. 4. Geor. ℣. 233.

Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias, & Oceani spretos pede reppulit amnes.

Secuti sunt alii inlustres poëtae. Papinius L. 1. Achill. ℣. 49.

Ibo tamen, pelagique Deos, dextramque secundi,
Quod superest, complexa Jovis, per Tethyos amnes
Grandaevumque patrem, supplex miseranda rogabo
Unam hiemem.

Michaël Marullus Hymno Solis, qui primus est libri tertii:

Sudoremque viae puro lavit aequoris amne,
Suspensus cura fumantum totus equorum.

Georgius Anselmus L. 4. Epigr. 20.

Tunc innisa suum supina ad axem
Sprevit Tethyos aestuantis amnes
Nonacrina Lycaonis puella.

63. Sic usque sacras innoxia lauros Vescar] *laurus* est in plurimis libris. Atque hoc videntur Romani adamasse. Catullus Carm. 61. ℣. 289.

tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus.

Maro Eclog. 8. ℣. 13.

hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

ita hodie habemus. Sed veteres Grammatici legebant *laurus*, teste Sosipatro Charisio L. 1. p. 110. Horatius L. 2. Od. 7. ℣. 19.

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Laurum credebant habere quamdam futuri praesensionem, atque efficacis auxilii esse in afflatu numinum. Hinc vates & poëtae lauri folia comedere dicebantur. De vatibus hic noster Tibullus agit. De poëtis Juvenalis Sat. 7. ℣. 19.

Nemo tamen studiis indignum ferre laborem
Cogetur posthac, nectit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Pluribus rem inlustrarunt Ludovicus Caelius L. 5. Ant. Lect. C. 7. Bernardinus Realinus Annot. C. 1. Joannes Meursius Comment. in Lycophronis Alexandram p. 104. Is. Casaubonus ad Theophrast. cap. περὶ δεισιδαιμονίας, sive de Superstitione. Quos omnes longissimo intervallo post tergum reliquit In-

Inlustrissimus Spanhemius Observ. ad Callimach. Hymn. in Delum ℣. 94. loco pulcerrimae ac rarissimae eruditionis plenissimo. Verbum *vescendi* junxit noster cum accusativo, veterum more. Virgilius L. 3. Aen. ℣. 339.

Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur
auras?

nam ita legi in antiquis plerisque codicibus, non *aura*, quod hodie obtinet, locuples testis est Jo. Pierius Valerianus. Reperitur tamen & cum ablativo apud magnum magistrum, L. 1. Aen. ℣. 550.

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Aetheria.

Hic, si operae est, Servium audiamus. VESCOR (inquit) *verbum inchoativum est. Sane hic* vescitur *pro* fruitur *posuit: nam non comedit auram, sed vivit ea. Vescor illa re: ut alibi:*

Vescitur Aeneas simul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.

Nec nos decipiat quod dicit Plinius, ut elocutiones ex similibus formemus. Nam ecce, Comedo illam rem *dicimus*; *nec tamen* Vescor illam rem. *Et ipse dicit, non usquequaque hoc esse faciendum.* Haec ego ut esse Servii credam, vix mihi quisquam persuadebit. Verius statuerunt recentiores, Verba activae significationis regere accusativum, quo actionis objectum, vel effectus, notetur. Vide sis Vossium lib. de Construct. C. 22. ubi & de verbo *vescendi* agit, prolatis Plinii ac Taciti auctoritatibus. L. Accius Atreo:

Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia
Adcumbat mensam, aut eamdem vescatur dapem.

Phaedrus L. 1. Fab. 31. de columbis & milvo:

Illae credentes, tradunt sese milüo:
Qui regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium saevis unguibus.

Justinus, de Atheniensibus, L. 2. C. 6. *Primi lanificii, & olei, & vini usum docuere. Arare quoque, & serere frumenta, glandem vescentibus monstrarunt.* Et L. 44. C. 4. de rege Habide: *Barbarum populum legibus junxit, & boves primus aratro domari, frumentaque sulco quaerere docuit, & ex agresti cibo mitiora vesci.* Et cum veteribus Marcellus Palingenius, poëta non vetus, in Geminis:

Libantes laeti pateris ardentia vina,
Lautaque vescentes plenis obsonia mensis.

64. AETERNUM SIT MIHI VIRGINITAS] Hoc voto non habebat aliud religiosius. Audiamus ipsam Deïphoben Glauci apud Nasonem L. 14. Metam. ℣. 129.

Respicit hunc vates, &, suspiratibus haustis,
Nec Dea sum, dixit; nec sacri turis honore
Humanum dignare caput. neu nescius erres;
Lux aeterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phoebo patuisset amanti.
Dum tamen hanc sperat, dum praecorrumpere donis
Me cupit; Elige, ait, virgo Cumaea, quid optes:
Optatis potiere tuis. Ego pulveris haustu
Ostendens cumulum, quot haberet corpora pulvis,
Tot mihi natales contingere vana rogavi.
Excidit, optarem juvenes quoque protinus annos.
Hos tamen ille mihi dabat, aeternamque juventam,
Si Venerem paterer. Contemto munere Phoebi
Innuba permaneo.

Merito itaque Anchises *castam* vocat L. 5. Aen. ℣. 735. ubi filium docet iter ad infernas Ditis domos:

huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.

Et Aeneas honorifico intacti pudoris vocabulo compellat L. 6. ℣. 104.

Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.

Hieronymus L. 1. adversus Jovinianum, p. 47. edit. Erasm. *Quid referam Sibyllas Erythraeam atque Cumanam, & octo reliquas? Nam Varro decem fuisse autumat. quarum insigne virginitas est, & virginitatis praemium divinatio. Quod si Aeolici genere sermonis Sibylla* θεοβούλη *appellatur, recte consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Tales deinde commemorat Cassandram & Chryseïdem. Sed de Cassandra plura disces ex Apollodoro L. 3. C. 11. sect. 5. & Servio ad L. 2. Aen. ℣. 246. ac Julio Hygino Fab. 93. Tales erant Pythiae & Phoebades templi Delphici, auctoribus Lucano L. 5. ℣. 141. & Plutarcho lib. de oraculorum defectu. Tales antistitae numinis Gallici in insula Sena Britannici maris, perpetua virginitate sanctae; de quibus res mirificas praedicat Mela Pomponius L. 3. C. 6. Denique mulieres quasvis, quae quidem oracula redderent, conveniebat esse floris inpolluti, & a viri contactu puras. Rationem ex sua theologia reddebant, quod, qui res Veneris ignorarent, & Deos videre crederentur. notavit Servius ad L. 2. Aen. ℣. 603. Nostris quoque temporibus homines quidam perditi, quos stultum vulgus magos putat, onychomantiam exercent oleo ac fuligine in un-

Haec cecinit vates, & te ſibi, Phoebe, vocavit,
Jactavit fuſa ſed caput ante coma.
Quidquid Amalthea, quidquid Mermeſſia dixit,
Herophile Phoebo grata quod admonuit:
Quod-

unguem pueri virginis inlitis, Solique obverſis. Sic enim formari imagines rerum expetitarum perſuaſio eſt.

66. Jactavit fusa sed caput ante coma] Ita pulcre reſtituit Scaliger ex corrupta librorum ſcriptura, *fuſas & caput ante comas.* quam non debebat defendere Adrianus Behotius L. 1. Apophor. C. 16. nam & ante & retro jactabant comas. Claris hoc verbis Lucanus oſtendit L. 1. ℣. 566.

crinemque rotantes
Sanguinei populis ulularunt triſtia Galli.

Apulejus L. 8. Metam. *Diuque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes in circulum, & nonnumquam morſibus ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod gerebant, ſua quisque brachia diſſicant.* Sic & Juvenalis Sat. 6. ℣. 316.

cum tibia lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae, crinemque rotant ululante Priapo
Maenades.

Ovidius L. 3. Metam. ℣. 725.

viſis ululavit Agave;
Collaque jactavit, movitque per aëra crinem.

Vide Servium ad L. 10. Aen. ℣. 220. Atque ut noſter *comas jactare* dixit, ita & Florus L. 3. C. 19. *Syrus quidam nomine Eunus, (magnitudo cladium facit ut meminerimus) fanatico furore ſimulato, dum Syriae Deae comas jactat, ad libertatem & arma ſervos, quaſi numinum imperio, concitavit.* Nihil liquidius. At Jo. Iſaacius Pontanus non ambigendum ait, quin *comas jactat* ſit genuina lectio, L. 1. Hiſt. Amſtelod. p. 45, medicina parum oportuna. Exciderat propemodum monere, *fuſa coma* legi in Excerptis Antonii Perreji. id quod valide corroborat Scaligeri emendationem.

67. Amalthea] De his Sibyllis alii aliter ſtatuerunt. & videtur noſter quasdam confudiſſe. Egit enim huc uſque de Cumana; quam liquido ab Amalthea aliam facit, atque etiam ab Herophile ſecernit. Sed tres iſtas non niſi unam fuiſſe, tribus diverſis nominibus dictam, oſtendit Lactantius L. 1. Divin. Inſtit. C. 6. *ſeptimam Cumanam, nomine Amaltheam, quae ab aliis Demophile, vel Herophile nominatur.* Res eſt obſcura, & denſis tenebris involuta. Tu Salmaſium conſule Exerc. Plin. p. 75. ſqq. & Davidem Blondellum in libro de Sibyllis, Gallice ſcripto, ſed digniſſimo qui Romanae civitati tranſcribatur.

67. Marpessia] Politianus Nutric. ℣. 219.

quin & veteres promſere Sibyllae
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia dives,
Herophileque Idaea genus, praedoctaque Sabbe,
Demoque, Phytoque, & veri gnara Phaënnis,
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Phemonoë commenta pedes, & filia Glauci
Deïphobe, nimium vivax.

Sed *Marpeſſia* per duplex *ſſ* ſcribendum contendit Scaliger, quum ſit cognomen a patria *Marpeſſo*, vico Troadis. & ante Scaligerum Jo. Ludovicus Braſſicanus Comment. in Politiani Silvam laudatam. Achilles autem Statius vel *Marineſſia* vel *Marmeſſia* legi vult: conſtare enim ait, Sibyllam Helleſponticam in vico agri Trojani *Marineſſo*, vel *Marmeſſo* natam. Certe habet in parte pro ſe auctoritatem magni viri, Lactantii Firmiani, ita ſcribentis L. 1. C. 6. *octavam Helleſponticam in agro Trojano natam, vico Marmeſſo, circa oppidum Gergitium; quam ſcribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuiſſe temporibus.* Sed eſt error in prima ſyllaba, ſcribendumque *Mermeſſo.* Erat autem *Mermeſſus* oppidum in Ida monte; hinc gentile *Mermeſſius*, ut Stephanus tradit in ΜΕΡΜΗΣΣΌΣ. Haec nos praeclare docuit Salmaſius Exerc. p. 79. unde mirari ſubit, quid ita Thomas de Pinedo pro uno atque eodem oppido habere voluerit *Mermeſſum* & *Marpeſſum*; nec vel ſemel meminerit Salmaſii in Obſerv. ad Stephanum p. 458. unde poterat meliora doceri.

68. Herophile Phoebo grata quod admonuit] Grata Phoebo fuit, quod eſſet Sminthei Apollinis ſacerdos. Ipſa vero ſe non ſolum Herophilen, ſed Dianam etiam in ſuis verſibus vocabat. Erat & ubi uxorem ſe, & ubi vel ſororem vel filiam Apollinis eſſe diceret; ſed furens, & numine adflata

Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu.
Hae fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt crepitantia caelo
Audita, & lucos praecinuisse fugam.

Ipsum

divino. Obiit in Troade, sepulta in Sminthei luco, incisis in columna elegis, quos recitat Pausanias Phocicis, sive libro 10. Ubi & alteram priorem fuisse Herophilen tradit, Jovis & Lamiae filiam; Lamiam ipsam Neptuno genitam, mulierum omnium primam vaticinatam, & ab Afris *Sibyllam* nominatam.

69. QUODQUE ALBUNA SACRAS TIBERIS PER FLUMINA SORTES PORTARIT] *Albunea* dicitur Lactantio L. 1. C. 6. *decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quae Tiburi colatur ut Dea juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cujus sortes senatus in Capitolium transtulerit.* Hujus loci auctoritate permotus Jo. Lud. Brassicanus, Comment. in Politiani Nutric. ℣. 119. legebat sic:

Quasque Albana sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit.

Albana autem flumina Anienem intelligebat: ipsam quoque Albuneam ab aquis Albulis apud Anienem copiose scaturientibus denominatam credebat. Turnebus quoque *Albana* legebat, sed ut esset nomen ipsius Sibyllae, L. 11. Adv. C. 26. Lipsii excerpta habebant,

Quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes
Portarit.

Quod est amplexus Janus Gulielmius Quaest. in Menaech. Plauti C. 4. & ante eum Lilius Gyraldus Dial. 2. Hist. Poët. Huc & alii libri ibant. Joannes quoque Livinejus *Tiburs* malebat; quamquam in *Albuna* nihil mutat.

70. SICCO PERLUERITQUE SINU] Est in nonnullis *pertuleritque.* quod probarunt Muretus & Statius. Sed hic quum *sicco sinu* exponit *pedestri itinere*, nimis est festivus. Etiam *portare* & *perferre*, tam vicina, non belle junguntur. Recte Turnebus sortes, quas portabat, librum fuisse putat: quem etsi aqua perluebat, tamen siccum & sicco pectore gestaverat.

71. BELLI MALA SIGNA COMETEN] Cometas semper grande aliquod malum portendere, vetustissima est opinio. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 488.

Non alias coelo ceciderunt plura sereno
Fulgura: nec diri toties arsere cometae.

Lucanus L. 1. ℣. 526.

Ignota obscurae viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, caeloque volantes
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.

Silius L. 8. ℣. 638.

non unus crine corusco
Regnorum eversor rubuit letale cometes.

Suetonius Ner. C. 36. *Stella crinita, quae summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri coeperat.* Tacitus L. 14. An. C. 22. *Inter quae & sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tamquam mutationem regis portendat.* L. 15. C. 47. *Vis fulgurum non alias crebrior, & sidus cometes, sanguine inlustri semper Neroni expiatum.* Sed in promtu est exemplorum copia. Hodie in omnia alia discedunt sapientum scholae.

72. MULTUS UT IN TERRAS DEPLUERETQUE LAPIS] Valerius Maximus *in Piceno lapidibus pluisse* tradit L. 1. C. 6. Juvenalis Sat. 13. ℣. 67.

Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber.

Crebrum hoc portenti genus apud Livium, & Julium Obsequentem. Quandocumque vero accidisset, novemdiali sacro expiabatur. Coctis lateribus pluisse dicente caussam Milone, in ejus anni acta relatum fuit. auctor Plinius L. 2. C. 56.

73. ATQUE TUBAS ATQUE ARMA FERUNT STREPITANTIA CAELO AUDITA] Haec etiam crebro commemorantur. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 473.

Armorum sonitum toto Germania caelo
Audiit.

Ovidius L. 15. Metam. ℣. 783.

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribilesque tubas, auditaque cornua caelo
Praemonuisse nefas.

Luca-

Ipsum etiam Solem defectum lumina vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos.

Et

Lucanus L. 1. ℣. 578.

Insonuere tubae : & quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus umbris
Edidit.

Petronius Specim. Bell. Civ. ℣. 134.

Armorum strepitu coelum furit ; & tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet.

Praeclarissimus Lotichius L. 1. Eleg. 9.

Terribilemque ferunt (quod, Dii, precor omen in hostem
Vertite) per nubes arma dedisse sonum.

Ipse Tullius, in re minime ludicra, orat. de Harusp. resp. C. 10. *Exauditus in agro propinquo & suburbano est strepitus quidam reconditus, & horribilis fremitus armorum.* Plinius L. 2. C. 57. *Armorum crepitus, & tubae sonitus auditos e coelo Cimbricis bellis accepimus : crebrosque & prius, & postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis & Tudertibus spectata arma coelestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis quae ab occasu erant.* Julius Obsequens C. 76. *Consae arma in coelo volare visa, fulmine pleraque decussa.* C. 125. *Clamorem crepitumque armorum Antiochiae bis, ut curreretur in muros, auditum ; itemque sonum tympanorum Pergami.* Adparet ex his locis *crepitantia* (id quod multi libri habent) restitui debere in nostro Tibullo ; atque in Petronio *crepitu.* Sisenna Hist. L. 4. *Conglobati & collecti concrepant armis.* Cicero orat. pro Murena C. 10. *Omnes urbanae res, omnia haec nostra praeclara studia, & haec forensis laus & industria latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. Simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostrae conticescunt.* Virgilius L. 12. Aen. ℣. 332.

Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella movens inmittit equos.

Seneca Thyest. ℣. 562.

Otium tanto subitum e tumultu
Quis Deus fecit ? modo per Mycenas
Arma civilis crepuere belli.

74. LUCOS PRAECINUISSE FUGAM] Male haec referunt ad excessum & fugam Deorum, sedes suas deserentium. Paullo ante dixerat poëta, cometas portendere bellum fore : nunc ait voces incertas, e lucis ac nemoribus prolatas, cladem ac fugam exercituum praenuntiare. Livius L. 2. C. 7. *Tarquiniensis novus hostis non stetit solum, sed etiam ab sua parte Romanum pepulit. Ita quum pugnatum esset, tantus terror Tarquinium atque Etruscos incessit, ut omissa irrita re, nocte ambo exercitus, Vejens Tarquiniensisque, suas quisque abirent domos. Adjiciunt miracula huic pugnae ; silentio proximae noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem. Silvani vocem eam creditam, haec dicta,* Uno plus Etruscorum cecidisse in acie : vincere bello Romanum. *Ita certe inde abiere Romani ut victores, Etrusci pro victis.* Hic tu *proximam noctem* intellige eam, quae proxime praecessit ante ipsum conflictum. Ita certe capiendum suadet Valerius Maximus L. 1. C. 8. ex. 5. Sed ad fugam redeamus, his incertis vocibus praemonstratam, & ad clades bellicas. Maro L. 1. Geor. ℣. 475.

Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
Ingens.

Ovidius L. 15. Metam. ℣. 793.

cantusque feruntur
Auditi, sanctis & verba minacia lucis.

Lucanus L. 1. ℣. 569.

Tunc fragor armorum, magnaeque per avia voces
Auditae.

Petronius Spec. Bell. Civ. ℣. 180.

Nec non horrendi nemoris de parte sinistra
Inselitae voces flamma sonuere sequenti.

75. IPSUM ETIAM SOLEM DEFECTUM LUMINE] Jo. Marius Mattius ex vetere libro producit *defectum lumina*, venusto Graecismo, L. 1. Opinion. C. 13. Nicolaus quoque Heinsius ad marginem Anglicanorum Excerptorum notavit, legendum sibi *lumina* videri. Sed quia haec locutio doctior erat, quam ut eam caperent librarii ; ideo illi, more quotidiano, *lumine* scripserunt. Pari figura *Titan moestus jubar* Senecae dicitur Oedip. ipso initio :

Jam nocte Titan dubius expulsa redit,
Et nube moestus squallida exoritur jubar.

Sic enim locum illum recte restituit J. F. Gronovius, vir laudatissimus. Solis deliquium quamquam semper inter prodigia habitum est, tamen vel illud maxime prodigiosum fuit, quod occiso Caesare dictatore totum ferme annum duravit. Neque enim

de

Et simulacra Deum lacrimas fudisse tepentes,
Fataque vocales praemonuisse boves.
Haec fuerint olim. sed tu, jam mitis, Apollo,
Prodigia indomitis merge sub aequoribus.

Et

de alio Solis defectu loqui Albium nostrum ipsa *anni* vox ostendit. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 465.

Ille etiam exstincto miseratus Caesare Romam,
Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,
Inpiaque aeternam timuerunt saecula noctem.

Plinius L. 2. C. 30. *Fiunt prodigiosi & longiores Solis defectus: qualis occiso dictatore Caesare, & Antoniano bello, totius paene anni pallore continuo.* Alium, sed ante bellum civile Caesaris & Pompeji, describit Lucanus L. 1. ℣. 540.

Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Desperare diem: qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteae noctem duxere Mycenae.

Julius Obsequens C. 103. *Hora diei tertia, Solis defectus lucem obscuravit.* Factum C. Mario secund. C. Flavio Fimbria Coss. A. V. DCXLIX. Talis defectus quum accidisset ante pugnam inter Carolum V. imp. & Joannem Fridericum Saxonem, pro diro omine habuit poëta miles Lotichius, L. 1. Eleg. 9.

Sol quoque praetexens atra ferrugine frontem
Horrificis moestus nubibus abdit equos.

77. SIMULACRA DEÛM LACRIMAS FUDISSE TEPENTES] Virgilius L. 1. Geor. ℣. 479.

Et moestum inlacrimat templis ebur, aeraque sudant.

Naso L. 15. Metam. ℣. 792.

Mille locis lacrimavit ebur.

Lucanus L. 1. ℣. 556.

Indigetes flevisse Deos, urbisque laborem
Testatos sudore Lares.

Seneca Thyest. ℣. 702.

regium capiti decus
Bis terve lapsum est. flevit in templis ebur.

Silius L. 8. ℣. 646.

atro sanguine flumen
Manavit Jovis in templis, lacrimaeque vetusta
Effigie patris large fluxere Quirini.

Memorabilia sunt Livii verba L. 43. C. 13. *Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil Deos portendere vulgo nunc credunt, neque nuntiari admodum ulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum & mihi vetustas res scribenti nescio quo pacto antiquus fit animus: & quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro dignis habere, quae in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata: facem in coelo conspectam, & bovem feminam locutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies coeli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit.*

78. FATAQUE VOCALES PRAEMONUISSE BOVES] Maro L. 1. Geor. ℣. 477.

simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis, pecudesque locutae,
Infandum!

Lucanus L. 1. ℣. 561.

Tunc pecudum faciles humana ad murmura linguae.

Quas illi *pecudes* adpellant, boves intellige. sic enim ostendit historia. Plinius L. 8. C. 45. *Est frequens in prodigiis priscorum, bovem locutum: quo nuntiato, senatum sub dio haberi solitum.* Exempla boum vocalium multa reperies apud Livium, & Obsequentem; aliqua in Valerio Maximo.

79. HAEC FUERUNT OLIM] scribe *fuerint.* Est solennis precum formula, ut ne Deus iratus, sed jam placabilis, ultra velit saevire. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 62.

Phoebe, gravis Trojae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusque repostas
Massylum gentis, praetentaque Syrtibus arva.
Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna secuta.
Vos quoque Pergameae jam fas est parcere genti,
Dique Deaeque omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniae.

Sequentia distingue hoc modo: *Sed tu, jam mitis, Apollo,* &c. Idem ille poëta princeps L. 12. ℣. 179.

Esto nunc Sol testis & haec mihi terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores;
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,
Jam melior, jam, Diva, precor.

tardi-

Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo felix, & sacer annus erit.
Laurus ïo bona signa dedit: gaudete coloni:
Distendet spicis horrea plena Ceres.

85 Obli-

tarditatem ac moram hac vocula signari notat Donatus ad Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 1. ℣. 21. Albinovanus Eleg. ad Liviam Augustam ℣. 105.

Talis in umbrosis, mitis nunc denique, silvis
Deflet Threïcium Daulias ales Ityn.

Sed ad Apollinem redeamus. Praeclare Fracastorius L. 3. Syphil. ℣. 366.

deducitur ipse
Sorte data, qui pro cunctis cadat unus ad aram,
Syphilus: & jam farre sacro, vittisque paratis,
Purpureo stabat tincturus sanguine cultros:
Tutatrix vetuit Juno, & jam mitis Apollo.

Dicitur autem *mitis* ratione quadam peculiari. Servius ad L. 3. Aen. ℣. 138. *Notandum sane, Apolline offenso pestilentiam creari semper: quod etiam Homerus ostendit, cum eum armatum inducit sagittis. Unde & Apollo dicitur, secundum aliquos, ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν. Contra, si citharam teneat, mitis est. Unde Horatius,*

Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Horatii verba reperies in Carmine Saeculari, ℣. 33. Ceterum hic est idem Apollo, qui in Inscriptionibus *Pacifer* vocatur. In Quirinali Pomponii Laeti:

DEO. SANCTO
APOLLINI. PA
CIFERO
C. AELIVS
MILES. CHORTIS. X.
PRAETORIAE. CENTVRIA
DASI. LIBES. VOTVM
REDDEDIT

Ita ego descripsi ex autographo Stephani Vinandi Pighii. nam apud Gruterum paullo aliter legitur, XXXVIII. 7. Est & alterum votum Apollini Pacifero redditum apud Reinesium classe prima, num. 274.

APOLLINI
PACIFERO
EX. VOTO. LIBENS
SOLVIT. L. AQVIL
LIVS. L. F. SERG. AVRELIVS
MIL. COH. X. PRAETOR.
CENTVRIA. VALERI
BASSINI. LIBENS
VOTVM. REDDIT.

80. PRODIGIA INDOMITIS MERGE SUB AEQUORIBUS] Monstrosi partus, expiationis caussa, in mare projiciebantur. Exempla sunt apud Livium, & Obsequentem. Interdum flammis abolebantur, & quidem infelicium lignorum. Tarquitius Priscus, apud Macrobium L. 2. Saturn. C. 16. *Arbores quae inferûm deorum avertentiumque in tutela sunt, eas infelices nominant.* deinde aliquot talibus recensitis, addit: *itemque acrifolium, pirum silvaticum, ruscum, rubum, sentesque, quibus portenta prodigiaque mala comburi jubere oportet.* Sed hoc ante nos observavit Turnebus L. 18. Adv. C. 11. Firmat Lucanus L. 1. ℣. 589, de Arunte, haruspice Etrusco:

Monstra jubet primum, quae misto semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos
Ex utero foetus infaustis urere flammis.

Hoc est quod Catullus vocat *Infelicibus ustulare lignis.*

81. UT SUCCENSA] lege cum libris, *Et succensa.* Haec enim pendent a superioribus. Procura, o Apollo, mala prodigia; & laurus tua fac crepet cum bono omine in igne sacro.

82. SACER ANNUS EAT] *erit* habent libri. quod placet. Est enim certa pollicitatio vicini boni, & majus aliquid quam optatum aut votum. Sic Propertius meus, L. 4. Eleg. 8. ℣. 14. ubi de virginibus Lanuvinis, draconi suo annuum pastum ferentibus:

Si fuerint castae, redeunt in colla parentum;
Clamantque agricolae, Fertilis annus erit.

83. AT LAURUS BONA SIGNA DEDIT] Hanc transitionem vix est ut credam a manu poëtae profectam. Sequitur post tres versus, *At madidus Baccho.* tum paullo post, *At sibi quisque dapes.* denique sub finem, *At tu.* In libris omnibus est, *Laurus ibi.* Unde Nicolaus Heinsius argute & feliciter refingebat,

Oblitus & musto feriet pede rusticus uvas,
Dolia dum, magni deficiantque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. a stabulis tunc procul este lupi.
Ille levis stipulae solennes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras.
Et foetus matrona dabit, natusque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec taedebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.

Tunc

Laurus io bona signa dedit. Particula est exsultantium prae laetitia & jubilantium rusticorum.

90. FLAMMAS TRANSILIETQUE SACRAS] Naso L. 4. Fast. ℣. 725. ubi Palilia describuntur satis operosa diligentia:

Certe ego de vitulo cinerem stipulasque fabales
Saepe tuli plena februa casta manu.
Certe ego transilui positas ter in ordine flammas;
Virgaque roratas laurea misit aquas.

deinde ℣. 779.

Tum licet, apposita veluti cratere camella,
Lac niveum potes, purpureamque sapam.
Moxque per ardentes stipulae crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede.

Vide Propertium L. 4. Eleg. 4. ℣. 75.

92. OSCULA COMPRENSIS AURIBUS ERIPIET] Antiquae osculorum blanditiae. Graeci χύτραν vocabant, sive *ollam*: Itali vero *osculum Florentinum*, quum adprehensis utrimque puerorum auriculis eos presse dissuaviarent. Primus luculenter exposuit Lilius Gregorius Gyraldus Dial. 6. deinde Achilles Statius h. l. Gulielmus Canterus L. 6. Nov. Lect. C. 25. Turnebus L. 29. Adv. C. 32. Meursius ad Theocrit. p. 33. Cerda Adv. Sacr. C. 138. sect. 12. Mart. Kempius in opere laborioso, sed parum amabili, de Osculis Dissert. 25. sect. 34.

93. PARVO ADVIGILARE NEPOTI] in tribus libris erat *vigilare*. Sic Propertius L. 2. Eleg. 2. ℣. 9.

Aut ego si possem studiis vigilare severis.

Naso L. 3. Art. Amat. ℣. 413.

Sed famae vigilare juvet.

ibi ante Heinsium *invigilare* legebatur. Nec tamen damno *advigilare*: quo verbo & Terentius & Cicero sunt usi. Pulcre Manilius L. 1. ℣. 81.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Papinius L. 1. Theb. ℣. 147.

Non inpacatis regum advigilantia somnis
Pila, nec alterna ferri statione gementes
Excubiae.

94. BALBAQUE CUM PUERO DICERE VERBA SENEM] *Balbus*, inquit Junius noster in Nomenclatore, *qui lingua est haesitante.* Id vitium nostrates vocant *stamelen.* Sed *Balbus* Latinis saepe is dicitur, qui prae linguae inbecillitate caninam literam R plene ac plane efferre nequit, ejusque loco L pronuntiat. Hoc nostri dicunt *lispen*; Galli vero *parler gras.* Atque hoc pueris ferme omnibus est familiare. Quintilianus L. 1. Instit. Orat. C. 11. *Quod est igitur in his doctoris officium? in primis vitia si qua sunt oris, emendet: ut expressa sint verba, ut suis quaeque literae sonis enuntientur. Quarumdam enim vel exilitate vel pinguetudine nimia laboramus: quasdam velut acriores parum efficimus, & aliis, non dissimilibus, sed quasi hebetioribus permutamus. Quippe ρ literae, qua Demosthenes quoque laboravit, λ succedit: quarum vis est apud nos quoque.* Cicero L. 1. de Orat. C. 61. *Imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse, tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit: cumque ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur.* Ars illa, cui studebat Demosthenes, erat Rhetorica. Horatius L. 2. Sat. 3. ℣. 274.

Quid,

Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquae qua levis umbra cadit.
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta: coronatus stabit & ante calix.
At sibi quisque dapes, & festas exstruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellae,
Postmodo quae votis inrita facta velit.

Nam

Quid, cum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas qui sanior?

L. 2. Epist. 1. ℣. 126.

Os tenerum pueri balbumque poëta figurat.

Sed rem omnem praeclare inlustravit vir inter prima gentis nostrae nomina non postremus Janus Rutgersius Venusin Lection. C. 14. Hi balbi alio nomine *blaesi* dicuntur. Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 293.

Quid, cum legitima fraudatur litera voce,
Blaesaque fit jusso lingua coacta sono?
In vitio decor est, quaedam male reddere verba.
Discunt posse minus, quam potuere, loqui.

& Amor. L. 2. Eleg. 6. ℣. 24. de psittaco:

Non fuit in terris vocum simulacior ales:
Reddebas blaeso tam bene verba sono.

Martialis L. 10. Epigr. 65.

Os blaesum tibi debilisque lingua est:
Nobis filia fortius loquetur.

Hinc cognomina *Balborum* ac *Blaesorum* in multis gentibus Romanis. Albium nostrum ante oculos habuit Hercules Strozza, poëta nobilissimus, L. 1. Eleg. 1. Apollinem adfatus:

Tu, mihi prima rudis cum verba resolveret aetas,
Dictasti ad cunas carmina balba meas.

95. OPERATA DEO PUBES] utitur verbo sacrorum. sic prima hujus libri Elegia, ℣. 9.

Omnia sint operata Deo.

Horatius L. 3. Od. 14. ℣. 6.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat justis operata Divis.

Inibi tu veteres interpretes vide; & Servium ad L. 3. Aen. ℣. 136. Nonium in *Operari*; Brissonium L. 1. Formul. Passeratium in Propert. L. 2. Eleg. 33. ℣. 2.

95. DISCUMBET IN HERBA,] Quidam codices haec ita constituerunt:

discumbet in umbra
Arboris antiquae, qua levis unda cadit.

Credo, ut forent similia istis ex L. 1. Eleg. 1.

Sed Canis aestivos ortus vitare sub umbra
Arboris, ad rivos praetereuntis aquae.

Tu cave quidquam inmutes. *In herba* etiam apud Maronem vescitur juventus rustica L. 1. Geor. ℣. 339.

annua magnae
Sacra refer Cereri, laetis operatus in herbis.
Tum pingues agni, & tum mollissima vina.

98. CORONATUS STABIT ET IPSE CALIX] in duobus Statii totidemque Wittianis erat, *stabit & ante calix.* quod ego verum arbitror. stetisse enim oportet ante toros discumbentium. Sic Eleg. 1. hujus libri, ℣. 24.

Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, & ex virgis exstruet ante casas.

Antiquos autem coronasse pocula, & sic bibisse, notat Servius ad L. 1. Aen. ℣. 724.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Firmatque hoc ipsum ex L. 3. Aen. ℣. 525.

Tum pater Anchises magnum cratera corona
Induit, implevitque mero.

Ita etiam Turnebus exposuit L. 21. Adv. C. 13. Rectissime. Papinius claris verbis, quae ad summum marginem referri nequaquam possunt, L. 3. Silv. 1. ℣. 76. post descriptionem magni ac subiti imbris:

Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina
Abripiunt famuli.

Posteriorum temporum inventum fuit, in summa ora interiore poculorum argenteorum addere coronam auream. Credo ut & hieme coronarent vinum. Vide sis Gassendum L. 4. Vitae Peireskianae, ad A. 1632.

101. MALEDICTA] codex Jo. Marii Mattii habebat *mala dicta.* Quo modo ferme Catullus Carm. 11. ℣. 16.

Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta.

104. ET

Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
 Et se jurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereantque arcus, pereantque sagittae,
 Phoebe: modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona: sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
 Heu heu quam multis ars dedit illa malum.
Et mihi praecipue, jaceo quum saucius annum:
 Et faveo morbo, tam juvat ipse dolor.

Vix-

104. ET SE JURABIT MENTE FUISSE MALA] Ex antiqua formula, qua ille qui alium aut re aut verbo laeserat, in satisfactione eum, qui laesus esset, adjurabat indignum esse hac injuria, atque ei nolle factam; atque insuper malam se mentem habuisse. Prioris, de jurejurando, inlustre exemplum est apud Plautum Amphitr. Act. 3. Sc. 2. Posterioris, de mala mente, utque id esset capiti suo, apud Senecam L. 3. de Benefic. C. 27. quod oportune huc retulit venustissimus Douza Praecidan. C. 8. Primus opinor hunc ritum inlustravit noster Nannius L. 2. Miscell. C. 7. Deinde alii, atque alii; Turnebus L. 18. Adv. C. 25. Brissonius Formul. L. 8. Torrentius in Sueton. Jul. C. 73. Sc. Gentilis in Apologiam Apuleji num. 243. Heraldus L. 2. Digress. C. 4. sed omnes, ut dixi, post Nannium. Sua quoque Douzae laus constare debet, qui istud de mente mala & primus observavit, & solus. nisi quod leviter tetigerat Achilles, nec tamen satis recte.

105. PEREANT ARCUS] in Sfortiano libro scriptum fuisse *pereantque arcus* notavit Statius. Quae iteratio voculae encliticae est pura puta Albiana. Sic Elegia proxime sequente:

Castra peto. valeatque Venus, valeantque puellae.

potuit autem levi opera intercidisse, quum librarii omnes compendio fere scriberent, & fortasse hanc elisionem duriusculam putarent.

110. ET FAVEO MORBO, QUUM JUVAT IPSE DOLOR] τὸ *quum* invenuste hic repetitur; jam enim praecesserat in versu longiore. Sed multi codices Statiani habebant *tum*; unde Passeratius *tam* faciebat. Optime. Sic ferme Naso Amor. L. 2. Eleg. 9. ℣. 25.

Vive, Deus, posito, si quis mihi dicat, amore;
 Deprecer. usque adeo dulce puella malum est.

Prioris hemistichii mentem expressit Daniel Heinsius L. 2. Eleg. 8. ubi de Petro Lotichio, illo poëtarum zmaragdo:

Ille manu medica Phoebique potentibus herbis
 Saepe aliquam vellet quaerere laesus opem:
Mox, ubi pulcra videt ridentis lumina nymphae,
 Gaudet, & ardori jam favet ipse suo.

Est autem *favere* verbum Circi ac Theatri; quo verbo significatur benevolentia plausu atque adclamatione sese effundens. Vide sis Nasonem Amor. L. 3. Eleg. 2. ubi saepiuscule repetitum non obscure te docebit de hac sua notione. Hoc ipsum & *favorem* vocabant. Naso idem, loco laudato:

Nempe favore suae vicit tamen ille puellae.
 Vincamus dominae quisque favore suae.

Hic de agone equestri. De plausu & clamore theatrali idem poëta L. 2. Trist. ℣. 506.

Cumque fefellit amans aliqua novitate maritum,
 Plauditur; & magno palma favore datur.

Valerius Flaccus L. 4. ℣. 228. de Castore cum Amyco ad luctam descendente:

Nec sonat Oebalius caveae favor, aut juga notae
 Taygeti, lavitur patrios ubi victor ad amnes.

Macrobius de plausu conviviali dixit, L. 7. Saturn. C. 15. *His dictis, favor ab omnibus exortus est admirantibus dictorum soliditatem, adeo ut attestari vel ipsum Euangelum non pigeret. Disarius deinde subjecit: Isti plausus sunt, qui provocant philosophiam ad vindicandos sibi de aliena arte tractatus*, &c. Sed in optimo libro Anglicano hic erat, pro diversa lectione, *Et foveo morbum.* Quae scriptura si cui placebit, habebit ille Tullium auctorem L. 12. ad Attic. Epist. 18. *Habeo nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescam. nam, dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fovebam dolores meos. nunc omnia respuo.* Quamquam sensus est nonnihil diversus. nam in Albio τὸ *fovere* esset nutrire; quum Tullius posuerit pro eo quod est lenire. Sed vulgata lectio non videtur ullo modo solicitanda.

111. SINE

Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
 Verba potest, justos aut reperire pedes.
Acer Amor, fractas utinam tua tela sagittas
 Ilicet, exstinctas adspiciamque faces.
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
 Cogis, & insana mente nefanda loqui.
At tu, nam Divûm servat tutela poëtas,
 Praemoneo, vati parce, puella, sacro:
Ut Messalinum celebrem, quum praemia belli
 Ante suos currus oppida victa feret.
Ipse gerens laurus, lauro devinctus agresti
 Miles, ïo magna voce triumphe canet.
Tum Messala meus pia det spectacula turbae,
 Et plaudat curru praetereunte pater.

Ad-

111. SINE QUA VERSUS MIHI NULLUS VERBA POTEST, &c.] sumtum de Anacreonte, Od. 1.

Θέλω λέγειν Ἀτρείδας,
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν·
Ἁ βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ἔρωτα μοῦνον ἠχεῖ.

Henricus Stephanus vertit:

Cantem libens Atridas,
Cantem libensque Cadmum:
Sed barbiti mihi unum
Nervi sonant Amorem.

Hinc & nos hauriebamus olim, in quadam Elegia:

Sed quocumque meae feriuntur pectine chordae,
 Reddere jam discunt, praeter amare, nihil.

114. SI LICET] recte Schefferi codex *Ilicet*.

119. PRAEMIA BELLI] Vide notata ad L. 1. Eleg. 2. ℣. 26. Sed *praemia* hic proprie pertinent ad pompam triumphi.

120. ANTE SUOS CURRUS OPPIDA VICTA FERET] Fercula intellige triumphalia. Inlustris est Ciceronis locus orat. in L. Pisonem C. 25. ubi adversarii sui ignaviam, ex Macedonia turpiter revocati, hisce quasi ipsius Pisonis verbis exagitat: *Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis, & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle. Quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis.* &c. Res ipsa satis est nota ex commentationibus eruditorum.

121. GERENS LAURUS, LAURO DEVINCTUS AGRESTI] manu laurum gerens, galeam lauro coronatus. Talis apud Nasonem Apollo figuratur, ille domitor monstrorum, L. 2. Art. Amat. ℣. 495.

In manibus laurus: sacris inducta capillis
 Laurus erat.

Sed cur miles victor laurum gestabat? rationem reddit Festus Pompejus: *Laureati milites sequebantur currum triumphantis, ut quasi purgati a caede humana intrarent urbem.* Sane a religione & votis initium habuisse, ostendit Proclus in Chrestomathia Poëtica p. 11. quo loco *Daphnephorica* expositione sua interpretatur. Deinde in versu minore *canam*, quod Scaliger ex ingenii conjectura huc invexit, ut in *canet* mutemus suadent omnes libri. Neque enim de se loquitur poëta, sed de exercitu Romano, triumphantis Messalini currum comitaturo.

124. ET PLAUDAT CURRU PRAETEREUNTE PATER] Eadem Germanico Caesari auguratur Naso L. 2. Pontic. Epist. 1. ℣. 57.

Te quoque victorem Tarpejas scandere in arces
 Laeta coronatis Roma videbit equis.
Maturosque pater nati spectabit honores,
 Gaudia percipiens, quae dedit ipse suis.

Adnue. sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli:
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

VI.

CASTRA Macer sequitur. tenero quid fiet Amori,
Si comes, & collo fortiter arma geret?

Et,

1. CASTRA MACER SEQUITUR] Statius Achilles haec de Pompejo Macro, Theophanis Mytilenaei filio, intelligenda docet; cujus Macri curae bibliothecas ordinandas delegavit Augustus, auctore Suetonio Jul. C. 56. Paria ante Statium tradiderat Jo. Baptista Pius Annot. poster. C. 184. Quem miror secutum fuisse virum rarae cujusdam diligentiae Jo. Glandorpium in Onomastico. Nituntur omnes testimonio Nasonis, Amor. L. 2. Eleg. 18.

Carmen ad iratum dum tu producis Achillen,
Primaque juratis induis arma viris;
Nos, Macer, ignava Veneris cessamus in umbra.

itemque L. 2. Pontic. Epist. 10. ℣. 13.

Tu canis aeterno quidquid restabat Homero,
Ne careant summa Troica bella manu.

Itaque poëtam fuisse, & scripsisse Paralipomena Homeri, ipsi confitentur. Sed de Pompejo Macro tale nihil prodidit veterum scriptorum quisquam. Aemilium vero Macrum, Veronensem, multi nominis poëtam fuisse scimus, Virgilio atque Albio nostro ferme aequalem. Servius ad Eleg. 5. MENALCAS *Virgilius hic intelligitur, qui obitum fratris sui Flacci deflet; vel, ut alii volunt, interfectionem Caesaris.* MOPSUS *vero Aemilius Macer, Veronensis, poëta, amicus Virgilii.* Certe majorem natu fuisse Ovidio, ipse Ovidius testatur L. 4. Trist. Eleg. 10. ℣. 43.

Saepe suas Volucres legit mihi, grandior aevo,
Quaeque necet Serpens, quae juvet Herba, Macer.

Atque etiam hoc Macro ductore & quasi adolescentiae custode Asiam se perlustrasse ac Siciliam commemorat L. 2. Pontic. Epist. 10. ℣. 21.

Te duce magnificas Asiae perspeximus urbes:
Trinacris est oculis te duce nota meis.

Ex loco Peligni vatis priore colligere est argumenta librorum Aemilii Macri. Scripsit enim *Ornithogoniam:* cujus e volumine secundo haec verba, *Cum laude excellet omnes*, citat Diomedes Grammaticus L. 1. p. 371. ostendens Macrum *excellēre* dixisse, quum alii omnes dicant *excellĕre.* Ex eodem, ni fallor, opere Charisius L. 1. p. 108.

Auxilium sacrae venient cultoribus ibes.

itemque istud,

altis ex urbibus ibes.

Plinius autem, in catalogo auctorum, unde se profecisse testatur, L. 10. qui de avibus agit, Macrum etiam nominavit. Binos ex illo opere versiculos servavit nobis Isidorus L. 12. Orig. C. 7. OLORES *autem Latinum nomen est: nam Graece* CYCNI *dicuntur. Nautae vero sibi hanc bonam prognosiam facere dicunt: sicut ait Aemilius:*

Cygnus in auspiciis semper laetissimus ales.
Hunc optant nautae, quia se non mergit in undas.

Corruptus est Nonius in voce *Profecta*, ut quidem nunc editum habemus: *Profecta, exta quae aris dantur ex fibris pecudum disfecta, sunt generis neutri. Licinius Macer in Ornithogonia:*

Vulcani tosta vapore
Cum virgis profecta ferunt.

est enim scribendum *Aemilius Macer.* Sequuntur apud Nasonem *Macri Theriaca.* E quorum libro quinto haec sunt, *longo resonantia sibila collo*, apud Charisium L. 1. p. 61. Isidorus duos versus habet, libro non nominato, L. 12. Orig. C. 4. *Hic* [chelydros] *per aquam labitur, terram fumare facit. quem sic Macer describit:*

Seu terga exspirant spumantia virus,
Seu terram fumat, qua taeter labitur anguis.

Sed quid est *terram fumat?* an, fumantem facit? Puto, *terram infumat.* h. e. exsiccat ad pestilentem suum ardorem. Tum *opus de Herbis.* quod laudat Dionysius ille, quem ab librorum argumento vulgus *Catonem* vocat, praefat. L. 2.

Quod

Et, seu longa virum terrae via, seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?

5 Ure,

Quod si mage nosse laboras
Herbarum vires; Macer has tibi carmine dicet,
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.

Huc, arbitror, pertinuerunt ista, Charisio laudata L. I. *fluviorum margine summa*, p. 49. *Inter praeteritas numerabitur ocymus herbas*, p. 55. *quales seges intubus herbas*, p. 78. *saucia naris*, p. 82. Scripsisse & *Theogoniam* tradit Nonius Marcellus, his verbis: *Picumnus & avis est Marti dicata, quam picum, vel picam vocant, & Deus, qui sacris Romanis adhibetur. Aemilius Macer in Theogoniae libro primo:*

Et nunc agrestis inter Picumnus habetur.

Sed viri docti hic *Ornithogoniae* reponunt: id quod mihi admodum probabile videtur. Denique & haec laudat Diomedes L. I. p. 366. *Negligo, neglexi. Sed Aemilius Macer, Omnium nostrum negligerit auctoritatem. quod analogiae propius, quia &* legerit *dicimus.* Unde habuerit, non dicit. At Priscianus L. 10. p. 895, haec eadem verba proferens, nominat sextum decimum Annalium librum. Quod quale sit, disputat noster Vossius L. I. de Histor. Latin. C. 16. Praeterea & de Apibus aliquid in literas misisse, nescio an ex Servio colligere liceat, in L. I. Aen. ℣. 439. FUCOS] *Secundum Plinium, apium multa sunt genera. Proprie tamen apes dicuntur de bobus ortae: fuci, de equis: crabrones, de mulis: vespae, de asinis. Fucus autem, secundum Aemilium Macrum, major ape, crabrone minor.* Certe Plinius in catalogo scriptorum libri undecimi, quo libro apum naturam considerat, posuit quoque Aemilium Macrum. Brevi eum elogio mactavit Politianus, Nutric. ℣. 484. de Verona loquens, & de Catullo:

Nonnihil Aemilium tamen haec quoque jactat alumnum
Texentem tenui Macrum subtegmina filo:
Dum Volucres numeris, dum Gramina pingit, & Angues.

Videlicet haec Quintiliani fide dicuntur L. 10. Instit. Orat. C. I. qui Lucretium ac Macrum *in sua quemque materia elegantes* vocat, sed *alterum humilem, alterum difficilem.* Super quo judicio videri debet Barthius L. 43. Adv. C. 2. Utinam hodie de Macro & nobis arbitrari liceret! Sed omnia viri clarissimi scripta funditus interierunt. Utinam saltem Iliaca exstarent, quae tanti fecit Naso, ut ab his libris honorificum dederit auctori cognomentum L. 4. Pontic. Epist. 16. ℣. 6.

Cum foret & Marsus, magnique Rabirius oris,
Iliacusque Macer, sidereusque Pedo.

Obiit autem Macer in Asia, quo tempore Augustus nepotes suos Cajum & Lucium Agrippas adoptavit. auctor Hieronymus in Chronico Eusebiano. Id factum est A. V. DCCXXXVII. C. Furnio, C. Junio Silano Coss. Circumfertur hodie libellus sub Macri nomine de Viribus Herbarum; quem miror pro genuino foetu hujus Aemilii Veronensis habuisse virum doctissimum Thomam Bartholinum in Dissertatione elegante de Medicis Poëtis. praesertim quum de illo fuco jam olim monuerit vir clarissimus Lilius Gyraldus Dial. 4. de Hist. Poët. Non paullo verius pronuntiavit J. C. Scaliger L. 6. Poët. C. 4, Macrum eum, cujus opus in manibus habemus, neque poëtam fuisse, neque bonum medicum, neque sincerum versificatorem. Sed audiamus Gaudentium Merulam L. I. de Antiq. Gallor. Cisalpinor. C. 11. p. 279. Italiae Illustratae: *Hanc urbem* [Veronam] *tres maxime viri illustrarunt: Catullus scilicet, a quo & Julius Caesar proscissus est: Vitruvius per tempora Divi Augusti, architecturae scriptor: & Aemilius Macer, qui de herbarum virtute elegantissime scripsit. Sed hic libellus, qui sub Macri nomine circumfertur, non hujus est, sed Odonis cujusdam medici, ut ipse vidi in codice quodam antiquissimo. Verum ut gratior exiret in lucem, Macri titulo inscriptus est.*

I. TENERO QUID FIET AMORI] Macrum ingenio fuisse laeto, neque abhorruisse ab amoenitatibus, Ovidius ostendit L. 2. Amor. Eleg. 18. ℣. 35.

Nec tibi (qua tutum vati, Macer, arma canenti)
Aureus in medio Marte tacetur Amor.
Et Paris est illic, & adultera nobile crimen;
Et comes exstincto Laodamia viro.
Si bene te novi, non bella libentius istis
Dicis, & a vestris in mea castra redis.

Quae deinceps in nostro sequuntur, mirifice sunt habita ab interpretibus. Ego ita exponebam: Macer dedit nomen militiae. Quid interea Amori fiet, puero tam tenero, si voluerit esse Macri comes, & tamquam cacula castrensis ire cum telis ad ejus latus?

Quae

Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit:
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, levi galea qui sibi portet aquam.
Castra peto: valeatque Venus, valeantque puellae.
Et mihi sunt vires, & mihi facta tuba est.
Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausae fortia verba fores.

Jura-

Quae expositio si cui minus placebit; illum ego, quin sensu suo abundet, numquam inpediam.

6. ATQUE ITERUM ERRONEM SUB TUA SIGNA VOCA] Puto, *sub sua signa.* Naso Epist. Herûs ỳ. 157.

In tua castra redi, socii desertor Amoris.

8. LEVEM GALEA QUI SIBI PORTET AQUAM] in Florentino Statii erat *levi galea.* quod ego verum arbitror. *levis galea*, gregaria, & nulla crista insignis. qualem in acie Pharsalica Brutus gestabat, ne agnosceretur a Caesarianis. Lucanus L. 7. ỳ. 586.

Illic plebeja contectus casside vultus,
Ignotusque hosti, quod ferrum Brute tenebas!

Ita sane melius procedit Albiana sententia: Quod si tu, o Amor, militibus parces: jam mihi certum est militare vel in imis ordinibus, & nullo honoris gradu conspicuis. Adlusum ad velites, & milites levis armaturae. Talis Helenor ille apud principem poëtam L. 9. Aen. ỳ. 548.

Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.

Itemque Lausus, L. 10. ỳ. 817.

Transiit & parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro.

Eodem epitheto horumdem clypeos insignivit Papinius, utpote ex cratibus & corio contextos, L. 9. Theb. ỳ. 261.

Spicula jam, clypeosque leves, arcusque remissos
Unda vehit.

Sed ajunt aquas poëtis passim *leves* dici: atque in hanc rem proferunt Nasonis verba, L. 5. Fast. ỳ. 662. de Tiberi:

Hactenus: ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum sustinuistis aquae.

At vero *leves* aquae hic sunt celeres, & rapide fluentes. id quod in verbis Albianis nullum locum habere potest; non magis, quam si cum Ach. Statio *levem* exponas pro vili. Et quando vilis est aqua in siti ex labore itinerum militarium collecta?

10. ET MIHI SUNT VIRES, ET MIHI FACTA TUBA EST] Non sum tam mollis, ut me terrere queat tubae sonus. Ita Nasonis uxor, Trist. L. 1. Eleg. 3. ỳ. 83.

Et mihi facta via est: & me capit ultima tellus.
Accedam profugae sarcina parva rati.

Alii quidam codices habent, *& mihi grata tuba est.* id quod Muretus sequebatur. Sic Propertius L. 3. Eleg. 3. ỳ. 70.

Vos, quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

11. MAGNA LOQUOR] Ita loquebantur in gloriatione. Virgilius L. 10. Aen. ỳ. 547. de Anxure, cui sinistram Aeneas amputaverat: quamquam alii de Umbrone capiunt:

Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat,
Canitiemque sibi & longos promiserat annos.

Megara apud Senecam Herc. fur. ỳ. 295.

Magna sed nimium loquor,
Ignara nostrae sortis.

Valerius Flaccus L. 7. ỳ. 557.

At sua magnanimum contra Pagasea juventus
Prosequitur stipatque ducem: tum maxima quisque
Dicta dedit.

& pulcerrime L. 5. ỳ. 597.

Hic & Iaxarten dicti stupet hospes acerbi
Inmodicum, linguaeque gravem; cui multa minanti
Non Superûm, non praesentis reverentia belli.
Contra autem Aeëtes; Non frustra magna superbo
Dicta volant, ait; & vocem paria arma sequuntur.

Expressit cultissimus poëta Maronem suum, L. 11. Aen. ỳ. 381.

Non replenda est curia verbis,

Quae

Juravi quoties rediturum ad limina numquam?
Quum bene juravi, pes tamen ipse redit.

15 At

Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.

Ovidius *alta verba* vocat Epist. Phaedrae, ℣.150.

Non ego dedignor supplex humilisque precari.
Heu, ubi nunc fastus, altaque verba jacent?

Horatius *magnam linguam*, L.4. Od.6.

Dive, quem proles Niobaea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit.

Sed haec alta verba & magnae linguae superbam jactantiam audire Nemesin, hoc est vindictam divinam, ac punire persuasissimum habebant. Ausonius Epist. 24. ℣. 51.

Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se
Inferret mediis vindex Rhamnusia votis;
Arsacidae ut quondam regis non laeta triumphis,
Grandia verba premens ultrix dea Medica belli,
Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
Obstitit: & Grajo jam jam figenda tropaeo,
Ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.

Sed de hoc negotio pulcre & copiose disseruit Lilius Gregorius Gyraldus Histor. Deor. Syntagm. 17.

11. MAGNIFICE MIHI MAGNA LOCUTO] *loquenti* est in libris nonnullis. Voculam *magnifice* hic in vitio poni, bene observavit Jo. Baptista Pius Annot. poster. C. 8. Sic & supra L. 1. Eleg. 5. ℣. 6.

Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quidquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.

Sic Thais Terentiana, de Thrasone amatore suo, Eunuch. Act. 4. Sc. 6. ℣. 3.

Usque adeo ego illius ferre possum ineptias, & magnifica verba,
Verba dum sint: verum enim si ad rem conferentur, vapulabit.

Cornelius Nepos in Vita Attici, C. 13. *Elegans, non magnificus; splendidus, non sumtuosus; omni diligentia munditiem non affluentem affectabat.* Vides *magnificum* dici, in quo est aliquid superfluum, quodque modum excedat. Quocirca virtutem illam, quae versatur in sumtibus magnis pro decoro faciendis, non *magnificentiam*, sed *magnidecentiam* appellavit Franciscus Philelphus L. 2. Convivior. ac saepenumero in Epistolis; voce quidem nova, sed venuste atque eleganter procusa, ad formam videlicet vocis Graecae, quae est μεγαλοπρεπία, a decenti quapiam dignaque magnitudine sic dicta.

12. EXCUTIUNT CLAUSAE FORTIA VERBA FORES] grave verbum est *excutere*, & validae significationis. Cicero orat. pro domo sua C. 28. *Quare illa calamitas, si ita est appellanda, excussit hoc genus totum maledicti, ne quisquam audeat jam reprehendere consulatum meum, tot, tantis, tam ornatis judiciis, testimoniis, auctoritatibus comprobatum.* Pro P. Sulla C. 8. *Quorum cave tu quemquam peregrinum appelles, ne peregrinorum suffragiis obruare. qui si attulerint nervos & industriam, mihi crede, excutient tibi istam verborum jactationem, & te ex somno saepe excitabunt.* Philipp. 2. C. 29. *Plus ille poterat. itaque excussis tuis vocibus, & ad te, & ad praedes tuos, milites misit.* ibidem C. 22. *Consules ex Italia excussos, cumque his Cn. Pompejum, qui imperii populi Romani decus ac lumen fuit: omnes consulares, qui per valitudinem exsequi cladem illam fugamque potuissent: praetores, praetorios, tribunos plebis, magnam partem senatus, omnem sobolem juventutis, unoque verbo rempublicam expulsam atque exterminatam suis sedibus.* Seneca Troad. ℣. 575. nostrum presse secutus:

Magnifica verba mors prope admota excutit.

Maro L. 9. Aen. ℣. 476.

Excussi manibus radii, revolutaque pensa.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 618.

Excussi manibus remi; conversaque frontem
Puppis in obliquam resonos latere accipit ictus.

De foribus clausis res est frequens apud poëtas. Venuste Ovidius, post rejectum scribendae Gigantomachiae consilium, Amor. L. 2. Eleg. 1. ℣. 15.

In manibus nimbos, & cum Jove fulmen habenti,
Quod bene pro caelo mitteret ille suo,
Clausit amica fores. ego cum Jove fulmina misi.
Excidit ingenio Jupiter ipse meo.
Jupiter, ignoscas: nil me tua tela juvabant.
Clausa tuo majus janua fulmen erat.

Deinde, pro *fortia*, erat *grandia* in excerptis Heinsii Italicis. non omnino male. Vide Ausonii versus, productos paullo ante ad ℣. 11.

14. QUUM BENE JURAVI, PES TAMEN IPSE REDIT] Horatius Epod. 11. ℣. 28.

Ubi

At tu, quisque is es, cui triſti fronte Cupido
Imperitat, noſtra ſint tua caſtra domo.
Ferrea non Venerem, ſed praedam ſaecula laudant.
Praeda tamen multis eſt operata malis.
Praeda feras acies acuit crudelibus armis.
Hinc furor, hinc caedes, mors propiorque venit.

Prae-

Ubi haec ſeverus te palam laudaveram,
Juſſus abire domum
Ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi poſtes, & heu,
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.

Haec ſolent fieri, ubi amor pugnat cum ira atque odio, ſed armis haud quaquam paribus. quae miſerrima eſt amantium conditio. Propertius L. 2. Eleg. 19. ℣. 59.

Ultro contemtus rogat, & peccaſſe fatetur
Laeſus, & invitis ipſe redit pedibus.

Secundus noſter L. 2. Eleg. 5.

Inſidum genus, ah, nuper mea cura, puellae,
Mentis pernicies inſidioſa bonae!
Non ego vos poſthac humili prece lentus adibo,
Aſperaque obtutu verba feram tacito.
Laeſus & a vobis, laeſas vos eſſe fatebor,
Et placatrices ipſe feram lacrimas.
Contemtusque ſuperba pedes ad limina cogam
Invitos. pereat, quem juvat iſta pati.

Sed nemo vividius has miſerias animi in amoris ſalo fluctuantis umquam expreſſerit Terentio, illo doctiſſimo vitae humanae pictore, Eunuch. Act. 1. Sc. 1.

16. IMPERITAT] Quidam libri,

Imperat, in noſtra ſint tua caſtra domo.

quod neſcio quomodo adblanditur. Eſt tamen in hoc frequentativo plus aliquid vigoris. Plautus Captiv. Act. 2. Sc. 1. ℣. 47.

Quoniam nobis Di immortales animum oſtenderunt ſuum,
Ut qui herum me tibi fuiſſe, atque eſſe nunc conſervum velint;
Quod antehac pro jure imperitabam meo, nunc te oro per precem.

Pſeudol. Act. 2. Sc. 4. ℣. 12.

Te te te tyranne, te rogo, qui imperitas Pſeudolo.

Horatius L. 1. Sat. 6. ℣. 4.

Nec, quod avus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis legionibus imperitarint.

Id quod de Lucretio expreſſum credi poteſt, L. 3. ℣. 1043.

Inde alii multi reges, rerumque potentes
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.

18. PRAEDA TAMEN MULTIS EST OPERATA MALIS] Douza malebat *eſt adoperta:* quomodo dicitur, *ſceleribus, flagitiis, miſeriis coopertus.* Et noſter alibi, *tenebris Mors adoperta caput.* Sed ratio eſt nonnihil diſpar. Dicit poëta, eum, qui velit ex praeda bellica diteſcere, oportere ut multa inpie faciat atque crudeliter, multa item cupide atque avariter. Hoc vocat *malis operari;* quemadmodum vero ac genuino ſenſu *ſacris operari* dicebant. Heinſius adoleſcens conjecerat *eſt onerata:* quod deinde videtur rejeciſſe.

19. PRAEDA FERAS ACIES CINXIT DISCORDIBUS ARMIS] *acies acuit* erat in Colbertino, & in Thuaneo. Eleganter. *Acuere* eſt incendere iras atque animos in pugnam, ac crudelitatem. Seneca Troad. ℣. 834.

Jam trucis Chiron pueri magiſter,
Tinnulas plectro feriente chordas,
Tunc quoque ingentes acuebat iras
Bella canendo.

Virgilius L. 7. Aen. ℣. 406. de Alecto:

Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumque omnemque domum vertiſſe Latini.

paullo ante, de eadem Furia, ℣. 330.

Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur.

L. 4. Georg. ℣. 435.

Auditisque lupos acuunt balatibus agni.

L. 12. Aen. ℣. 108.

Nec minus interea maternis ſaevus in armis
Aeneas acuit Martem, & ſe ſuſcitat ira.

Papinius L. 2. Theb. ℣. 332. poſt comparationem a tauro victo, ſed jam iterum pugnaturiente, deſumtam:

Non alias tacita juvenis Theumeſius iras
Mente acuit.

Statim ibi marito Argia,

Quos callide motus,
Quamve fugam moliris? ait. nil tranſit amantes.
Sentio: pervigiles acuunt ſuſpiria queſtus.

Vale-

Praeda vago jussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.

Prae-

Valerius Flaccus L. I. ℣. 761.

Sic curae subiere ducem, ferrumne capessat
Inbelle, atque aevi senior gestamina primi:
An patres, regnique acuat mutabile vulgus.

Cicero orat. pro Q. Ligario C. 4. *Quorum igitur impunitas, Caesar, tuae clementiae laus est, eorum ipsorum ad crudelitatem te acuet oratio?* Nepos Phocion. C. 4. *Huc ubi perventum est, cum propter aetatem pedibus jam non valeret, vehiculoque portaretur, magni concursus sunt facti: cum alii, reminiscentes veteris famae, aetatis misererentur; plurimi vero ira exacuerentur, propter proditionis suspicionem Piraeëi.* In partem meliorem posuit Naso L. I. Pontic. Epist. 5. ℣. 57.

Gloria vos acuat: vos ut recitata probentur
Carmina, Pieriis invigilate choris.

& Horatius L. I. Epist. 3. ℣. 23.

Seu linguam caussis acuis, seu civica jura
Respondere paras.

Deinde *crudelibus* habent quinque codices, pro vulgato *discordibus*. Et hoc quoque verum arbitror. Propertius L. 2. Eleg. 12. ℣. 43.

Non ferrum crudele, neque esset bellica navis.

Cicero L. 9. ad Attic. Epist. 6. *Bellum crudele, & exitiosum, suscipi a Pompejo non intelligebam. Melioris mediusfidius civis, & viri putabam, quovis supplicio affici, quam illi crudelitati non solum praeësse, verum etiam interesse.* Diana apud Maronem L. II. Aen. ℣. 535.

Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias.

Silius L. 4. ℣. 12.

Pila novant, ac detersa rubigine saevus
Induitur ferro splendor.

Vide sis nostrum initio Elegiae II. L. I.

20. HINC CRUOR, HINC CAEDES] *caedes* non hic letum significat, sed vulnus, sive plagam, prima sua & simplicissima significatione: id quod arguunt sequentia. Sic supra L. I. Eleg. II. ℣. 3.

Tunc caedes hominum generi, tunc praelia nata,
Tunc brevior dirae mortis aperta via est.

ferro invento, mutua sibi vulnera infligere coeperunt: mox & justis praeliis depugnatum est: atque ita ratio reperta, qua compendio periret humanum genus. Celaeno apud principem poetam L. 3. Aen. ℣. 256.

Sed non ante datam cingetis moenibus urbem,
Quam vos dira fames nostraeque injuria caedis
Ambesas subigat malis absumere mensas.

quae fuerit illa caedes, dictum est paullo ante ℣. 240.

invadunt socii, & nova proelia tentant,
Obscaenas pelagi ferro foedare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt.

Papinius, de Lajo, Eteoclem somno sopitum fata sua edocente, L. 2. Theb. ℣. 123.

ramos ac vellera fronti
Deripuit, confessus avum, dirique nepotis
Incubuit stratis: jugulum mox caede patentem
Nudat, & undanti perfundit vulnere somnum.

inibi tu Barthium vide; & Vossium nostrum Etymol. L. L. in verbo *Caedo*. Est igitur caedes prior cruore, cruor morte. Sed nulla hic poëtae culpa. nam in uno Wittiano, unoque Statii, & binis nostris scriptum est, *Hinc furor, hinc caedes.* de cujus scripturae veritate non est ambigendum.

21. PRAEDA VAGO JUSSIT GEMINARE PERICULA PONTO] Nam & cum hoste res est, & cum elemento saevissimo, & cum exitiali ignium artificio. A *praeda* dicuntur *praedones* tam qui in mari, quam qui in terra latrocinantur. Cicero Agrar. 2. C. 29. *Quid nos Asiae portus, quid Syriae rura, quid omnia transmarina vectigalia juvabunt, tenuissima suspicione praedonum aut hostium injecta?* Act. I. in Verr. C. 5. *maximae tutissimaeque urbes piratis praedonibusque patefactae: nautae militesque Siculorum, socii nostri atque amici fame necati.* Virgilius L. 7. Aen. ℣. 362.

Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret nataeque tuique?
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus alta petens abducta virgine praedo?

L. II. ℣. 484.

Armipotens praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.

Valerius Flaccus L. 8. ℣. 267.

Puppe (nefas) una praedo Phryxea reportat
Vellera: qua libuit remeat cum virgine: nobis
(O pudor!) & muros & stantia tecta reliquit.

Nec semel Cicero *praedonem* & *piratam* conjunxit. Nepos vero Cornelius distinguit epitheto, Themist. C. 2. *primum Corcyraeos fregit,*

Praedator cupit inmenſos obſidere campos,
Ut multo innumeram jugere paſcat ovem.
Quid lapis externus curae eſt? urbique tumultus
Portatur validis mille columna jugis?

Clau-

git, deinde maritimos praedones conſectando mare tutum reddidit.

22. Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus] Scaliger e ſuis excerptis profert,

Quum tribuit dubiae bellica roſtra rati.

atque id putat concinnius. Ignoſcant mihi manes viri maximi: eſt inconcinnius. Hoc autem ut perſpiciamus, animadvertendum eſt ſingulare quoddam Tibulli artificium in componendo pentametro, quod apud alium poëtam reperies neminem. In priore hemiſtichio collocat bina epitheta, quae epitheta dispeſcuntur una vocula media; in poſteriore ſunt bina ſubjecta cum uno verbo regente, itidem medio. Ut L. 1. Eleg. 10. ℣. 4.

Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

ibidem Eleg. 11. ℣. 14.

Haeſura in noſtro tela gerit latere.

L. 2. Eleg. 7. ℣. 16.

Et mea cum muto fata querar cinere.

Elegia proxime ſuperiore, ℣. 16.

Abdita quae ſenis fata canit pedibus.

& ℣. 40.

Troïa qui profugis ſacra vehis ratibus.

Commutemus haec in gratiam eorum, qui polyſyllaba in fine pentametri non ferunt, ut fiat,

Quae pedibus ſenis abdita fata canit.

itemque,

Qui profugis ratibus Troïa ſacra vehis.

Jam ſenties, ni fallor, lepôrem compoſitionis ac venuſtatem concidiſſe, ipſumque carmen factum eſſe tardius atque ignavius. Non admodum dispar ratio eſt, quum in priore tmeſi epitheta continuantur, nulla voce media. Ut L. 1. Eleg. 8. ℣. 16.

Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas.

atque ibidem ℣. 36.

Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

L. 2. Eleg. 4. ℣. 48.

Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

L. 2. Eleg. 7. ℣. 14.

Et madefacta meis ſerta feram lacrimis.

Neſcio ſi hoc ante me alius notaverit: ego certe mihi videor primus obſervaſſe. Sed de vario artificio pentametri in vocem polyſyllabam exeuntis dicam alias cum cura, ſi Deus ſuper otium bonam quoque valetudinem largietur.

23. Praedator cupit inmensos obsistere campos] Plures libri *obſidere* habent. Et ſic olim divinavit Achilles Statius. Maro L. 3. Aen. ℣. 400.

Hic & Naricii poſuerunt moenia Locri:
Et Sallentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Lucretius, de aëre lucido, deque atro, L. 4. ℣. 346.

Qui ſimul atque vias oculorum luce replevit,
Atque patefecit, quas ante obſederat ater:
Continuo rerum ſimulacra adaperta ſequuntur.

Livius L. 31. C. 28. de Philippo rege: *Filium Perſea, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui aetatem ejus regerent, cum parte copiarum ad obſidendas anguſtias, quae ad Pelagoniam ſunt, mittit.* Eſt itaque *obſidere* idem quod inſidere, tenere, poſſidere.

24. Ut multa innumera jugera pascat ove] Ita Statius, & Scaliger, ex ſcriptis. Ita & bini noſtri. Sed alii ſcripti, itemque priſcae editiones habent,

Ut multo innumeram jugere paſcat ovem.

quam ſcripturam, praeter Gebhardum, probabat Voſſius L. 1. dè Analog. C. 44. L. 2. C. 20. & Graevius noſter in Cicer. Accuſ. 3. in Verr. C. 47.

25. Cui lapis externus curae est] *externus lapis*, marmor peregrinum. nam eo maxime inſaniebant homines opulenti: quamvis nec Italia careret marmore. Vide ſis Plinium L. 36. C. 6. Deinde lege, *urbique tumultus.* quod & Statius vidit, & Livinejus. *Cui* quoque mutetur in *Quid:* hoc modo; ut recte praeivit Gebhardus ex Palatinis;

Quid lapis externus curae eſt? urbique tumultus
Portatur validis mille columna jugis?

Sic tamen, ut & altero abhinc verſu ponatur nota interrogandi poſt τὸ *minas.* Omnia haec pendent a verſu 15, *At tu quisquis is es.*

27. Clau-

Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piſcis adeſſe minas?
At tibi laeta trahant Samiae convivia teſtae,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu divitibus video gaudere puellas.
Jam veniant praedae, ſi Venus optat opes:

27. CLAUDIT ET INDOMITUM MOLES MARE] Hoc quale ſit, pulcre exponit Valerius Maximus L. *9*. C. 1. de Sergii Oratae luxu agens: *Idem videlicet, ne gulam Neptuni arbitrio ſubjectam haberet, peculiaria ſibi maria excogitavit, aeſtuariis intercipiendo fluctus, piſciumque diverſos greges ſeparatos molibus includendo; ut nulla tam ſaeva tempeſtas incideret, qua non Oratae menſae varietate ferculorum abundarent.* Praecipue hoc piſcinarum ſtudio flagrabant principes reip. L. Lucullus, Q. Hortenſius, & L. Philippus. Nec pauci alii conſulares. Cicero L. 1. ad Attic. Epiſt. 18. *Ceteros jam noſti: qui ita ſunt ſtulti, ut amiſſa republica piſcinas ſuas fore ſalvas ſperare videantur.* Feſtivo eos vocabulo *piſcinarios* vocat, & *piſcinarum Tritones*, ibidem Epiſt. 1*9*. *Tum autem beatos homines (hos piſcinarios dico, amicos tuos) non obſcure nobis invidere.* Epiſt. 20. *Mihi vero ut invideant piſcinarii noſtri, aut ſcribam ad te alias, aut in congreſſum noſtrum reſervabo.* L. 2. Epiſt. *9*. *Quantum conjectura auguramur, ſi erit nebulo iſte cum his dynaſtis in gratia, non modo de cynico conſulari, ſed ne de iſtis quidem piſcinarum Tritonibus poterit ſe jactare.* Sed de his piſcinis marinis res mirificas videbis, ſi voles, apud Varronem L. 3. de Re Ruſt. C. 17. Nec deſiit damnoſa ſtultitia etiam ſub Principibus. Horatius L. 3. Od. 1. ℣. 33.

Contracta piſces aequora ſentiunt
Jactis in altum molibus. huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae
Faſtidioſus.

& L. 2. Od. 1*5*. initio:

Jam pauca aratro jugera regiae
Moles relinquunt: undique latius
Extenta viſentur Lucrino
Stagna lacu.

Seneca Thyeſt. ℣. 4*59*.

Non claſſibus piſcamur, & retro mare
Jacta fugamus mole.

29. AT TIBI LAETA TRAHANT SAMIAE CONVIVIA TESTAE] Sic & Horatius noſter epulabatur, ſolus quum erat. L. 1. Sat. *6*. ℣. 11*6*.

Coena miniſtratur pueris tribus, & lapis albus
Pocula cum cyatho duo ſuſtinet: adſtat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana ſupellex.

Ex more priſcae frugalitatis. in promtu ſunt exempla. Pro multis Valerium Maximum vide L. 4. C. 3. num. 7. Senecam Epiſt. *95*. *98*. & Plinium L. 33. C. 11. De vaſis fictilibus idem ille Plinius L. 3*5*. C. 12. *Major quoque pars hominum terrenis utitur vaſis. Samia etiamnum in eſculentis laudantur. Retinet hanc nobilitatem & Aretium in Italia: & calicum tantum, Surrentum, Aſta, Pollentia; in Hiſpania Saguntum, in Aſia Pergamum.* Meminit & figlinae Cumanae ibidem: *Nobilitantur iis oppida quoque, ut Rhegium, & Cumae.* Varro περὶ μέθης, Eſt modus matulae: *Dolia, atque apothecas tricliniares, melicas Calenas, obbas, & Cumanos calices.* Quae verba Nonius Marcellus bis laudavit. Martialis L. 14. Epigr. 114.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere teſtam
Municipem miſit caſta Sibylla ſuam.

Scaliger ex ſuis veteribus eclogis hic malebat, *At mihi laeta trahant:* quod non poſſum probare. Hactenus cum illo ſuo Amoris commilitone egit, eique laetam perſuaſit paupertatem. Deinde ad ſe redit, atque eſſe quidem haec veriſſima dicit, ſed prorſus inutilia; quum puellae gaudeant amatoribus nummatis ac prodigis. Proinde ſibi quoque eſſe in animo praedas agere, ut habeat unde dominam rapacem atque avaram exoret, ac tractabilem reddat. Eſt inſignis converſio animi & ira, & odio, & amore trepidantis.

31. DIVITIBUS VIDEO GAUDERE PUELLAS] Hujus rei indicium quaſi quoddam praefert onyx ille apud Gorlaeum, num. 32. in quo eſt Copia, plenum cornu ſiniſtra tenens, dextra gubernaculum. adſtat Cupido parvu-

Ut mea luxuria Nemesis fluat: utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias.

Illi

lus, motitantibus alis, protenso utroque brachiolo, misere eblandiens ut sibi aliquid inpartiri velit.



34. UTQUE PER URBEM INCEDAT DONIS CONSPICIENDA MEIS] Videlicet ut praetereuntes inter sese quaerant,

Cur haec tam dives? quis dedit? unde dedit?

Verbum *incedere* pompam notat ac majestatem. Virgilius L. 1. Aen. ℣. 46.

Ast ego, quae divûm incedo regina, Jovisque
Et soror & conjux.

ibidem ℣. 405.

pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit Dea.

Cicero orat. in L. Pison. C. 11. *Audierat Decios, Magios, & de Taurea illo Jubellio aliquid acceperat: in quibus si moderatio illa, quae in nostris solet esse consulibus, non fuit; at fuit pompa, fuit species, fuit incessus.* &c. Praecipue vero fastum significat muliebrem in ambulando. Virgilius L. 1. Aen. ℣. 497.

Regina ad templum forma pulcerrima Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros.

Propertius L. 2. Eleg. 1. ℣. 5.

Sive illam Cois fulgentem incedere totis.

ibidem Eleg. 2. ℣. 58.

Fulva coma est, longaeque manus: & maxima toto
Corpore: & incedit vel Jove digna soror.

L. 3. Eleg. 11. ℣. 11.

Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrii nostra per ora trahit.

Denique ad fractas illas & teneras eundi delicias refertur, quas & mulieres adfectant, & viri mulieribus non firmiores. Seneca L. 7. Quaest. Nat. C. 31. *Muliebres munditias antecessimus; colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus.* Ingeniosus ille & disertus nequam: *Quo incessus scite compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia?*

36. AURATAS DISPOSUITQUE VIAS] Vestem auro variegatam, virgis aureis inter telas procurrentibus, describit. Maro L. 4. Aen. ℣. 264.

illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat; Tyrioque ardebat murice laena,
Demissa ex humeris: dives quae munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

L. 8. ℣. 660.

Aurea caesaries ollis, atque aurea vestis.
Virgatis lucent sagulis.

inibi Servius: *Quae habebant in virgarum modum deductas vias. Et bene adlusit ad Gallicam linguam, per quam* VIRGA *purpura dicitur.* Vetus Scholiastes Juvenalis ad Sat. 8. ℣. 206. *Credamus tunicae] qua Galli utuntur in sacris, in modum organi utrimque decrescentibus virgulis purpureis.* Et sic Chryxus ille Bojus describitur apud Silium L. 4. ℣. 155.

Colla viri fulvo radiabant lactea torque,
Auro virgatae vestes, manicaeque rigebant
Ex auro, & simili vibrabat crista metallo.

Sunt igitur virgae tam ex auro, quam ex purpura: & ex alio quovis (opinor) colore ardentiore, quam sit contextus reliquae vestis. Valerius Flaccus L. 2. ℣. 159. de mulieribus Thressis:

sed me quoque pulsam
Fama viro: nostrosque toros virgata tenebit
Et plaustro derepta nurus.

Salmasius vestem hic intelligebat reticulato opere contextam, epistola inter Sarravianas 139. & fila aurea reticulatim ac fundatim intexta *vias* a Tibullo dici ait: Virgilium

quo-

Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
  Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi ſelectos certent praebere colores
  Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor: regnum ipſe tenet, quem ſaepe coëgit
  Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

quoque dixiſſe, *tenuique vias discreverat auro.* O memoria, ut es infida cuſtos rerum tibi commiſſarum! Virgilii verba aliter habent: & nos ea modo produximus. Ceterum Valerii quoque Flacci verba aliter accipit, & *virgatam* vult eſſe *pictam*, hoc eſt notis ac ſtigmatis in manibus & mento compunctam; veſtes autem *virgatas* easdem eſſe quas *ſcutulatas*, hoc eſt, rhombis & laterculis varii coloris diviſas & lacunatas; Not. in Vopiſcum, p. 512. ſq. Sic & ante eum Scaliger Conject. in Varronem p. 67. Paria videbis apud M. Velſerum L. 1. Rer. Boicar. p. 8. 9. Sed & Douza noſter ad Propertii codicem familiarem, qui nunc eſt meus, ita notavit, L. 4. Eleg. 11. ℣. 43. *virgatis braccis*] *Sic* virgatam tigrim *vocat Seneca Hippol. item Silius* L. 5. Caucaſeam inſtratus virgato corpore tigrim. *Hactenus Scaliger. Quod ego interpretor, variegatam notis, & quaſi ſtellatam. Virgilius*, Virgatis lucent ſagulis. *id eſt, quae diverſis ac multicoloribus pannis diſtincta ſunt ac variata: cujusmodi in antiquioribus picturis uſurpata fuiſſe priſcis vereque heroicis temporibus videmus.* Haec ille. Nec multum abit Nic. Erythraeus indice Virgil. in *Virgatis ſagulis.* ubi tamen *virgatam* Valerii *nurum* parum ſapienter capit pro ea quae ſit virgis conciſa.

37. Illi sint comites fusci] Enimvero ſcortillum magnificum, quae Aethiopibus eunuchis uteretur. Phaedria Terentianus Eunuch. Act. 1. Sc. 2. ℣. 85.

Nonne, ubi mihi dixti cupere te ex Aethiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus
Quaeſivi? porro eunuchum dixti velle te,
Quia ſolae utuntur his reginae: repperi.
Heri minas viginti pro ambobus dedi.

Bene autem, *quos India torret.* Catullus Carm. 42.

Solus in Lybia Indiave toſta
Caeſio veniam obvius leoni.

(ubi tamen Africam Indiae componi non bene fert Barthius, ad Papin. L. 4. Silv. 3. ℣. 137.) Virgilius L. 4. Geor. ℣. 425.

Jam rapidus torrens ſitientis Sirius Indos
Ardebat.

38. Solis et admotis inficit ignis equis] Ita fere poëtae philoſophantur ſuper fuſco vel nigro Indorum colore. Oſtendimus ad Propert. L. 4. Eleg. 3. ℣. 10. *aquis* habet noſtrorum unus.

40. Africa puniceum, purpureumque Tyros] coccina Africana intelligit, & purpuras Tyrias. Lucretius L. 2. ℣. 830. claris verbis utrumque colorem diſtinxit:

Quin etiam quanto in parteis res quaeque minutas
Diſtrahitur magis, hoc magis eſt, ut cernere poſſis
Evaneſcere paullatim, ſtinguique colorem:
Ut fit, ubi in parvas parteis diſcerpitur aurum,
Purpura, Poeniceusque color clariſſimu' multo,
Filatim quom diſtractus, diſperditur omnis.

itemque Varro lib. 4. de L. L. p. 29. *Purpura, a purpurae maritimae colore. Poenicum, quod a Poeneis primum dicitur adlatum.* Pulcre de puniceo colore, deque purpureo, disputat Salmaſius Exerc. Plin. p. 1331. Proavorum noſtrorum memoria homines docti veſtem coccineam, & purpuream, eamdem eſſe crediderunt. quem errorem merito reprehendit Jo. Brodaeus L. 1. Miſcell. C. 8.

42. Barbara gypsatos ferre catasta pedes] De *cataſta* vide quae viri docti notarunt, Gulielmus Philander ad Vitruv. L. 8. C. 4. Iſaacus Caſaubonus ad Perſ. Sat. 6. ℣. 77. Joſephus Scaliger ad Propert. L. 4. Eleg. 5. ℣. 52. Matthaeus Raderus ad Martial. L. 6. Epigr. 29. Caſpar Barthius ad Papin. L. 2. Silv. 1. ℣. 72. J. F. Gronovius Diatr. Statian. C. 16. De cretatis venalium ſervorum pedibus nos aliquid ex meliorum obſervationibus monuimus ad Propertii locum laudatum.

VII.

FINIRENT multi leto mala. credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore semper ait.

Spes

1. FINIRENT MULTI LETO MALA] Cicero orat. post. reditum in senatu, C. 14. *Quod si mihi aeternam esse aerumnam propositam arbitrarer, morte me ipse potius, quam sempiterno dolore multassem.* Vide quae Aldus Manutius collegit ad ista C. Caesaris verba apud Sallustium Catilin. C. 51: *In luctu atque miseriis, mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse: eam cuncta mortalium mala dissolvere: ultra neque curae, neque gaudio locum esse.* Sic Dido apud poëtam principem L. 4. Aen. ℣. 652.

Dulces exuviae, dum fata Deusque sinebant,
Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.

Recte hic Servius: *Excusat vitae abruptionem: quia dicit Plato magna poena adfici animas eorum, qui vitam ante tempus reliquerunt.* Sed Dido non tam altum sapiebat. Rem ipsam clarius exponit Maro L. 6. ℣. 434. in descriptione inferorum:

Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. quam vellent aethere in alto
Nunc & pauperiem & duros tolerare labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Iterum Servius: *Ideo* MOESTI, *quia, ut diximus supra, secundum Platonem graviter puniuntur eorum animae, qui sibi inferunt mortem.* —— —— *Homerus Achillis umbram introducit loquentem, & dicentem, Libentius se apud superos cuncta adversa tolerare, quam apud inferos imperare.* Platonis locus est in Phaedone, haud longe ab initio, ubi Socrates pulcerrime disputat, nefas esse ex hac vita migrare Deo non jubente. Atque hinc Scipio apud Ciceronem Somn. C. 3. *Quaeso, inquam, pater sanctissime atque optime, quoniam haec est vita, (ut Africanum audio dicere) quid moror in terra? quin hinc ad vos venire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi Deus is, cujus hoc templum est omne, quod conspicis, istis te corporis custodiis liberaverit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera, & stellas vocatis. quae globosae, & rotundae, circos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi, Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis: nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum adsignatum a Deo defugisse videamini.* Quae verba ex Platonis disciplina ac Plotini egregie inlustravit Macrobius L. 1. Comment. C. 13. Sed noster Albius hic sequitur opinionem eorum, qui mortem manu quaesitam non inprobabant. In his praecipui erant Stoicae philosophiae professores. Atque etiam stulti complures, *qui nec cynicos nec stoica dogmata norant.* qualis ille in lapide Romano, apud Apianum & Amantium, p. CXIV.

INFERIS. D. DEAB. Q.
C VIBIVS. ADVLESCENS
INTEMPERATO. AMORE
PERCITVS. PVTILLIAE
SEX. PVELLAE. GRATISS.
QVOD. ALTERI. VLTRO
TRADIT. NON. SVSTI
NENS. CRVENTO. GLA
DIO. SIBIMET. MORTEM
CONSCIVIT. VIX. ANN.
XIX. M. II. D. IX. HORAS
SCIT. NEMO

Plura hujus furoris exempla produximus ad Propert. L. 1. Eleg. 6. ℣. 24. Sunt & alia recentis memoriae, quibus parcendum putamus. Ceterum in isto lapide scribendum videtur lin. 5. PUELLAE. INGRATISS. deinde *tradere* positum est, pro eo quod est *dare*, notissimo amoris verbo. Sic *ultro dare* fuerit id, quod de Sempronia dicit Sallustius Catilin. C. 25. *lubidine sic accensa, ut saepius peteret viros, quam peteretur.* quales mulieres Cicero *procaces* vocat, orat. pro Coelio C. 20.

2. CREDULA VITAM SPES FOVET] Credula

Spes alit agricolas, Spes ſulcis credit aratis
Semina, quae magno foenore reddat ager.
Haec laqueo volucres, haec captat arundine piſces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.

Spes

la eſt & blanda ſperandi pro ſe cuique dulcedo. Ovidius L. 1. Pontic. Epiſt. *6.* ℣. *39.*

Haec Dea quam multos laqueo ſua colla ligantes
Non eſt propoſita paſſa perire nece!
Me quoque conantem gladio finire dolorem
Arcuit, injecta continuitque manu.

Vide elegans incerti poëtae carmen de Spe, L. 1. Catalectorum a magno Scaligero editorum, titulo 18.

2. MELIUS CRAS FORE SEMPER AIT] Theocritus Idyll. 4. ℣. 41.

Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε· τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον.
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει.

vertit Eobanus:

Batte, malis etiam confidere rebus oportet.
Cras meliora dabunt Superi fortaſſe benigni.
Omnibus in rebus vivis ſperare relictum eſt:
Lumine nam vitae functis ſpes nulla medetur.
Nubibus obſcuris nunc Jupiter aëra turbat,
Nunc iterum claro coelum ſplendore ſerenat.

& ante illum Franciſcus Philelphus L. 7. Epiſt. 21.

Fidere, Batte, decet: melius cras forſan habebit.
Sperandum eſt vivis: non eſt ſpes ulla ſepultis.
Nunc pluit, & clarus nunc Jupiter aethere ſurgit.

3. SPES ALIT AGRICOLAS] Cicero Accuſ. 3. in Verr. C. 98. *Dixi jam antea, judices, ut has omnes injurias tollatis, tamen ipſam rationem arandi ſpe magis, & jucunditate quadam, quam fructu atque emolumento teneri. etenim in incertum caſum & eventum certus quotannis labor & certus ſumtus impenditur. annona porro precium niſi in calamitate fructuum non habet. ſi autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, conſequitur vilitas in vendendis: ut aut male vendendum intelligas, ſi bene proceſſit, aut male perceptos fructus, ſi recte licet vendere. Totae autem res ruſticae ejusmodi ſunt, ut eas non ratio, neque labor, ſed res incertiſſimae, venti tempeſtatesque moderentur.*

3. SPES SULCIS CREDIT ARATIS SEMINA] Alibi *ſulcos ſatos* vocavit. Verbo *credendi* apte reſpondet proximum *reddendi* verbum, cum utriusque medio *foenore.* Sic & alii ſcriptores elegantes loqui amant. Varro L. 3. de Re Ruſt. C. 2. *Atque in hac villa qui eſt ornithon, ex eo uno quinque milia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis, ut ſexaginta milia ea pars reddiderit eo anno villae, bis tantum quam tuus fundus ducentum jugerum Reate reddit.* Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 401.

Nec ſemper credenda Ceres fallacibus arvis.

L. 2. Art. Amat. ℣. 513.

Credita nec ſemper ſulci cum foenore reddunt.

Remed. Amor. ℣. 174.

Obrue verſata Cerealia ſemina terra,
Quae tibi cum multo foenore reddat ager.

L. 1. Pontic. Epiſt. 5. ℣. *26.*

At, puto, fructus adeſt juſtiſſima cauſſa laborum:
Et ſata cum multo foenore reddit ager.

ibidem L. 4. Epiſt. 12. ℣. 18.

Haec mihi cauſſa fuit dilati muneris hujus,
Quod meus adjecto foenore reddet ager.

Manilius L. 5. ℣. 270.

At cum per decimam conſurgens horrida partem
Spica feret prae ſe ſqualentis corpus ariſtae,
Arvorum ingenerat ſtudium, rurisque colendi,
Seminaque in foenus ſulcatis credere terris,
Uſuramque ſequi majorem ſorte, receptis
Frugibus innumeris, atque horrea quaerere meſſi:
Quod ſolum decuit mortales noſſe metallum.

Seneca Hippol. ℣. 455.

Seges illa magnum foenus agricolae dabit,
Quaecumque laetis tenera luxuriat ſatis.

Eſt autem *foenoris* vox in his rebus propria: nam urbani rure petiverunt. Pompejus Feſtus: *Fenus* [de diphthongo nunc disputabimus nihil] *appellatur naturalis terrae fetus: ob quam cauſam & nummorum fetus fenus eſt vocatum, & de ea re leges, fenebres.* &c. Vide ſis Gellium L. 16. C. 12. & Voſſium noſtrum Etymol. L. L. in voce *Fenus.*

6. QUUM TENUES HAMOS ABDIDIT ANTE CIBUS] Nihil hic mutandum. Naſo Remed. Amor. ℣. 210.

Vel, quae piſcis edax avido male devoret ore,
Abdere ſupremis aera recurva cibis.

9. SED

Spes etiam valida ſolatur compede vinctum.
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi; ſed negat illa.
Hei mihi, ne vincas, dura puella, Deam.
Parce per inmatura tuae precor oſſa ſororis.
Sic bene ſub tenera parva quieſcat humo.
Illa mihi ſancta eſt; illius dona ſepulcro,
Et madefacta meis ſerta feram lacrimis.

15 Illius

9. SED NEGAT ILLA] Ecce meretriculam Dea pollentiorem. Recte igitur ille apud Caecilium in Dardano:

Nihil ego Spei credo: omneis res ſpiſſas facit.

11. PER INMATURA TUAE PRECOR OSSA SORORIS] Validiſſima obteſtatio. Cicero orat. pro Quintio C. 31. *Obſecravit per fratris ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem & liberos.* Sed exempla ſunt in promtu.

12. SIC BENE SUB TENERA PARVA QUIESCAT HUMO] terram ei levem precatur, & quietem in ſepulcro ac pacem. Commode haec expoſuit Joannes Kirchmannus L. 3. eruditi operis de Funeribus Romanorum, C.9. Nec ſemel legitur in lapidibus priſcis, OSSA TIBI BENE QUIESCANT.

13. ILLA MIHI SANCTA EST] Ita loquebantur de mortuis, quos piorum eſſe ſedem & locum conſecutos arbitrabantur. Cicero Philipp. 14. C. 12. *Actum igitur praeclare vobiscum, fortiſſimi dum vixiſtis, nunc vero etiam ſanctiſſimi milites, quod veſtra virtus nec oblivione eorum, qui nunc ſunt, nec reticentia poſterorum inſepulta eſſe poterit, cum vobis immortale monumentum ſuis paene manibus ſenatus populusque Romanus exſtruxerit.* Agitur ibi de militibus legionis Martiae, in ipſa victoria apud Mutinam caeſis. Turnus apud Maronem L. 12. Aen. ꝟ. 648.

vos o mihi Manes
Eſte boni: quoniam ſuperis averſa voluntas.
Sancta ad vos anima atque iſtius inſcia culpae
Deſcendam, magnorum haud umquam indignus avorum.

& Euander L. 11. ꝟ. 158.

tuque o ſanctiſſima conjunx,
Felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem!

Valerius Flaccus, de Geſandro, Iazygum rege, L. 6. ꝟ. 287.

Inruit, & patrias coeptis ferus advocat umbras:
Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc, animamque parem.

Vide quae ex Trebatio Macrobius notavit L. 3. Saturn. C. 3.

14. MADEFACTA MEIS SERTA FERAM LACRIMIS] Et corollae & lacrimae Manibus gratiſſimae. Ovidius Triſt. L. 3. Eleg. 3. ꝟ. 82.

Tu tamen exſtincto feralia munera ferto;
Deque tuis lacrimis humida ſerta dato.

Pulcre Martialis L. 1. Epigr. 89.

Alcime, quem raptum domino creſcentibus annis
Labicana levi ceſpite velat humus:
Accipe non Phario nutantia pondera ſaxo,
Quae cineri vanus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis umbras,
Quaeque virent lacrimis humida prata meis.

Atque haec pietatis officia etiam ad Chriſtianos transierunt, ſed non ad illos primos ac ſimpliciſſimos. Prudentius Cathemer. Hymn. 10. ꝟ. 177.

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti;
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Expreſſius etiam Sulpicius Severus Dial. 3. C. 22. *Ceterum cum Hieroſolymam inde petiturus ventis curſuum vela commiſeris, negotium tibi noſtri doloris injungo, ut ſi umquam illuſtris illius Ptolemaïdis litus acceſſeris, ſolicitus inquiras, ubi ſit conſepultus noſter ille Pomponius: nec faſtidias viſitare oſſa peregrina. Multas illic lacrimas, tam ex affectu tuo, quam ex noſtris funde viſceribus. Ac, licet inani munere, ſolum ipſum flore purpureo, & ſuave redolentibus ſparge graminibus.* Quae ſuprema verba vir ſanctus ex Marone effinxit, L. 6. Aen. ꝟ. 885.

manibus date lilia plenis:
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis

His

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret uſque ſuum te propter flere clientem.
Illius ut verbis, ſis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant nova ſomnia manes,
Moeſtaque ſopitae ſtet ſoror ante torum.
Qualis ab excelſa praeceps delapſa feneſtra
Venit ad infernos ſanguinolenta lacus.

De-

His ſaltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere.

15. SUPPLEXQUE SEDEBO] Ex ritu ſolenni. ſedebant enim ſupplicantes, & lugentes. Propertius L. 1. Eleg. 15. ℣. 11. de Calypſone:

Multos illa dies incomtis moeſta capillis
Sederat, injuſto multa locuta ſalo.

hic tu Paſſeratium conſule; & Jo. Lud. de la Cerda ad Virgil. L. 9. Aen. ℣. 4. & Jo. Bochium in Pſalm. 136.

17. NON FERET USQUE SUUM TE PROPTER FLERE CLIENTEM] Manes enim credebantur ſupplices ſuos exaudire. Valerius Flaccus L. 6. ℣. 292. de Geſandro, cujus paullo ante facta eſt mentio:

Haec ait, auditurque Erebo: tunc corripit enſem
Turbidus, & Furiis ardens quatit arma paternis.

19. NOVA SOMNIA] ſic melius, quam *mala ſomnia*; etſi hoc habent plures libri. Saepe Latinis *novum* dicitur id, quod cum aliquo terrore animum percellit, aut forma ac modo inviſitato metum incutit atque horrorem. Terentius Adelph. Act. 4. Sc. 7. ℣. 4.

D. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adoleſcentis. M. *ecce autem.* D. *nova, Capitalia.*

idem dulciſſimus poëta Phorm. Act. 2. Sc. 1. ℣. 15.

Pericla, damna, exſilia peregre rediens ſemper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiae.
Communia eſſe haec: fieri poſſe: ut ne quid animo ſit novum.

ibidem Act. 5. Sc. 7. ℣. 79.

Ain' tu? ubi peregre tibi quod libitum fuit feceris,
Neque hujus ſis veritus feminae primariae,
Quin novo modo ei faceres contumelias.

Maro L. 3. Aen. ℣. 591.

Cum ſubito e ſilvis, macie confecta ſuprema,
Ignoti nova forma viri miſerandaque cultu
Procedit, ſupplexque manus ad litora tendit.

Et quaenam nova iſta forma?

dira illuvies, inmiſſaque barba,
Conſertum tegumen ſpinis.

Tum ipſe inibi Aeneas, L. 6. ℣. 104.

non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies, inopinave ſurgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.

L. Septimius L. 3. Ephemer. belli Troj. C. 15. de Achille, Hectorem occiſum conſtrictis pedibus currui adligante: *Dein ubi adſcendit ipſe, Automedonti imperat, daret lora equis. Ita curru concito per campum, qua maxime viſi poterat, pervolat, hoſtem mirandum in modum circumtrahens: genus poenae novum miſerandumque.*

21. QUALIS AB EXCELSA &c.] tales enim manes, quales e vita exceſſerant. neque aliter in ſomnis adparebant, niſi ſervatis fati ſui veſtigiis. inluſtri Maronis loco hoc probabimus, L. 2. ℣. 268.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
Incipit, & dono divûm gratiſſima ſerpit.
In ſomnis, ecce, ante oculos moeſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentis.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillei,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignis!
Squalentem barbam, & concretos ſanguine crinis,
Vulneraque illa gerens, quae circum plurima muros
Accepit patrios. ultro flens ipſe videbar
Compellare virum, & moeſtas expromere voces.

Verſus pulcerrimos imitatus eſt Seneca, expreſſitque non infeliciter, Troad. ℣. 443. Tu confer, qui capis. Apud Ovidium Somnus,

Ju-

Desino, ne dominae luctus renoventur acerbi.
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est foedare loquaces.
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.

Lena

Junone sic jubente, mittit Morphea, qui, Cëycis faciem indutus, uxorem Halcyonem edoceat de suo naufragio, ac morte miserabili, L. 11. Metam. ℣. 650.

Ille volat, nullos strepitus facientibus alis,
Per tenebras: intraque morae breve tempus in urbem
Pervenit Haemoniam: positisque e corpore pennis
In faciem Cëycis abit: formaque sub illa
Luridus, exsangui similis, sine vestibus ullis,
Conjugis ante torum miserae stetit. uda videtur
Barba viri, madidisque gravis fluere unda capillis.
Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso,
Haec ait: Agnoscis Cëyca, miserrima conjux?
An mea mutata est facies nece? respice; nosces:
Inveniesque tuo pro conjuge conjugis umbram.

Talis & Remi umbra, confossa & sanguinolenta, stat ante lectum Faustuli atque Accae, apud eumdem disertissimum vatem L. 5. Fast. ℣. 451. & Lajus apud Papinium L. 2. Theb. ℣. 120. Et sic Medea, in tragoedia cognomine, de Absyrto fratre, ℣. 963.

Cujus umbra dispersis venit
Incerta membris? frater est. poenas petit.
Dabimus.

25. OCULOS LOQUACES] Cicero *argutos* vocavit L. 1. de Legg. C. 9. *Tum* [Natura] *speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur. Et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores: cujus vim Graeci norunt, nomen omnino non habent.* Sic & manum *argutam* dixit, quae verba exprimeret, scaenicorum in morem, L. 3. de Orat. C. 59. Sed poëtae istud maluerunt. Sic *nutus loquaces* apud nostrum sunt L. 1. Eleg. 2. ℣. 21. *digiti cum voce locuti*, L. 3. Eleg. 4. ℣. 41. Pulcre Naso, Amor. L. 2. Eleg. 5. ℣. 15.

Multa supercilio vidi vibrante loquentes.
Nutibus in vestris pars bona vocis erat.
Non oculi tacuere tui, conscriptaque vino
Mensa; nec in digitis litera nulla fuit.
Sermonem agnovi, (quid non videatur amanti?)
Verbaque pro certis jussa valere notis.

Arbiter, de puero Aegyptio:

Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

Poëta vetus nescio quis:

O blandos oculos, & o facetos,
Et quadam propria nota loquaces!
Illic & Venus, & levis Cupido,
Atque ipsa in medio sedet Voluptas.

Pulcerrime Baptista Guarinus, linguae suae inertiam increpans, Sonnetto 45.

Ma se muta se' tu, sien gli occhi nostri
Loquaci, e caldi; e'n lor le sue profonde
Piaghe, e l'interno duol discopra il core.
Non è si chiuso ò si segreto ardore,
Ch'un ciglio a l'altro no'l riveli, ò mostri
Là dove Amor vera eloquenza asconde.

Quae verba hunc ferme sensum habent:

Tu si muta siles, cilia ipsa oculique loquantur:
Hac sua cor laesum vulnera ploret ope.
Haud ullus dolor est, quem non fateantur ocelli.
Illic flexanimae suada latet Veneris.

Neque minus venuste chorus ille in Amynta Tassi, Act. 2. Amorem adfatus:

Tu di legger insegni
A i piu rustici ingegni
Quelle mirabil cose,
Che con lettre amorose
Scrivi di propria man ne gli occhi altrui.

Poëta Gallus sic vertit, satis quidem libere:

Aux plus rudes esprits tu montres aisément
Tout ce que par des traits fidelles
Tu grâves dans les yeux des belles,
Et qu'on ne verroit pas sans ton consentement.

Et nos Latine tentemus:

Tu mirificas, facilesque legi
Etiam ingenio plerumque rudi,
Scripsisse notas lumine gaudes
Blando, & tenerae fronte puellae,
Dextra nimium fatipotente.

Pulcre quoque Petrus Cornelius in Mendace altero, Act. 4. Sc. 1.

La foy semble courir au devant des paroles.
La langue en peu de mots en explique beaucoup;
Les yeux plus eloquents font tout voir tout d'un coup.

Et

Lena necat miserum Phryne, furtimque tabellas
    Occulto portans, itque, reditque sinu.
Saepe, ego quum dominae dulces a limine duro
    Agnosco voces, haec negat esse domi.
Saepe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
    Nuntiat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
    Quisve meam teneat, quot teneatve modis.
Tunc tibi, lena, precor diras. satis anxia vivas:
    Moverit e votis pars quotacumque Deos.

Et dequoy qu'a l'envy tous les deux nous instruisent,
Le cœur en entend plus que tous les deux n'en disent.

Pulcre sane: sed parum decore. Neque enim decet haec mysteria tam perite scire, minus etiam tam secure efferre, virginem ingenuam.

27. LENA VETAT MISERUM PHRYNE] Vere atque eleganter ingeniosissimus ille Fruterius legebat, *Lena necat miserum Phryne*, L. 1. Verisimil. C. 5. Atque ita in excerptis Heinsii Italicis exhibent quatuor libri. Ajunt & Jovianum Pontanum sic legisse. Sed Pocchi & Perreji eclogae habebant, *Lena vetat miserum recipi.* quo modo Propertius L. 2. Eleg. 18. ℣ 48.

Quum recipi, quem non noverit, illa vetat.

At noster non queritur de exclusione, sed de inprobitate aniculae rapacis, quae mille eum modis ductaret, parum aut nihil adferentem. Accedit nominis proprii compellatio invidiosa. neque enim id semper citra contumeliam. Naso Amor. L. 1. Eleg. 8.

Est quaedam, (quicumque volet cognoscere lenam,
Audiat) est quaedam nomine Dipsas anus.

Et in re minus ludicra poëta princeps L. 4. Geor. ℣. 353.

O gemitu non frustra exterrita tanto,
Cyrene soror; ipse tibi tua maxima cura
Tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam
Stat lacrimans, & te crudelem nomine dicit.

Valerius Flaccus L. 8. ℣. 171. in fuga Medeae:

Sic genetrix, similique inplet soror omnia questu
Exululans. famulae pariter clamore supremo
In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant
Nomine.

Vide Servium in L. 4. Geor. ℣. 321. in L. 1. Aen. ℣. 144. in L. 12. ℣. 652. Donatum in Adelph. Act. 5. Sc. 3. ℣. 14. Ceterum *Phryne* est ab ingenio elegantissimi Mureti: nam libri *Phyrne* scribunt, aut *Phirne*: quod nauci non erat.

29. A LIMINE DIRO] scribe *duro* cum melioribus. Sic noster L. 1. Eleg. 1. ℣. 56.

Me retinent vinctum formosae vincla puellae:
Et sedeo duras janitor ante fores.

Ovidius Amor. L. 1. Eleg. 6. ipso fine:

Vos quoque crudeles rigido cum limine postes
Duraque conservae ligna valete fores.

Horatius Epod. 11. ℣. 30.

Ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes, & heu
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.

Seneca Herc. fur. ℣. 165.

Ille superbos aditus regum,
Durasque fores, expers somni,
Colit.

35. SATIS ANXIA VIVAS] Adverbium *satis* hic augendi atque intendendi vim habere, non sine caussa putabat capitale illud Fruterii ingenium L. 3. Verisimil. C. 9. & prolatis exemplis probabat. Sed Nicolaus Heinsius malebat, *fati anxia vivas*: idque Silii auctoritate permotus verum arbitrabatur. Silii verba sunt L. 9. ℣. 349. ad Romam:

Nec libeat tentare Deis, an Troïa proles
Par bellum tolerare queat; tuque anxia fati
Pone precor lacrimas, & adora vulnera, laudes
Perpetuas paritura tibi.

Et ad hanc ferme faciem Domitius moriens, apud Lucanum L. 7. ℣. 611.

Non te funesta scelerum mercede potitum,
Sed dubium fati, Caesar, generoque minorem

Adspiciens, Stygias Magno duce liber ad umbras
Et securus eo.

Sed quum libri nihil mutent, videamus si Fruterii sententiam plurium bonorum scriptorum suffragiis queamus stabilire. Juvat nos Terentius Andr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 104.

Interea haec soror,
Quam dixi, ad flammam adcessit imprudentius,
Satis cum periclo.

Et Phorm. Act. 4. Sc. 3. ℣. 23.

eia, sudabis satis,
Si cum illo incoeptas homine: ea eloquentia est.

Cicero L. 3. de Offic. C. 8. *Satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.* ibidem C. 21. *Quod si haec utilia non sunt, quae maxime videntur, quia plena sunt dedecoris, ac turpitudinis; satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non honestum sit.* Idem ille pater eloquentiae Romanae, orat. pro Balbo C. 8. *Nascitur, judices, caussa Cornelii ex ea lege, quam L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt: qua lege videmus satis esse sanctum, ut cives Romani sint ii, quos Cn. Pompejus de consilii sententia sigillatim civitate donaverit.* Horatius L. 1. Od. 2. initio:

Jam satis terris nivis, atque dirae
Grandinis misit pater.

ibidem Od. 13. ℣. 13.

Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oscula.

& Epod. 17. ℣. 19.

Dedi satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum & institoribus.

Papinius L. 1. Theb. ℣. 146.

Et nondum crasso laquearia fulta metallo,
Montibus aut late Grajis effulta nitebant,
Atria, congestos satis explicitura clientes.

Apulejus L. 2. Metam. *Vesperi quoque, cum somno concederes, & in cubiculum te deduxit comiter, & blande lectulo collocavit, & satis amanter cooperuit: &, osculato tuo capite, quam invita discederet, vultu prodidit.* ibidem: *Quid hoc, inquam, comperior? hiccine mortui solent aufugere? Tace, respondit ille. Nam oppido puer, & satis peregrinus es, meritoque ignoras Thessaliae te consistere.* L. 6. *Tunc illa suspirans altius, coelumque sollicito nutu petens, Vos, inquit, Superi tandem meis supremis periculis opem ferte: & tu Fortuna durior jam saevire desine. Sat tibi miseris istis cruciatibus meis litatum est.* Paullo ante Cerberus ita describitur: *Canis praegrandis trijugo & satis amplo capite praeditus, immanis & formidabilis, tonantibus oblatrans faucibus,* &c. Hinc liquebit, nihil esse mutandum in Macrobio L. 4. Saturn. C. 2. *Horum alterum accusatori necessarium est, alterum reo. Et necesse est initium abruptum habeat; quoniam satis indignanti leniter incipere non convenit.* Joannes Isacius Pontanus rogat, quid sit *satis indignanti*; eoque rejecto obtrudit nobis *satis agenti.* satis pol proterve.

ALBII

ALBII TIBULLI

LIBER TERTIUS.

I.

MARTIS Romani festae venere kalendae.
Exoriens nostris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera, perque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neaera tamen.

Car-

1. MARTIS ROMANI FESTAE VENERE KALENDAE] Has Kalendas non tantum mariti, sed & amantes religiose colebant. Ritum omnem moremque diligenter exposuerunt duo eruditissimi viri, Dionysius Lambinus, & Laevinus Torrentius, ad Horat. L. 3. Od. 8. Neque nihil huc contulerat Bernardinus Cyllenius, homo, ut illorum temporum ratio ferebat, & diligens & doctus. Muretus hic sibi dialogismum poëtae cum Musis invenire est visus: quod tamen non potuit aliis persuadere vir disertissimus. Tale quid in Horatio quaerebat Franc. Robortellus, L. 1. Od. 24. equidem Gratiis omnibus invitissimis.

2. EXORIENS NOSTRIS HINC FUIT ANNUS AVIS] Vide Macrobium L. 1. Saturn. C. 12. Sed res est nota. Vocula *hinc* varie est corrupta in libris scriptis. Quin tamen recte Scaliger ita correxerit, dubitari non debet. Naso L. 3. Fast. ℣. 145.

Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores;
Anna quod hoc coepta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad spatium belli, perfide Poene, tui.

6. NEAERA] Aurelius Prudentius *Neaerae* voce usus est pro pellice, sive concubina, non aliter ac si nomen esset appellativum, ut cum magistris loquar. Sic enim legitur περὶ ϛεφανῶν Hymn. 10. ℣. 240.

Fusos rotantem cernimus Tirynthium.
Cur, si Neaerae non fuit ludibrio?

& L. 1. contra Symmach. ℣. 135.

Hoc circum saltante choro, temulentus adulter
Invenit expositum secreti in litoris acta
Corporis egregii scortum: quod perfidus illic
Liquerat, incesto juvenis satiatus amore.
Hanc jubet adsumtam, fervens post vina, Neaeram
Secum in deliciis fluitantis stare triumfi,
Regalemque decus capitis gestare coronam.
Mox Ariadnaeus stellis caelestibus ignis
Additur: hoc precium noctis persolvit honore
Liber, ut aetherium meretrix inluminet axem.

Ad priorem locum notavit Georgius Fabricius, vir praeclarus, *Neaeram* communi vocabulo dici quamvis mulierem infamem: esse enim convicium proverbiale in lascivas, & petulantes, ac procaces. Iso quoque magister, cujus feruntur Glossae in Prudentium, ita scripsit: *Neaeram*] *pelicem, vel concubinam.* Fuerit sane ita comparatum temporibus illis labentis Latinitatis: at numquam evincent, eadem fuisse notione saeculis prioribus. Est enim *Neaera* nomen proprium, & quidem multo antiquissimum, absque ulla probri aut dedecoris significatione. Quam in rem vide quae ex Laur. Pignorii Epistolis notavit Christoph. Ad. Rupertus ad Thom. Reinesium Epist. 28. p. 138. sq. Homerus L. 12. Odyss. ℣. 133. ubi de armentis & gregibus Solis:

Θεαὶ

Carmine formosae, precio capiuntur avarae.
Gaudeat, ut digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex & canas tondeat ante comas:
Summaque praetexat tenuis fastigia chartae,
Indicet ut nomen litera facta meum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes.
Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per vos auctores hujus mihi carminis oro,
Castaliamque umbram, Pieriosque lacus;

Ite

Θεαὶ δ' ἐπιποιμένες εἰσὶν,
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, Φαέθουσά τε Λαμπετίητε,
Ἃς τέκεν ἠελίῳ ὑπερίωνι δῖα νέαιρα.
Deae autem pastores sunt,
Nymphae pulcricomae, Phaëthusaque Lampetieque,
Quas peperit Soli Hyperioni diva Neaera.

Ipsa quoque uxor Martis, sive *Nerio*, seu *Neriene*, antea *Neaera* fuit dicta, nomine (ut moris erat) post apotheosin mutato. Gellius L. 13. C. 22. *Inibi autem animadvertendum est, quod* [Cn.] *Gellius* Neria *dicit per* a *literam, non* Nerio *neque* Nerienes. *Praeter Plautum etiam, praeterque Gellium, Licinius Imbrex vetus comoediarum scriptor in fabula, quae* Neaera *inscripta est, ita scripsit:*

Nolo ego Neaeram te vocent, sed Nerienem;
Quum quidem Marti es in connubium data.

Inter primarias Lemni mulieres *Neaera* memoratur Valerio Flacco L. 2. ỳ. 141. cujus Neaerae faciem induerat Fama, ab irata Venere missa ut Lemniadas ageret in furorem parricidialem:

Huic Dea cum lacrimis, & notae voce Neaerae,
Secta genas: Utinam non hic tibi nuntia adessem,
O soror: aut nostros, inquit, prius unda dolores
Obruat.

Denique nec recentioris memoriae homines hoc quidquid est nominis pro turpi aut male ominato habuisse, docet nos Joannes Jovianus Pontanus, scriptor luculentae auctoritatis, L. 1. de Fortitud. C. 16. *In Salentinis in vico Castriniano biennio ante puella, cui Neaera nomen erat, dum objicitur in conviciis, quod a Leontio, cui pacta fuerat, spreta ac repudiata esset, nullo dato responso, sese statim dejecit in puteum.*

9. LUTEA SED NIVEUM INVOLVAT MEMBRANA LIBELLUM] Cave haec intelligas de libello formae quadratae; qualibus nos hodie utimur. de volumine agitur convoluto. Cujus rei rationem optime intelliges, si Isaacum Vossium consulueris Observ. ad Catull. p. 51. sqq. De ceteris librorum ornamentis diligenter egerunt viri docti complures, quos recenset doctissimus Barthius Animadv. ad Papin. L. 4. Silv. 9. ỳ. 7. quibus addi debent Turnebus L. 22. Adv. C. 10. & P. Manutius in Cicer. L. 3. ad famil. Epist. 7. Aliena huc adtulerat Cyllenius, respiciens ad sui temporis morem. Nec, *cornua* & *umbilici* quid fuerint, intellexit M. Ant. Sabellicus L. 10. Epist. 3. in *comis* quoque & *pumice* misere haesit interpres Lusitanus.

12. INDICET UT NOMEN LITERA FACTA TUUM] scribe *meum*, quod & libri nonnulli habent, & postulat coepti sermonis ordo. Pro *facta* alii *pacta* maluerunt, idque Festi auctoritate in verbo *Pangere*. Recte quidem illi: sed & *facere literam* Latine dicebant. Plautus Asinar. Act. 4. Sc. 1. ỳ. 22.

Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.

Cicero L. 4. Acad. Quaest. C. 2. *Quod si, cum fungi munere debeamus, non modo operam nostram numquam a populari coetu removemus, sed ne literam quidem ullam facimus, nisi forensem: quis reprehendet nostrum otium,* &c. Ovidius Epist. Oenon. ipso initio:

Perlegis? an conjux prohibet nova? perlege. non est
Ista Mycenaea litera facta manu.

16. CASTALIAMQUE UMBRAM] Erant enim apud fontem Castalium arbores lauri ingentes. Seneca Oedip. ỳ. 218.

Gemina Parnasi nivalis arx trucem sonitum dedit;

Immi-

Ite domum, cultumque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

Sed

Imminens Phoebea laurus tremuit, & movit domum;
Ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
deinde ỳ. 276.
Frondifera sanctae nemora Castaliae petens,
Calcavit arctis obsitum dumis iter.

Has laurus parum proprie *robora* vocavit Papinius L. 1. Theb. ỳ. 565.

Postquam caerulei sinuosa volumina monstri,
Terrigenam Pythona, Deus septem orbibus atris
Amplexum Delphos, squammisque annosa terentem
Robora, Castaliis dum fontibus ore trisulco
Fusus hiat, nigro sitiens alimenta veneno,
Perculit, absumtis numerosa in vulnera telis.

19. 20. SI NOSTRI MUTUA CURA EST, AN MINOR, AN TOTO PECTORE DECIDERIM] Pontanus legebat, in versu minore, *An maneam:* Nic. Heinsius, *Anne amer:* Achilles Statius, *An minor, & toto.* Sed nihil est mutandum. Tres hic sunt gradus in amore: & primum quidem ardor mutuus, ac partes amoris aequae; deinde cura minor & tepidior; denique oblivio secura pristinae flammae. Rem ipsam pulcerrime ob oculos posuit noster Hoofdius in Epistola Menelai ad Helenam, quo loco maritus ille infelix suum quoddam somnium denarrat, vicinae calamitatis praenuntium:

Ik weet niet wat ik zey: maer leyd' u teen alleene
Van 't volk, naer een pryeel van myrthen dicht geblaedt.
Daer was de schaeduw koel: maer koeler uw gelaet.
En wat ik u ook smeekt', oft eere zocht te tooghen;
Die zighbre vonken meer niet dropte gh' uyt uw' ooghen,
Die ghy my snerken deedt wel eer in 's harten bloedt,
Gelyk een toorts, in 't nat, gegloeyde droppen, doet.
Ik vraeghd', op 't vriendelykst, van waer deez' vreemdigheden,
En oft u Paris vryd'. Hier hebt ghy my beleden,
(Zoo veel vertroud' ghy noch) hoe 't met my was gedaen;
En Paris meester 's harts, door 't staedigh ommegaen.
Ik reedde toe, hier op u wederom te vraeghen,
Hoe ver de liefd dan ging, die ghy my noch mogt draeghen.
Want dit vertrouwen kon niet zonder liefdè zyn.

Frustra huc adspiret frigidus aliquis Celticae teneritudinis simiolus; quales, tamquam fungi in pluvia, uberrimo proventu quotidie nobis enascuntur.

20. AN TOTO PECTORE DECIDERIM] Mirifica est opulentia sermonis Romani: ad quem comparatas linguas hodiernas merito pudere debet suarum angustiarum. Id evictum dabimus hujus unius locutionis consideratione: quam locutionem variis modis & vario verborum ornatu extulerunt elegantissimi scriptores. Jungemus autem, ut poterimus, vicinis vicina. *Excidere* Cicero dixit L. 5. ad famil. Epist. 13. *Quae cogitatio cum mihi non omnino excidisset, (etenim penitus insederat) vi tamen tempestatum & concursu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa.* Maro L. 1. Aen. ỳ. 25.

Necdum etiam caussae irarum saevique dolores
Exciderant animo.

Naso Epist. Phyllid. ỳ. 105.

Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.
Hei mihi! si, quae sim Phyllis, & unde, rogas.

& L. 1. Trist. Eleg. 4. ỳ. 14.

Quam subeant animo meritorum oblivia nostro:
Et longa pietas excidat ista die.

Seneca Med. ỳ. 561.

Discessit, itan' est? vadis oblitus mei,
Et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
Numquam excidemus.

Descendere, Ciceronis est Somn. Scipionis C. 1. *Cujus ego nomine ipso recreor: ita numquam ex animo meo descendit optimi atque invictissimi viri memoria. Effluere*, ejusdem divini viri, Accus. 4. in Verr. C. 26. *Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti, genera ipsa cupio breviter attingere: ut hic modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat.* L. 1. de Finib. C. 12. *Ad ea cum accedit, ut* na-

Sed primum meritam longa donate salute,
Atque haec submisso dicite verba sono:

Haec

neque divinum numen horreat, nec praeteritas voluptates effluere patiatur, earumque assidua recordatione laetetur: quid est, quod huc possit, quod melius sit, accedere? L. 7. ad famil. Epist. 14. *Sin nostri oblitus es, dabo operam ut istuc veniam ante, quam plane ex animo tuo effluo.* Parissime Catullus Carm. 62. ℣. 18.

Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo.

Huic verbo compar est *defluendi* verbum, itemque *perfluendi*. Illo Propertius utitur L. 1. Eleg. 20.

Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.

Hoc vero Lucretius L. 3. ℣. 952.

Nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque,
Et non omnia pertusum congesta quasi in vas
Commoda perfluxere, atque ingrata interiere:
Cur non, ut plenus vitae conviva, recedis?

Hoc ipsum *labi* vocavit Maro Ecl. 1. ℣. 64.

Ante, pererratis amborum finibus exsul,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Et activo significatu *abolere* dixit L. 1. Aen. ℣. 720.

At memor ille
Matris Acidaliae, paullatim abolere Sichaeum
Incipit, & vivo tentat praevertere amore.
Jam pridem resides animos desuetaque corda.

Terentius *delere* dixerat, Eunuch. Act. 2. Sc. 3. ℣. 4.

O faciem pulcram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Taedet cotidianarum harum formarum.

Hinc ab effectu *mutari* extulit Propertius L. 1. Eleg. 15. ℣. 31.

Muta prius vasto labantur flumina ponto,
Annus & inversas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura.

Valerius autem Cato *emigrare*, Dir. ℣. 101.

Dulcia amara prius fient, & mollia dura;
Candida nigra oculi cernent, & dextera laeva;
Quam tua de nostris emigret cura medullis.

Esto hoc specimen leve (nam nullo negotio altera tanta addantur) copiae atque ubertatis Latinae, in gratiam cum primis juventutis nostrae, quae tam sollicite jubetur desudare in addiscendo Gallicismo, omnibus Romanae Suadae deliciis tamquam purgamentis profanae paedagogorum plebi relictis.

21. SED PRIMUM MERITAM LONGA DONATE SALUTE] Ita haec rectissime constituit Scaliger, pro eo quod vulgo erat *Nympham larga donate salute.* quem quum carpit Robertus Titius, (L. 6. Loc. Contr. C. 16.) ejusque fidem elevat; id fecit, quod & hodierni Titii facere solent, hoc est, mendacio adspersit famam alienam. Deinde in Adsertionibus multa argutatur pro voce *Nympham*, quae vix emas titivillitio. Mirum, non ad Festi Pompeji verba provocasse in voce *Nuptam.* unde tamen confici non potest, amicas aut dominas dici *Nymphas* solere. Nec quidquam eum juvat Nasonis locus, Epist. Penelop. ℣. 27.

Grata ferunt Nymphae pro salvis dona maritis.

Est enim *nuptae* illic legendum, quum constet Ovidium *Nymphas* non semel discrevisse a puellis ac mulieribus hominum mortalium filiabus. Ecce Epist. Oenon. ℣. 10.

Nondum tantus eras, cum te contenta marito
Edita de magno flumine Nympha fui.
Qui nunc Priamides, (adsit reverentia vero)
Servus eras. servo nubere Nympha tuli.

Epist. Parid. ℣. 93.

Utque ego te cupio, sic me cupiere puellae.
Multarum votum sola tenere potes.
Nec tantum regum natae petiere ducumque:
Sed Nymphis etiam curaque amorque fui.

Amor. L. 2. Eleg. 17. ℣. 15.

Creditur & Nymphe mortalis amore Calypso
Capta reluctantem detinuisse virum.

L. 3. Metam. ℣. 353. de Narcisso:

Multi illum juvenes, multae petiere puellae.
Sed fuit in tenera tam dira superbia forma;
Nulli illum juvenes, nullae tetigere puellae.
Adspicit hunc, trepidos agitantem in retia cervos,
Vocalis Nymphe; quae nec reticere loquenti,
Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo.
Corpus adhuc Echo, non vox erat.

Quae addit Titius contra *longam salutem*, pro *salute larga*, plena sunt jejunae macritudinis, nec digna quae inspiciantur.

23. HAEC

Haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,
Mittit, &, accipias munera parva, rogat.

25 Te-

23. HAEC TIBI VIR QUONDAM, NUNC FRATER] τὸ *quondam* futuri temporis notionem hic habere notat Lipsius L. 2. Var. Lect. C. 1. atque eum secutus Achilles Statius. Quo admisso, non est difficile sensum hunc constituere, Ut, qui nunc sit amator, (frater) hac spe sustentetur, fore se aliquando virum Neaerae: sive autem id fiat, sive sibi Neaera soror (amica) tantum sit futura, semper eam animo suo fore carissimam: spem vero conjugii numquam, nisi cum vita simul, depositurum. Sed Vincentius Contarenus, vir eruditissimus, non patitur *castam* dici, quae cum quopiam habeat stupri consuetudinem; itaque Neaerae hic non tribui moechum, aut concubinum, sed amatorem castum atque integrum, qui nihil obscaenum spectaret, aut cuperet. *Quondam* vero capit de tempore elapso. Esse igitur horum versuum hanc sententiam: Accipies ab eo hoc munusculum, Neaera, qui a te quondam lactatus, & verbis adductus tuis, speravit fore, ut conjugio & amplexu tuo frueretur, atque ob eam caussam te amavit ut vir: nunc autem, quum alterius esse vis, tuerique ut par est pudorem tuum, non abjicit ille quidem conjugii spem, sed eo te interea amore prosequitur, quo frater sororem solet. Haec vir ille egregius lib. Var. Lect. C. 23. Quae tamen vix probabilia videbuntur iis, qui *sororis* ac *fratris* nomina apud poëtas passim inter nequitiae vocabula poni norunt. Sed sciant illi, & pudicos adfectus his ipsis nominibus exprimi a scriptoribus probatis. Quintilianus Declam. 321. *Sine dubio, etiamsi certa utriusque nominis fides esset, neminem vestrûm praeteriret, quantum praeferri fratrem amico oporteret. Nam quae potest amicitia esse tam felix, quae imitetur fraternitatem? Certe quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen potest, quam ut fratres vocemus. Adeo inane etiam nomen, & umbra quaedam naturae, videtur simile amicitiae nomen imponere.* Apulejus L. 8. Metam. *Sed Thrasyllus nimium nimiumque clamare, plangere: & quas in primo moerore lacrimas non habebat, jam scilicet crescente gaudio reddere, & multis caritatis nominibus veritatem ipsam fallere. Illum amicum, coaetaneum, contubernalem, fratrem denique, addito nomine lugubri, ciere.* His certe officiis apud plebem grassabantur homines ambitiosi, unumquemque adprehensa dextra praenomine compellantes, adjecta *fratris* aut *patris* dulci adpellatione, pro varia ratione aetatis. Horatius L. 1. Epist. 6. ℣. 50.

Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cuilibet hic fasces dabit; eripietque curule,
Cui volet, inportunus ebur. Frater, Pater, adde,
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.

Juvenalis Sat. V. ℣. 135.

Da Trebio. pone ad Trebium. Vis, frater, ab ipsis
Ilibus? o nummi! vobis hunc praestat honorem:
Vos estis fratres.

Ridet has delicatulorum blanditias Martialis L. 10. Epigr. 65. Et tamen longo post illum tempore in crebro usu fuerunt, etiam apud viros gravissimos, & maximis honoribus perfunctos, ut videre licet in Epistolis Q. Aurelii Symmachi. Minucium Felicem, sanctissimum scriptorem, Caecilius *fratrem* vocat, ethnicus Christianum, haud longe a limine aurei Dialogi. Par fuit ratio in voce *sororis*. Plautus Curcul. Act. 1. Sc. 1. ℣. 51.

PA. *Jamne ea fert jugum?*
PH. *Tam a me pudica est, quasi soror mea sit: nisi*
Si est osculando quippiam impudicior.

Maro L. 11. Aen. ℣. 820.

Tum sic exspirans Accam ex aequalibus unam
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.

Sic Venus, in venatricem Tyriam dissimulata, L. 1. Aen. ℣. 322.

Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum.

Atque hoc tam sancto nomine incestum amorem velare quaerit Phaedra apud Senecam Hippol. ℣. 611.

H. *Committe curas auribus, mater, meis.*
P. *Matris superbum est nomen, & nimium potens.*
Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca.

28. PAL-

Teque suis jurat caram magis esse medullis:
Sive sibi conjunx, sive futura soror.
Sed potius conjunx. hujus spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

28. PALLIDA DITIS AQUA] livida, lurida, obscaeno limo turpis. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 320.

Aeneas (miratus enim motusque tumultu)
Dic, ait, o virgo, quid volt concursus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt,

Noster infra Eleg. 5. ℣. 21.

Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.

Pertinet haec vox ad quasvis res inferorum. Ennius Andromacha:

Acherusia templa alta Orci pallida,
Leti obnubila obsita tenebris loca.

Virgilius L. 3. Geor. ℣. 551.

Saevit, & in lucem Stygiis emissa tenebris
Pallida Tisiphone morbos agit ante metumque.

L. 4. Aen. ℣. 26.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentis umbras Erebi noctemque profundam.

L. 6. Aen. ℣. 275.

Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci
Luctus & ultrices posuere cubilia Curae:
Pallentesque habitant Morbi, tristisque Senectus.

Seneca Oedip. ℣. 583.

Subito dehiscit terra, & immenso sinu
Laxata patuit. ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras: ipse torpentes lacus,
Noctemque veram.

Lucanus, ad Druidas, L. 1. Pharsal. ℣. 454.

vobis auctoribus, umbrae
Non tacitas Erebi sedes, Ditisque profundi
Pallida regna petunt: &c.

Papinius, verbis Mavortis, L. 3. Theb. ℣. 303.

Prius in patrui Deus infera mergar
Stagna, & pallentes agar exarmatus ad umbras.

II.

QUI primus caram juveni, carumque puellae
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere & erepta conjuge qui potuit.

Non

1. QUI PRIMUM CARAM JUVENI] scribe *Qui primus*, auctoribus libris. Noster L. 1. Eleg. 11.

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?

ibid. Eleg. 4. ℣. 53.

At tibi, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

Ovidius Amor. L. 2. Eleg. 3. ℣. 3.

Qui primus pueris genitalia membra recîdit;
Vulnera, quae fecit, debuit ipse pati.

Jacobus Sannazarius, par antiquis poëta, L. 1. Eleg. 9.

Qui primus patrios potuit liquisse Penates,
Et maris, & longae taedia ferre viae; &c.

4. VIVERE ET EREPTA CONJUGE QUI POTUIT] Non quod Neaera ei fuerit matrimonio juncta, sed quod esset pacta & sperata. Maro Ecl. 8. ℣. 18.

Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum;
Conjugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, & Divos (quamquam nil testibus illis
Profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.

inibi Servius: CONJUGIS *autem, non quae erat, sed quae fore sperabatur. Sic in quarto Aeneidos,*

Quos ego sum toties jam dedignata maritos.

Pari

Non ego firmus in hoc; non haec patientia nostro
Ingenio. frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitaeque fateri
Tot mala perpessae taedia nata meae.
Ergo quum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget,

Ante

Pari sensu Ovidius Epist. Hermionae ℣. 86.

Nec quondam placuit, nec nunc placuisset Achilli,
Abducta viduum conjuge flere virum.

Etiam *conjugis* vocabulum honeste ponitur in re minus honesta. Maro L. 7. Aen. ℣. 189.

Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine conjux,
Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.

Non enim Circe Pici regis uxor fuit, sed Canens. Sic & Valerius Flaccus de Venere, L. 2. ℣. 208.

Adcelerat Pavor, & Geticis Discordia demens
E stabulis, atraeque genis pallentibus Irae,
Et Dolus, & Rabies, & Leti major imago
Visa, truces exserta manus; ut prima vocatu
Intonuit, signumque dedit Mavortia conjunx.

Naso Remed. Amor. ℣. 666.

Forte aderam juveni: dominam lectica tenebat:
Horrebant saevis omnia verba minis.
Jamque vadaturus, Lectica prodeat, inquit.
Prodierat: visa conjuge mutus erat.

Sed ad Albium nostrum redeamus. Dicit illi robur & aes triplex esse circa pectus, qui vitam protrahere possit erepta sibi conjuge destinata. Quid, si mulier mutet mentem non nolens, tralato in alium amore? an & tunc moriendum misero illi, spreto, atque rejecto? Quid, si stupro alieno polluta fidem fallat? Cum Tibullo faciebat vir consularis, Lepidi triumviri pater, de quo Plinius L. 7. C. 36. *M. Lepidus Apulejae uxoris caritate post repudium obiit.* & C. 53. *Cum ante non multo M. Lepidus nobilissimae stirpis, quem divortii anxietate diximus mortuum, flammae vi e rogo ejectus, recondi propter ardorem non potuisset, juxta sarmentis aliis nudus crematus est.* Sed Plutarchus in Vita Pompeji p. 627. edit. Francof. Italia ejectum profugisse dicit in Sardiniam, atque ibi morbo correptum exspirasse, fractum animo, non ob res perditas, sed quod esset nactus epistolium, ex quo stuprum uxoris comperisset. Haec paullulum abeunt a Plinianis, ostenduntque M. Lepidum dolore potius atque indignatione animi perisse, quam amoris inpatientia, aut uxoris caritate.

5. NON HAEC PATIENTIA NOSTRO INGENIO] Quod si haec a Joviano sunt Pontano, (ut Pocchus & Perrejus notarunt) laudo viri perspicaciam: nam quae nunc in libris habemus, non accedunt ad hanc munditiam. Malo tamen credere, esse ab ipsomet Albio nostro. *Patientia* est rerum durarum ac difficilium atque asperarum voluntaria perpessio. Caesar L. 6. Bell. Gall. C. 24. de Volcis: *Nunc in eadem inopia, egestate, patientia, qua Germani, permanent, eodem victu & cultu corporis utuntur.* Cicero L. 1. de Offic. C. 34. *Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque & animi & corporis, ut eorum & in bellicis & civilibus officiis vigeat industria.* Hinc Telemachus Horatio dicitur *proles patientis Ulixei*, L. 1. Epist. 7. ℣. 40. quem Ulixem alibi *laboriosum* vocavit. Hinc *patiens* Lacedaemon, L. 1. Od. 7. ℣. 10. Pulcre Nepos Cornelius Agesil. C. 7. *Nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor majorum suorum, fuerat usus. quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat: contra, plurima patientiae atque abstinentiae.* Sed noster de patientia animi loquitur: id quod & Tullius fecit.

7. HAEC MIHI VERBA LOQUI PUDOR EST] lege, auctoribus libris, *Nec mihi vera loqui pudor est.* Saepe τὸ *vera* corruptum fuit in *verba.* Vide notata nobis ad Propert. L. 1. Eleg. 8. ℣. 22. Deinde pro *taedia nota*, quod e suo codice Scaliger depromsit, alii quasi triginta habent *taedia nata.* Id quod Muretus verum putabat, hoc sensu: Non est mihi pudor vera loqui, ac fateri, natum esse in animo meo vivendi taedium, ex quo tot perpessus sum mala. Laudo, & sequor.

9. ERGO EGO QUUM TENUEM FUERO MUTA-

Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum moesta Neaera rogum.
Sed veniat carae matris comitata dolore.
Moereat haec genero, moereat illa viro.
Praefatae ante meos manes, animamque precatae,
Perfusaeque pias ante liquore manus:
Pars quae sola mei superabit corporis, ossa
Incinctae nigra candida veste legant.

Et

TATUS IN UMBRAM] Tum demum *umbra* dicebatur, quum corpus igne esset consumtum. Itaque *mutari in umbram* non est idem quod *verti in ossa*, ut quidam voluerunt. Habemus enim hac eadem Elegia, disertis verbis,

Pars quae sola mei superabit corporis, ossa.

Ceterum istud *ego* abest a libris potioribus; nec agnoscunt editiones primae. Et videtur sane delendum, propter dactylorum intempestivam celeritatem in re lugubri. Illa quae sequuntur, pulcre ostendunt totum ordinem ossilegii Romani. Quorum singula diligenter inlustravit Joannes Kirchmannus L. 3. de Funerib. C. 6. Cui tu Homerum junge L. 23. Iliad. ℣. 234.

12. ET FLEAT ANTE MEUM MOESTA NEAERA ROGUM] lacrimis & fletu carorum gaudere credebantur umbrae: hic enim summus honos Acheronte sub imo est. Vide sis Homerum L. 23. Iliad. ℣. 9 222. 252. L. 18. ℣. 339. Odysseae L. 4. ℣. 195. L. 24. ℣. 189. Desiderium Heraldum ad Arnob. L. 5. p. 305. & L. 1. Adverf. C. 9. Janum Casperium Gevartium L. 2. Lect. Papin. C. 17. Et nos hic illic adtulimus non nihil.

14. MOEREAT HAEC GENERO, MOEREAT ILLA VIRO] Pari forma loquendi Cicero utitur L. 5. ad famil. Epist. 16. *Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione moeres, non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto.* Est autem utrobique ellipsis praepositionis *ex*. Vide nostrum Vossium lib. de Construct. C. 47. *Gener* hic dicitur, & *vir*, non qui re ipsa sit, sed qui esse vult spe atque animo. Sic Maro, de Hippodamia, ejusque procis, Catalect. Carm. 10.

Saepe animam generi pro qua pater inpius hausit,
Saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus.

15. PRAEFATAE ANTE MEOS MANES, ANIMAMQUE ROGATAE] sic habent plurimi scripti, & veteres editiones. Scaliger autem istud *animamque* connectebat cum *Praefatae*; deinde legebat, *rigatae Perfusaeque pias ante liquore manus.* Joannes vero Isacius, qui Pontanus vulgo audit, nihil abibat a vulgatis, certus *animamque rogatae* non aliter accipiendum quam illud Maronis *animamque vocabant:* extulisse enim Tibullum *animamque rogatae* ἀρχαϊκῶς patiendi potius quam agendi verbo. deinde *rogare* & *vocare* quum sint cognata, clarissime liquere putat, productis *rogandi* verbi exemplis aliquot, *Praefatae ante meos manes, animamque rogatae*, idem valere ac si dixisset, *ubi manes meos praefatae eritis atque animam rogaveritis*, id est, *vocaveritis.* Sic ferme ille Not. ad Macrob. L. 5. Saturn. C. 7. Est utrobique quod rejicias: nam *rogatae* ut dixerit poëta pro eo quod est *rogantes*, vix patitur hujus verbi usus. Nec *rigatae perfusaeque* satis placet, propter pleonasmum parum suavem. Itaque cum libris quibusdam veteribus *animamque precatae* legendum potius videtur. Et sic olim correxit Nic. Heinsius Not. ad Ovid. L. 6. Fast. ℣. 303. Juvat nos marmor antiquum in magno Inscriptionum opere, DCCLXXXVI. 5.

ANIMAE. SANCTAE. COLENDAE
D. M. S.
FVRIA. SPES. L. SEMPRONIO. FIRMO
CONIVGI. CARISSIMO. &C.

Vide sis nostrum Albium L. 2. Eleg. 7. ℣. 13.

18. OSSA INCINCTAE NIGRA CANDIDA VESTE LEGANT] Observa hic vestem mulierum nigram in luctu; qualis & gentibus aliis usitata. Ovidius L. 8. Metam. ℣. 448.

Dona Deûm templis nato victore ferebat,
Cum videt exstinctos fratres Althaea referri.
Quae plangore dato, moestis ululatibus urbem
Implet: & auratis mutavit vestibus atras.

Servius ad L. 3. Aen. ℣. 64. *Caeruleis vittis*]

Cat

Et primum annoso spargant collecta Lyaeo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post haec carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Illuc

Cato ait, deposita veste purpurea, feminas usas caerulea cum lugerent. Sane caeruleum *nigrum accipiebant.* Tamen alii Romanas mulieres albis semper vestibus usas in luctu fuisse contendunt. Atque id probant Plutarchi auctoritate, praeclari sane scriptoris, nec lubrica fide. Sed illi confuderunt temporum rationes, neque animadverterunt stante republica in nigris vestibus mulieres luxisse, more illo prisco ac severo; deinde autem sub imperatoribus, luxu jam praevalido, colorem album adeo eviluisse, ut eum induere luctus nota fuerit apud matronas. Haec nos docuerunt duo insignes viri, Hieronymus Magius L. 3. Miscell. C. 14. ac Justus Lipsius Excurs. in Tacit. L. 2. Annal. lit. M. quae quin verissima sint, nemo dubitabit. Est tamen cur arbitremur, pristinum suum atris vestibus honorem postilla rediisse. Certe huc nos ducit vir sanctissimus L. Lactantius aurei libelli de mortibus persecutorum capite 39. ubi de Maximino: *Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, cum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto.*

21. CARBASEIS HUMOREM TOLLERE VENTIS] Quid si *velis?* quo modo olim editum fuit. Ita certe loqui scimus Ciceronem Accus. 5. in Verrem C. 12. *In ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto sinus ad urbem ab litore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocabat.* ibidem C. 31. *Tabernacula, quemadmodum consuerat temporibus aestivis, carbaseis intenta velis collocari jussit in litore.* Tamen, quin potior pars librorum *ventis* habeat, negari nequit. Sint igitur *venti carbasei* (siquidem *ventos* hic volunt) non ventilatio carbasi agitatae; id quod Cyllenius atque etiam Scaliger statuerunt, & post illos Kirchmannus; sed vestis ex carbaso fili multo tenuissimi, qua veste ossa diligenter detersa exuerent collectum e lacte & vino humorem. Plinius L. 19. C. 1. *Hispania citerior habet splendorem lini praecipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem. Et tenuitas mira, ibi primum carbasis repertis.* Ideo fluviorum numina veste tam preciosa amiciunt poëtae. Maro L. 8. Aen. ℣. 31.

Huic Deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondis
Visus. eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crinis umbrosa tegebat arundo.

Propter hanc summam subtilitatem, vestes tenuissimas *ventos* dici *textiles*, itemque *nebulas lineas*, observavit ex Arbitro Turnebus L. 1. Adv. C. 15. Sane Publii versus sunt apud argutum hunc nugatorem:

Aequum est, induere nuptam ventum textilem?
Palam prostare nudam nebula linea?

quos versus alii, Turnebum secuti, hujus ipsius Albiani loci auctoritate inlustrare voluerunt. In quo illos fefellit ratio. Publius enim non queritur de mollitie telae vestium muliebrium; sed ait eas ita perlucere, ut matrona in iis non minus nuda adpareret, quam si vento aut nebula aëria esset amicta. Videlicet idem dicere voluit, quod Seneca L. 1. de Benef. C. 9. *Rusticus, inurbanus, ac mali moris, & inter matronas abominanda conditio est, si quis conjugem in sella prostare vetuit, & vulgo admissis inspectoribus vehi undique perspicuam.* & Epist. 90. *Quid, si contigisset illi videre has nostri temporis telas, quibus vestis nihil celatura conficitur, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est?* De tali vero amictu noster ne cogitavit quidem. Praeterea felix illa Publii tralationum audacia ut in Mimis non potest esse non amabilis, ipsa sua acerbitate: ita extra scaenam in sermone serio mire frigebit; non minus quam *vitreae* Varronis *togae*, quae intra Satirae fines belle exagitantur, parum autem decenter in foro. Itaque *vela* hic carbasea malo, quam *ventos* carbaseos, nihil veritus librarios contra me facientes, contraque morem ac rationem Latini sermonis.

22. IN MARMOREA PONERE SICCA DOMO] In sepulcro ex marmore exstructo. talia enim fuerunt paullo honoratiorum. Exempla habet Kirchmannus L. 3. de Funerib. C. 17. quibus plura etiam adjici possunt. *Domos* au-

Illuc quas mittit pinguis Panchaïa merces,
Eoique Arabes, dives & Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.

Sed

tem vocabant ipsa monumenta, ut pulcre post Achillem observavit Janus Rutgersius, vir laudatissimus, Venus. Lect. C. 2. Saepe ita lapides literati in Thesauro Gruteriano, sed fere cum aliquo adjuncto aeternitatem notante. Sic p. DCCLX. 5.

AVR. AGRIPPINVS. ET
AVR. VICTORINA
COMPAR. EIVS. DE PATRIMONIO
SVO. DOMVM. AETER
V. S. P

p. DCCXC. 5.

DOMVM. AETERNAM
IVLIA. AGAPE
POSVIT
OBSEQVENTI. MARITO
SEX. IVL. ANTONIANO
ET
IVLIAE. FELICISS
FRATRIB. PIENTISS

p. DCCCCIII. 6.

AVIDIA. MAXIMINA
DOMVM. AETERN. V. S. P
SI. QVIS. ALIVD. CORPVS
SVPERPOS. DET. FISCO. P
CCC. M. N.

p. DCCCCXIII. 6.

D. M.
LVCIVS. GRATIVS. EVHTICHES
DOMVM. AETERNAM. SIBI
VIVVS. CVRAVIT. NE. HEREDEM
ROGARET

Sic Gracilis maritus Probinae conjugi, apud P. Pithoeum L. 3. Epigr. vett. sect. 4.

Perpetuas sine fine domos Mors incolit atra,
Aeternosque levis possidet Umbra lares.

Plura alibi reperire licet. Pulcra est inscriptio, quam Achilles huc adduxit. eam invenies apud Gruterum p. DLXXXV. 10. Sic & p. MXXXIV. 3.

AETERNAM. TIBI. SEDEM. HERMES. ARAMQVE.
DICAVI.

23. DIVES PANCHAÏA] *ditem* etiam Naso vocat, additque quarum rerum opulentia abundet, L. 10. Metam. ℣. 307.

sit dives amomo,
Cinnamaque, costumque suum, sudataque ligno
Tura ferat, floresque alios Panchaïa tellus;
Dum ferat & myrrham. tanti nova non fuit arbos.

Sed hic statim sequitur *dives Assyria*; quae repetitio ejusdem vocis, citra ullam vel energiam vel concinnitatem, indigna est nitore Albiano. Atque ideo, opinor, totum distichon pro spurio ejiciebat Guyetus, ferro ille atque igne rem gerere adsuetus. Nos mitiorem medicinam adhibebimus ulceri non plane desperato. Legitur in sex libris, *pinguis & Assyria.* quae scriptura quamquam ferri potest, tamen non est omnino sana. Habebit autem optime, si τὸ *pinguis* cum Panchaïa jungatur, τὸ *dives* cum Assyria. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 139.

Totaque turiferis Panchaïa pinguis arenis.

Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 285.

Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit:
Et nunc obducto cortice pressa latet.
Illius lacrimis, quas arbore fundit odora,
Ungimur; & dominae nomina gutta tenet.

& L. 10. Metam. ℣. 499.

Quae, quamquam amisit veteres cum corpore sensus,
Flet tamen: & tepidae manant ex arbore guttae.
Est honor & lacrimis: stillataque cortice myrrha
Nomen herile tenet, nullique tacebitur aevo.

Vides quamobrem Panchaïa vocetur *pinguis.* De Assyriae opulentia nemo non novit. nam praeter purpuram, & eximios odores, auri etiam atque argenti ferax fuit. Recte igitur *dives* perhibetur.

26. SIC EGO COMPONI VERSUS IN OSSA VELIM] Minus recte Douza noster *componendi* verbum confudit cum verbo *collocandi:* atque adeo nos frustra ablegat ad Lipsii Electa. Etenim vir ille magnus, quum L. 1. C. 6, adcurate explicasset ritum collocandi cadaveris,

Sed tristem mortis demonstret litera caussam,
Atque haec in celebri carmina fronte notet:

Lygda-

ris, de compositione ne verbum quidem unum addidit. Neque ego hoc monerem, nisi illi qui Notas, ut vocant, Variorum confarciunt hanc mihi inponerent necessitatem. homines enim sumus. *Componi* proprie dicebantur cineres atque ossa, quum in monumentum condebantur vasculis suis inclusa. Catullus Carm. 65. ℣. 98. de fratre suo:

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognotos compositum cineres,
Sed Troja obscoena, Troja infelice sepultum
Detinet externo terra aliena solo.

Aurelius meus L. 2. Eleg. 19. ℣. 21. ad suam Cynthiam:

Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti,
Haec tua sunt: eheu, tu mihi certus eras.

Naso L. 5. Fast. ℣. 426.

Jam tamen exstincto cineri sua dona ferebant;
Compositique nepos busta piabat avi.

Sed inprimis egregius est luculenti poëtae Valerii Flacci locus L. 7. ℣. 203. ubi Medea, morbi sui nondum satis gnara, conqueritur super duro Iasonis fato:

Et nunc ille sua non quemquam sorte moveri,
Non ullum ingemuisse putat: cumque omnibus odit
Me quoque. si quando fuerit tamen ulla potestas,
Illum ego, qui diris cinis ultimus haeserit arvis,
Ossaque, quîs tauri saevusque pepercerit ignis,
Conponam, sedemque dabo. fas tunc mihi manes
Dilexisse viri, tumuloque has credere curas.

o illum artificem pictorem animi humani! Prioribus adde Ovidium L. 3. Fast. ℣. 547, loco post paullo producendo. Non intellexit Horatium suum interpres Harlemensis L. 1. Sat. 9. ℣. 28.

haud mihi quisquam:
Omnes composui.

Componere, (inquit) *scilicet sudario, pro omni funeris apparatu dicit.* Hi sunt fructus lucubrationum Gallicanarum. Videlicet Dacerius ita notaverat: COMPONERE *est proprement* ensevelir, *mettre le mort dans le suaire:* *ἐντυλίττειν.* *Mais icy Horace dans ce seul mot comprend tout l'appareil de la sepulture.* Quanto noster ille salubrius Lambinum inspexisset, ac Torrentium! Ipsa quoque Scholia antiqua poterant ei semitam commonstrare. Sic enim habent: *composui*] *in urnis condidi, & sepelivi.*

27. SED TRISTEM MORTIS DEMONSTRET LITERA CAUSSAM] Mortis caussam saepe in ipsis monumentis inscribebant, nunc ad gloriam, nunc ad commiserationem. Fuitque hoc ipsum moris admodum vetusti. Theocritus Idyll. 23. ℣. 46.

Γράψον καὶ τόδε γράμμα, τό σοι ςίχοισι χαράξω·
Τοῦτον Ἔρως ἔκτεινεν, ὁδοιπόρε· μὴ παραδεύσης,
Ἀλλὰ ςὰς τόδε λέξον, Ἀπηνέα εἶχεν ἑταῖρον.

Eobanus vertit:

Et breve concisis inscribe epigramma figuris,
Versibus exactum tibi quod signabo duobus:
Hunc Amor exstinxit: ne transgrediare viator,
Siste pedes, & dic, Durum est sortitus amicum.

Sic vero Daniel Heinsius:

Hoc quoque carmen habe, paucis quod ductibus addam:
Sustulit hunc crudelis Amor. ne perge viator:
Sed procul absistens, dic, Saevum ardebat amicum.

Cicero Philipp. 14. C. 12. de militibus legionis Martiae apud Mutinam caesis: *Erit igitur exstructa moles opere magnifico, incisaeque literae, divinae virtutis testes sempiternae: numquam de vobis eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vitae inmortalitatem estis consecuti.* Suetonius Aug. C. 12. *Et quo magis sententiam prioris sectae approbaret, Nursinos grandi pecunia, & quam pendere nequirent, multatos, extorres egit oppido: quod Mutinensi acie interemtorum civium tumulo publice exstructo adscripserant,* PRO LIBERTATE EOS OCCUBUISSE. Ovidius Epist. Phyllid. ipso fine:

Stat nece matura tenerum pensare pudorem:
In necis electu parva futura mora est.
Inscribêre meo caussa invidiosa sepulcro:
Aut hoc, aut simili carmine notus eris.
PHYLLIDA DEMOPHOON LETO DEDIT, HOSPES AMANTEM:
ILLE NECI CAUSSAM PRAEBUIT, IPSA MANUM.

Idem ille facundissimus Romuli nepotum L. 3. Fast. ℣. 545.

Arserat Aeneae Dido miserabilis igne:
Arserat exstructis in sua fata rogis.

 Com-

Lygdamus hic situs est. dolor huic, & cura Neaerae
Conjugis ereptae, caussa perire fuit.

Compositusque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
PRAEBUIT AENEAS ET CAUSSAM MORTIS ET ENSEM:
IPSA SUA DIDO CONCIDIT USA MANU.

Quod ipsum carmen jam olim posuerat in fine Epistolae Didus; & quidem aliquanto istic decentius, ni fallor, quam in Fastis. Plura Kirchmannus dabit L. 3. de Funerib. C. 20.

28. HAEC IN CELEBRI CARMINA FRONTE NOTET.] Voluit igitur sepeliri propter viam publicam, in celebritate hominum ac frequentia. Aliter Propertius L. 3. Eleg. 14. ℣. 25.

Dii faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea devia terra coma.
Aut humet ignotae tumulus vallatus arenae.
Non juvat in media nomen habere via.

29. DOLOR HUIC ET CAUSSA NEAERAE CONJUGIS EREPTAE] Scaligero *caussa Neaerae*, elegantia quadam antiqua, est ipsa Neaera. Idque probavit se Gebhardo, & nescio quibus, qui Thesaurum nobis Basilii Fabri recoxerunt. Sed doctissimus Gronovius docebit te meliora L. 2. Obs. C. 9. Sane quamquam *caussa Neaerae* exstat in libris non paucis, tamen id efficere haud quaquam potest, cur Scaligero ac Gebhardo accedamus. Nam, si vel maxime vera sit haec scriptura, numquam hinc sequetur *caussam Neaerae* esse Neaeram ipsam. Saepe *caussa* praecise sumitur pro eo, quod est caussa conjunctionis, caussa benevolentiae, caussa amoris, &c. Ita Cicero orat. pro Quintio C. 15. *Ad vadimonium non venerat, ut ais, is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique caussae & necessitudines veteres intercedebant.* L. 13. ad famil. Epist. 19. *Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus, quam ego necessitudinem sancte colendam puto: sed ea caussa etiam cum aliis compluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite: & ea cum officiis ejus multis tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius.* Orat. de Provinc. Consular. C. 17. *Sed non alienum esse arbitror, quo minus saepe interpeller a nonnullis, aut tacitorum existimatione reprehendar, explicare breviter, quae mihi sit ratio & caussa cum Caesare.* Debemus hanc vocis hujus explicationem eximio viro Francisco Hottomanno. Ad quam normam si quis accipere hic velit *caussam Neaerae*, id ei per nos integrum erit. Videtur tamen obstare constructionis ratio, atque usus praepositionis *cum*; quam praepositionem Cicero nusquam neglexit. Simplicissima medela erit, si pristinam lectionem revocaverimus, *dolor huic & cura Neaerae*. Habet & haec suos fidejussores.

III.

QUID prodest caelum votis inplesse, Neaera?
Blandaque cum multa tura dedisse prece?
Non, ut marmorei prodirem e limine tecti,
Insignis clara conspicuusque domo:

Aut

1. QUID PRODEST COELUM VOTIS INPLERE NEAERA] Conferre cum hac Elegia te juvabit, siquidem studiosus es eloquentiae poeticae, Elegiam tertiam libri Amorum primi Herculis Strozzae.

3. NON UT MARMOREI PRODIREM E LIMINE TECTI] *templi* legebat Douza Praecid. C. 11. idque firmabat Senecae verbis, Consol. ad Polyb. C. 35. *Ibit* [Fortuna] *violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa injuriae caussa intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus induet vestem.* & Suetonius Calig. C. 22. *Admonitus, & principum & regum se excessisse fastigium,*

Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
Et magnas meſſes terra benigna daret.
Sed tecum ut longae ſociarem gaudia vitae,
Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu;

Tunc,

gium, divinam ex eo majeſtatem aſſerere ſibi coepit. Datoque negotio, ut ſimulacra numinum religione & arte praeclara, inter quae Olympii Jovis, apportarentur e Graecia, quibus capite demto ſuum imponeret, partem Palatii ad Forum uſque promovit, atque aede Caſtoris & Pollucis in veſtibulum transfigurata, conſiſtens ſaepe inter Fratres Deos medium ſe adorandum adeuntibus exhibebat. Haud dicam dolo; iſtud Caligulae facinus huc quidem nihil pertinet. Vides ipſum Hiſtoricum pro inſano ac furioſo traduxiſſe, ut pleraque omnia non nominandi monſtri. De Seneca paullo aliter res habet: ſed ille iſta ſcripſit in exſilio, Claudio imperante, quum jam valide adoleviſſet mos foediſſimus adulandi. Oſtendendum erat, primis illis Auguſti temporibus, rebus nondum undequaque ſtabilitis, jam tum exſtitiſſe domos in quas per templa adiretur. Sed nihil eſt mutandum, quum ipſa *tecti* vox ſatis ſit ſplendida ac magnifica. Docebo inſigni loco Ciceronis, qui locus bonam ſimul partem hujus Elegiae egregia luce perfundet. Eſt autem Parad. I. C. 2. *Numquam hercule ego neque pecunias iſtorum, neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque eas, quibus maxime adſtricti ſunt voluptates in bonis rebus aut expetendis eſſe duxi: quippe cum viderem, rebus his circumfluentibus, ea tamen deſiderare maxime, quibus abundarent. neque enim expletur umquam, nec ſatiatur cupiditatis ſitis: neque ſolum ea, quae habent, libidine augendi cruciantur, ſed etiam amittendi metu. In quo equidem continentiſſimorum hominum, majorum noſtrorum, ſaepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla & commutabilia pecuniae membra, verbo bona putaverunt appellanda, cum re ac factis longe aliter judicaviſſent.* Ibidem C. 4. *Veniant igitur iſti irriſores hujus rationis ac ſententiae, & jam vel ipſi judicent, utrum ſe horum alicujus, qui marmoreis tectis, ebore & auro fulgentibus, qui ſignis, qui tabulis, qui caelato auro & argento, qui Corinthiis operibus abundant, an C. Fabricii, qui nihil eorum habuit, nihil habere voluit, eſſe ſimiles malint.* Ipſo initio Somnii Scipionis, de rege Maſiniſſa: *Ad quem ut veni, complexus me ſenex collacrimavit, aliquantoque poſt ſuſpexit in caelum: &, Grates, inquit, tibi ago, ſumme Sol, vobisque reliqui Caelites, quod, antequam ex hac vita migro, conſpicio in meo regno & his tectis P. Cornelium Scipionem.* Orat. pro domo ſua C. 55. *qua tandem iſtum perturbatione mentis, omnium templorum atque tectorum totiusque urbis praedonem, fuiſſe cenſetis, cum pro deteſtatione tot ſcelerum unam aram nefarie conſecraret?* Virgilius, de rege Latino accipiente legatos Aeneae, L. 7. ℣. 168.

Ille intra tecta vocari
Imperat, & ſolio medius conſedit avito.
Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſilvis & relligione parentum.

Horatius L. 3. Od. 10. ℣. 6.

Audis, quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulcra ſatum tecta remugiat
Ventis?

Seneca Thyeſt. ℣. 645.

fulget hic turbae capax
Inmane tectum, cujus auratas trabes
Variis columnae nobiles maculis ferunt.

denique *limen tecti* apud Naſonem legitur L. I. Faſt. ℣. 137.

Utque ſedens veſter primi prope limina tecti
Janitor egreſſus introitusque videt.

5. AUT UT MULTA MEI RENOVARENT JUGERA TAURI] Horatius Epod. I. ℣. 25.

Non ut juvencis inligata pluribus
Aratra nitantur mea.

ibid. Od. 4. ℣. 11. de Maena, Pompeji liberto:

Sectus flagellis hic triumviralibus,
Praeconis ad faſtidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit.

Propertius L. 3. Eleg. 3. ℣. 27.

Nec mihi mille jugis Campania pinguis aratur.

Naſo Amor. L. I. Eleg. 3. ℣. 9.

Nec meus innumeris renovatur campus aratris.

7. SED TECUM UT LONGAE SATIAREM GAUDIA VITAE] Ita Scaliger; quum recte legeretur antea *ſociarem*. In toto hoc libro perpetuam inſtituit querelam de diſcidio ac vaſtitate ſui amoris. Hic autem dicit, ſibi a

Neaera

Tunc, quum praemensae defunctus tempora lucis
Nudus Lethea cogerer ire rate.
Nam grave quid prodest pondus mihi divitis auri?
Arvaque si findant pinguia mille boves?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Taenare sive tuis, sive Cariste tuis?

Et

Neaera distracto nihil esse jucundum, non opes, non honores, non regna. hac vero socia, ipsam quoque paupertatem levem ac dulcem fore. cujus conjugii ni spes detur, cupere se mori. Bene igitur optat, ut liceat sibi communibus longae vitae gaudiis frui simul cum uxore tantopere desiderata. Naso Epist. Phyllid. ℣. 33.

Promissus socios ubi nunc Hymenaeus in annos,
Qui mihi conjugii sponsor & obses erat?

Propertius L. 2. Eleg. 25. ℣. 15.

Te socium vitae, te corporis esse licebit.

9. TUNC, QUUM PERMENSO DEFUNCTUS TEMPORE LUCIS] *permensum tempus* dure (ni fallor) dicitur, nec satis usitate. Aliter hoc verbo utebantur Latini. Cicero fragm. de Univers. C. 9. *Attamen illud perspici & intelligi potest, absoluto perfectoque numero temporis absolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cum se octo ambitus confectis suis cursibus ad idem caput retulerunt, cumque eos permensus est idem & semper sui similis orbis.* Seneca Herc. fur. ℣. 742.

longa permensus diu
Felicis aevi spatia, vel coelum petit,
Vel laeta felix nemoris Elysii loca.

Nemesianus Eclog. 1. ℣. 20.

Quem nunc emeritae permensum tempora vitae
Secreti pars orbis habet, mundusque piorum.

Apulejus L. 11. Metam. *Vives autem beatus, vives in mea tutela gloriosus: &, cum spatium saeculi tui permensus ad inferos demearis, ibi quoque*, &c. Vetus scriptura erat,

Tunc quum praemensae defunctus tempora lucis.

Optime. tantum enim temporis vivere unusquisque credebatur, quantum ei Parcae fuissent praemensae in ipso lucis exordio. Naso L. 8. Metam. ℣. 451.

Stipes erat: quem, cum partus enixa jaceret
Thestias, in flammam triplices posuere sorores:
Staminaque impresso fatalia pollice nentes;
Tempora, dixerunt, eadem lignoque tibique,
O modo nate, damus.

Idem Amor. L. 2. Eleg. 6. ℣. 46.

Septima lux aderat, non exhibitura sequentem:
Et stabat vacua jam tibi Parca colo.

Horatius L. 4. Od. 13. ℣. 22.

Sed Cynarae breves
Annos Fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lyden.

L. 2. Od. 16. ℣. 29.

Abstulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit senectus.
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Et ex horum praescripto Ludovicus Areostus, Cant. 34. Orlandi furentis, st. 90.

Quanto dura un de' velli, tanto dura
L'umana vita, e non di più un momento,
Quì tien l'occhio la Morte, e la Natura,
Per saper l'hora, ch' un debba esser spento.

h. e.

Velleris unius spatium definit aristas
Unicuique hominum; nec plus conceditur ulli.
Hic vigilat Natura, & Mors bene gnara futuri,
Ne quis praemensam fato produxerit horam.

Sed haec sunt trita. Te vero terrere non debet istud *defunctus tempora.* Sic veteres illi solebant loqui. Lucretius L. 3. ℣. 804.

Quippe etenim mortale aeterno jungere, & una
Consentire putare, & fungi mutua posse,
Desipere est.

Cicero Accus. 3. in Verr. C. 86. *Tamen hoc vobis est statuendum, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in republica fungi ac sustinere velitis.* Vide sis magnum Vossium lib. de Construct. C. 22.

10. LETHEA COGERER IRE RATE] Magna est soni scabrities in his *rer, re, ra.* Editiones priscae habent fere *cogeret.* Sed quid illo faciamus?

13. QUIDVE DOMUS PRODEST PHRYGIIS INNIXA COLUMNIS] Inter praecipuas morum insanias non falso Plinius numerat columnarum damnosam luxuriam, & eam quidem jam tum veterem, neque ullis legibus coërcitam, L. 36, tribus capitibus primis. Quamquam

quam lex Julia sumtuaria videtur vectigal in singulas columnas pendendum imperasse. Cicero L. 13. ad Attic. Epist. 6. *De aquaeductu probe fecisti. columnarium vide ne nullum debeamus. quamquam mihi videor audisse a Camillo commutatam esse legem.* Hic tu Ausonium Popmam consule; & modestissimae eruditionis virum Jacobum Nicolaum, a solo natali Loënsem vulgo dictum, L. 8. Epiphyll. C. 19. In marmorum dilectu variatum est variis temporibus, ut est inconstans voluptatum ingenium. Phrygium in magno tum precio fuisse, hic videmus: & Horatius testatur I. 3. Od. 1. ℣. 41.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus.

Papinius L. 1. Silv. 5. ℣. 36.

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura; sola cavo Phrygiae quam Synnados antro
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.

Et L. 2. Silv. 2. ℣. 87.

Synnade quod moesta Phrygiae fodere secures
Per Cybeles lugentis agros: ubi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.

Has maculas nativas artificio deinde illustriores reddiderunt. Plinius L. 35. C. 1. *Non placent jam abaci, nec spatia montis in cubiculo delitentia: coepimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum: Neronis vero, maculas, quae non essent, in crustis inserendo unitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, ut purpura distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent deliciae.*

14. TAENARE SIVE TUIS] sequitur marmor Laconicum, non minoris auctoritatis. Propertius L. 3. Eleg. 1. ℣. 49.

Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.

Plinius L. 36. C. 7. *Pretiosissimi quidem generis Lacedaemonium viride, cunctisque hilarius.* Martialis L. 6. Epigr. 42.

Illic Taygeti virent metalla,
Et certant vario decore saxa
Quae Phryx, & Libys altius cecidit.

Non frustra dicit, Phrygium ac Numidicum marmor altius caedi quam Laconicum: hoc enim non in lapicidinis gigni, sed sub terra sparsum reperiri tradit Plinius loco laudato. Ab hilari virore etiam Papinius laudavit L. 1. Silv. 2. ℣. 148.

Hic Libycus, Phrygiusque silex, hic dura Laconum
Saxa virent.

& L. 2. Silv. 2. ℣. 90.

Hic & Amyclaei caesum de monte Lycurgi
Quod viret, & molles imitatur rupibus herbas.

Tamen ejus temporibus Phrygio vilius habebatur. Sic enim L. 1. Silv. 5. ℣. 40.

Vix locus Eurotae; viridis cum regula longo
Synnada distinctu variat.

Hinc & pavimenta ex marmore Laconico. Ita enim capiendum puto Martialem L. 1. Epigr. 55.

Quisquam picta colit Spartani frigora saxi,
Et matutinum portat ineptus ave;
Cui licet, exuviis nemoris rurisque beato,
Ante focum plenas explicuisse plagas?

quamquam scio alios hic intelligere parietum incrustationes.

14. SIVE CARYSTE TUIS] Carystos oppidum fuit insulae Euboeae, marmore suo ac columnis nobilitatum. de quo Strabo initio L. 10. Plinius L. 4. C. 12. Hoc quoque marmor virebat, sed in morem fluctuum marinorum. Papinius L. 1. Silv. 2. ℣. 149.

hic flexus onyx, & concolor alto
Vena mari, rupesque nitent, quis purpura saepe
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni.

ibidem Silv. 5. ℣. 34.

Non huc admissae Thasos, aut undosa Carystos.

ubi miror inter viliora numerari. Certe aliter loquitur L. 2. Silv. 2. ℣. 93.

Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,
Et Chios, & gaudens fluctus aequare Carystos.

Et insigni exemplo comprobat Plinius L. 36. C. 6. *Primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totius domus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, praefectum fabrûm C. Caesaris in Gallia. Neque indignatio sit tali auctore inventa re. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quidquid habuisset Comata Gallia. Namque adjecit idem Nepos, eum primum totis aedibus nullam nisi e marmore columnam habuisse, omnes solidas e Carystio aut Lunensi.* Nec minus magnifice Martialis L. 9. Epigr. 75.

Idem beatas lautus exstruit thermas
De marmore omni, quod Carystos invenit,
Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas misit,
Et quod virenti fonte lavit Eurotas.

Non autem totum virebat, sed maculis distinguebatur. Seneca Troad. ℣. 835.

An ferax varii lapidis Carystos?

Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?
Aurataeque trabes, marmoreumque solum?
Quidve, in Erythraeo legitur quae litore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quae praeterea populus miratur? in illis
Invidia est. falso plurima vulgus amat.

Non

15. ET NEMORA IN DOMIBUS SACROS IMITANTIA LUCOS] *Nemora* Festus esse ait silvas amoenas, cum campis & pascuis. Quid a lucis & silvis differant, docet Servius ad L. I. Aen. ℣. 314. *Interest autem inter nemus, & silvam, & lucum. Lucus enim est arborum multitudo cum religione; nemus vero composita multitudo arborum; silva, diffusa & inculta.* Sed *silvas* & *nemora* fere confuderunt scriptores Romani. Amabant has delicias intra domorum septa habere Quiritium lautiores, adeo ut rus in urbe possiderent. Horatius L. I. Epist. 10. ℣. 22.

Nempe inter varias nutritur silva columnas:
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.

Cicero Accus. I. in Verr. C. 19. *Quas iste tabulas illinc, quae signa sustulit! quae cognovi egomet apud istum in aedibus nuper, cum obsignandi gratia venissem. Quae signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quaero, quae apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique disposita sub divo vidimus.* Nepos Cornelius C. 13. Attic. *Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibusque optimis rebus usus est. Nam domum habuit in colle Quirinali Caecilianam, ab avunculo haereditate relictam: cujus amoenitas non aedificio, sed silva constabat.* M. Seneca L. 5. excerpt. Controv. 5. *Vos possidetis agros, urbium fines, urbesque domibus impletis: intra aedificia vestra undas & nemora comprehenditis.* Horatius L. 3. Od. 10. ℣. 5.

Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra satum tecta remugiat
Ventis?

Olim pauculis arboribus contenti, tamen ingentem aeris summam in umbrarum amoenitatem effundebant. Insigne hujus rei exemplum habent Valerius Maximus L. 9. C. I. ex. 4. & Plinius L. 17. C. I. Male Gebhardus hunc Albii locum de pomariis & nemoribus interpretatur, quae in summis domorum tectis consita, erant quasi pensiles quidam horti. Nam quod huc trahit Tragici locum Thyest. ℣. 464.

nulla culminibus meis
Imposita nutat silva;

poterat eodem jure contendere, morem Graecum fuisse ante bellum Trojanum, jam inde a Thyestae temporibus. Novitium esse recentioris luxuriae inventum satis declarat L. Seneca Epist. 122. & Lucii pater Marcus L. 5. excerpt. Controv. 5. ac Plinius L. 15. C. 14.

16. AURATAEQUE TRABES, MARMOREUMQUE SOLUM] Cicero Paradox. 6. C. 3. *O dii immortales! non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. Venio enim jam ad sumtuosos: relinquo istum quaestuosum. Capit ille ex suis praediis sexcenta sestertia: ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis & sola marmorea facienti, & signa, tabulas, supellectilem, & vestem infinite concupiscenti, non modo ad fructum ille est sumtus, sed etiam ad foenus, exiguus. Ex meo tenui vectigali, detractis sumtibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit.* Auratarum trabium multa est memoria in libris antiquorum. Tu vero noli putare bracteolis tenuibus fuisse inlitas; qualis est hodierna inauratio. Totae auro solido convestiebantur. Docuerunt jam olim viri docti: sed luculentissime Justus Lipsius L. 3. Admirand. C. 14. Pulcro compendio has luxuriae profusiones perstrinxit Horatius L. 2. Od. 18.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa.

ibi tu Torrentium vide, vel sola marmoris Numidici gratia.

20. FALSO PLURIMA VULGUS AMAT] Vere Thyestes in cognomine tragoedia, ℣. 446.

Mihi crede, falsis magna nominibus placent.

In vocula *falso* est magna energia. Sallustius initio Jugurth. *Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbecille, atque aevi brevis, forte potius quam virtute regatur.* Est ubi sola per se periodum facit. Cicero L. 3.

de

Non opibus mentes hominum curaeque levantur.
Nam Fortuna sua tempora lege gerit.
Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neaera.
At sine te, regum munera nulla volo.
O niveam, quae te poterit mihi reddere, lucem!
O mihi felicem terque, quaterque diem!
At si pro dulci reditu quaecumque voventur,
Audiat aversa non meus aure Deus:

Nec

de Offic. C. 18. *Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso. nam eadem utilitatis, quae honestatis est regula. qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus.* Cornelius Nepos Alcib. C. 9. *At Alcibiades victis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitratus, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. Falso. nam Thraces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt.*

21. NON OPIBUS MENTES HOMINUM CURAEQUE LEVANTUR] Praeclare Rochus Honerdius, non postremum gentis nostrae decus, Thamarae Act. 1. Sc. 2.

Quae putat vulgus bona,
Regnum, triumphos, dignitatem, gloriam,
Metire placida mente: si mentem quatit
Moeror natantem, quique spinosis movens
Curis quietos turbat affectus labor.
Mox precia migrant, seque pro mentis statu
Haec vana jactant. Muricis sacri nitor,
Gemmae, rubentis munus augustum sali,
Suffulta cedro tecta, cedrus divite
Auro revincta fluctuantem pectoris
Non sistit aestum. Gliscit ex laetis malum,
Et in beatos gravius insurgit dolor.

22. NAM FORTUNA SUA TEMPORA LEGE REGIT] *gerit* habent libri scripti magno numero. Vere, ni fallor. Publius Syrus in Mimiambis:

Male geritur, quidquid geritur Fortunae fide.

Sed hic *gerere* valet gubernare: *tempora* autem sunt diversi status, & conditiones, ac vicissitudines rerum humanarum. quae omnia variat Fortuna. Cicero L. 1. de Offic. C. 32. *Ac duabus iis personis, quas supra dixi, tertia adjungitur, quam casus aliquis, vel tempus imponit: quarta etiam, quam nobismet ipsis judicio nostro accommodamus. Nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiae, opes, eaque quae sunt his contraria, in casu sita, temporibus gubernantur.*

28. AUDIAT AVERSA NON MEUS AURE DEUS] Perperam libri quidam *adversa.* oculos, aures, vultum avertere, indignantium est atque iratorum. Naso, in funere nostri poëtae, L. 3. Amor. Eleg. 9. ℣. 45.

Avertit vultus Erycis quae possidet arces.

L. 14. Metam. ℣. 756. de Anaxarete:

conataque retro
Ferre pedes, haesit: conata avertere vultus,
Hoc quoque non potuit.

L. 15. ℣. 587. de Cipo:

Rettulit ille pedem: torvamque a moenibus urbis
Avertens faciem, Procul, ah procul omina, dixit,
Talia Di pellant.

Virgilius L. 1. Aen. ℣. 568.

Nec tam aversus equos Tyria Sol jungit ab urbe.

L. 2. ℣. 170.

Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm: fractae vires, aversa Deae mens.

Catullus Carm. 61. ℣. 402.

Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Justificam nobis mentem avertêre Deorum.

Horatius Epod. 10 de Maevio poëta, ℣. 18.

Et illa non virilis ejulatio,
Preces & aversum ad Jovem.

Propertius L. 4. Eleg. 1. ℣. 75.

Aversis Charisin cantas: aversus Apollo
Poscitur invita verba pigenda lyra.

Ceterum *Deus non meus* est iratus, inimicus, offensus. Sic Horatius (ut Douza observavit) loquitur Epod. 9. ℣. 30.

Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis.

hoc est, non prosperis, non ferentibus, sed adversis. Contrarium est apud Senecam Agamemn. ℣. 91.

Vela secundis inflata Notis
Ventos nimium timuere suos.

id

Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.
Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara conjuge poſſe frui.
Adſis, & timidis faveas, Saturnia, votis;
Et faveas concha Cypria vecta tua.

Aut

id eſt, nimium ſecundos, & ſupra votum adſpirantes. Virgilius L. 2. Aen. ℣. 396.

Vadimus inmixti Danais haud numine noſtro.

Quem locum in mente habuit Ammianus Marcellinus L. 14. C. 11. *His illecebris ad meliorum exſpectationem erectus, egreſſusque Antiochia numine laevo ductante, prorſus ire tendebat de fumo, ut proverbium loquitur vetus, ad flammam.* Catullus Carm. 37.

Quis Deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?

Virgilius L. 2. Aen. ℣. 735.

Hic mihi neſcio quod trepido male numen amicum
Confuſam eripuit mentem.

Sed illi de quocumque Deo loquebantur, cuicumque homini vel bene vel male conſultum cupiente: noſter autem Genium, ni fallor, ſuum intellexit. Hunc enim unicuique homini cuſtodem additum crediderunt. Vide Servium ad L. 12. Aen. ℣. 538. ſed iſtic loci corruptum: ſic enim vulgo editur, *Singuli enim Deos proprios habemus genitos.* Facile vides *Genios* ſcribi debere. Varro L. 16. Antiq. rerum divin. *Genium eſſe uniuscujusque animum rationalem, & ideo eſſe ſingulos ſingulorum: talem autem mundi animum, Deum eſſe.* Terentius Phorm. Act. 1. Sc. 2. ℣. 24.

Memini relinqui me, Deo irato meo.

Seneca Epiſt. 110. *Sepone in praeſentia, quae quibusdam placent: Unicuique noſtrum paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notae, ex eorum numero quos Ovidius ait, de plebe Deos. Ita tamen hoc ſeponas volo, ut memineris majores noſtros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuiſſe: ſingulis enim & Genium & Junonem dederunt.*

29. LYDIUS AURIFER AMNIS] Pactolus, ex Lydiae monte Tmolo ortus, ramenta auri ſecum ferens. Unde autem habeat hanc vim beati liquoris, pulcra fabella expoſuit Naſo L. 11. Metam. ℣. 90. quem tu conſulas ſuadeo. Virgilius L. 10. Aen. ℣. 142.

Maeonia generoſe domo, ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolusque inrigat auro.

Propertius L. 1. Eleg. 6. ℣. 32.

ſeu mollis qua tendit Ionia, ſeu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor.

Seneca Phoeniſſ. ℣. 604.

Et qua trahens opulenta Pactolus vada
Inundat auro rura.

Sed de Pactolo omnia nota, atque etiam in vulgus trita. Neque ego haec adtuli, niſi ut conſtaret tironibus de recta vocis *Pactoli* proſodia. Fit enim hodie non raro, ut viri etiam clariſſimi, & magnis mercedibus conducti, in hac parte eruditae doctrinae aliquid humani patiantur, & peccatis puerilibus adſpergant nonnihil illam clariſſimatus majeſtatem. Id quod fieri non poteſt ſine detrimento juventutis ſtudioſae, magiſtrorum exemplo haud inlibenter peccantis. Talis fuit ille morio, qui partem quintam Euphormionis Luſinini conſarcinavit ſtylo inſolentiſſimo. Audiamus luſciniam raucam, & indocte cantantem:

Qua largus diti reſtagnat Pactolus unda,
Et qua luce deae Junoni ſacra parantur,
In Tamiam ſaevi flammas jaculabor Amoris.

Sed piget tam noxii frigoris. Haec porro Albiana non obſcure expreſſit Papinius, mutatis tantum perſonis, L. 5. Silv. 1. ℣. 60.

Si Babylonis opes, Lydae ſi pondera gazae,
Indorumque dares, Serumque, Arabumque potentes
Divitias, mallet cum paupertate pudica
Intemerata mori, vitamque impendere famae.

31. HAEC ALII CUPIANT] Eſt in libris nonnullis *capiant.* unde vir magnus faciebat, *Haec alios capiant.* Sed nihil videtur mutandum. Inſpice, ſi tanti putas, notata nobis ad Propert. L. 1. Eleg. 7. ℣. 10. & Eleg. 9. ℣. 19.

34. CONCHA CYPRIA VECTA TUA] Andreas Tiraquellus, vir plurimarum literarum, adluſum hic putat ad Phidiae Venerem, quam ille Elienſibus fecit ex ebore & auro, (auctor Pauſanias Eliac. poſter. ſive L. 6.

non

Aut ſi fata negant reditum, triſteſque ſorores
Stamina quae ducunt, quaeque futura canunt:
Me

non enim pinxit in tabula, ut perperam tradit Tiraquellus) teſtudinem altero pede calcantem: quo ſymbolo artifex clariſſimus exprimere voluerit, mulierum eſſe munus, aedium cuſtodiam, & ſilentium. Haec ille comment. in decimam legem Connubialem §.16. Equidem miror viro tam docto excidere potuiſſe commentum tam abſurdum. Sed non omnes ſapimus horis omnibus. Venerem, e mari ortam, per fluctus vehi in concha, tamquam in aliqua rate, fabella eſt artificibus ac poëtis decantatiſſima. Papinius L. I. Silv. 2. ℣. 118. verbis Veneris, de Violantilla:

Haec & caeruleis mecum conſurgere digna
Fluctibus, & noſtra potuit conſidere concha.

L. 3. Silv. 4. ipſo initio:

Ite comae, facilemque precor tranſcurrite pontum:
Ite, coronato recubantes molliter auro:
Ite. dabit curſus mitis Cytherea ſecundos,
Placabitque Notos: fors & de puppe timenda
Transferet, inque ſua ducet ſuper aequora concha.

Vides, utroque loco, quam fuerit honorificum in concha Veneris vectari. Sed non ſoli haec poëtae tradiderunt. Pompejus Feſtus: *Cytherea, Venus, ab urbe Cytherea, in quam primum devecta eſſe dicitur concha, cum in mari eſſet concepta.* Hujus rei rationem ex moralis philoſophiae ſacrario reddere ſategit Fabius Planciades Fulgentius L. 2. Mytholog. C. 4. *Concha etiam marina pingitur portari, quod hujus generis animal toto corpore ſimul aperto in coitu miſceatur, ſicut Juba in Phyſiologis refert.* Pluribus haec expoſuit Hadrianus noſter Junius L. 5. Animadv. C. 7. Fortaſſe non praeter rem fuerit, inquirere quo conſilio luculentus poëta Claudianus Venerem, itinere maritimo, Tritone trajecerit e Cypro in Liguriam. Locus eſt Epithal. Honorii & Mariae, ℣. 128. ubi ita loquitur Dea:

Ecquis erit, pueri, vitreas qui lapſus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum
Deferar? haud umquam tanto mihi venerit uſu.
Sacri, quos petimus, thalami. pernicius omnes
Quaerite, ſeu concha Libycum circumtonat aequor,
Aegeas ſeu frangit aquas. Quicumque repertum
Duxerit, aurata donabitur ille pharetra.

Dicat aliquis, propter celeritatem ita vehi voluiſſe Deam. nam certe Triton, ſub Carpathii maris fluctibus inventus, ſubito niſu

ter pectora movit;
Jam quarto Paphias tractu ſulcabat arenas.

Sed neque adſpernabilis eſt pernicitas columbarum, quas Veneris currum alacriter trahentes cum multa amoenitate deſcripſit idem poëta Epithal. Palladii & Celerinae ℣. 103. quem locum tutemet, ſi voles, conſiderabis. Interim utrobique hanc Veneris concham, tamquam vehiculum inutile, videtur rejeciſſe. Mihi vero non paullo plus placet Luciani judicioſus luſus, ultimo Marinorum Dialogo, ubi Zephyrus Noto enarrat pompam nuptialem Jovis, in tauro latentis, atque Europae: Ἐπὶ πᾶσι δὲ τὴν Ἀφροδίτην δύο Τρίτωνες ἔφερον, ἐπὶ κόγχης κατακειμένην, ἄνθη παντοῖα ἐπιπάττουσαν τῇ νύμφῃ. *Praeter omnia autem duo Tritones Venerem ferebant in concha recubantem, & omnigenos flores ſponſae adſpergentem.* Rite, atque ex praeſcripto antiquitatis, Secundus noſter, laudans Cymbam Amoris, luſum elegantem Hadriani Marii fratris ſui, L. 2. Eleg. 1.

Ingenioſe Mari, ventura in ſaecula tecum
Me tua Cymba vehat; non grave pondus ero.
Cymba, renidentem qua mutet Cypria concham,
Quamque columbino praeferat ipſa jugo.

& Baſio item 6.

Tu quoque cum Dea ſis, Diva formoſior illa
Concha per aequoreum quam vaga ducit iter.

Sic & Hercules Strozza, non ſanguine quam ingenio nobilior poëta, Amorum L. 2. Eleg. 5.

Nabat Erythraea materna per aequora concha,
Qualis erat ſpumis edita, nuda Venus.
Semidei adſiliunt circum Tritones, & unca
Permulcent hilares litora feſta tuba.

ubi tamen Tritonas cur *ſemideos* faciat, non ſatis adſequor. Nam contra ſtat omnis poëtarum manus. Mallem *ſemiferos* dixiſſet, exemplo Claudiani Epithal. Hon. & Mar. ℣. 144.

prorupit gurgite torvus
Semifer. undoſi verrebant brachia crines.
Hiſpida tendebat bifido veſtigia cornu,
Qua priſtis commiſſa viro.

35. TRISTESQUE SORORES] Heinſius malebat *Stygiaeque ſorores*, vel *trinaeque*; ingenioſe, ut ſemper. Sed librorum quantum eſt

Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

est conspirat in lectione pervulgata, sensu nihil repugnante. *Tristes* enim dicuntur, qui sunt natura tetrica, & severa, atque inexorabili. Cicero Act. I. in Verr. C. 10. *P. Sulpicius, judex tristis & integer, magistratum ineat necesse est Nonis Decembr.* Lib. de Amicit. C. 18. *Tristitia autem, & in omni re severitas, habet illa quidem gravitatem: sed amicitia remissior esse debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.* Terentius Andr. Act. 5. Sc. 2. ℣. 16.

Nescio qui senex modo venit; ellum; confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur esse quantivis precii.
Tristis severitas inest in voltu, atque in verbis fides.

inibi Donatus notat, τὸ *tristis* ad laudem saepe sumi, non ad amaritudinem, producto Ciceronis loco priore. Accedit, quod Parcas apud Inferos sub Plutonis imperio collocarint poëtae. Papinius, verbis Amphiarai ad Ditem, L. 8. Theb. ℣. 116.

Nec deprecor umbram
Accipere, & tripodum jam non meminisse meorum.
Nam tibi praesagi quis jam super auguris usus,
Cum Parcae tua jussa trahant?

Vides Parcas nere quaecumque jusserit rex umbrarum. Paullo post, in luctu communi Argivorum super demerso cum curru atque equis Amphiarao, ℣. 189.

Et nunc quis te casus habet? poterisne reverti
Sedibus a Stygiis, aliaque evadere terra?
Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas?
Et vice concordi discis ventura, docesque?

Dii autem Inferi, & res omnes Inferorum, *tristes* dicuntur epitheto quodam peculiari. Maro, de Charonte, L. 6. ℣. 315.

Navita sed tristis nunc hos, nunc accipit illos:
Ast alios longe summotos arcet arena.

Hic tu Servium corrige: *tristis*] *asper, & miserabilis, severus.* satis enim liquet legendum esse, & *inmiserabilis.* prima syllaba coaluerat in literam sequentem *m.* id quod factum est saepenumero. Sed ad rem. Horatius L. 2. Od. 14. qua docet, mortem vitari non posse:

Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen, Tityonque tristi
Compescit unda.

Haec est illa, de qua Maro L. 6. Aen. ℣. 438.

tristique palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfusa coërcet.

Seneca Herc. fur. ℣. 610.

Noctis aeternae chaos,
Et nocte quiddam gravius, & tristes Deos,
Et Fata vici: Morte contemta redii.

Vide quae ad hanc Tragoediam notavit doctissimus Gronovius, ℣. 566.

36. STAMINA QUAE DUCUNT, QUAEQUE FUTURA NEUNT] stamina ducere, & nere, quid different non satis perspicio: nec quid verbi sit, *neunt*, intelligo. Praeclara est Nicolai Heinsii emendatio ac palmaria, *canunt* scribentis Not. in Nason. Epist. Helen. ℣. 194. Hoc tibi ex tripode prolatum crede. nam & simul canere perhibebantur Parcae, & simul fusos torquere. Vide quae supra notavimus ad L. I. Eleg. 8. ℣. 1. huc enim unice faciunt. Tanta fuit Scaligeri futile istud *neunt* defendentis auctoritas, ut alii probarent nihil examinatum, alii etiam pro inserta in scriptis suis uterentur. Sic Fridericus Taubmanus, festivo atque elegante ingenio poëta, sed sermone nimium quantum antiquarius, L. 3. Epigr. ad Joach. Hoffmanum, Melodaes. p. 453.

Dic, valeat; si vis valeam: nam stamine ab uno
Vitam utriusque neunt Parcae, utriusque secant.

Poterat cum Claudiano, atque hoc etiam melioribus, dixisse *Vitam utriusque trahunt:* sed transversum egit virum minime malum adulterinus splendor insolentis verbi.

37. ME VOCET IN VASTOS AMNES] *Vocare* est verbum mortis ac fatorum. Dixi ad Propert. L. I. Eleg. 14. ℣. 14. Amnes illos *vastos* qui tentant, non videntur recordari sextum Aeneidos librum.

38. DIVES IN IGNAVA LURIDUS ORCUS AQUA] sic construe: Orcus luridus, in ignava aqua dives. Est autem *Orcus* hoc loco Dis pater, sive Pluto; non Charon. Cicero Accus. 4. in Verr. C. 50. *Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse* Ce-

Cererem videretur. Quae verba apud Servium sunt corrupta, ad L. *6.* Aen. ℣. 273. FAUCIBUS ORCI. *Deum posuit pro loco: ut Jovem dicimus, & aërem significamus. Horatius*, manet sub Jove frigido Venator. *Orcum autem Plutonem dicit. nec enim per Charonta possumus intelligere Inferos dictos, quia minor potestas pro imperio numquam ponitur, sed illa quae tenet imperium. Ergo alter est Charon. Nam* Orcus *idem est Pluton, ut in Verrinis indicat Cicero, dicens, Ut alter Orcus venisse Aetnam, & non Proserpinam, sed ipsam Cererem rapuisse videatur. Alibi ait, Quia Ditem patrem emersisse ab Inferis putant.* Hactenus ille doctus Grammaticus. quem ego arbitror haec postrema non ex libro inspecto, sed ex memoriae suae penuario citasse. Ita enim legitur apud Ciceronem Accus. 4. in Verr. C. 48. *Propter est spelunca quaedam, conversa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru exstitisse*, &c. Ceterum in utroque Wittiano, & in binis nostris, *Orchus* scribitur cum litera adspirante. Atque ita & hic apud nostrum poëtam, & apud Terentium, in antiquis se libris invenisse testatur vir doctissimus Georgius Fabricius Castigat. in Hecyr. Act. 5. Sc. 4. ℣. 12. Atque in vetustis Virgilii codicibus Jo. Pierius Valerianus, ad L. 1. Geor. ℣. 277. Et sic disertim praecepit M. Valerius Probus in Catholicis, sive lib. 2. p. 1455. edit. Putsch. *Hoc tamen scire debemus quod post* C *literam*, H *Latinitas non habet, exceptis Pulcher, Orchus, Lurcho. sic in antiquis. nam Chalybes Latinum non est.* Y *enim literam habet, quae in peregrinis adhibetur, in Latinis numquam.* Tamen alii Grammatici hanc scribendi rationem non usquequaque adprobarunt. Servius ad L. 1. Geor. ℣. 277. *pallidus Orcus*] *Quia pallidos facit. nam ipse niger est. Probus Orchus legit. Cornutus vetat adspirationem addendam.* Idem ille doctissimus interpres ad L. *6.* Aen. ℣. 4. *dente tenaci Anchora*] *Ancora, ut diximus, in Graeco adspirationem non habet: nam ἄγκυρα dicitur. Inde apud majores sine adspiratione proferebatur. Contra Thus & Orchus veteres dicebant, & Lurcho, id est vorax: quibus sequens aetas detraxit adspirationem.* Certe in *Orcus* inutilis esse videtur, siquidem vera est Verrii Flacci etymologia apud Festum Pompejum: *Orcum, quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Urgum, quod &* V *literae sonum pro* O *efferebant, & per* C *literae formam nihilominus* G *usurpabant.* Sed non persuasit Verrius: ita enim Festus de suo: *Sed nihil affert exemplorum, ut ita esse credamus; nisi quod is Deus nos maxime urgeat.* Nunc audiamus virum praeclarum Jo. Jovianum Pontanum L. 2. de Adspiratione: *Orcus Latinum esse nomen volunt, ac per mutationem literarum duci a verbo urgeo, ut sit Orcus quasi Urgus: a quo verbo & urceus dictus est. Sunt qui volunt Orcum dictum ex eo, quod Dii jurabant per Stygem. est enim* orcos *jusjurandum. Est Orcus apud Homerum Thessaliae fluvius, qui Peneum olei instar supernatat, ut supra est dictum. Itaque adspirationem nullo modo recipit.* Ignava Orci aqua commode ad Lethen referri potest, languide ac tarde prorepentem. Seneca Herc. fur. ℣. *680.*

Placido quieta labitur Lethe vado,
Demitque curas: neve remeandi amplius
Pateat facultas, flexibus multis gravem
Involvit amnem.

Sed alii Cocytum intelligere maluerunt; nec male. Virgilius L. *6.* Aen. ℣. 132.

tenent media omnia silvae,
Cocytusque sinu labens circumvenit atro.

Horatius L. 2. Od. 14. ℣. 17.

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans.

Seneca Herc. fur. ℣. *686.*

Palus inertis foeda Cocyti jacet.

tum Oedip. ℣. 583.

ipse pallentes Deos
Vidi inter umbras: ipse torpentes lacus,
Noctemque veram.

Sequitur Tragicus ducem Maronem L. *6.* Aen. ℣. 323.

Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem.

IV. Di

IV.

DI MELIORA ferant, nec ſint inſomnia vera,
Quae tulit extrema peſſima nocte quies!
Ite procul. vanum, falſumque avertite viſum.
Deſinite in vobis quaerere velle fidem.

5 Di-

1. NEC SINT INSOMNIA VERA] *ſomnia* & *inſomnia* paſſim apud ſcriptores quoſcumque confunduntur. Petronius:

Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab aethere numina mittunt;
Sed ſibi quisque facit. &c.

Silius L. 10. Punic. ℣. 349.

Ductori precor inmittas nova ſomnia Poeno,
Ne Romam, & vetitos cupiat nunc viſere muros.

deinde ℣. 358.

Exercent rabidam truculenta inſomnia mentem.

Uterque parum proprie, ſiquidem philoſophis credimus, qui ſubtiliter iſta distinxerunt. Philoſophis dico, non his muſteis ſane, ſed illis ab Academia & Lyceo. Inſignis eſt locus Macrobii, quem non gravabor exſcribere, adeo belle huc facit, L. 1. in Somn. Scip. C. 3. *Omnium, quae videre ſibi dormientes videntur, quinque ſunt principales & diverſitates & nomina: aut enim eſt* ὄνειρος *ſecundum Graecos, quod Latini* ſomnium *vocant; aut eſt* ὅραμα, *quod* viſio *recte appellatur; aut eſt* χρηματισμὸς, *quod* oraculum *nuncupatur; aut eſt* ἐνύπνιον, *quod* inſomnium *dicitur; aut eſt* φάντασμα, *quod Cicero, quotiens opus hoc nomine fuit,* viſum *vocavit. Ultima ex his duo, cum videntur, cura interpretationis indigna ſunt, quia nihil divinationis apportant:* ἐνύπνιον *dico &* φάντασμα. *Eſt enim* ἐνύπνιον, *quotiens cura oppreſſi animi corporisve ſive fortunae, qualis vigilantem fatigaverat, talem ſe ingerit dormienti. Animi; ſi amator deliciis ſuis aut fruentem ſe videat, aut carentem: ſi metuens quis imminentem ſibi vel inſidiis vel poteſtate perſonam, aut incurriſſe hanc ex imagine cogitationum ſuarum, aut effugiſſe videatur. Corporis; ſi temeto ingurgitatus, aut diſtentus cibo, vel ex abundantia praefocari ſe exiſtimet, vel gravantibus exonerari: aut contra, ſi eſuriens cibum, aut potum ſitiens deſiderare, quaerere, vel etiam inveniſſe videatur. Fortunae; cum ſe quis aeſtimat vel potentia vel magiſtratu aut augeri pro deſiderio, aut exui pro timore. Haec & his ſimilia, quoniam ex habitu mentis quietem ſicut praevenerant, ita & turbaverant dormientis, una cum ſomno avolant, & pariter evaneſcunt. Hinc &* inſomnio *nomen eſt, non quia per ſomnium videtur (hoc enim eſt huic generi commune cum ceteris) ſed quia in ipſo ſomnio tantummodo eſſe creditur, dum videtur; poſt ſomnium nullam ſui utilitatem vel ſignificationem relinquit.* Vides quam proprie & quam docte loquatur noſter poëta. nam perterritus ſpecie nocturna, & tamen ſibi ipſe bene augurans, *inſomnium* vocat id, quod re vera fuerat *oraculum.* qua de re dicemus infra in loco ſuo. Macrobii mentem, atque ipſa paene verba, reperies apud Joannem Sarisberienſem, ſcriptorem bonum atque utilem, L. 2. Polycrat. C. 15.

2. QUAE TULIT EXTREMA PROXIMA NOCTE QUIES] τὸ *proxima* unde habuerit Scaliger, haud ſcio; neque ipſe prodidit. Erat in ejus libro *pexima*, errore ſcribae librarii. nam alii codices *peſſima* habent: id quod verum eſſe demonſtrant ſequentia. Alia ratio eſt τῶ *extrema*; quae germana eſt ſcriptura. Nam ſomnia ſub diluculum eſſe vera ſtatuebant. Horatius L. 1. Sat. 10. ℣. 33.

vetuit me tali voce Quirinus
Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera.

Ovidius Epiſt. Herûs ℣. 195.

ſub Auroram, jam dormitante lucerna,
Somnia quo cerni tempore vera ſolent.

ambitioſe Seneca, quem tutemet inſpicies, Troad. ℣. 438. Et hanc rem ſerio adfirmare non dubitavit multi nominis philoſophus Petrus Pomponatius lib. de Incantation. C. 10. p. 171. An & vigilantes ſolent ſomniare?

3. ITE PROCUL. &c.] deſumtum ex Sophoclis Electra monuit Andr. Schottus L. 2. Obſ. C. 13.

5. Di-

Divi vera monent. venturae nuntia ſortis
Vera monent Thuſcis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falſa timere jubent.

5. DIVI VERA MONENT] Adeo ſollicite ipſe ſibi perſuadere cupit, vanam eſſe hanc totam ſomniorum diſciplinam, ut contendat ſcientiam rerum futurarum non poſſe adquiri niſi ex ſortibus divinis, & reſponſis haruſpicum. Mox tamen labat, & perterritus denuntiatione rei tam luctuoſae, non omnem ſomniis fidem negare ſuſtinet. *Monere* eſt verbum oraculorum, ſortium, vaticiniorum. dixi ubertim ad L. 1. Eleg. 7. ℣. 56. Cyllenius obſervari hic jubet, *nuntium* pro re nuntianda recte poni in genere neutro, contra Vallam negantem L. 6. Elegant. C. 15. Nimirum ita hunc verſum distinguebat,

Divi vera monent venturae nuntia ſortis.

Sed non vidit vir bonus, ſententiam ſuspendi poſt τὸ *monent*, & *nuntia* eſſe epithetum *extorum*. Compar locutio eſt L. 2. Eleg. 1. ℣. 26.

Viden ut felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?

Fuit autem Cyllenius ubique infeſtus Vallae, quo jure, quave injuria. Adeo haec labes propria eſt nationi ſcholaſticae.

7. SOMNIA FALLACI LUDUNT TEMERARIA NOCTE] Aptiſſime *ludendi* verbo utitur. Horatius, ore Europae, L. 3. Od. 27. ℣. 40.

vigilansne ploro
Turpe commiſſum? an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit?

Petronius:

Nocte ſoporifera veluti quum ſomnia ludunt
Errantes oculos.

Tacitus L. 16. Annal. C. 1. *Illuſit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipſius, & promiſſa Ceſellii Baſſi; qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis imaginem ad ſpem haud dubiam retraxit.* Deinde C. 3. *Baſſus tandem poſita vecordia, non falſa antea ſomnia ſua, ſeque tunc primum eluſum admirans, pudorem & metum morte voluntaria effugit.* Ceterum *ſomniorum* nomen hic eſt generale; ut & paſſim apud alios ſcriptores probos. Sed viri etiam prudentes de ſomniorum veracitate nihil dubitabant. Vellejus L. 2. Hiſt. C. 70. *Cornu, cui Brutus praeerat, inpulſis hoſtibus caſtra Caeſaris cepit. nam ipſe Caeſar, etiamſi infirmiſſimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in caſtris remaneret, manifeſtae denuntiatione quietis territo.* Suetonius Aug. C. 91. *Somnia neque ſua, neque aliena de ſe negligebat. Philippenſi acie quamvis ſtatuiſſet non egredi tabernaculum propter valetudinem, egreſſus eſt tamen, medici ſomnio monitus. Ceſſitque res proſpere, quando captis caſtris lectica ejus, quaſi ibi cubans remanſiſſet, concurſu hoſtium confoſſa atque lacerata eſt. Ipſe per omne ver plurima, & formidoloſa, & varia, & irrita videbat; reliquo tempore rariora, & minus vana.* Hoc & alii multi ad poſteritatem tradiderunt. Itaque fides habita eſt ſomniis eo, quod eorum monita eventus ſaepe comprobaret. Neque ipſi adeo Stoici rejiciebant. quos ſequitur Lipſius Cent. miſc. 1. Epiſt. 42. ad Theod. Canterum: *Artemidorum tuum totum avide legi, & velut ἀμυςί. Neſcio quomodo non ſperno totum hoc divinare (id quoque fortaſſe a noſtra porticu:) & eam rem viſus mihi ille commode & acute tractaſſe, ex ipſis fontibus naturae.* Alii fortaſſe aliter judicabunt. Interim videre te volo, ſi vacas & commodum eſt, Franc. Philelphum L. 3. Epiſt. 6. Helium Eobanum in epicedio Alberti Dureri, pictoris clariſſimi; Jul. Caeſ. Scaligerum ipſo fine Heroum, ubi de Benedicto Brugnolo; (de quo & filius Joſephus in Confutatione fabulae Burdonianae p. 382. ſqq.) Petrum Gaſſendum L. 2. Vitae Peireſcianae p. 175. Petrum Lotichium Secundum L. 2. Eleg. 4. Sed omnem paene miraculi fidem excedit id, quod de Joanne Quarraeo narrat Philibertus de la Mare, ſenator Divionenſis, in Vita collegae ſui Jacobi Guionii; & ex Philiberto repetit Dan. Geor. Morhofius L. 1. Polyhiſt. Liter. C. 19. Tu inſpice: eſt enim hiſtoria perquam memorabilis.

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, utcumque est, sive illi vera moneri,
Mendaci somno credere sive volent:

Effi-

9. ET VANUM VENTURA HOMINUM GENUS] Vix est ullus locus in toto Tibullo, ubi plus varient codices scripti. Hanc tamen ego lectionem ceteris arbitror veriorem. quamquam verosimiliter lectum fuit olim, *Et natum in curas hominum genus.* Atque hoc expressit imitatione sua Franciscus Bencius, non indignus magistro Mureto discipulus, L. 1. Carm. 1.

Dixerit hic aliquis: Si curarum omnia plena,
Inque illas hominum natum genus, an pote certum
Sperari effugium?

9. 10. OMINA NOCTIS FARRE PIO PLACANT ET SALIENTE SALE] Somnia sua expiant mola salsa. Olim legebatur *omnia noctis*; quod non damnasse videtur Achilles Statius. Omnino prave. & viderunt jam pridem Turnebus L. 29. C. 32. ac Gulielmus noster Canterus L. 1. Nov. Lect. C. 8. & Passeratius Conject. C. 1. Plautus quoque *omina* vocavit (quae est certissima Passeratii emendatio) Merc. Act. 2. Sc. 1. ℣. 2.

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,
Mirisque exemplis omina in somnis danunt.

Propertius L. 4. Eleg. 4. ℣. 21.

Saepe illa immeritae caussata est omina Lunae.

Naso Epist. Deïanirae ℣. 40.

Me pecudum fibrae, simulacraque inania somni,
Ominaque arcana nocte petita movent.

Tacitus L. 2. Annal. C. 14. *Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, viditque se operatum, &, sanguine sacro respersa praetexta, pulcriorem aliam manibus aviae Augustae accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat concionem.* Valerius Flaccus *monstra* adpellat, in somnio minus laeto, L. 5. ℣. 333.

Forte Deûm variis per noctem exercita monstris,
Senserat ut pulsas tandem Medea tenebras,
Rapta toris primi jubar ad placabile Phoebi
Ibat, & horrendas lustrantia flumina noctes.

Accedebat res divina. Idem inlustris poëta ejusdem libri ℣. 399.

Dixerat haec, patriumque viam detorquet ad amnem;
Sacraque terrificae supplex movet inrita Nocti.

Plautus Amphitr. Act. 2. Sc. 2. ℣. 106.

Recte dicit: ut commeminit, somnium narrat tibi.
Sed, mulier, postquam experrecta es, Prodigiali Jovi
Aut mola salsa hodie, aut ture comprecatam oportuit.

Utrumque conjunxit divinus vates L. 5. Aen. ℣. 745. post visum Aeneae in quiete patrem Anchisen:

Haec memorans cinerem & sopitos suscitat ignis;
Pergameumque Larem & canae penetralia Vestae
Farre pio & plena supplex veneratur acerra.

Sed uterque morem tangunt peregrinum. nam turis usum vetus illa Italia ignoravit. Arnobius L. 7. *Neque genitrix & mater superstitionis Etruria opinionem ejus* [turis] *novit aut famam, sacellorum ut indicant ritus: neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in usum cuiquam venit, sacra cum res fieret; neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse scivit aut nasci: ut pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia.* Mola salsa peculiari honoris vocabulo *far pium* dicebatur. Servius ad ista Maronis verba: *Farre pio*] *Vel quia exinde sacrificabant; vel quia mos fuit apud majores, ut divinum ignem farre servarent; qui si durasset in alterum diem, eum aptum agendis rebus significabat. Far autem frumenti certa species est, sicut adoreum. Horatius,*

Non sumtuosa blandior hostia,
Mollibit aversos Penates
Farre pio & saliente mica.

Deinde subjicit hunc ipsum Albii nostri versiculum. Horatii verba reperies L. 3. ipso fine Odae 23. Pariter Asconius loquitur in Accus. 1. in Verr. C. 2. *Impie nefarieque commisit*] *nefandum, est non fandum: nefarium, quod sacra polluit farre pio solita celebrari.* Vide sis egregium Servii locum, quem nos supra produximus ad L. 1. Eleg. 5. ℣. 14.

11. SIVE ILLI VERA MONERI] Proprie loquitur. Hinc toties in Inscriptionibus antiquis, SOMNIO ADMONITUS. Juvenalis Sat. 6. ℣. 527.

Ibit ad Aegypti finem, calidaque petitas

A

Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et fruſtra inmeritum praetimuiſſe velit.
Si mea nec turpi mens eſt obnoxia facto,
Nec laeſit magnos inpia lingua Deos.
Jam Nox aetherium nigris emenſa quadrigis
Mundum, caeruleas laverat amne rotas:

Nec

A Meroë portabit aquas, ut ſpargat in aede
Iſidis, antiquo quae proxima ſurgit Ovili.
Credit enim ipſius dominae ſe voce moneri.
En animam, & mentem, cum qua Dii nocte loquuntur!

Cicero orat. pro domo ſua C. 55. *Nemo umquam praedo tam barbarus atque immanis fuit, qui cum fana ſpoliaſſet, deinde aram aliquam in litore deſerto, ſomnis ſtimulatus, aut religione aliqua, conſecraret, non horreret animo, cum divinum numen ſcelere violatum placare precibus cogeretur.* Hinc ſomni, in quibus Dii adparerent, *moniti* dicebantur; ut praeclare docuit Nic. Heinſius ad Naſon. L. 13. Metam. ℣. 216. Sed ut rite tibi conſtet atque ordine de toto hoc negotio, evolvenda eſt epiſtola aurea diſertiſſimi viri Auguſti Buchneri, quae eſt viceſima ſecunda partis ſecundae. Multa iſtinc diſces, quae volupe fuerit didiciſſe.

13. EFFICIAT VANOS NOCTIS LUCINA TIMORES] Non bene *Lucinam* Cyllenius pro Luna capit, ſive pro Diana. Lucina hic eſt Juno: non illa, quam parturientes invocant; ſed quae lucis auctor perhibetur. Eſt enim ipſa ſive aër, ſive aëris praeſes Dea. Pompejus Feſtus: *Supercilia in Junonis tutela putabant, (in qua dicuntur mulieres etiam) quod iis protegantur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuat Juno. Unde ipſa Dea Lucina quoque dicta videtur.* Plures rationes adfert Varro lib. 4. de L. L. nempe a *luce* ductas. Sed *Lucinam* Plinius a *luco* dictam ait L. 16. C. 44. *Romae vero lotos in Lucinae area, anno qui fuit ſine magiſtratibus* CCCLXIX *urbis, aede condita, incertum ipſa quanto vetuſtior. Eſſe quidem vetuſtiorem non eſt dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur.* Poteſt & hoc verum eſſe: nam *lucum* dici a luce luminum, religionis cauſſa ex arboribus ſuſpenſorum; ſatis conſtat. Utramque etymologiam poſuit Naſo L. 2. Faſt. ℣. 435.

Monte ſub Eſquilio multis incaeduus annis
Junonis magnae nomine lucus erat.

tum ℣. 449.

Gratia Lucinae. dedit haec tibi nomina lucus;
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes.

Quam noſter *Lucinam*, eam Silius ſimpliciter *lucem* vocavit, hoc eſt diem, L. 10. ℣. 372.

Attonitum viſis, majoraque bella paventem
Poſt confecta ſopor Junonia juſſa reliquit;
Nec lux terribili purgavit imagine mentem.

14. PERTIMUISSE] Acute Gebhardus *praetimuiſſe*: nec dubito quin vere. Fuit metatheſis literarum. Plautus Amphitr. prolog. ℣. 29. de Jove comico:

Humana matre natus, humano patre,
Mirari non eſt aequum, ſibi ſi praetimet.

Seneca Epiſt. 98. *Poteſt fortunam cavere, qui poteſt ferre: certe in tranquillo non tumultuatur. Nil eſt nec miſerius nec ſtultius, quam praetimere. quae iſta dementia eſt, malum ſuum antecedere?* Utrobique ſimili modo, atque hic, peccatum fuit ante Gruteri manum ſalutarem.

17. JAM NOX AETHEREUM NIGRIS EMENSA QUADRIGIS MUNDUM] Melius ſcribemus *aetherium*; quo modo vetuſtiſſimae atque optimae quaeque bonorum auctorum membranae. *Mundum* etſi abſolute pro coelo ponunt poëtae, tamen gaudent juncto *aetherii* epitheto quaſi proprio ac ſolenni. Seneca Hippol. ℣. 332.

qua terra ſalo
Cingitur alto, quaque aetherio
Candida mundo ſidera currunt.

auctor Culicis ℣. 101.

Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aetherio ponit diſcrimina mundo.

de curru Noctis diximus quod ſatis ſit ad L. 2. Eleg. 1. ℣. 87. & ſimul monuimus, ſolum Albium noſtrum *quadrigas* ei dediſſe. Sane non vidi qui ſequeretur, extra unum Jo. Baptiſtam Marinum, in prologo Phyllidis Scyriae, quae eſt fabula multo venuſtiſſima Comitis Guidobaldi Bonarelli Roborei. Sic enim Nox ipſa illic loquitur:

Chiun-

Nec me sopierat menti Deus utilis aegrae
Somnus. sollicitas deficit ante domos.

Tan-

Chiunque hauer desia
Di mia condition piena contezza,
Questa bruna quadriga
Miri, e questi aurei fregi; e saprà poi
Qual'è, quanta i' mi sia.

Sed hanc quadrigam, tamquam rem nihili, intactam praeteriit interpres Gallus. quod equidem non possum probare.

18. CAERULEAS LAVERAT AMNE ROTAS] libri ferme *caeruleo* habent. sed ego istud verius arbitror. nam *caeruleus* frequenter ponitur pro nigro. Atque ita veteres accepisse, docet nos Servius ad L. 3. Aen. ℣. 64. Ideo hic color nocti tribuitur, & rebus nocturnis. Virgilius L. 3. Aen. ℣. 193.

Tum mihi caeruleus supra caput adstitit imber,
Noctem hiememque ferens; & inhorruit unda tenebris.

& L. 6. ℣. 410. de Charonte:

Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.

Papinius L. 1. Silv. 6. ℣. 85.

Vix dum caerula Nox subibat orbem;
Descendit media nitens arena
Densas flammeus orbis inter umbras,
Vincens Gnosiacae facem coronae.

idem poëta L. 2. Theb. ℣. 527.

Coeperat humenti Phoebum subtexere palla
Nox, & caeruleam terris infuderat umbram.

Claudianus L. 1. de raptu Proserp. 276.

sparso Nox humida somno
Languida caeruleis invexerat otia bigis.

Qui sequitur *amnis*, est Oceanus. de quo dictum ad L. 2. Eleg. 5. ℣. 62.

20. SOLLICITAS DEFICIT ANTE DOMOS] *solicitas*, unico L, habent libri quidam. Et sic Festum praecipere videbis in voce *Solicitare*. id quod variis rationibus adstructum ivit Claudius Dausquius parte secunda Orthographiae; addens, numquam geminari debere literam L; solis hoc poëtis concedi, quo prima syllaba extendi possit. At Vossius noster ex *sollum*, quod Oscis erat *totum*, & *citare* compositum *sollicitare* arbitratur; atque hac ratione duplici LL recte efferri. In altero hemistichio Nicolaus Heinsius *deficit ille domos* scribendum putabat, Not. ad Ovid. L. 2. Metam. ℣. 382. Sed consideremus verbi significatum: nam & pro eo quod est desero, relinquo, ponitur; & pro eo quod est defetiscor, desisto, vincor. Servius in L. 1. Geor. ℣. 290. *noctes lentus non deficit humor*] *non deserit. Unde & qui deserunt exercitum ad hostes transeuntes, defectores vocantur.* Priscianus L. 8. p. 801. *Deficio quando pro relinquo accipitur, habet passivum: quando vero pro defetiscor, neutrum est. Juvenalis in* III. *Sic Matho defecit.* Est hic mendum: nam Juvenalis ita habet Sat. 7. ℣. 129. *Sic Pedo conturbat, Matho deficit.* Pergit Grammaticus, p. 804. *Sunt alia, quae una voce & una conjugatione diversas tamen habent significationes.* —— —— *Deficio, pro desisto & vincor. Sallustius in Jugurt. Ab rege defecerant. i. e. destiterant. Juvenalis in* IV.

& fragor aurem
Percutit, eventum viridis quo colligo panni.
Nam si deficeret, &c.

id est, si vinceretur. Priore notione τὸ *deficit* hic sumi non potest, nisi dicamus Somnum habitare in domibus mortalium, atque eas, simul ac curis & aegrimonia opplentur, deserere. Ille vero in speluncis Cimmeriorum nidulatur, & cum nocte provolans demulcet curas & corda oblita laborum; nisi sicubi in foribus excubat deformis sollicitudo, eumque a limine atque ingressu arcet haud nolentem. Hac ratione corruit emendatio Heinsiana. Sed probabilius idem Vir magnus in Adversariorum reliquiis legebat, *sollicitas desit is ante domos.* Sane videri poterat provocabulum *is* aut *ille* hoc loco desiderari. Neque tamen insolens est, nec sine exemplo, provocabuli omissio in hac brevitate. Ita frequenter Naso in Fastis. uno exemplo defungemur, L. 2. ℣. 444.

Augur erat: nomen longis intercidit annis.
Nuper ab Etrusca venerat exsul humo.

Sed nec vitii quidquam est in verbo *deficit.* Maro L. 3. Geor. ℣. 95.

Hunc quoque, ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo; nec turpi ignosce senectae.

Propertius L. 2. Eleg. 21. ℣. 35.

Deficiunt magico torti sub carmine rhombi.

in lusibus liberis Carm. 25.

Defecit latus, & periculosam
Cum tussi miser exspuo salivam.

21. TAN-

Tandem quum ſummo Phoebus proſpexit ab ortu,
Preſſit languentis lumina ſera quies.
Hic juvenis caſta redimitus tempora lauru
Eſt viſus noſtra ponere ſede pedem.
Non illo quidquam formoſius ulla priorum
Aetas, humanum nec videt illud opus.

In-

21. TANDEM QUUM SUMMO PHOEBUS PROSPEXIT AB ORTU] Eſt in quibusdam *cum ſomno.* id quod in Vaticano inventum comprobare viſus fuit Achilles; quaſi diceret poëta, Phoebus oriens & Somnus tandem me proſpexere, & quaſi miſerati conſopivere. Perperam profecto: nec effugit hoc Gebhardi dentem. Sed non potuit tam inprudenter labi vir doctus, niſi deceptus a libris qui *cum* ſcriberent pro *quum.* Parem errorem deprehendimus ſupra L. I. Eleg. I. ℣. 64. Neque tamen deſunt, qui veram ſcripturam ac rectam e finibus Latii eliminatam velint. Sed tu conſule doctiſſimi viri Chriſtophori Cellarii Orthographiam Latinam p. 140.

22. PRESSIT LANGUENTIS LUMINA SERA QUIES] *quies ſera,* quae inciperet cum Sole oriente; quo tempore alii mortales ad conſueta quisque munia jam conſurrexerant. Sed pro *ſera,* in libris nonnullis *feſſa* reperitur. quod ſi recipimus, ad *lumina* erit referendum. Sic L. I. Eleg. *9.* ℣. 72.

Et tua jam fletu lumina feſſa tument.

Sed ego receptam ſcripturam non ſollicito. Pariter ferme Andromache apud Tragicum Romanum Troad. ℣. 438.

Partes fere Nox alma transierat duas,
Clarumque ſeptem verterant ſtellae jugum:
Ignota tandem venit afflictae quies,
Brevisque feſſis ſomnus obrepſit genis.

23. CASTA REDIMITUS TEMPORA LAURO] *lauru* ſcribendum videtur; ſiquidem credimus veteribus magiſtris. Flavius Chariſius L. I. Inſtit. Grammat. p. 110. *Lauro, Maro:* faciemque ſimillima lauro. *Sed ablativum ſingularem dativo non habet ſimilem. ait enim Plinius, huic lauro, & tamen ab hac lauru, & laurum fecere.* Haec autem arbor cur *caſta* dicatur, exponit Naſo in fabella Daphnes, L. I. Metam. ℣. 555. de Apolline:

Complexusque ſuis ramos, ut membra, lacertis,
Oſcula dat ligno: refugit tamen oſcula lignum.
Cui Deus, At conjux quoniam mea non potes eſſe,
Arbor eris certe, dixit, mea. ſemper habebunt
Te coma, te citharae, te noſtrae, laure, pharetrae.

24. EST VISUS] ſolennis locutio in re ſomniorum. Sic Ennius, ſic Attius, apud Ciceronem L. I. de Divinat. C. 20. ſqq. Plautus Merc. Act. 2. Sc. I. ℣. 5. ubi Demipho ſomnium ſuum denarrat:

Mercari viſus mihi ſum formoſam capram,
Ei ne noceret, quam domi ante habui capram,
Neu discordarent, ſi ambo in uno eſſent loco;
Poſterius quam mercatus fueram, viſus ſum
In cuſtodiam eam ſimiae concredere.

Atque ita Virgilius L. 2. Aen. ℣. 271. L. 4. ℣. 467. L. 5. ℣. 722. Horatius L. I. Sat. 10. ℣. 33. Propertius L. 3. Eleg. 2. ℣. I. L. 4. Eleg. 7. ℣. 3. Ovidius L. II. Metam. ℣. 673. Valerius Flaccus L. I. Argonaut. ℣. 301. Pulcre Tullius L. 4. Acad. Quaeſt. C. 16. *Omnium inanium viſorum una depulſio eſt, ſive illa cogitatione informantur; quod fieri ſolere concedimus; ſive in quiete, ſive per vinum, ſive per inſaniam. nam ab omnibus ejusdemmodi viſis perſpicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abeſſe dicemus. Quis enim, cum ſibi fingit aliquid, & cogitatione depingit, non, ſimul ac ſe ipſe commovit, atque ad ſe revocavit, ſentit quid interſit inter perſpicua & inania? Eadem ratio eſt ſomniorum. Num cenſes Ennium, cum in hortis cum Ser. Galba vicino ſuo ambulaviſſet, dixiſſe, Viſus ſum mihi cum Galba ambulare? At cum ſomniavit, ita narravit:*

viſus Homerus adeſſe poëta.

idemque in Epicharmo:

Nam videbar ſomniare med ego eſſe mortuum.

Itaque, ſimul ut experrecti ſumus, viſa illa contemnimus: neque ita habemus, ut ea quae in foro geſſimus.

Intonsi crines longa cervice fluebant:
Stillabat Syrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem praefert Latonia Luna:
Et color in niveo corpore purpureus.

Ut

27. INTONSI CRINES LONGA CERVICE FLUEBANT] de coma Apollinis semper intonsa, ac prolixa, passim poëtae. Hinc & cognomine non uno insigniebatur: ἀκερσεκόμης, ἀκειροκόμας, κουροτρόφος, & *crinitus* Latinis, audiebat: & caesariem multa cura nutrire perhibebatur, decôra uti esset ac prolixa. Martialis L. 4. Epigr. 45.

Perpetuo sic flore mices; sic denique non sint
Tam longae Bromio, quam tibi, Phaebe, comae.

Talem Apollinem, longe pulcerrimum, videre potes apud Causeum de la Chausse Musaei Romani sectione 1. num. 8. & sect. 2. num. 2.

28. STILLABAT TYRIO MYRTEA RORE COMA] Georgius Fabricius, vir praeclarus, Castig. in Terent. Adelph. Act. 1. Sc. 2. legebat ex scriptis *Spirabat*; idque firmabat auctoritate Maronis L. 1. Aen. ℣. 403.

Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere.

Sane in uno nostro, sed unico, est *Spirabat*. Et scio Valerium Flaccum sic loqui L. 6. ℣. 129.

Hic & odorato spirantes crine Micelae,
Cessaeaeque manus.

Sed res est alia: neque hic tam agitur de odore, quam de profusa copia preciosissimi unguenti. Callimachus Hymno Apollinis, ℣. 38.

Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια.
Οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι,
Ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν. ἐν ἄστει δ' ᾧ κεν ἐκεῖναι
Πρῶκες ἔραζε πέσωσιν, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.
Capilli vero odoriferis in terram stillant oleis.
Non adipe crines Apollinis stillant,
Sed ipsa panacea. In urbe autem quacumque illae
Guttae in terram deciderint, omnia incolumia redduntur.

Quem locum ubi interpretatur Inlustrissimus Spanhemius, simul quoque Albium nostrum admirabili luce invisitatae eruditionis uberrime perfudit. Sequitur *Tyrio*, quod in *Syrio* recte mutarunt jam olim viri doctissimi. *Ros Syrius* est aut stacte, aut malobatrum, aut denique balsamum. Deinde *myrrhea*, non *myrtea*, malebat Muretus, & Hadrianus noster Junius Comment. de Coma cap. 7. ac Nicolaus Heinsius Not. ad Ovidii Metamorphoses. Sed tu Scaligerum consule.

29. CANDOR ERAT, QUALEM PRAEFERT LATONIA LUNA] Certe nihil Luna formosius. ille regum sapientissimus, de sponsa sua, Cantic. C. 6. ℣. 9. *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol?* Sed & poëtae nostri libentissime hoc typo gratissimo utuntur. Horatius L. 2. Od. 5. ℣. 19.

Dilecta, quantum non Pholoë fugax,
Non Chloris; albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari.

Naso Epist. Leandri ℣. 67. ad Lunam de Herûs pulcritudine:

Neu referam mores caelesti pectore dignos;
Forma nisi in veras non cadit illa Deas.
A Veneris facie non est prior ulla, tuaque.
Neve meis credas vocibus, ipsa vides.
Quanto, cum fulges radiis argentea puris,
Concedunt flammis sidera cuncta tuis;
Tanto formosis formosior omnibus illa est.
Si dubitas, caecum, Cynthia, lumen habes.

Seneca Hippol. ℣. 743.

Pulcrior tanto tua forma lucet,
Clarior quanto micat orbe pleno,
Cum suos ignes coëunte cornu
Junxit, & curru properante pernox
Exserit vultus rubicunda Phoebe:
Nec tenent stellae faciem minores.

Purissimus ille nequam: *Delectata illa risit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre.* Corippus L. 2. de laudibus Justini minoris, ℣. 72.

It sacrum comitata latus pulcerrima proles,
Luce sua plenam quae possit vincere Lunam,
Aequiparans humeris matrem: sic lucida cultu,
Sic niveis formosa genis, similisque parenti.

Torquatus Tassus, parte quarta Poëmatiorum p. 103.

Tu bianca e vaga Luna,
C' hai tanti specchi quanti sono i mari,
Mira questo candor, ch' è senza pari.

A













Ut juveni primum virgo deducta marito
  Inficitur teneras ore rubente genas.
Ut quum contexunt amaranthis alba puellae
  Lilia: ut Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis inludere palla,
  Namque haec in nitido corpore vestis erat.

Artis

A lei mena i tuoi balli, à lei distilla
Le tue dolci rugiade;
Specchiati con lei con amoroso affetto.

Quae verba hunc ferme sensum habent: quamquam haec cum timida admiratione interpretamur:

Cynthia, cui speculum praestant maris aequora cuncti,
Scisne mea quidquam candidius Venere?
Huc age, Diva, choros; huc dulces deplue rores:
Inque oculis oculos illius usque tene.

Joannes Baptista Piscarius, Cant. 2. della morte di Ruggiero, st. 18.

Chiamata per suo nome Spinabella,
Più vaga che la Luna, e più ch' il Sole
Chiara, e serena più ogni alma stella,
Di gentilezza ornata, e cortesia,
Piaceuole, gentil, honesta, e pia.

31. UT JUVENI PRIMUM VIRGO DEDUCTA MARITO] sponso. Virgilius L. 4. Aen. ℣. 536.

rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?

Valerius Flaccus, generosissimi spiritus poëta, L. 8. Argonaut. ℣. 16.

Haemonio non adspernanda marito
Condita letiferis promit medicamina cistis;
Virgineosque sinus, ipsumque monile venenis
Implicat.

Vide Servium ad L. 2. Aen. ℣. 343. & ad L. 4. ℣. 35. Verbum *deducendi* est proprium in hoc negotio, & notae significationis. Quod tamen quam infeliciter hic intellexerit Achilles Statius, malo videas tutemet in ejus Commentario. Neque ego monerem, nisi hanc gemmulam centonibus suis insuisset ille, qui Notas nobis Variorum consarcinavit olim.

33. UT QUUM CONTEXUNT AMARANTHIS ALBA PUELLAE LILIA] Inlustravi hunc locum ad Propert. L. 2. Eleg. 2. ℣. 21. quibus multa alia adjici possunt non multo labore, si quis hoc agat.

34. ET AUTUMNO CANDIDA MALA RUBENT] legendum, opinor, *ut Autumno*. Ipsa comparatio est a Theocrito desumta, Idyll. 7. ℣. 117.

Ὦ μάλοισιν Ἔρωτες ἐρευθομένοισιν ὁμοῖοι.

vertit Helius Eobanus:

At vos o pueri qui suave rubetis Amores,
Purpureis similes malis.

Sic autem Daniel Heinsius:

Pomis aemula turba rubentibus, agmen Amorum.

35. IMA VIDEBATUR TALIS INLUDERE PALLA] Hic est cantoris Phoebi ornatus apud Nasonem L. 11. Metam. ℣. 165.

Ille, caput flavum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla:
Instructamque fidem gemmis & dentibus Indis
Sustinet a laeva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status ipse fuit. tum stamina docto
Pollice sollicitat.

& Amor. L. 1. Eleg. 8. ℣. 59.

Ipse Deus vatum, palla spectabilis aurea,
Tractat inauratae consona fila lyrae.

Propertius *longam vestem* vocat L. 2. Eleg. 23. ℣. 16.

Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem,
Pythius in longa carmina veste sonat.

talis palla & vatum fuit, & musicorum: qui utrique in hujus Dei tutela. Virgilius L. 6. Aen. ℣. 645.

Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Valerius Flaccus L. 1. Argonaut. ℣. 383.

Hic vates, Phoebique fides non vana parentis,
Mopsus; puniceo cui circumfusa cothurno
Palla imos ferit alba pedes, vittataque frontem
Cassis, & in summo laurus Peneïa cono.

Et hic quidem candidam videmus in vate; argumentum, credo, veracitatis. Sed citharoedi purpuream gestabant, aut acu preciose pictam. Naso L. 2. Fast. ℣. 103. de Arione:

Ille

Artis opus rarae fulgens testudine & auro
Pendebat laeva garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit.

Sed

Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram. capit ille coronam;
Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice chorda sonos.

Apulejus L. 1. Florid. ubi Bathylli statua describitur: *Eique prorsus citharoedicus status Deam conspiciens, canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsus ad pedes dejectus ipsos, Graecanico cingulo: chlamyda velat utrumque brachium adusque articulos palmarum.*

37. FULGENS TESTUDINE ET AURO] Lyrae variis modis exornabantur, neque una semper materia; auro, gemmis, ebore, testudine. nam & testudo inter preciosissima luxuriae instrumenta habebatur. Horatius L. 2. Od. 11. ℣. 22.

eburna dic, age, cum lyra
Maturet, incomtam Lacenae
More comam religata nodo.

Ovidius L. 8. Metam. ℣. 14.

Regia turris erat vocalibus addita muris:
In quibus auratam proles Latoïa fertur
Deposuisse lyram.

& L. 11. ℣. 167.

Instructamque fidem gemmis & dentibus Indis
Sustinet a laeva.

tum, quod rem omnem conficit, cultissima Sulpicia nostra, infra L. 4. Carm. 2. ℣. 22.

Hanc vos, Pierides, festis cantate Kalendis,
Et testudinea Phoebe superbe lyra.

Nec mirum videri debet tam magnifice excultam fuisse lyram Apollinis, Dei & semper juvenis, & multo opulentissimi. Callimachus Hymn. in Apoll. ℣. 32.

Χρύσεα τῷ 'πόλλωνι, τό, τ' ἐνδυτὸν, ἥτ' ἐπιπορπὶς,
Ἥτε λύρη, τό, τ' ἄεμμα τὸ Λύκτιον, ἥ τε φαρέτρη.
Χρύσεα καὶ τὰ πέδιλα. πολύχρυσος γὰρ Ἀπόλλων,
Καὶ τε πολυκτέανος.

Aurea sunt Apollini & amictus, & fibula,
Et lyra, & arcus Lyctius, & pharetra:
Aurei sunt etiam calcei. nam multo auro Phoebus
Et omnium rerum copia affluit.

in Floridis Apuleji Satyrus Marsya Apollinem culpabat, *quod esset & coma intonsus, & genis gratus, & corpore glabellus, & arte multiscius, & fortuna opulentus. Quid, quod & vestis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians? quid, quod & lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?* Ebur vero, atque aurum, & argentum, & gemmas quum ab ultimo aevo adhibuerint ad res adfabre exornandas, addidit ingeniosa luxuria testudinem, istis singulis non minus caram. Papinius, de cavea psittaci Melioris, L. 2. Silv. 4. ℣. 11.

At tibi quanta domus rutila testudine fulgens,
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo!

Juvenalis Sat. 6. ℣. 80.

Ut testudineo tibi, Lentule, conopeo
Nobilis Euryalum mirmillonem exprimat infans.

&, de priscis illis ac severis Romuli nepotibus, Sat. 11. ℣. 93.

Nemo inter curas & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum.

Acrius etiam Seneca, sub persona Demetrii, L. 7. de Benefic. C. 9. *Prima mihi luxuriae spolia propone; sive illa vis per ordinem expandere, sive (ut est melius) in unum acervum dare. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, & foedissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus preciis emtas; in quibus ipsa illa quae placet varietas, subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur.* Plinius L. 9. C. 11, tempus notat, quo natae sunt ignotae antea deliciae: *Testudinum putamina secare in laminas, lectosque & repositoria his vestire, Carbilius Pollio instituit, prodigi & sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii.* Vixit ille paullo ante bellum civile Marii & Sullae, auctore eodem Plinio L. 33. C. 11.

41. SED

Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit haec dulci tristia verba modo.
SALVE cura Deûm: casto nam rite poëtae
Phoebusque, & Bacchus, Pieridesque favent.
Sed proles Semelae Bacchus, doctaeque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.

41. Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti] Pulcre exprimit gestum Dei citharoedi. Est autem locutio non multum absimilis huic Lucretianae, L. 4. ℣. 980.

Et citharae liquidum carmen chordasque loquenteis
Auribus accipere.

Multa, quae huc faciant, congessit eruditissimus Barthius ad Claudiani Panegyricum in consulatum Flavii Manlii Theodori, ℣. 309. p. 177.

42. Edidit haec tristi dulcia verba modo] Haec sunt ridicule corrupta, atque inversa. Scilicet valde dulcia fuere verba Phoebi, amoris discidium ac vastitatem poëtae flebiliter praenuntiantis. Vera scriptura fuit, aut ego hic nihil video,

Edidit haec dulci tristia verba modo.

Jucundo concentu rem tristissimam est emodulatus. Ad hanc emendationem codices mihi aliquot praeiverunt, in quibus non *tristi*, sed *dulci* exaratum est, conspicuo vocum male transpositarum argumento. Non admodum disparia sunt ista Jovis Maroniani ad suam Junonem, L. 12. Aen. ℣. 801.

Nec te tantus edat tacitam dolor: & mihi curae
Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent.

45. Sed proles Semeles Bacchus] scribe *Semelae*, ex libris. Horatius L. 1. Od. 19. ℣. 2.

Mater saeva Cupidinum,
Thebanaeque jubet me Semelae puer.

ita istic libri meliores magno numero; non, ut vulgo editur, *Semeles*. Sic *Andromedae*, *Penelopae*, *Circae*, apud eundem poëtam aliis locis reperire est. Ceterum ex hisce Albii nostri verbis adparet, solos Deos fatidicos eventura praescivisse; non etiam alios, quamvis primi ordinis ac loci. Valerius Flaccus L. 7. Argonaut. ℣. 190.

Caucasiis speculatrix Juno resedit
Rupibus, attonitos Aeaea in moenia vultus
Speque metuque tenens, & adhuc ignara futuri.

Exempla duo egregia sunt apud principem poëtam, L. 1. Aen. ℣. 228. & L. 12. ℣. 791. unum apud Nasonem L. 15. Metam. ℣. 803. Tamen cur noster ab honore vaticinandi secludat Bacchum, non satis caussae reperire queo: nisi Liberum patrem eundem esse Deum, quem Apollinem, statuamus. Sic quidem Macrobius L. 1. Saturn. C. 18. *Haec quae de Apolline diximus, possunt etiam de Libero patre dicta aestimari. Nam Aristoteles, qui Theologumena scripsit, Apollinem & Liberum patrem unum eundemque Deum esse, cum multis argumentis asserat, etiam apud Ligyreos ait in Thracia esse adytum Libero consecratum, ex quo redduntur oracula. Sed in hoc adyto vaticinaturi plurimo mero sumto, uti apud Clarium aqua potata, effantur oracula.* Hic tamen alter & alter clare aperteque distinguuntur. Oraculum Bacchi in Thracia commemorat Pausanias Boeoticis, sive L. 9. nec tamen Bacchum cum Apolline confundit. Idem Pausanias in Phocicis, sive L. 10. refert, apud Amphicleam esse adytum, in quo arcana Libero patri sacra fiant: eo ducere certam quamdam semitam: signum vero in conspectu esse nullum. Narrare autem ipsos cives, & futura sibi Deo auctore praedici, & contra morbos in promtu esse remedia: quod & in somnis quum ipsi tum finitimi ab eo de morborum medelis moneantur; & sacerdos, divino adflatu instinctus, de futuris consulentes certiores faciat. Apud Papinium baccha est vaticinatrix L. 9. Theb. ℣. 378. quam insaniam ne putes esse solennem baccharum tumultum, obstat ipsa vates, ℣. 396.

Eloquar: en urges: alium tibi, Bacche, furorem
Juravi. &c.

deinde infit poëta:

sic fata gelatis
Vultibus, & Baccho jam demigrante quievit.

Neque aliter, opinor, intelligi debet Horatius, in illa admirabili oda, quae est nona decima libri secundi:

At mihi fatorum, leges, aevique futuri
Eventura pater posse videre dedit.

Quare

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem; credite posteri;
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

46. DICERE NON NORUNT, QUID FERAT HORA SEQUENS] Pulcre Caecilius hoc ipsum *futura praecerpere* vocavit, in illo pulcerrimo Minucii Felicis libello: *Inde adeo pleni & mixti Deo vates futura praecerpunt, dant cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris, solatium calamitatibus, laboribus levamentum.* Addit porro, quod faciat ad somnium Tibulli: *Etiam per quietem Deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, pejeramus.* Est autem hic participium in fine versus pentametri. At enim magistri damnant hanc compositionem in exitu cujuscumque versus. Servius ad L. 3. Aen. ℣. 300. *Progredior portu, classes & litora linquens] Notandum sane, finitum esse versum participio: quod raro apud Latinos est, apud Graecos vitiosissimum.* Aegre adducor ut credam haec esse ab illo Honorato, & doctissimo grammatico, & interprete diligentissimo, & in lectione poëtarum tritissimo. Ergo illi exciderant plus quam quinquaginta versus Maroniani in participium exeuntes? ut nihil dicam de aliis poëtis. Quos omnes caecutisse in decore carminis, quis huic tribuno concedat? Sed eum jam olim retuderunt viri doctissimi, Nicolaus Erythraeus lib. de licentia & diligentia carminis Virgiliani C. 12. Jac. Pontanus L. 2. Instit. Poëtic. C. 11. & noster Vossius L. 3. Instit. Poëtic. C. 7. §. 6. Certe Propertius (quo viro nemo umquam peritius expendit numeros carminis Elegiaci) in fine pentametri non extimuit participium collocare, L. 3. Eleg. 19. ℣. 20.

Semper amet, fructu semper amoris egens.

& ejusdem libri Eleg. 14. ℣. 24.

Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Sed nec Secundus noster, Propertio suo in hac arte nihil inferior, Juliae Eleg. 11.

Semper amet, dulci semper amore fruens.

Quin nec ipse Naso abhorruit, L. 3. Fast. ℣. 634.

Omnia promittit, falsumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, dissimulatque fremens.

L. 3. Art. Amat. ℣. 258.

Formosae minus artis opem praeceptaque curant:
Est illis sua dos, forma sine arte potens.

In Iambis quoque cothurnatis frequenter reperitur apud Tragicos Romanos.

47. AT MIHI FATORUM LEGES, &c.] locus notabilis. non enim frustra dicit, ab Jove patre factum se vatem fuisse. Nam neque ipse Apollo vaticinabatur, nisi quae ei Jupiter praediceret. Atque hinc *Jovis patris propheta* vocabatur. Pulcre Eustathius apud Macrobium L. 5. Saturn. C. 22. exponens Maronis verba ex L. 3. Aen. ℣. 251. *Neque unde translatum sit quaeritur,*

Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.

In talibus locis grammatici excusantes inperitiam suam, inventiones has ingenio magis quam doctrinae Maronis assignant: nec dicunt eum ab aliis mutuatum, ne nominare cogantur auctores. Sed affirmo doctissimum vatem etiam in hoc Aeschylum, eminentissimum Tragoediarum scriptorem, secutum: qui in fabula, quae Latina lingua Sacerdotes *inscribitur, sic ait;*

Στέλλειν ὅπως τάχιστα. ταῦτα γὰρ πατὴρ
Ζεὺς ἐγκαθίει Λοξίᾳ θεσπίσματα.

& alibi;

Πατρὸς προφήτης ἐστὶ Λοξίας Διός.

Et quid clarum factum est inde sumsisse Virgilium, quod Apollo ea vaticinetur, quae sibi Jupiter fatur? Servius, ad eumdem poëtae locum: *Tribuit* [Celaeno] *auctoritatem, ne possint a se dicta, quasi ab irata conficta, contemni. Simul notandum, Apollinem, quae dicit, ab Jove cognoscere.* Sane omnium vaticiniorum fons atque origo Jupiter habebatur. Quocirca minus recte Lucanus Phoebum, hausto Delphici hiatus spiritu, vatem factum prodidit L. 5. Pharsal. ℣. 77.

Tu quoque vix summam seductus ab aequore rupem
Extuleras, unoque jugo, Parnase, latebas.
Ultor ubi expulsae, premerent cum viscera partus,
Matris adhuc rudibus Paean Pythona sagittis
Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret.
Ut vidit Paean vastos telluris hiatus

Divi-

Quare ego quae dico non fallax, accipe, vates:
Quodque Deus vero Cynthius ore feram.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro:
Pro qua sollicitas caelestia numina votis,
Quae tibi securos non sinit ire dies:
Et quum te fusco Somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus:

Car-

Divinam spirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare solum; sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus, Apollo.

Vide Inlustrissimum Spanhemium ad Callimach. Hymn. in Jovem, ℣. 69. Hymn. in Pallad. ℣. 121.

49. Quare ego quae dico] Fuit igitur oraculum, ut dixi, non insomnium. Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 3. *Et est oraculum quidem, cum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus, aperte eventurum quid, aut non eventurum, faciendum vitandumve denuntiat.* Talium oraculorum multa sunt exempla apud optimos scriptores. Maro L. 2. Aen. ℣. 270.

In somnis, ecce, ante oculos moestissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentis. &c.

L. 3. ℣. 147.

Nox erat, & terris animalia somnus habebat.
Effigies sacrae Divûm, Phrygiique Penates,
Quos mecum a Troja, mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos adstare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per insertas fundebat luna fenestras.
Tum sic adfari, & curas his demere dictis: &c.

L. 4. ℣. 351.

Me patris Anchisae, quotiens humentibus umbris
Nox operit terras, quotiens astra ignea surgunt,
Admonet in somnis & turbida terret imago.

L. 5. ℣. 720.

Tum vero in curas animum diducitur omnis:
Et Nox atra polum bigis subvecta tenebat.
Visa dehinc caelo facies delapsa parentis
Anchisae, subito talis effundere voces: &c.

L. 8. ℣. 26.

Nox erat; & terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas tristi turbatus pectora bello
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic Deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondis
Visus. eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crinis umbrosa tegebat arundo.
Tum sic adfari, & curas his demere dictis: &c.

Lycas ille Arbitri: *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quem quaeris, scito a me in navem tuam esse perductum. Exhorruit Tryphaena, &, Putes, inquit, una nos dormiisse: nam & mihi simulacrum Neptuni, quod Bajis in peristylio notaveram, videbatur dicere, In navi Lycae Gitona invenies.* Plura alia videbis, si voles, apud Horatium L. 1. Sat. 10. ℣. 31. Nasonem L. 9. Metam. ℣. 685. L. 15. ℣. 651. L. 5. Fast. ℣. 456. & L. 3. Pontic. Epist. 3. Livium L. 2. C. 36. Valerium Maximum L. 1. C. 7. Tacitum L. 1. Annal. C. 65. & L. 2. C. 14. Macrobium L. 1. Saturn. C. 11. atque alios infinitos.

50. Quodque Deus vero Cynthius ore ferat] Istud *ferat* minus commode respondet verbo *dico*, & provocabulo *ego*, quae sunt in versu longiore. Scribendum arbitror *feram*; ut ne dissimile sit illi Maroniano,

vobis Furiarum ego maxima pando.

De veracitate Apollinis, ejusque oraculorum fide, res pulcras notavit Inlustrissimus Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Apollin. ℣. 68. p. 88. Hinc *veridicum Deum* κατ' ἐξοχὴν vocat Seneca Agamemn. ℣. 255.

Effusa circa pellicum quanto venit
Turba apparatu! sola sed turba eminet,
Tenetque regem famula veridici Dei.

56. Vanum nocturnis fallit imaginibus] Nihil magis domesticum, aut familiare magis amantibus. Horatius L. 4. Od. 1. ℣. 37.

Nocturnis te ego somniis
Jam captum teneo, jam volucrem sequor

Carminibus celebrata tuis formosa Neaera
Alterius mavult esse puella viri.
Diversasque tuis agitat mens inpia curas,
Nec gaudet casta nupta Neaera domo.

Ah

Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.
Propertius L. 4. Eleg. 4. ℣. 63.
Experiar somnum: de te mihi somnia quaeram.
Fac venias oculis umbra benigna meis.
Caussam reddit Lucretius L. 4. ℣. 961. sed ita, ut generaliter de toto somniorum grege loquatur:
Et quoi quisque fere studio devinctus adhaeret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens,
In somnis eadem plerumque videmur obire.
deinde varias subjungit species somniorum; quae cuncta Epicurus inania arbitrabatur, atque omnis divinationis expertia. Sed haec amantium somnia non incommode revocari possunt ad quintam classem somniorum, in qua classe phantasmata continentur. Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 3. φάντασμα *vero, hoc est* visum, *cum inter vigiliam & adultam quietem in quadam, ut ajunt, prima somni nebula adhuc se vigilare aestimans, qui dormire vix coepit, adspicere videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, a natura seu magnitudine seu specie discrepantes, variasque tempestates rerum vel laetas vel turbulentas.* Aptissime autem Apollo hic utitur *fallendi* verbo: nam quum amantes, itidem ut Sabini, ea fere somnient, quae volunt ac desiderant quam ardentissime; fieri omnino non potest, quin frequenter decipiantur. Sed est in hoc lusu dulce quoddam ac jucundum ludibrium. Nec male Servius ad Eclog. 2. ℣. 58. & 60. *Eheu, quid volui misero mihi?* &c. *Quem fugis ah demens?*] *Quomodo eum discedere dicit, quem supra cum eo diximus non fuisse? Nam ait*, solus montibus & silvis. *Sed ratione non caret. Epicurei enim dicunt (quod etiam Cicero tractat) geminam esse voluptatem: unam, quae percipitur; & alteram imaginariam, scilicet eam quae nascitur ex cogitatione. Unde ita debemus accipere hunc versum, per cogitationem, illa imaginaria voluptate, qua & cernere & alloqui videbatur absentem. Sed postquam objurgatione sua in naturalem prudentiam est reversus, caruit utique illa imaginaria voluptate, ubi nunc sibi se obfuisse dicit per hanc ratiocinationem,*
Rusticus es, Corydon. nec munera curat Alexis:
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Haec doctissimus ille Grammaticus. Quas noster *nocturnas* vocat imagines, eas Varro *somnurnas* appellavit in Prometheo liberato; ut quidem castigavit Josias Mercerus;
Levis mens numquam somnurnas imagines
Adfatur, non umbrantur somno pupulae.
super quo Varronis loco vide, si tanti est, Salmasium ad Solin. p. 1086. Scaliger legebat, in Castigationibus Catullianis:
Levisomna mens sonorinas imagines
Adfatur.
Ausonius autem Popma sic edidit:
Lenis mens cum somnorinas imagines
Adfatur.
Sed hac ratione non stabit versus, eritque in sede tertia trochaeus pro iambo, vel certe pro spondaeo. neque enim extendi potest secunda syllaba in voce *somnorinus*; si tamen vox ea legitime procusa est. Quod equidem vix arbitror: quamquam scio non displicuisse viro magno Paullo Melisso Schedio in Emmetris:
O imago somnorina
Oculis meis in monte praefigurata Regio, cum adhuc
Puer essem, & mihi nondum
Tegeret lanugo pilosa genas.
59. DIVERSASQUE SUAS AGITAT MENS INPIA CURAS] Istud *suas* quid velit sibi, nemo facile dixerit. Achilles quidem exposuit, Suas curas agitat, diversas a te. id est, aliorum amores, non tuos cogitat. Hunc ille sensum firmabat auctoritate Maronis, L. 12. ℣. 487.
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Sed aliud voluit Tibullus, aliud Maro. Elegantissimus autem Muretus legebat, *Diversasque suis.* id quod bene exponit noster Douza, propinquis ac gentilibus, quibus puella curae erat; vel potius parenti utrique etiam tunc superstiti. sic *diversas suis* erit idem, quod contrarias suis. Vide sis ejus Praecidanea pro nostro Albio C. 11. Sed

idem

Ah crudele genus, nec fidum femina nomen!
Ah pereat, didicit fallere siqua virum!
Sed flecti poterit. mens est mutabilis illis.
Tu modo cum multa brachia tende prece.

65 Sae-

idem ille vir nobilissimus ad oram codicis domestici notavit, Lipsio legendum videri, *Diversasque tuis.* Gebhardus vero a poëtae manu fuisse ait, *Diversoque suas.* h. e. alio suas cogitationes, mentem, atque amorem agit Neaera. qua emendatione nihil esse certius pronuntiat. At ego Lipsianam credo veriorem. Neaera illa, o noster Albi, quam tu ardes tam inpotenter, illa Neaera non respondet tibi in amore, & curas animo fovet a tuis curis diversissimas.

63. MENS EST MUTABILIS ILLIS] sic melius, quam *illi.* Et sic Albertus de Eyb jam olim laudavit in sua Margarita Poëtarum. Georgius quoque Fabricius in tribus manuscriptis invenisse se *illis* testatur Castig. in Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. quibus tribus accedunt alii complures. Quum de sola Neaera loqueretur Phoebus, ad totum sexum transtulit hanc animi volubilitatem. Ita & Mercurius apud divinum poëtam, L. 4. Aen. ℣. 569.

Eja age, rumpe moras. varium & mutabile semper
Femina.

at sermo de una Didone instituebatur.

64. TU MODO CUM MULTA BRACHIA TENDE FIDE] Exposuit Achilles: Supplex ora; crediturus, si quid pollicebitur. Vel, In fide permanens puellae, nec ab ejus amore discedens. Sic ille. At Douza noster *cum multa fide* dictum ait pro eo quod est, multum obtestando, & implorando ipsius fidem. simul rejicit scripturam ad oras paginarum in quibusdam editionibus adjectam, *cum multa brachia tende prece*, tamquam vanam, ex similitudine alterius loci, initio Elegiae superioris,

Blandaque cum multa tura dedisse prece.

Horum ego nihil probare possum. Brachia tendebant victi, simul ad precandum, simul in signum quo se victos faterentur; atque hoc ipso facto transibant in jus & arbitrium victoris, cujus fidem atque clementiam suppliciter implorabant. Praeclarissimus est locus apud divinum poëtam, L. 12. Aen. ℣. 930. de Turno:

Ille humilis supplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere sorte tua. miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro, (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectae.
Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre. tua est Lavinia conjunx:
Ulterius ne tende odiis.

Ovidius L. 5. Metam. ℣. 175.

trepidum Persea, & inermia frustra
Brachia tendentem Cyllenide confodit harpe.

deinde de Phineo, ℣. 214.

atque ita supplex,
Confessasque manus obliquaque brachia tendens,
Vincis, ait, Perseu: remove fera monstra; tuaeque
Saxificos vultus, quaecumque ea, tolle Medusae.
Tolle, precor. non nos odium regnive cupido
Compulit ad bellum: pro conjuge movimus arma.
Caussa fuit meritis melior tua, tempore nostra.
Non cessisse piget. nihil, o fortissime, praeter
Hanc animam concede mihi: tua cetera sunto.

Hoc modo qui brachia tendit, & victoris clementiam implorat; quaero, utrum ille Latine dici possit id facere *cum multa fide.* Sed nos eliminata hac *fide*, atque illuc ire jussa unde venerat, Albium nostrum credemus ad pedes dominae suae advolutum, in ejus se arbitrium dedere *cum multa prece.* Quod ut faciat, ipse Apollo praecipit post paullo, ℣. 75.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.
Vincuntur molli pectora dura prece.

Atque hoc Aurelius meus exemplo suo comprobavit, L. 1. Eleg. 8. ℣. 28.

rumpantur iniqui.
Vicimus. assiduas non tulit illa preces.

atque etiam exemplo veteris Milanionis, Atalantae saevitiam haud aliter contundentis, L. 1. Eleg. 1. ℣. 16.

Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces, & benefacta valent.

Naso L. 1. Art. Amat. ℣. 439.

Saevus Amor docuit validos tentare labores.
Saevus Amor docuit verbera saeva pati.
Me quondam Admeti niveos pavisse juvencos,
Non est in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos.
Sed perlucenti cantus meditabar avena,
Ille ego Latonae filius, atque Jovis.

Nescis

Blanditias ferat illa tuas, imitataque amantem
Verba; nec exiguas, quisquis es, adde preces.
Hectora donavit Priamo prece motus Achilles:
Flectitur iratus voce rogante Deus.

Seneca Med. ℣. 845.

Ite, ite nati, matris infaustae genus,
Placate vobis munere & multa prece
Dominam & novercam.

contra inmitis illa Flacci Canidia:

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.

Ne vero putes nullo nos auctore haec mutasse, scito non *fide*, sed *prece* legi in excerptis Pocchi, & Perreji, & Lipsii; atque ita Nicolaum quoque Heinsium reperisse in binis Vaticanis.

65. SAEVUS AMOR DOCUIT VALIDOS TENTARE LABORES] Ita Scaliger ex libro Cujacii. cum quo libro consentiunt excerpta Perreji. Posterius hemistichium multis modis depravatum fuit: quinimo totus versus altero insititio permutatus. Videbis, si voles, in libello variantium lectionum.

67. ADMETI NIVEAS PAVISSE JUVENCAS] In Sfortiano Statii, itemque in altero Wittiano, & in Colotiano Heinsii, erat *niveos juvencos.* Atque ita noster L. 2. Eleg. 3. ℣. 11.

Pavit & Admeti tauros formosus Apollo.

Vide quae istic notavimus, hic non repetenda.

68. NON EST IN VANUM FABULA FICTA JOCUM] In eodem Statii libro, atque in uno Heinsii, *fabula facta.* Perperam. Phaedrus (quem nuper adcuratissime recensitum edidit Vir Clarissimus David Hoogstratanus, tertiis nunc curis emendatum) prologo libri primi:

Fictis jocari nos meminerit fabulis.

Cicero Accus. 3. in Verr. C. 78. *Non me fugit, judices, vetera exempla pro fictis fabulis jam audiri atque haberi.*

71. SED PERLUCENTI CANTUS MEDITABAR AVENA] calamo, sive fistula pastorali. Maro Eclog. 1. ℣. 2.

Silvestrem tenui Musam meditaris avena.

Ovidius, converso ad Apollinem sermone, L. 2. Metam. ℣. 680.

Elin Messeniaque arva colebas.
Illud erat tempus, quo te pastoria pellis
Texit; onusque fuit baculum silvestre sinistrae:
Alterius, dispar septenis fistula cannis.

Seneca Hippol. ℣. 296.

Thessali Phoebus pecoris magister
Egit armentum, positoque plectro
Inpari tauros calamo vocavit.

Nemesianus Eclog. 2. ℣. 82.

Nec sumus indocti calamis. cantamus avena,
Qua divi cecinere prius, qua dulce locutus
Tityrus e silvis dominam pervenit ad urbem.

Calpurnius Eclog. 4. ℣. 58.

Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixitque: Truces haec fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblaea modulabile carmen avena.

Velio Longo si auscultamus, non hic *perlucenti*, sed *pellucenti* scribemus. Ille enim PER praepositionem ait omnibus integram praeponi, nisi quum incidit in L literam: quam literam elegantioris sermonis viros malle tunc geminare, quam R literam exprimere. Tutemet eum inspice in corpore veterum Grammaticorum Heliae Putschii p. 2227. in Romana autem Fulvii Ursini editione p. 321. Minus sibi constat Priscianus L. 2. Cap. 1. de Syllaba, p. 571. R *quacunque consonante sequente, excepta* K, *potest terminare priorem syllabam, ut morbus, parcus, ordo, perficio, Corsinium, margo, perhibeo, perlego, perluceo*, &c. *In compositis tamen quibusdam invenio* R *in* L *converti, ut intelligo & pellicio, pro interlego & perlicio, pellego pro perlego, pelluceo*

luceo

Nescis quid sit Amor, juvenis, si ferre recusas
Inmitem dominum, conjugiumque ferum.

75 Er-

luceo pro perluceo. Deinde addit auctoritatem Plauti in Asinaria, *Ita pellucet quasi laterna Punica.* Sed has sanctiones penulatorum patrum esse parum firmas, erudite ostendit Claudius Dausquius Orthogr. volum. 2. in PERLEGO.

73. NESCIS QUID SIT AMOR] Maro Eclog. 8. ℣. 43.

Nunc scio quid sit Amor. duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.

Theocritus Idyll. 3. ℣. 15.

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα· βαρὺς θεός· ἦ ῥα λεαίνας
Μασδὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ·
Ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστέον ἄχρις ἰάπτει.

Vertit Eobanus:

Nunc scio quid sit Amor: numen grave: scilicet illum
Nutriit in silvis mater, saevaeque leaenae
Praebuerunt mammas, qui me nunc urit, & intra
Viscera flammarum virus jacit, intima pascens.

sic autem noster Grotius, admodum adolescens:

Nunc scio quid sit Amor: gravis est Deus: ille leaenae
Uberibus nemorum propter querceta pependit;
Qui mihi nunc imis flagrans ferus ossibus haeret.

74. INMITEM DOMINAM, CONJUGIUMQUE FERUM] Quid attinebat, bis idem dicere? Sed locus est mendosus, & scribendum *Inmitem dominum*; quo modo Nicolaus Heinsius exaratum reperit in codice antiquo bibliothecae Bodleianae. Ille dominus inmitis est ipse Amor. Horatius L. 2. Sat. 7. ℣. 91.

eripe turpi
Colla jugo: Liber, liber sum, dic ago. non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.

Praeclare in hanc rem Cicero Paradox. 5. C. 1. & 2. *Sed si servitus sit, sicut est, obedientia fracti animi, & abjecti, & arbitrio carentis suo; quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos, esse servos? An ille mihi liber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recusare audet? Poscit? dandum est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimescendum.* Quae postrema adludunt initium Eunuchi Terentianae. In qua fabula insigne hujus dominationis exemplum editur in viro fortissimo Thrasone, verbis plane stratioticis, Act. 5. Sc. 7.

GN. *Quid nunc? qua spe, aut quo consilio huc imus? quid coeptas Thraso?*
THR. *Egone? ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubeat.* GN. *quid est?*
Qui minus quam Hercules servivit Omphale? THR. *exemplum placet.*

non invenuste subjicit derisor parasitus:

Utinam tibi commitigari videam sandalio caput!

Sed multo etiam abjectior est Jucundus ille ingeniosissimi Areosti, Cantu 28. Orlandi furentis, st. 22. 23. Qui Jucundus quum reperisset uxorem suam in complexibus servuli arctissimo somno consopitam, non modo neutrum ferro violare est ausus, sed & turpissimae moechae quietem rumore aut strepitu aliquo interturbare sollicite verebatur.

Da lo sdegno assalito hebbe talento
Di trar la spada, e ucciderli ambedui.
Ma da l'amor, che porta al suo dispetto
A l'ingrata moglier, li fu interdetto.

Non lo lasciò questo ribaldo Amore
(Vedi se se l'hauea fatto uassallo)
Destarla pur, per non le dar dolore,
Che fosse da lui colta in sì gran fallo.
Quanto potè più tacito uscì fuore:
Scese le scale, e rimontò a cauallo.

Vide sis Aurelium meum L. 3. Eleg. *9. Ferum* Albius noster *conjugium* vocat, societatem mulieris indomitae atque intractabilis. haec enim est notio hujus vocabuli, praesertim in re amoris. Sic supra L. 1. Eleg. 5. ℣. 5.

Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quidquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.

L. 2. Eleg. 5. ℣. 103.

Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem,
Et se jurabit mente fuisse mala.

ibidem Eleg. 6. ℣. 5.

Ure, puer, quaeso, tua qui ferus otia liquit.

Seneca Hippol. ℣. 272.

Meus iste labor est, aggredi juvenem ferum,
Mentemque saevam flectere inmitis viri.

deinde ℣. 415.

Ama-

Ergo ne dubita, blandas adhibere querelas.
  Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
  Haec illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipse.
  Felix hoc, alium desine velle virum.
Dixit, & ignavus defluxit pectore somnus.
  Ah ego non possum tanta videre mala.
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
  Nec tantum crimen pectori inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt aequora Ponti,
  Nec flammam volvens ore Chimaera fero:

Nec

Amare discat, mutuos ignes ferat.
Det faciles aures. mitiga pectus ferum.

75. BLANDAS ADHIBERE QUERELAS] Venusta commutatione *molles preces* vocat versiculo subsequente. Horatius Art. Poët. ℣. 395.

Dictus & Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Seneca Herc. fur. ℣. 1014.

Quo, misera, pergis? quam fugam, aut latebram petis?
Nullus saluti est Hercule infenso locus.
Amplectere ipsum potius, & blanda prece
Lenire tenta.

80. FELIX HOC. ALIUM DESINE VELLE VIRUM] Voculam *hoc* primus ex vetere libro restituit Muretus, quum in aliis legeretur *ac*: isto modo,

Felix. hoc alium desine velle virum:

id est, alium ab hoc, alium quam hunc. ut simile sit loquendi genus illi Horatiano, L. I. Epist. 16. ℣. 20.

Neve putes alium sapiente bonoque beatum.

itemque L. 2. Sat. 3. ℣. 208.

Qui species alias veris, scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur.

quo loco Lambinus pollice utroque comprobat Mureti expositionem. quam & Vossius noster est amplexus lib. de Construct. C. 14. Scaliger distinguit *Felix hoc. alium d. v. v.* ut formula vetus in conditione conventa nuptiarum adludatur, *Feliciter, Felix hoc sit*. in quo habet consentientem sibi Douzam Praecidan. C. 16. Salmasius statuit τὸ *hoc* esse repetitionem, quam adfectaverit Tibullus, Not. ad Spartianum p. 31. Quod ego omnium verissimum arbitror ac simplicissimum. Hoc conjugium tibi, o Neaera, ipse Apollo promittit. Felix hoc conjugio, desine alium virum velle. Sane vocula *felix* saepenumero jungitur cum ablativo rei, ut loquuntur magistri. Propertius L. I. Eleg. 10. ipso fine:

Is poterit felix una remanere puella,
Qui numquam vacuo pectore liber erit.

Naso L. 11. Metam. ℣. 266.

Felix & nato, felix & conjuge Peleus;
Et cui, si demas jugulati crimina Phoci,
Omnia contigerant.

Horatius L. I. Sat. 6. ℣. 52.

felicem dicere non hoc
Me possum, casu quod te sortitus amicum.

81. IGNAVUS DEFLUXIT PECTORE SOMNUS] Quidam codices *corpore* habent, non *pectore*. quod non possum probare. Virgilius L. 9. Aen. ℣. 326.

simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur: qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum.

L. 4. ℣. 530.

At non infelix, animi Phoenissa, neque umquam
Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem
Accipit.

Naso Epist. Leandri ℣. 27.

Hic ego si vidi mulcentem pectora somnum
Noctibus; insani sit mora longa freti.

85. NAM TE NEC VASTI GENUERUNT AEQUORA PONTI] Ab Homero habet L. 16. Iliad. ℣. 34. ubi sic Patroclus Achillem adfatur, iratum, & pugnare recusantem:

Νηλέες

Nec consanguinea redimitus terga caterva,
Cui tres sunt linguae, tergeminumque caput.

Scyl-

Νηλεές· οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς
Οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
Πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Eobanus vertit:

Crudelis, non te genuit mitissima Peleus
Pectora sortitus, non te Dea gurgitis alti
Blanda Thetis: scopuli te progenuere sonantes
Fluctibus assiduis, & semper ab imbribus udi.

Sed & alii sunt imitati, extra nostrum. Catullus Carm. 61. ℣. 154.

Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla vorax, quae vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia vita?

Maro L. 4. Aen. ℣. 365.

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.

Ovidius Epist. Didus, ℣. 37.

Te lapis, & montes, innataque rupibus altis
Robora, te saevae progenuere ferae:
Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis.

Idem ille venustissimus eloquentiae poëticae Proteus Epist. Ariadnae, ℣. 131.

Nec pater est Aegeus, nec tu Pittheïdos Aethrae
Filius: auctores saxa fretumque tui:

& L. 8. Metam. ℣. 120.

Non genetrix Europa tibi; sed inhospita Syrtis,
Armeniaeve tigres, Austrove agitata Charybdis.
Nec Jove tu natus: nec mater imagine tauri
Ducta tua est. generis falsa est ea fabula vestri.
Et ferus, & captus nullius amore juvencae
Qui te progenuit, taurus fuit.

tum L. 1. Trist. Eleg. 7. ℣. 37.

Non ego te placida genitum reor urbe Quirini;
Urbe, meo quae jam non adeunda pede est.
Sed scopulis, Ponti quos haec habet ora sinistri;
Inque feris Scythiae Sarmaticisque jugis.
Et tua sunt silicis circum praecordia venae;
Et rigidum ferri semina pectus habent.
Quaeque tibi quondam tenero ducenda palato
Plena dedit nutrix ubera, tigris erat.

Auctor Herculis in Oeta, ℣. 143.

Quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
Num Titana ferum te Rhodope tulit,
Te praeruptus Athos, te fera Caspias,
Quae virgata tibi praebuit ubera?
Falsa est de geminis fabula noctibus, &c.

Vis & jocosas rei seriae imagines? ecce, Maroniana ita extulit Joannes Baptista Lallus:

Tu, disse, tu ti vanti, empio briccone,
D'esser figliuol di Venere beata;
E ch'un sei de' Trojan famosi, e ricchi:
Sei (dirol pur) la fune, che t'impicchi.

Un Turco sei, un rinegato, un cane:
Di Caucaso ti han fatto i duri marmi:
Le mamme ti allattar di tigri Hircane,
E ci nascosti sol per affogarmi.

sic autem Boilavius, mutatis personis:

Non, ton pere a Paris ne fut point boulanger:
Et tu n'es point du sang de Gervais l'horloger:
Ta mere ne fut point la maistresse d'un coche:
Caucase dans ses flancs te forma d'une roche.
Une tygresse affreuse, en quelque antre écarté,
Te fit avec son laict succer sa cruauté.

Scarronem hic loci inspiciat, qui volet. mihi non est tanti. Et jam resipiscere aetas nostra videtur, minusque furenter adfici insano amore pestilentium nugarum. Sed in hac colluvie Boilavium non numeraverim, meliore consilio scribentem.

87. NEC CANIS ANGUINEA REDIMITUS TERGA CATERVA] Melius octo scripti, *Nec consanguinea redimitus terga caterva.* quo modo & Cyllenii editio exhibuit, & probavit Passeratius. Cerberum ex Typhone gigante & Echidna natum ferunt. Ejus in collo, & juba, & tergo centum haerebant serpentes, eodem satu editi. Hos serpentes noster *catervam* vocat *consanguineam.* Et erant sane Cerberi fratres. Pari ratione Papinius de Tisiphone, L. 11. Theb. ℣. 61.

nec se tanta in certamina retur
Sufficere, inferna comitem ni sede Megaeram
Et consanguineos in praelia suscitet angues.

Et Apollinaris Sidonius de Briareo, Epithal. Polemii & Araneolae, ℣. 28.

Plurimus hic Briareus populoso corpore pugnat,
Cognatam portans aciem, cui vertice ab uno
Cernas ramosis palmas fruticare lacertis.

Scyllaque virgineam canibus ſubcincta figuram:
Nec te conceptam ſaeva leaena tulit.
Barbara nec Scythiae tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta, & duris non habitanda domus.
Et longe ante alias omnes mitiſſima mater:
Isque pater, quo non alter amabilior.
Haec Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et jubeat tepidos inrita ferre Notos.

V. Vos

89. SCYLLAQUE VIRGINEAM CANIBUS SUBCINCTA FIGURAM] Quamquam libri multum variant; tamen iſtud *ſubcincta* quin verum ſit ac germanum, dubitari nequit. Sic enim loquuntur optimi quique ſcriptores. Cicero Accuſ. 5. in Verr. C. 56. *Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nautis, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror. hoc etiam iſte infeſtior, quod multo ſe pluribus & immanioribus canibus ſuccinxerat.* Lucretius L. 5. ℣. 893.

Aut rapidis canibus ſuccinctas ſemimarinis
Corporibus Scyllas, &c.

Maro Eclog. 6. ℣. 74.

Quid loquar aut Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Ovidius L. 13. Metam. ℣. 732.

Illa feris atram canibus ſuccingitur alvum;
Virginis ora gerens: & (ſi non omnia vates
Ficta reliquerunt) aliquo quoque tempore virgo.

91. HORRENDAVE SYRTIS] Duae ſunt Syrtes apud Leptim oppidum in extrema Africa, inpares magnitudine, pari natura. deſcripſere Salluſtius Jugurth. C. 78. Mela L. 1. C. 7. Lucanus L. 9. ℣. 303. alii. Optime Plinius L. 5. C. 4. *Tertius ſinus dividitur in geminos, duarum Syrtium vadoſo ac reciproco mari diros. Ad proximam, quae minor eſt, a Carthagine* CCC. M. *paſſuum Polybius tradit: ipſam centum mill. paſſ. aditu,* CCC. *mill. ambitu. Et terra autem, ſiderum obſervatione, ad eam per deſerta harenis, perque ſerpentes iter eſt. Excipiunt ſaltus repleti ferarum multitudine, & introrſus elephantorum ſolitudines: mox deſerta vaſta.* Huic tu Solinum junge Polyhiſt. cap. 30. In tam horribili regione homines naſci par erat ab ingeniis ferarum ſuarum haud multum disſidentes. Itaque merito miratur Papinius amicum ſuum Septimium Serenum, virum mitem, officioſum, doctum, & utroque ſermone facundum, ſub damnato omnibus modis coelo primam lucem hauſiſſe. L. 4. Silv. 5. ℣. 29.

Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit? Jam feret Indicas
Meſſes, odoratisque rara
Cinnama praeripiet Sabaeis.

Deinde ℣. 45.

Non ſermo Poenus, non habitus tibi,
Externa non mens: Italus, Italus.
Sunt urbe, Romanisque turmis,
Qui Libyam deceant alumni.

96. ET JUBEAT TEPIDOS INRITA FERRE NOTOS] Multo major pars librorum non *inrita* hic habet, ſed *impia.* Sic varam vibia. Vulgata ſcriptura non debet mutari, etiamſi *impia* haberent quantum eſt uſquam codicum Tibullianorum. Catullus Carm. 27.

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre & nebulas aërias ſinis.

& Carm. 61. ℣. 142.

Quae cuncta aërii diſcerpunt inrita venti.

Maro L. 9. Aen. ℣. 313.

Multa patri portanda dabat mandata: ſed aurae
Omnia diſcerpunt, & nubibus inrita donant.

Hactenus cum libris; nunc cum librorum corruptore Roberto Titio agendum. Is Titius, neſcio quo conſilio, non potuit hic ferre *tepidos Notos*; ſed *trepidos* reponit L. 9. Locor. Controverſ. C. 1. Neque aliter legendum ſtatuit in Naſone Amor. L. 1. Eleg. 4. ℣. 12. ubi nunc habemus,

Quae tibi ſint facienda tamen, cognoſce: nec Euris
Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.

Dii bene, quod non & alterius loci Naſoniani in mentem ei venerit, qui eſt L. 2. ejus-

ejusdem operis, Eleg. 8. ℣. 20. nam & hunc eadem fidelia inquinasset:

Tu, Dea, tu jubeas animi perjuria puri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos.

Igitur misero Noto tepere non licebit per frigus Titianum? At Lucanus etiam flagrantem fecit L. 10. Pharsal. ℣. 50.

licet usque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus
Flagrantis post terga Noti: cedemus in ortus
Arsacidûm domino.

Plinius L. 2. C. 47. *Grandines Septemtrio importat, & Corus; aestuosus Auster.* Quinimo ipsum os divinae veritatis apud Lucam Euang. C. 12. ℣. 54. 55. *Quum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, Imber venit: & ita fit. Et quum Austrum flantem, dicitis quod aestus erit: & fit.*

V.

VOs tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,
Unda sub aestivum non adeunda Canem.
Nunc autem sacris Bajarum maxima lymphis,
Quum se purpureo vere remittit hiems.

5 At

1. ETRUSCIS MANAT QUAE FONTIBUS UNDA] Vix ausim rejicere Vaticani libri scripturam, quam & meus tertius habet, *montibus*. Sed quum nobis parum constet, quas tandem Etruriae thermas designet Albius noster, (& sane complures in ea regione fuisse didicimus) haud facile est certi aliquid constituere. Schoppium scio aquas Clusinas intellexisse Paradox. Liter. Epist. 12. Verum hoc ut est perquam infirmum; ita & Horatii locus, quo ille uno tibicine fulcitur, facit ut vix fiat verosimile. Nam si proximam Puteolanis thermis laudem Clusinae vindicant, certe calidas fuisse oportet. At Clusinas aquas a medicato frigore aegris suis commendabat Antonius Musa. Ita enim Horatius L. 1. Epist. 15. initio:

nam mihi Bajas
Musa supervacuas Antonius: & tamen illis
Me facit invisum, gelida cum perluor unda
Per medium frigus. sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt, & frigida rura.

Significat (inquit Schoppius) nonnullos thermis innatare. Sed quo auctore nos docet grammaticorum Alpha eos, qui natant, supponere aquis stomachum & caput? Meliora in suis adtulit commentariis Dionysius Lambinus, vir doctissimus, quem tu consule sis.

2. UNDA SUB AESTIVUM NON ADEUNDA CANEM] similis sonus est in istis L. Attii, Phinidis:

Hac ubi curvo litore latrans
Unda sub undis labunda sonat.

3. NUNC AUTEM SACRIS BAJARUM MAXIMA LYMPHIS] Vocabant *Bajas* omnia balnea calentia, ab illis Bajis Campaniae, ut vere monuit Scaliger. Atque hac ratione haec Etrusca recte dicantur *Bajarum maxima*, h. e. saluberrima. Tamen mihi valde blanditur Schoppii *proxima*: quomodo & Heinsius in Adversariis corrigebat. Proxima salubritate sacris Bajarum aquis, hoc quidem verno tempore, nondum adulto calore. Cur ita sentiam, in caussa est quod *Bajas* etiam vocabant lacus hortorum delicatos ac grato frigore commendabiles, in quibus natarent. Cicero orat. pro M. Coelio C. 15. *Accusatores quidem libidines, amores, adulteria, Bajas, actas, convivia, comissationes, cantus, symphonias, navigia jactant: iidemque significant, nihil se te invita dicere.* Ibidem C. 16. *Nihil jam in istam mulierem dico: sed, si esset aliqua dissimilis istius, quae se omnibus pervulgaret, quae haberet palam decretum semper aliquem, cujus in hortos, domum, Bajas, jure suo libidines omnium commearent: quae etiam aleret adolescentes, & parsimoniam patrum suis sumtibus sustentaret:* &c. Et C. 20. *Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Bajae denique ipsae loquuntur? illae vero non loquuntur solum, verum*

At mihi Perſephone nigram denuntiat horam.
Inmerito juveni parce nocere, Dea.
Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae ſacra docere Deae.

Nec

etiam perſonant, huc unius mulieris libidinem eſſe prolapſam, ut ea non modo ſolitudinem ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſima celebritate & clariſſima luce laetetur. Itaque, ſi *proxima* legimus, nihil reſtat difficultatis. Quae Achilles Statius adtulit exponendae lectioni vulgatae, talia ſunt, ut ego indicta fuiſſe mallem.

4. QUUM SE PURPUREO VERE REMITTIT hiems] ſic Horatius L. 1. Od. 4.

Solvitur acris hiems grata vice veris, & Favoni.

Lucanus L. 1. Pharſal. ℣. 17.

Et qua bruma rigens, ac neſcia vere remitti,
Adſtringit Scythicum glaciali frigore Pontum.

At plures libri non *hiems*, ſed *humus* habent. quod quamvis ego vulgato non praetulerim, tamen ſatis defendi poteſt. Maro L. 1. Geor. ℣. 99.

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit.

Horatius loco modo laudato, ℣. 10.

Nunc decet aut viridi nitidum caput inpedire
myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt ſolutae.

5. AT MIHI PERSEPHONE NIGRAM DENUNTIAT HORAM] Ovidius Epiſt. Cydippae, ℣. 46.

Et mihi conjugii tempus crudelis ad ipſam
Perſephone noſtras pulſat acerba fores.

Verbum *denuntiandi* eſt minax & violentum. Cicero orat. pro Murena C. 24. de Catilina: *Murenam contemnebat: Sulpicium accuſatorem ſuum numerabat, non competitorem: ei vim denuntiabat, reipublicae minabatur.* pro Sextio C. 17. *Nec mihi ille judicium populi, nec legitimam aliquam contentionem, nec diſceptationem aut cauſſae dictionem, ſed vim, arma, exercitus, imperatores, caſtra denuntiabat.* Philipp. 3. C. 9. *Quid autem attinuerit, L. Caſſio, tribuno plebis, fortiſſimo & conſtantiſſimo civi, mortem denuntiare, ſi in ſenatum veniſſet:* &c. Agrar. 2. C. 5. *Jam deſignatus alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur: veſtitu obſoletiore, corpore inculto & horrido, capillatior quam ante, barbaque majore; ut oculis & adſpectu denuntiare omnibus vim tribunitiam, & minitari reipublicae videretur.* Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 7, loco adprime huc faciente: *Sed non advertunt hanc habere legem omnia vel ſigna vel ſomnia, ut de adverſis oblique aut denuntient, aut minentur, aut moneant. Et ideo quaedam cavendo transimus: alia exorando & litando vitantur: alia ſunt ineluctabilia, quae nulla arte, nullo avertuntur ingenio. Nam, ubi admonitio eſt, vigilantia cautionis evaditur: quod adportant minae, litatio propitiationis avertit: numquam denuntiata vaneſcunt.* Hac mente noſter loquebatur Albius: & fortaſſe non vanus augur fuit. Sed quam ille *nigram horam*, Aurelius meus *nigrum diem* vocavit L. 2. Eleg. 19. ℣. 20.

At me non aetas mutabit tota Sibyllae,
Non labor Alcidae, non niger ille dies.

Simpliciter *horam* adpellat Tullius orat. pro Sextio C. 19. *a tribuno plebis poſt interitum meum disſidiſſent, qui eamdem horam meae peſtis, & ſuorum praemiorum eſſe voluiſſent.*

7. 8. NULLI TEMERANDA VIRORUM AUDAX LAUDANDAE SACRA DOCERE DEAE] Cereris ſacra ſe non evulgaſſe dicit. Id quod Alcibiades feciſſe perhibetur. Juſtinus L. 5. C. 1. *Dum Athenienſes in Sicilia bellum per biennium cupidius, quam felicius gerunt, interim concitor & dux ejus Alcibiades abſens Athenis inſimulatur initiorum ſacra, nullo magis quam ſilentio ſolennia, enuntiaviſſe.* Tales autem homines habebantur piaculares. Horatius L. 3. Od. 2. ℣. 25.

Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces. Vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanae, ſub iisdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaſelum.

Et tamen iſti violato ſilentio nefarii, ea enuntiabant, quae antea legitime didiciſſent, admiſſi utique ad magna myſteria, & epoptae facti. Sed aliud ſuadere hic videtur *temerandi* verbum. Nam *temerare ſacra* illi dicuntur, qui inrumpunt quo iis ire non licet, & vident quae videre eſt nefas. Hercules apud Propertium L. 4. Eleg. 9. ℣. 67.

Maxima quae gregibus devota eſt Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,

Haec

Nec mea mortiferis infecit pocula ſuccis
Dextera, nec cuiquam taetra venena dedit.

Haec nullis umquam pateat temeranda puellis,
Herculis eximii ne ſit inulta ſitis.

Naſo Epiſt. Helenae, ℣. 3.

Auſus es, hoſpitii temeratis advena ſacris,
Legitimam nuptae ſollicitare fidem?

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 799.

nec ſola mei gravia adfore nati
Arma ratemque putet: claſſes, & Pontica ſigna,
Atque indignatos temerato litore reges
Mente agitet.

Paullus ex Feſto: *Temerare, violare ſacra, & contaminare. dictum videlicet a temeritate.* Igitur haec Albiana ad evulgata initiorum ſolennia nihil pertinebunt: potius ad alia quaedam Cereris ſacra, viris penitus interdicta, omni illis aditu occluſo. Tullius Accuſ. 4. in Verr. C. 45. *Audite etiam ſingularem ejus, judices, cupiditatem, audaciam, amentiam, in his praeſertim ſacris polluendis, quae non modo manibus attingi, ſed ne cogitatione quidem violari fas fuit. Sacrarium Cereris eſt apud Catinenſes, eadem religione, qua Romae, qua in ceteris locis, qua prope in toto orbe terrarum. In eo ſacrario intimo fuit ſignum Cereris perantiquum: quod viri non modo cujusmodi eſſet, ſed ne eſſe quidem ſciebant. aditus enim in id ſacrarium non eſt viris: ſacra per mulieres ac virgines confici ſolent.* Haec ſunt Theſmophoria, quibus ſolae mulieres admittebantur. Itaque adducor fere ut ſcribam cum excerptis Perreji, cumque uno Vaticano,

Audax celandae ſacra docere Deae.

Certe Ciceronis verba huc aperte clareque ducunt. Sed videbunt doctiores. Tu vero cave iſtam Cererem confundas cum Bona Dea. Hujus enim ne nomen quidem viros ſcire fas erat, auctore eodem Tullio orat. de Haruſp. reſponſ. C. 17. Neque arbitror Bonam Deam in hac re tam gravi ac ſeria intelligi poſſe: erant enim Romae ejus ſacra jam tum ſtupris atque adulteriis infamia, nec viris minus nota, quam mulieribus, religionem flagitiis praetendente libidine. Nihil diſſimulat Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 637.

Cum fuget e templis oculos Bona Diva virorum,
Praeterquam ſi quos illa venire jubet.

9. NEC MEA MORTIFERIS INFECIT POCULA SUCCIS DEXTERA] Creberrimus uſus eſt vocis *poculorum* in veneno dando; credo, quia facillime dabatur in potione ſuper menſam. Maro L. 2. Geor. ℣. 126.

Media fert triſtis ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali; quo non praeſentius ullum,
Pocula ſi quando ſaevae infecere novercae,
Miſcueruntque herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Horatius L. 1. Epiſt. 2. ℣. 23.

Sirenum voces, & Circae pocula noſti.

Propertius L. 2. Eleg. 1. ℣. 53.

Seu mihi ſint tangenda novercae pocula Phaedrae,
Pocula privigno non nocitura ſuo.

& ibidem Eleg. 12. ℣. 48.

Haec certe merito poterunt laudare minores:
Laeſerunt nullos pocula noſtra Deos.

quae verba Paſſeratius minus recte de perjuriis accepit. Loquitur enim poëta de veneficio, cujus veneficii Cynthia aliquando poſtulata fuit, & vel abſoluta vel ambuſta diſceſſit. Sed docebimus in loco: nam nuper neglеximus monere, vitio (ut fit) moris humani. nunc pergamus. Cicero orat. pro Cluentio C. 10. *Qui uxori ſuae Cluentiae, quae amita hujus Aviti fuit, cum ipſe poculum dediſſet, ſubito illa in media potione exclamavit, ſe maximo cum dolore mori: nec diutius vixit, quam locuta eſt.* deinde C. 11. *Poſtea fratrem aggreſſus eſt: qui ſero, jam exhauſto illo poculo mortis, cum & de ſuo, & de uxoris interitu clamaret, teſtamentumque mutare cuperet, in ipſa ſignificatione hujus voluntatis eſt mortuus.* Solinus Polyhiſt. C. 44. de Hannibale: *veneni mali poculo animam expulit, & ab Romanis ſe vinculis morte defendit.* Phoebadius, Aginnenſium epiſcopus, ſcriptor diſertus & gravis, lib. contra Arianos C. 4. *Nihil ſimplex in hac fidei profeſſione ſuſcepi, quae prima fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, haeretica ſubtilitate blanditur: pari modo quo veneni poculum mella commendant.* Et quia *pocula* ad convivia pertinent, ideo conviviali verbo *infundendi* utitur Romanae eloquentiae parens, atroci ſarcaſmo in ſcelere atrociſſimo, Philipp. 11. C. 6. *Quid dicam de Apulo Domitio? cujus bona modo proſcripta vidi: tanta procuratorum eſt negligentia. At hic nuper ſororis filio infudit venenum, non dedit.* Alioqui proprie ac ſolenniter *venenum dare* dicebant. Fragmentum ex oratione Tullii pro M. Scauro eſt apud Aſconium Pedianum:

Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes:
Nec cor ſollicitant facta nefanda meum.
Nec nos inſana meditantes jurgia mente
Inpia in averſos ſolvimus ora Deos.

15 Et

num: *Si mehercle, judices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria ſceleratiſſimum, & audaciſſimum fuiſſe accepimus, tamen non timerem, venenum hoſpiti, aut convivae ſi diceretur coenanti ab illo datum, cui neque heres neque iratus fuiſſet.*

11. NEC NOS SACRILEGÎ TEMPLIS ADMOVIMUS ERGO] Miror haec potuiſſe Scaligero placere: non quo ignorem eodem ferme modo locutum Lucretium L. 5. ℣. 1248.

Sive quod inter ſe bellum ſilveſtre gerentes,
Hoſtibus intulerant ignem formidinis ergo.

Sed vero quod in antiqua lectione nihil videam, quod ferri non queat:

Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes.

At (dicebat Scaliger) nemo vidit umquam ſacrilegum incendere templa, ut ea ſpoliet. quid enim ſpoliabit incendiarius, cui ignis nihil reliquum fecerit? At, Vir Magne, hoc ipſum fecit famoſus ille Heroſtratus. deinde, qui templa incendunt, prius expilant. Numerantur autem templorum incendia, ut olim ita & hodie, inter facinora vel maxime inpia ac deteſtabilia. Cicero orat. 3. in Catilin. C. 9. *Quo etiam iſti ſunt majore odio ſupplicioque digni, qui non ſolum veſtris domiciliis atque tectis, ſed etiam Deorum templis atque delubris ſunt funeſtos ac nefarios ignes inferre conati: quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. Ille, ille Jupiter reſtitit: ille Capitolium, ille haec templa, ille hanc urbem, ille vos omnes ſalvos eſſe voluit.* & L. 2. de ſuo Conſulatu; quem locum ipſe inſeruit L. 1. de Divinat. C. 11.

Omnes civili generoſa ſtirpe profectam
Vitare ingentem cladem, peſtemque monebant:
Vel legum exitium conſtanti voce ferebant.
Templa Deûmque adeo flammis urbesque jubebant
Eripere, & ſtragem horribilem caedemque vereri.

Ovidius, epicedio noſtri Equitis, Amor. L. 3. Eleg. 9. ℣. 41.

Tene, ſacer vates, flammae rapuere rogales?
Pectoribus paſci nec timuere tuis?
Aurea ſanctorum potuiſſent templa Deorum
Urere, quae tantum ſuſtinuere nefas.

Polyaenus ille Arbitri, nimium quam frugi adoleſcens:

non ſanguine triſti
Perfuſus venio; non templis impius hoſtis
Admovi dextram.

Alexander, ſuos milites adhortans contra Perſas, apud Curtium L. 3. C. 10. *Dein Deûm templa ruinis & ignibus eſſe deleta, urbes eorum expugnatas, foedera humani divinique juris violata referebat.* Quanto ſceleratius atque inmanius ille Lucani Laelius, primi pili centurio, ad Caeſarem, L. 1. Pharſal. ℣. 374.

Per ſigna decem felicia caſtris,
Perque tuos juro quocumque ex hoſte triumphos;
Pectore ſi fratris gladium, juguloque parentis
Condere me jubeas, plenaeque in viſcera partu
Conjugis, invita peragam tamen omnia dextra.
Si ſpoliare Deos, ignemque inmittere templis,
Numina miſcebit caſtrenſis flamma Monetae.

Sic, opinor, dicit noſter, ſe templa nec ſpoliaſſe, neque incendiſſe. *ſacrilegum templorum incendium* e Quintiliano hic adnotavit Gebhardus.

12. NEC COR SOLLICITANT FACTA NEFANDA MEUM] Pulcerrime dixit, cor ſuum non ſollicitari neque concuti ullius mali facinoris conſcientia. Vide quae ſuper hoc verbo notavimus ad L. 1. Eleg. 8. ℣. 30. Jocoſe, ut ſolet, Plautus in re ominoſa, Aulul. Act. 4. Sc. 3.

Non temere eſt, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu.
Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat ſua.
Continuo meum cor coepit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare.

13. INSANAE MEDITANTES JURGIA LINGUAE] non *linguae*, ſed *mentis* habent libri ſcripti magno numero. unde Lipſius *inſana mente* faciebat: quod mihi valde placet, & verum ac germanum videtur. Tale eſt illud L. 2. Eleg. 5. ℣. 116.

Tu miſerum torques, tu me mihi dira precari
Cogis, & inſana mente nefanda loqui.

14. INPIA IN ADVERSOS SOLVIMUS ORA DEOS] ſcribe *averſos*, hoc eſt iratos. Naſo

Amor.

Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curva Senecta pede.
Natalem nostri primum videre parentes
[Quum cecidit fato consul uterque pari.]

Quid

Amor. L. 3. Eleg. 12. ℣. 17.

Aversis utinam tetigissem carmina Musis,
Phoebus & incoeptum destituisset opus!

Sed plura notavimus ad tertiam hujus libelli Elegiam, ℣. 28.

15. Et nondum cani nigros laesere capillos] Qui tam pertinaciter contendunt Albium nostrum non nisi quatuor ac viginti vitae annos explevisse, velim exponant nobis quam sit hoc decorum, si homo adolescentulus dicat, ideo se mortem deprecari quod nondum factus sit senex, quodque integro ac florente capillitio nondum ullos habeat canos. Profecto haec aperte ostendunt aetatem multo maturiorem, quaeque jam a prima canitie atque a limine subrepentis senii absit haud ita procul. Paullo provectior fuit Umbricius ille apud Juvenalem, Sat. 3. ℣. 26.

Dum nova canities, dum prima & recta senectus,
Dum superest Lachesi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram subeunte bacillo.

Huc adde comparationes nostri, ab uvis & pomis desumtas, non quae multo flore spem facerent sui, sed ab crescentibus ac valescentibus, atque adeo brevi ad maturitatem percoquendis. Tamen, inquiunt isti, juvenem periisse Domitius Marsus prodidit, testis oculatus. At nolite, o boni, Marsum accipere, tamquam qui nostris moribus loquatur: potius ex censione Servii Tullii, quam Gellius refert L. 10. C. 28, his verbis: *C. Tubero Historiarum primo scripsit Servium Tullium, regem populi Romani, quum illas quinque classes juniorum, census faciendi gratia, instituerет, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septemdecim: atque inde ab anno septimodecimo, quod idoneos jam esse reipublicae arbitraretur, milites scripsisse: eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse.* Habemus hic tres aetatum gradus, pueritiam, juventam, senectam: ita enim dividere visum fuit priscis illis Quiritibus. Quamquam alii quinque aetatum gradus fecere. Censorinus lib. de Die Natali, C. 14. *Varro quinque gradus aetatis aequabiliter putat esse divisos; unumquemque scilicet, praeter extremum, in annos* XV. *Itaque primo gradu usque ad annum* XV. *pueros dictos, quod sint puri, id est, inpubes. Secundo ad* XXX. *annum adolescentes, ab adolescendo sic nominatos. In tertio gradu qui erant, usque ad* XLV. *annos, juvenes appellatos, eo quod rempublicam in re militari possunt juvare.* &c. Periit ergo Tibullus juvenis, sed propior seniori. Qualis ferme Latreus ille Nasonianus, L. 12. Metam. ℣. 464.

Provolat Emathii spoliis ornatus Halesi,
Quem dederat leto, membris & corpore Latreus
Maximus. huic aetas inter juvenemque senemque,
Vis juvenilis erat: variabant tempora cani.

vel qualis Laïus apud Senecam Oedip. ℣. 773.

Unanima conjux, explica errorem precor.
Quae spatia moriens Laïus vitae tulit?
Primone in aevo viridis, ac fracto occidit?

Joc. *Inter senem juvenemque: sed propior seni.* Hausit ille hanc bellam locutionem ex Vellejo Paterculo, L. 2. C. 53. *Aegyptum* [Pompejus] *petere proposuit, memor beneficiorum, quae in patrem ejus Ptolemaei, qui tum puero quam juveni propior regnabat, Alexandriae contulerat.* Sed hoc ante me jam olim observasse video Jacobum Nicolaum, egregiae eruditionis scriptorem, L. 7. Epiphyll. C. 7. cui laus sua constare inlibata debet.

17. Natalem primo nostrum videre parentes] Melius libri nonnulli,

Natalem nostri primum videre parentes.

deinde excidit versus pentameter: qui si verus ac germanus exsisteret, jam nihil foret amplius cur in finienda Tibulli aetate fluctuaremus. Hujus deperditi loco versiculum Nasonianum nobis obtrusit sinistra liberalitas nescio quorum tenebrionum. Fuit enim tempus, quum nullas lacunas in poëtis ferrent scriptores librarii. Quis enim suo sibi aere codicem mancum ac mutilum praestinaret? Vidit difficultatem conciliandi temporis Scaliger, nec potuit se ipse expedire. Nam quod noster Pighius, ad A. V. dccx, hunc annum sine consulum nominibus recte notari

ri

Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque ſortiti tertia regna Dei.

Ely-

ri poſſe putat, & vulgatiſſimo tunc verſiculo ſignificatum fuiſſe ait,

Quum cecidit fato conſul uterque pari;

quo proinde verſiculo natalem ſuum ſignarint tam Tibullus quam Naſo: id profecto gratis dicitur, neque ullo certo auctore umquam probabitur. Nec recte calculum poſuit Nicolaus Heinſius, vir inluſtris, a quo invitus diſcedo, Not. in Ovid. L. 2. Triſt. ℣. 464.

legiturque Tibullus,
Et placet, & jam te principe notus erat.

Male *notus te principe* iſtic mutatur in *natus te principe*. nec bene Octavianus *Princeps civitatis* dicitur, quia ſe ac Pedium ſubrogari fecerit in locum Hirtii ac Panſae Coſſ. bello Mutinenſi caeſorum. Naſo loquitur de Auguſto principe ſenatus: id quod capi oportet de illo tempore quo *Auguſti* cognomen accepit, & *pater patriae* adpellatus eſt. Dictus eſt autem *Auguſtus*, L. Munatii Planci ſententia, A. V. DCCXXVI. ipſo Caeſare VII, Agrippa III. Coſſ. cui honori acceſſit *Patris Patriae* titulus, deferente Meſſala. Vide ſis Eminentiſſimum Noriſium Cenotaph. Piſan. Diſſert. 2. C. 8. Ea tempeſtate Tibullus fuerit juvenis annorum ferme ſex & triginta, editis carminibus jam *notus* & clarus inter celebres poëtas.

20. ET MODO NATA MALA VELLERE POMA MANU] ſignanter dixit *mala manu*. Plautus Amphitr. Act. 2. Sc. 1. ℣. 58.

Huic homini neſcio quid eſt mali mala objectum manu,
Poſtquam a me abiit.

Maro Eclog. 3. ℣. 11.

Tum, credo, cum me arbuſtum videre Myconis,
Atque mala vitis incidere falce novellas.

Calpurnius Eclog. 3. ℣. 73.

Ut mala nocturni religavit brachia Mopſi
Tityrus, & medio furem ſuſpendit ovili.

21. PALLENTES UMBRAS QUICUMQUE TENETIS] *pallentes undas* habent libri quaſi triginta. ſic in hujus libelli Elegia prima, ipſo fine:

Sed potius conjunx. hujus ſpem nominis illi
Auferet exſtincto pallida Ditis aqua.

inibi nonnihil notabamus.

22. DURAQUE SORTITI TERTIA REGNA DEI] Nicolaus Heinſius malebat, *Furvaque ſortiti.* Sed nihil videtur mutandum. De duritia numinum infernorum omnes querebantur mortales. Et paſſim poëtae. Maro L. 4. Geor. ℣. 485. de Orpheo:

Jamque pedem referens caſus evaſerat omnis,
Redditaque Eurydice ſuperas veniebat ad auras,
Pone ſequens; namque hanc dederat Proſerpina legem:
Cum ſubita incautum dementia cepit amantem,
Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.
Reſtitit, Eurydicenque ſuam jam luce ſub ipſa
Inmemor, heu, victusque animi reſpexit. ibi omnis
Effuſus labor, atque inmitis rupta tyranni
Foedera.

& L. 12. Aen. ℣. 199.

Vimque Deûm infernam, & duri ſacraria Ditis.

Ovidius, in eadem fabella, L. 10. Metam. ℣. 76.

Eſſe Deos Erebi crudeles queſtus, in altam
Se recipit Rhodopen, pulſumque Aquilonibus Haemon.

Seneca Troad. ℣. 404.

Taenara, & aſpero
Regnum ſub domino, limen & obſidens
Cuſtos non facili Cerberus oſtio.

Junxit hic Albius noſter bina epitheta cum uno ſubſtantivo. id quod pro vitioſo ac parum Latino traducit Servius ad Eclog. 3. ℣. 38. & deinde ad L. 3. Aen. ℣. 70. Atqui nihil eſt frequentius apud Ennium, & veteres Tragicos. Sed tu horum veternum non accipies pro auctoritate idonea. Accipe igitur exempla temporum nitidiorum. Lucretius L. 5. ℣. 33.

Aureaque Heſperidum ſervans fulgentia mala
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens.

ibidem, ℣. 463.

Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas
Matutina rubent radiati lumina Solis.

Cicero Phoenom. Arat. ℣. 110.

Nec toto ſpirans rabido de corpore flammam.

Maro

Elyſios olim liceat cognoſcere campos,
Letheamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Quum mea rugoſa pallebunt ora ſenecta,
Et referam pueris tempora priſca ſenex.

At-

Maro L. 6. Aen. ℣. 603.

lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris.

L. 10. ℣. 408.

Correptis ſubito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos.

L. 11. ℣. 7755.

tum croceam chlamidemque ſinusque crepantis
Carbaſeos fulvo in nodum collegerat auro.

L. 12. ℣. 271.

ut forte novem pulcerrima fratrum
Corpora conſliterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gilippo.

Aurelius meus L. 4. Eleg. 5. ℣. 21.

Si te Eoa, Doroxanium, juvat aurea ripa.

Naſo Epiſt. Parid. ℣. 45.

Illa ſibi ingentem viſa eſt ſub imagine ſomni
Flammiferam pleno reddere ventre facem.

Albinovanus Eleg. in obitum Maecenatis, ℣. 34.

Paucaque pomoſi jugera culta ſoli.

Valerius Cato Dir. ℣. 92.

Tardius, ah, miſerae deſcendite monte capellae:
Mollia non iterum carpetis pabula nota.

Seneca Herc. fur. ℣. 144.

Errat curſu levis incerto
Molli petulans haedus in herba.

ibidem ℣. 783.

Hic ſaevus umbras territat Stygius canis.

Troad. ℣. 172.

Cum ſubito caeco terra mugitu fremens,
Concuſſa totos traxit ex imo ſinus.

& Oedip. ℣. 1004.

En ecce, rapido ſaeva proſiluit gradu
Jocaſta vecors.

ibidem ℣. 137.

Aureo taurus rutilante cornu
Labitur ſegnis.

tum Med. ℣. 110.

Candida thyrſigeri proles generoſa Lyaei.

Auctor Ciris, amabilis poëmatii, quamquam multum corrupti, ℣. 36.

Et tu ſancte puer venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis manſura per aevum.

M. Hier. Vida L. 3. Poët. ℣. 201.

quae mox melioribus ipſe
Auſpiciis propriospoſſim mihi vertere in uſus,
Deterſa prorſus priſca rubigine ſcabra.

judicioſiſſimus Fracaſtorius L. 3. Syphil. ℣. 63.

quin & ſegmenta relicta
Rurſus, ut ante, coquunt, addentes ſuave liquens mel.

Imo ne ipſe quidem Tullius erubuit ita loqui, orat. pro Coelio C. 15. *Ex his igitur tuis ſumam aliquem, ac potiſſimum minimum fratrem, qui eſt in iſto genere urbaniſſimus: qui te amat plurimum: qui, propter neſcio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quoſdam inanes metus, tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit.* Et L. 9. ad Attic. Epiſt. 19. *Ea, quae etiam cum a bonis viris, cum juſto in bello, cum modeſte fiunt, tamen ipſa per ſe moleſta ſunt, quam cenſes acerba nunc eſſe, cum a perditis in civili nefario bello petulantiſſime fiant?* Sed nec Vellejus Paterculus, omnium Tiberiani regni ſcriptorum longe nitidiſſimus, L. 1. C. 8. *Id geſſit Romulus, adjutus legionibus Latini avi ſui. libenter enim his, qui ita prodiderunt, acceſſerim: cum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Vejentibus, aliisque Etruſcis ac Sabinis, cum inbelli paſtorali manu vix potuerit.* Quibus in verbis deprehendere inſuper licet verſiculum Phaleucum hendecaſyllabum, auctori ſuo (ut ſaepe fit) inprudenti elapſum,

Adjutus legionibus Latini.

25. Quum mea rugosa pallebunt ora senecta] Cogitabam olim, non male *ſqualebunt* legi poſſe pro vulgato *pallebunt.* idque ut crederem, faciebat epitheton ſenectae, quae *rugoſa* hic adpellatur. Et ſane a cute rugis exarata abeſt omnis nitor. ipſe quoque uſus loquendi juvare videbatur. ſic enim Diſarius apud Macrobium L. 7. Saturn. C. 6. *Senibus ſiccum corpus eſt; quod probat aſperitas & ſqualor cutis.* Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. ℣. 5.

Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis annisque obſitum.

Comperi deinde hoc ipſum Nicolao quoque Heinſio in mentem veniſſe; nec leviter gaudebam a tanto viro comprobari id, quod excogitaſſem. Nunc diligentius inſpicienti non

eadem

Atque utinam vano nequidquam terrear aeſtu!
 Languent ter quinos ſed mea membra dies.
At vobis Tuſcae celebrantur gramina Nymphae,
 Et facilis lenta pellitur unda manu.
Vivite felices, memores & vivite noſtri,
 Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe volent.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
 Et nivei lactis pocula mixta mero.

eadem mens eſt. Pallor & rugae comites ſunt ſenectutis, etiam opulentae, & molliter habitae. utrumque autem ab inopia caloris nativi.

29. AT VOBIS TUSCAE CELEBRANTUR NUMINA LYMPHAE] *Nymphae* eſt in uno noſtro, unoque item Anglicano. & ſic ante Scaligerum legi ſolebat. Vide quae ad Propertium notavimus, L. 3. Eleg. 14. ℣. 4. Deinde pro *numina*, habebat Colbertinus liber *carmine*; Thuaneus vero *carmina*. in quo latet vera lectio, *cramina*, hoc eſt *gramina*. Intelligit campum, quo exercebantur ante lavationem & natationem. Horatius L. 3. Od. 7. ℣. 25.

Quamvis non alius flectere equum ſciens
Aeque conſpicitur gramine Martio,
 Nec quiſquam citus aeque
 Tuſco denatat alveo.

quae aliquanto fuſius expoſuit L. 1. Od. 8. breviter attigit Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 381.

Hos ignava jocos tribuit Natura puellis:
 Materia ludunt uberiore viri.
Sunt illis celeresque pilae, jaculumque, trochique,
 Armaque, & in gyros ire coactus equus.
Nec vos Campus habet, nec vos gelidiſſima Virgo;
 Nec Tuſcus placida devehit amnis aqua.

Sic & alibi ludebant, in morem atque imaginem campi Martii apud urbem.

30. ET FACILIS LENTA PELLITUR UNDA MANU] Haec ad natationem, qua plurimum delectabantur Romani. Sic L. 1. Eleg. 4. ℣. 71. ſq.

Hic placet, anguſtis quod equum compeſcit habenis:
 Hic placidam niveo pectore pellit aquam.

33. NIGRAS PECUDES PROMITTITE DITI] Vota ſuſcipite pro mea ſalute; & Diti patri, ita ſe exorari patiatur, hoſtias nigri velleris promittite cum lacte & mero. *Promittere* eſt vovere, ſpondere. Juvenalis Sat. 13. ℣. 232.

 pecudem ſpondere ſacello
Balantem, & Laribus criſtam promittere galli
Non audent. Quid enim ſperare nocentibus aegris
Conceſſum?

Petronius: *Ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt: ſed ſtatim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, ſi propinquum divitem extulerit: alius, ſi theſaurum effoderit: alius, ſi ad trecenties* HS. *ſalvus pervenerit. Ipſe ſenatus, recti bonique praeceptor, mille pondo auri Capitolio promittere ſolet: &, ne quis dubitet pecuniam concupiſcere, Jovem quoque peculio exorat.* Atque hinc vota etiam *ſolvi* dicuntur. De nigris pecudibus non eſt cur multa congeramus. numquam niſi atrae victimae mactabantur Diis Infernis. Sed omnia ſunt nota ex poëtis, & poëtarum interpretibus.

34. ET NIVEI LACTIS POCULA MIXTA MERO] Bono compendio Papinii Scholiaſtes, quem ineditum Barthius poſſidebat, ad L. 4. Theb. ℣. 444. *Inferorum paſtus Sanguis, Mel, Lac.* Sed & *Vinum* addi debuiſſe, hic locus oſtendit: & Seneca Oedip. ℣. 563.

 ſanguinem libat focis,
Solidasque pecudes urit, & multo ſpecum
Saturat cruore. libat & niveum inſuper
Lactis liquorem; fundit & Bacchum manu
Laeva.

VI. CAN-

VI.

CANDIDE Liber ades. ſic ſit tibi myſtica vitis
Semper; ſic hedera tempora vincta geras.

1. CANDIDE LIBER ADES] Ita & Naſo L. 3. Faſt. ℣. 772.

Reſtat, ut inveniam, quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.

& Seneca Oedip. ℣. 508.

Altaque caeruleum dum Nerea neſciet Arctos,
Candida formoſi venerabimur ora Lyaei.

Bacchus autem unde *Liber* dicatur, multiplici ratione disquirit Lilius Gregorius Gyraldus Hiſt. Deor. Syntagm. 8. docte ſane, ac diligenter.

1. MYSTICA VITIS] vitem Turnebus *myſticam* dici auctor eſt, quod cum Cerere Liber & Libera initiis colerentur, & thyrſi vitium pampinis inplexi gererentur ab initiatis, L. 29. Adverſ. C. 32. Sed & *myſtica* dici poteſt a myſteriis atque orgiis Bacchi, quibus qui operabantur, pampineas coronas geſtabant, atque hinc furore divino afflari credebantur. Naſo de Procne, L. 6. Metam. ℣. 587.

Tempus erat, quo ſacra ſolent Trïeterica Bacchi
Sithoniae celebrare nurus. nox conſcia ſacris.
Nocte ſonat Rhodope tinnitibus aeris acuti:
Nocte ſua eſt egreſſa domo regina: Deique
Ritibus inſtruitur; furialiaque accipit arma.
Vite caput tegitur: lateri cervina ſiniſtro
Vellera dependent: humero levis incubat haſta.

E vite quoqe omnis Liberi patris adparatus; currus uvis contectus, pampino thyrſus; vitea tigrium lora, & freni; ipſum templum Nyſae e vite atque hedera & lauro conſtructum, auctore Philoſtrato L. 2. de Vita Apollonii Thyanaei, C. 4.

2. SIC HEDERA TEMPORA VINCTA FERAS] in libris nonnullis eſt *geras.* quo modo noſter loquitur L. 1. Eleg. 3. ℣. 66.

Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.

& Eleg. 8. ℣. 7.

At te victrices lauros, Meſſala, gerentem
Portabat niveis currus eburnus equis.

Deinde codices Statiani non *tempora* habebant, ſed *cornua.* Quod mihi minus probatur. Cornua enim Bacchi fere uvis revinciebantur: crines autem hedera. Ovidius L. 6. Faſt. ℣. 483.

Bacche, racemiferos hedera redimite capillos,
(Si domus illa tua eſt) dirige navis iter.

Seneca Oedip. ℣. 414.

Te decet vernis comam floribus cingi,
Te caput Tyria cohibere mitra;
Hederave mollem baccifera
Religare frontem.

Nemeſianus Eclog. 3. ℣. 18.

Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea ſerta plicas, qui comtos palmite tigres
Ducis odorato perfuſus colla capillo.

Rationem adamatae tantopere hederae reddit Ovidius L. 3. Faſt. ℣. 769. ubi de anu, Baccho liba conficiente:

Cur hedera cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.
Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.
Nyſiades Nymphae, puerum quaerente noverca,
Hanc frondem cunis appoſuere novis.

Eſt & altera cauſſa, videlicet memoria dilecti pueri Ciſſi, in hederam mutati. quae fabella legitur apud Conſtantinum Caeſarem L. 11. Geoponic. C. 30. a quo diverſus abit Nonnus L. 8. Dionyſ. ℣. 8.

Μαρτυρίῃ δὲ τόκοιο φιλοστεφάνου Διονύσου
Στέμματι θυμὸν ἔτερπεν. ἐπ' ἀνθοκόμου δὲ καρήνου
Θυάδος αὐτοέλικτον ἀνέπλεξε κισσὸν ἐθείρης,
Βασσαρίδων ἅτε μάντις. ἀπεσσομένῃσι δὲ Νύμφαις
Ὄψιμον ἀγχιτόκοισιν ἐπωνυμίην πόρε κισσοῦ.
Teſtimonio vero partus ſerta amantis Bacchi
Corona animum oblectavit. Super floricomo vero capite
Bacchicae per ſe tortilem inplicavit hederam comae,
Baſſaridum tamquam vates. Ab futuris vero Nymphis
Seram in propinquo natis cognominationem dedit hederae.

Atque hinc Bacchi propria eſt planta, ac peculiaris. Propertius meus L. 4. Eleg 1. ℣. 62.

Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

Talis Bacchus cum hedera caput comoſum cingente conſpicitur in nummo aureo apud

Aufer & ipſe meum pariter medicande dolorem.
Saepe tuo cecidit munere victus Amor.

5 Ca-

Virum Spectatiſſimum Jacobum Wildium, amicum noſtrum non e multis, quem honoris cauſſa nominamus.



Muſas quoque noſtras, quarum ſodalis eſt Liber pater, hederaceis gaudere corollis tradidit Naſo L. 5. Metam. ℣. 338.

Surgit, & immiſſos hedera collecta capillos
Calliope querulas praetentat pollice chordas.

Inde ad poëtas venit hederarum honos. Maro Eclog. 7. ℣. 25.

Paſtores, hedera creſcentem ornate poëtam,
Arcades.

Horatius L. 1. Od. 1. ℣. 29.

Me doctarum hederae praemia frontium
Diis miſcent ſuperis.

Atque hac fronde coronabantur victores in agone poëtico, teſte eodem Venuſino vate L. 1. Epiſt. 3. ℣. 25.

ſeu condis amabile carmen,
Prima feres hederae victricis praemia.

Imagines quoque poëtarum hedera redimitae in bibliothecis ponebantur. quod in graculis Neronianae tempeſtatis deridet Perſius prolog. ℣. 5.

Helioniadasque, pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae ſequaces.

Moris hujus cauſſam exponit Andreas Alciatus Emblem. 204.

Haud quaquam areſcens hederae eſt arbuſcula, Ciſſo
Quae puero Bacchum dona dediſſe ferunt.
Errabunda, procax, auratis fulva corymbis,
Exterius viridis; cetera pallor habet.
Hinc aptis vates cingunt ſua tempora ſertis:
Palleſcunt ſtudiis, laus diuturna viret.

3. AUFER ET IPSE MEUM PARITER MEDICANDO DOLOREM] Vidit Cyllenius O finale in *medicando* perperam corripi, quamquam id fecerint nonnulli poſteriorum, in quibus Seneca, & Juvenalis, atque Auſonius. Itaque haeſit vir bonus, nec potuit ſe expedire. Sed vere emendavit Achilles Statius *pariter medicande*; ut ſit vocativus pro nominativo. Aufer o Bacche meum dolorem, ipſe pariter medicandus. Quod quale ſit, exponet tibi meus Aurelius L. 3. Eleg. 15. Profecto errant, qui gerundia in O corripi poſſe ſtatuunt. Neque ulla cauſſa eſt, cur ad Naſonem provocent, quaſi is praeiverit Epiſt. Deïanirae ℣. 126.

Fortunam vultus faſſa tegendo ſuos.

Eſt enim ibi cum Nic. Heinſio ſcribendum,

Fortunam vultu faſſa rigente ſuam.

Male quoque legitur atque inperite in Catalectis Virgilii, Carm. 11.

Saepe audendo mare vincere, ſaepe hiemem.

Cur enim citra neceſſitatem tam multipliciter peccet quisquam, cui liceat ſcripſiſſe juxta artis regulas,

Saepe mare audendo vincere, ſaepe hiemem?

Haec licentia ſemiveterum fraudi fuit poëtis alioqui caſtigatiſſimis. Certe Flaminii nitorem ſemel atque iterum infuſcavit; ne quid dicam de aliis conpluribus, infra cenſum Flaminii poſitis. Equidem Merlinum Coccajum videor mihi audire, quoties apud Nemeſianum lego, Eclog. 1. ℣. 53.

tu ruricolûm diſcernere lites
Aſſuêras, varias patiens mulcendo querelas.

& Eclog. 2. ℣. 80.

hoc ipſum mihi tu narrare ſolebas,
Purpureas laudando genas, & lactea colla.

Nec Baudium patienter fero, ita modulantem L. 2. Iambic. p. 78.

prodiga

Care puer, madeant generoso pocula Baccho:
I, nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores.
Fulserit hic niveis Delius alitibus.

Vos

prodiga est clementia,
Servando sontes ire perditum bonos.

Sed tu Vossium nostrum consulito L. 2. de Arte Grammat. C. 27.

4. SAEPE TUO CECIDIT MUNERE VICTUS AMOR] tralatio a luctatoribus desumta. Plautus Pseudol. Act. 5. Sc. 1. ℣. 5.

Magnum hoc vitium vino est,
Pedes captat primum. luctator dolosu'st.

Et sic ille Terentii Chremes, Eunuch. Act. 4. Sc. 5. ℣. 1.

Attat, data hercle verba mihi sunt: vicit vinum, quod bibi.

Sed mihi τὸ *cecidit* hoc loco parum placet. non quo pravum putem; sed quod *cadendi* verbum pro eo, quod est victum abire, poni solere vix arbitrer. *Cedere* & *recedere*, & *exire*, & *discedere* in hoc ipso negotio libenter dixerunt poëtae Latini. Maro L. 12. Aen. ℣. 183.

Cesserit Ausonio si fors victoria Turno;
Convenit Euandri victos discedere ad urbem.
Cedet Iulus agris: nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.

Propertius L. 1. Eleg. 9. ℣. 28.

Quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine, cedat Amor?

ibi nos ex aliis alia notavimus. Naso Amor. L. 3. Eleg. 11. initio:

Multa diuque tuli: vitiis patientia victa est.
Cede fatigato pectore, turpis Amor.

Remed. Amor. ℣. 752.

At tibi sit tanti, non indulgere theatris;
Dum bene de vacuo pectore cedat Amor.

ibidem ℣. 144.

qui finem quaeris amoris,
(*Cedit amor rebus*) *res age: tutus eris.*

ibidem ℣. 199.

Vel tu venandi studium cole. saepe recessit
Turpiter a Phoebi victa sorore Venus.

disticho priore dixerat de agricolatione:

Cum semel haec animum coepit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit Amor.

His verbis contraria sunt verba *permanendi*, *standi*, *sedendi*, quae firmam possessionem notant, apud eumdem poëtam Pelignum. sic L. 1. Art. Amat. ℣. 234.

Vinaque cum bibulas sparsere Cupidinis alas,
Permanet, & coepto stat gravis ille loco.

Remed. Amor. ℣. 108.

Si tamen auxilii perierunt tempora primi,
Et vetus in capto pectore sedit amor.

His ego rationibus permotus in Albio nostro sic malim:

Saepe tuo cessit munere victus Amor.

Accedit, quod noster perquam raro faciat pentametros, quorum hemistichia possint inter sese commutari. Tamen si quis aliter sentit, illum ego facile patiar sensu suo abundare. Idem mendum e Petronio sustulit noster Douza:

Quum Fortuna manet, vultum servatis, amici;
Quum cedit, turpi vertitis ora fuga.

nam & istic *cecidit* passim edebatur, sensu prorsus inepto.

5. CARE PUER] Intellige puerum vernam. tales enim venalitiis multo cariores. Compellatio est tenerrimi adfectus, atque omnino paterni. Sic Anchises L. 5. Aen. ℣. 752.

Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis.

Euander Pallanta filium dimissurus, L. 8. ℣. 578.

Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;
Nunc, o, nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea sera & sola voluptas,
Complexu teneo.

Thetis Papiniana L. 1. Achill. ℣. 252.

Si mihi, care puer, thalamos sors aequa dedisset,
Quos dabat, aetheriis ego te complexa tenerem
Sidus grande plagis.

Theodosius Imp. sic filium Honorium adfatur apud Claudianum, Panegyr. de quarto hujus Consulatu, ℣. 213.

Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset,
Care puer, terrisque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras;
Sufficeret sublime genus.

Ita & filii suos parentes adloquebantur. Virgilii Aeneas L. 2. ℣. 707.

Ergo age, care pater, cervici inponere nostrae.

6. ET NOBIS PRONA] Scaliger malebat, *I, nobis prona.* Recte. Sic habent Perreji excerpta.

Vos modo propoſito dulces faveatis amici,
Neve neget quisquam me duce ſe comitem.
Aut ſi quis vini certamen mite recuſat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, & dominae miſit in arbitrium.
Armeniae tigres, & fulvas ille leaenas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

Haec

12. FALLAT EUM TECTO CARA PUELLA DOLO] ſolennis inprecatio in re jocoſa. Sed gravius iraſcitur Priapus neſcio cujus poëtae antiqui, Carm. 47.

Quicumque veſtrûm, qui venitis ad coenam,
Libare nullos ſuſtinet mihi verſus:
Illius uxor, aut amica, rivalem
Laſciviendo languidum precor reddat;
At ipſe longa nocte dormiat ſolus,
Libidinoſis incitatus erucis.

13.14. ILLE FEROCEM CONTUDIT] grave verbum de domino gravi. Cicero pro Caecin. C. 7. *Imo, ut viro forti ac ſapienti dignum fuit, ita calumniam ſtultitiamque obtrivit, ac contudit.* idem Philipp. 13. C. 13. *Quantum praeſidii fuerit in ceteris, hinc intelligi poteſt, quod ego unus relictus e multis contudi & fregi, adjuvantibus vobis, exſultantis praedonis audaciam.* Virgilius L. 1. Aen. ℣. 262. ore Jovis, de Aenea:

Hic tibi (fabor enim, quando haec te cura remordet:
Longius & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris & moenia ponet.

Horatius L. 2. Epiſt. 1. ℣. 10.

diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit.

& L. 4. Od. 3. ℣. 8.

Quod regum tumidas contuderit minas
Oſtendet Capitolio.

Propertius L. 1. Eleg. 1. ℣. 10.

Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saevitiam durae contudit Iaſidos.

L. 4. Eleg. 2. ℣. 52.

Tempore quo ſociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.

Naſo Amor. L. 1. Eleg. 2. ℣. 15.

Aſper equus duris contunditur ora lupatis.

& L. 1. Art. Amat. ℣. 12.

Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem;
Atque animos placida contudit arte feros.

Valerius Maximus L. 3. C. 2. ext. 5. *Epaminondas maxima Thebarum felicitas, idemque Lacedaemonis prima clades, cum vetuſtam ejus urbis gloriam, invictamque ad id tempus publicam virtutem apud Leuctra & Mantineam ſecundis praeliis contudiſſet,* &c.

15. ARMENIAS TIGRES, ET FULVAS ILLE LEAENAS VICIT] Pulcrum hinc emblema duxit Ludovicus Areoſtus Cant. 14. Orlandi Furentis, ſt. 114.

Ne la bandiera, ch' è tutta vermiglia,
Rodomonte di Sarza il Leon ſpiega;
Che la feroce bocca ad una briglia,
Che li pon la ſua donna, aprir non nega.
Al leon ſe medeſimo aſſomiglia:
E per la donna, che lo frena e lega,
La bella Doralice ha figurata,
Figlia di Stordilan, Re di Granata.

Qui verſus hunc ferme ſenſum habent:

Rubra gerunt ſaevum Rodomontis ſigna leonem,
Nec tamen indocilem: nam virginis ille feroci
Ore manum patitur, lentis adſuetus habenis.
It juba caeruleos late diffuſa per armos.
Tali argumento flammas Rex faſſus amoris,
Imperiumque tuum, Doralice; regia virgo,
Paret, & ad nutus ſupplex procumbit heriles.
Tantum forma poteſt, caraeque cupido puellae.

Noſter autem poëta quum tigrium ferocitatem epitheto a patria ſumto deſignaverit, cur nullam patriam dedit leaenis? Eſt enim certum, non ubique eſſe aeque truculentas, multoque ſegnius Afras ſaevire quam Hyrcanas, atque aliarum Aſiae terrarum. Parum hoc videri poſſit exactum, ſiquidem ab ipſo Tibullo profectum foret. Neque enim ideo leaenae ſunt truculentae, quod ſint fulvae. Sed profecto a manu poëtae ita fuit:

Armeniae tigres, & fulvas ille leaenas
Vicit.

Arme-

Haec Amor, & majora valet. Sed poſcite Bacchi
Munera. quem veſtrum pocula ſicca juvant?
Convenit ex aequo, nec torvus Liber in illis,
Qui ſe, quique una vina jocoſa colunt.
Jam venit iratus nimium, nimiumque ſeveris.
Qui timet irati numina magna, bibat.

Qua-

Armeniae eſt genitivus regionis, in qua tigres & leaenae ferociſſimae. Ad hanc formam loquendi Horatius *Sabaeae reges* dixit L. 1. Od. 29. ℣. 3. & *paſtores Libyae*, Virgilius L. 3. Geor. ℣. 339. Scribae librarii in *Armeniae* voce mutarunt *e* ultimum in *s*. id quod ſaepenumero factum fuit. Recte emendarunt viri eruditi in Propertio, L. 3. Eleg. 9. ℣. 31.

Conjugii obſcaeni precium Romana popoſcit
Moenia.

Codices antiqui habebant *Conjugis*. Nos quoque ex eodem poëta compar mendum ſuſtulimus, L. 2. Eleg. 25. ℣. 38.

Qualis & Adraſti fuerit vocalis Arion,
Triſtia ad Archemori funera victor equus.

Triſtis legebatur in libris, ſenſu pueriliter inepto.

19. NEC TORVUS LIBER IN ILLOS] *in illis* praeferunt viginti libri. Recte. Caeſar L. 3. Bell. Civ. C. 97. *a militibus contendit, ne in praeda occupati, reliqui negotii gerendi facultatem dimitterent.* Cicero L. 3. ad famil. Epiſt. 8. *ſtudia mihi eorum placere, quod in te bene merito grati eſſent.* & Accuſ. 1. in Verr. C. 1. *Neque enim hoc a vobis populus Romanus exſpectat, neque eo poteſt eſſe contentus, ſi condemnatus ſit is, qui adeſſe noluerit, & ſi fortes fueritis in eo quem nemo ſit auſus defendere.* Virgilius L. 2. Aen. ℣. 541.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit Priamo.

Propertius L. 3. Eleg. 15. ℣. 23.

Veſanumque nova nequiquam in vite Lycurgum.

ibidem Eleg. 17. ℣. 28.

Victor erat quamvis, aequus in hoſte fuit.

21. JAM VENIT IRATUS NIMIUM, NIMIUMQUE SEVERUS] *venire iratum* etiam Tullius dixit Philipp. 3. C. 2. *Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus veniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat: cui tandem noſtrum, aut cui omnino bono pepercisſet?* Deinde *ſeveris* legi debere, hoc eſt ſiccis, ſobriis, abſtemiis, feliciter viderunt Jo. Livinejus, & Janus Gulielmius Quaeſt. in Plaut. Rudent. C. 5, prolatis Catulli atque Horatii auctoritatibus.

22. IRATI NUMINA MAGNA] Nam majores ſolito adparere credebantur Dii irati, quo eſſent formidoloſiores. Callimachus Hymn. in Cererem, ℣. 58.

Δαμάτηρ δ' ἄφατόν τι κοτέσσατο· γείνατο
δ' ἁ θεῦς.
Ἴθματα μὲν χέρσῳ, κεφαλὰ δέ οἱ ἅψατ'
ὀλύμπῳ.

Ceresque infando modo ſuccenſuit, & dea rurſum facta eſt.
Veſtigia quidem ejus terram, caput vero ejus tangebat coelum.

Maro L. 2. Aen. ℣. 622.

Apparent dirae facies, inimicaque Trojae
Numina magna Deûm.

L. 7. ℣. 445.

Talibus Alecto dictis exarſit in iras.
At juveni oranti ſubitos tremor occupat artus:
Deriguere oculi: tot Erinnys ſibilat hydris,
Tantaque ſe facies aperit.

Atque ita etiam fieri autumabant in adparitionibus deorum Manium, & ſpectrorum, atque umbrarum. Seneca Troad. ℣. 178.

Tum ſciſſa vallis aperit immenſos ſpecus,
Et hiatus Erebi pervium ad ſuperos iter
Tellure fracta praebet, ac tumulum levat.
Emicuit ingens umbra Theſſalici ducis.

idem Thyeſt. ℣. 671.

Errat antiquis vetus
Emiſſa buſtis turba, & inſultant loco
Majora notis monſtra.

& Oedip. ℣. 171.

Quin Taenarei vincula ferri
Rupiſſe canem fama, & noſtris
Errare locis: mugiſſe ſolum:
Vaga per lucos ſimulacra virûm
Majora viris.

Talia terriculamenta bono jure ad animum male ſibi conſcium tranſtulit poëta Aquinas Sat. 13. ℣. 217.

Nocte

Quales his poenas qualis quantusque minetur,
  Cadmaeae matris praeda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic ſit timor: illaque, ſiqua eſt,
  Quid valeat laeſi, ſentiat, ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
  Aeriae & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei ſupereſt tibi cura, Neaera:
  Sis felix, & ſint candida fata tua.
At nos ſecurae reddamus tempora menſae.
  Venit poſt multos una ſerena dies.

Hei

Nocte brevem ſi forte indulſit cura ſoporem,
Et toto verſata toro jam membra quieſcunt:
Continuo templum, & violati numinis aras,
Et, quod praecipuis mentem ſudoribus urget,
Te videt in ſomnis. Tua ſacra, & major imago
Humana turbat pavidum, cogitque fateri.

23. QUALES HIS POENAS QUALIS QUANTUSQUE MINETUR] Ita optime conſtituit Scaliger: neque audiendi, qui inmutant. Bacchi honor ut inter Deos magnus, ita ipſe contemti numinis vindex ſeveriſſimus. Vide Papinium L. 7. Thebaid. ℣. 210. atque inibi Lutatium.

24. CADMEAE MATRIS PRAEDA CRUENTA] Pentheus, a matre Agave & bacchis furentibus diſcerptus. Res nota; ſed tamen ob inluſtrem facundiam relegenda apud Naſonem L. 7. Metam. ℣. 701. Vide & Paſſeratium ad illa Propertii, L. 3. Eleg. 21. ℣. 33.

Penthea non ſaevae venantur in arbore Bacchae.

alii enim aliter narrarunt.

25. ILLAQUE, SI QUA EST] Minus recte haec ad matrem Cadmeam refert Achilles, & noſter Douza Praecid. C. 12. Neaeram ſuam intelligebat poëta: id quod clarum fit ex deprecatione ſtatim ſequente. Procul abſit a nobis, o amici, hic timor iracundiae Bacchicae: potius ſentiat laeſi Dei furorem illa, quam ego natam vix puto; quam in numero mortalium ut habeam, aegre a me ipſe impetro. Tantumdem enim valet iſtud *ſi qua eſt*. Plautus Pſeudol. Act. 2. Sc. 1. ℣. 15.

Metum & fugam perduellibus meis injiciam,
me eſſe ut ſciant natum.

Minime vero audiendus Muretus, qui *illaque ſicca* reponebat.

27. QUID PRECOR AH DEMENS] Jucunda correctio optati inpotentis. Hinc colorem duxit dulciſſimus Lotichius, quamquam in re disſimili, L. 3. Eleg. 3.

Tu quoque, ſi veterum memor eſt & pulvis amorum,
Occurras oculis ſaepe videnda meis.
Saepius in ſomno redeat tua dulcis imago;
Fidaque tangendas praebeat umbra manus.
Quid precor imprudens? non fas ita velle, piumve eſt:
Otia ſint cineri, ſit ſopor uſque, tuo.
Et tumulum myrti virides, & amaracus ornet;
Et ſedeat cuſtos ad tua buſta Venus.

30. SIS FELIX, ET SINT CANDIDA FATA TUA] Elegans formula. Catullus Carm. 65. ℣. 155.

Sitis felices, & tu ſimul, & tua vita,
Et domus, ipſi in qua luſimus, & domina.

& Carm. 96.

Sis felix, Coeli, ſis in amore potens.

Maro L. 3. Aen. ℣. 493.

Vivite felices, quibus eſt fortuna peracta
Jam ſua.

Horatius L. 3. Od. 27. ℣. 13.

Sis licet felix, ubicumque mavis,
Et memor noſtri Galatea vivas.

Propertius L. 1. Eleg. 13. ℣. 35.

Quae tibi ſit felix, quoniam novus incidit error;
Et quotcumque voles, una ſit iſta tibi.

itemque imitatione non obſcura Maronis ſui, Eleg. 1. ejusdem libri, ℣. 29.

Ferte per extremas gentes, & ferte per undas,
Qua non ulla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit ore,
Sitis & in tuto ſemper amore pares.

Apulejus L. 2. Metam. *Sed tibi plane, Luci domine, ſoli omnium Chaldaeus ille vera dixerit: ſisque felix, & iter dextrum pergas.*

40. FLE-

Hei mihi, difficile eſt imitari gaudia falſa:
Difficile eſt triſti fingere mente jocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore,
Nec bene ſollicitis ebria verba ſonant.
Quid queror infelix? turpes diſcedite curae.
Odit Lenaeus triſtia verba pater.
Gnoſia, Theſeae quondam perjuria linguae
Fleviſti ignoto, ſola relicta, mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus,
Ingrati referens inpia facta viri.

Vos

40. FLEVISTI IGNOTO, SOLA RELICTA, MARI] Verbum *flendi* eleganter ſibi adſciſcere dativum, monuimus ſupra ad L. 1. Eleg. 11. ℣. 64. Eſt autem hic imago belliſſima infelicis Ariadnae, ab ingratiſſimo Theſeo in deſerta inſula Naxo relictae, & fati ſui diritatem apud ventos atque undas conquerentis. Catulli locus, quem noſter adludit, hic eſt, Carm. 61. ℣. 164.

Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo, quae nullis ſenſibus auctae
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?

Adluſit & Naſo L. 3. Faſt. ℣. 469.

Flebat amans conjux, ſpatiataque litore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum ſimiles, fluctus, audite querelas:
En iterum lacrimas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure & perfide Theſeu.
Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque, Nulla viro, clamabo, femina credat.
Nomine mutato cauſſa relata mea eſt.

Pariter Aurelius meus L. 1. Eleg. 15. ℣. 9.

At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo
Deſertis olim fleverat aequoribus.
Multos illa dies incomtis moeſta capillis
Sederat, injuſto multa locuta ſalo.

Thyeſtes in cognomine tragoedia, ℣. 1068.

Cluſa litoribus vagis
Audite maria. Vos quoque audite hoc ſcelus,
Quocumque Dii fugiſtis. audite Inferi.
Audite Terrae. Noxque Tartarea gravis
Et atra nube, vocibus noſtris vaca.

Cicero L. 3. Tuſcul. Quaeſt. C. 26. *Sunt autem alii, quos in luctu cum ipſa ſolitudine loqui ſaepe delectat, ut illa apud Ennium nutrix:*

Cupido cepit miſeram nunc me, proloqui
Caelo atque terrae Medeaï miſerias.

Scylla apud auctorem Ciris, ℣. 406.

Vos ego, vos adeo, venti, teſtabor, & aurae.

Quo tandem fructu? certe haud prorſus nullo. Audi Callimachum, Grotii noſtri ore loquentem:

Inſidunt levius mortali corde dolores,
Et de triginta partibus una perit,
Cum fidi in comitis gremium, vel denique ſurdos
Cum temere in ventos ſe dolor exonerat.

Graeca commodius conſules in Fragmentis Cyrenaei poëtae ab eruditiſſimo viro Richardo Bentlejo nuper diſpoſitis, num. 67. Atque hinc liquet, quam temere ac nullo conſilio Albium noſtrum deturpaverit Franciſcus Guyetus, ita refingens,

Flevit in ignoto ſola relicta mari.

Profecto ſiniſtra eſt medici cura, tam facile urentis & ſecantis.

41. SIC CECINIT PRO TE DOCTUS, MINOI, CATULLUS] Mallem *Haec cecinit.* deſignat enim Ariadnae querelam, admirabili artificio Veronenſis poëtae contextam in Epithalamio Thetidis & Pelei. quod nobiliſſimum carmen nullo jure *Argonautica* indigetant editiones plebejae, & grammatici quidam oſcitantes. Ceterum Catullum etiam Martialis *doctum* vocavit, L. 1. Epigr. 61.

Verona docti ſyllabas amat vatis.

L. 7. Epigr. 98. ubi de ſe ipſe loquitur:

Nec Marſo nimium minor eſt, doctoque Catullo.

Et omnis retro antiquitas iſto eum quaſi peculiari honoris vocabulo condecoravit. Id quod concoquere non potuit Julii Scaligeri ſtomachus, L. 6. Poët. C. 7. quo loco Catullum multis modis proſcindit, ac lacerat. Et tamen ille idem Scaliger

Vos ego nunc moneo: Felix, quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda ſordida lingua prece.
Etſi perque ſuos fallax jurarit ocellos,
Junonemque ſuam, perque ſuam Venerem,

Nulla

Manes maximi & optimi poëtae,
Et quantum pote plurimum diſerti
luculentis verſibus ſibi propitiavit ipſo initio Hendecaſyllaborum; quem librum *Manium Catullianorum* ſpecioſo titulo cohoneſtavit. Hoc malo, quam cenſionem illam inclementem ac ſuperciliosſam. Pro Catulli honore ſteterunt alii viri, item boni atque egregii, Franciſcus Floridus L. 3. Succiſiv. Lect. C. 9. & Caſpar Barthius L. 52. Adv. C. 15. tum ad Papin. L. 2. Silv. 7. ℣. 76. & ad L. 5. Theb. ℣. 729.

43. VOS EGO NUNC MONEO] Cicero Philipp. 7. C. 9. *Sed vos moneo, patres conſcripti, libertas agitur populi Romani, quae eſt commendata vobis.*

44. POSSE CARERE TUO] ſuſpectum hoc habet Janus Gulielmius C. 5. in Plauti Rudentem, malitque *cavere*, quomodo dicimus *cavere malo.* Sane *cavere* legitur in Margarita Poëtica Alberti de Eyb, itemque in codicibus duobus. Et juvare aliquid videtur Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 455.

Diſcite ab alterius veſtris timuiſſe querelis.

Sed intercedit noſter Albius L. 1. Eleg. 2. ℣. ult.

Non ego, totus abeſſet amor, ſed mutuus eſſet
Orabam: nec te poſſe carere velim.

& Rutilius Itiner. L. 1. initio:

Velocem potius reditum mirabere, lector,
Tam cito Romuleis poſſe carere bonis.

Nimirum caret ille dolore ſuo, qui aliena ſtultitia doctus prudenter advigilat, ne quid in ſe admittat, unde dolorem poſtmodo capere poſſit. Talis autem prudentia quin uſu addiſci queat, neque ipſe opinor Gulielmius negaſſet.

46. NEC CAPIAT BLANDA SORDIDA LINGUA FIDE] *Aut fallat blanda* habent meliores. deinde non *fide*, ſed *prece* erat in excerptis Scaligeri. Recte. Cicero Philipp. 7. C. 9. *At vero excitati, erecti, parati, armati animis jam eſſe debemus, ne blanda aut ſupplici oratione, aut aequitatis ſimulatione fallamur.* Denique, pro *ſordida*, malebat Nic. Heinſius *ſubdola.* Vellem liber aliquis addiceret. Tamen *ſordida*, ut Scaliger bene expoſuit, avaram notat ac petacem. Horatius L. 2. Od. 16. ℣. 15.

Nec leves ſomnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.

47. ETSI PERQUE SUOS FALLAX JURAVIT OCELLOS] *jurabit* eſt in Colbertino codice. quomodo ex ingenio reſtituebat olim Joannes Paſſeratius, quamvis in vetere ſuo libro *jurarit* reperiſſet. Hoc ſi Douza noſter ſciviſſet, conſtantius amaſſet ſuam conjecturam: *jurarit* enim ſola ingenii bonitate praeoptaverat Praecid. C. 12. Vere, ni fallor. Per oculos jurare, antiqui moris fuit, & quidem praecipue in amoris negotio. Plautus Menaech. Act. 5. Sc. 9. ℣. 1.

Si voltis per oculos jurare, nihilo hercle ea cauſſa magis
Facietis, ut ego hodie abſtulerim pallam & ſpinther, peſſumae.

Menaechmus ſurreptus adloquitur Erotium meretriculam, ejusque ancillam; quibus quidem in illa ſua venatura nihil eſſe oculis carius debebat. Aurelius meus L. 1. Eleg. 15. ℣. 33.

Quamve mihi viles iſti videantur ocelli,
Per quos ſaepe mihi credita perfidia eſt.
Quos tu jurabas, ſi quid mentita fuiſſes,
Ut tibi ſuppoſitis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere Solem?
Nec tremis, admiſſae conſcia nequitiae?

Atque hoc voluit inpurus ille apud puriſſimum nequam: *Tetigit puer oculos ſuos, conceptiſſimisque juravit verbis, ſibi ab Aſcylto nullam vim factam.* Et ſic in adfectu tenerrimo Apulejus L. 3. Metam. *Tandem denique reverſus ad ſenſum praeſentium, arrepta manu Fotidis, & admota meis luminibus, Patere, oro te, inquam, dum dictat occaſio, magno & ſingulari me affectionis tuae fructu perfrui, & impartire nobis unctulum indidem, per iſtas tuas papillas, mea mellitula.* Vult nempe oculos

Nulla fides inerit. perjuria ridet amantum
Jupiter, & ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellae
Conqueror? ite a me ſeria verba procul.
Quam vellem tecum longas requieſcere noctes,
Et tecum longos pervigilare dies!
Perfida, nec merito nobis inimica merenti.
Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen.

Naida

los ei ſuos debere, & quidem de plano atque in re praeſenti, ſi illa rogatum fecerit. Nec tantum per ſuos, ſed & per oculos adamati capitis jurabant. Naſo Amor. L. 2. Eleg. 16. ℣. 43.

At mihi te comitem juraras uſque futuram,
Per me, perque oculos ſidera noſtra tuos.

& feſtiviſſime ejusdem operis L. 3. Eleg. 3. ℣. 11.

Argutos habuit, radiant ut ſidus, ocellos;
Per quos mentita eſt perfida ſaepe mihi.
Scilicet aeterno falſum jurare puellis
Dii quoque concedunt; formaque numen habet.
Perque ſuos illam nuper juraſſe recordor,
Perque meos oculos; & doluere mei.
Dicite, Dii; ſi vos impune fefellerit illa,
Alterius meritis cur ego damna tuli?

48. Junonemque suam, perque suam Venerem] ſcripſit Tibullus, ſi quid ego hic ſapio, *per Veneremque ſuam.* quod ut credam, facit uſus particulae *que* plane ei peculiaris, & ab aliis poëtis diverſus. Sic L. 1. Eleg. 1. ℣. 34.

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

L. 1. Eleg. 3. ℣. 38.

Nondum caeruleas pinus contemſerat undas,
Effuſum ventis praebueratque ſinum.

ibidem ℣. 56.

Hic jacet inmiti conſumtus morte Tibullus,
Meſſalam terra dum ſequiturque mari.

L. 1. Eleg. 4. ℣. 2.

Ne capiti ſoles, ne noceantque nives.

L. 1. Eleg. 7. ℣. 60.

Attigeris, labentur opes: ut vulnere noſtro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.

L. 1. Eleg. 8. ℣. 62.

Te canet agricola e magna quum venerit urbe
Serus, inoffenſum rettuleritque pedem.

L. 1. Eleg. 11. ℣. 54.

Sed Veneris tunc bella calent, ſciſſosque capillos
Femina, perfractas conqueriturque fores.

L. 2. Eleg. 4. ℣. 54.

Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.

L. 2. Eleg. 5. ℣. 86.

Dolia dum, magni deficiantque lacus.

ibidem ℣. 90.

Ille levis ſtipulae ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras.

deinde ℣. 114.

Acer Amor, fractas utinam tua tela ſagittas,
Ilicet, exſtinctas adſpiciamque faces.

Haec Palaemonibus noſtris exilia videbuntur, neque ſatis digna in quibus otium ponatur: mihi vero, quae mea eſt humilitas, nihil exile habetur, quod faciat ad inluſtrationem ſermonis Latini. Per Junonem juraſſe mulieres, & per Venerem, atque has praecipue quarum quaeſtus erat amoris venatura, ex Plauto, Naſone, Arbitro, ac Juvenale jam olim innotuit. Et primus, credo, obſervavit inſignis ille Politianus Miſcell. C. 89.

51. Ergo qui toties fallacis verba puellae Conqueror] Non ſatis adparet, quo referatur iſtud *qui.* oratio eſt hiulca, atque altero membro truncata: cui tamen feliciter medetur noſter ſecundus, cum Veneta principe & Cylleniana, *quid toties* praeferentes. Quum nulla omnino mulier ſit fida, quid ego toties animum meum excrucio propter levitatem fallacis puellae?

52. Ite a me seria verba precor] Non *precor*, ſed *procul* habebant Pocchi excerpta, cum Nic. Heinſii Italicis. quod quanto ſit praeſtabilius, nemo non videt.

55. Perfida, nec merito nobis inimica merenti] Ita recte diſtinxit Scaliger. nec placent Achillis libri, qui ſic volunt,

Naida Bacchus amat. ceſſas o lente miniſter?
Temperet annoſum Marcia lympha merum.
Non ego, ſi fugiat noſtrae convivia menſae
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota ſuſpiria nocte.
Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.
Jam dudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis inplicuiſſe comas.

Perfida, nec merito nobis inimica. merenti
Perfida.

Venuſtus eſt archaiſmus *nobis merenti*; a quo nec nitidiſſimi ſcriptores abhorruerunt. Terentius Eunuch. Act. 4. Sc. 3. ℣. 7.

Neſcio quid profecto abſente nobis turbatum eſt
domi.

Catullus Carm. 103.

Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te
Nobis. o lucem candidiore nota!

Vide egregium ſcriptorem Jo. Lud. de la Cerda ad Maron. L. 9. Aen. ℣. 525. & Voſſium noſtrum lib. de Conſtruct. C. 55.

58. MARTIA LYMPHA] Recte bini Wittiani *Marcia.* Diximus ad Propert. L. 3. Eleg. 1. ℣. 52.

59. SI FUGIAT NOSTRAE CONVIVIA MENSAE] Non quod negaſſet vocanti, ſed quod inter ipſas epulas furtim ſe proripuiſſet e convivio. Videlicet ex diſciplina lenonia, quaſi itura ad alium aliquem potiorem. Sic Bacchis illa apud amabiliſſimum Socci Romani artificem, Heautont. Act. 4. Sc. 4. ℣. 9.

Mea Phrygia, audiſti, modo iſte homo
quam villam demonſtravit
Charini? PH. *audivi.* B. *proxumam huic*
fundo ad dexteram? PH. *memini.*
B. *Curriculo percurre: apud eum miles Dionyſia agitat.*
S. *Quid haec inceptat?* B. *Dic me hic oppido*
eſſe invitam, atque adſervari:
Verum aliquo pacto verba his me daturam
eſſe, & venturam.

Horatius L. 1. Epiſt. 7. ℣. 25.

Quod ſi me noles uſquam diſcedere; reddes
Forte latus, nigros anguſta fronte capillos:
Reddes dulce loqui: reddes ridere decorum, &
Inter vina fugam Cynarae moerere protervae.

Tale quidpiam apud Lucianum legitur in Philinnae ac matris dialogiſmo.

60. VANA PUELLA] levis, inconſtans, mendax. Cicero L. 2. ad famil. Epiſt. 7. *Profecto vides quanta vis in republica temporum ſit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates: quid inſidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites.* Orat. pro P. Quintio C. 6. *Si veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur: neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem, fama ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & impium eſſe fateatur.* Hinc antiqui habuerunt verbum *vanare:* quo verbo uſus eſt L. Accius in Alcmaeone:

Tanta ut fruſtrando lactans, vanans protrahit.

Male haec citantur apud Nonium ex *Alcmena* in voce *Vanans:* rectius autem in *Lactare.*

63. JAM DUDUM] Formula venuſta de tempore non longo in re praeſente, & ſcriptoribus elegantibus adamata. Hodie apud vulgi aures aliter ſonat; quamvis eam inluſtrarint Grammatici inſignes, Servius Honoratus ad L. 2. Aen. ℣. 103. Donatus ad Terent. Andr. Act. 3. Sc. 4. ℣. 3. Laurentius Valla L. 2. Elegant. C. 34. atque Angelus Decembrius L. 3. de Polit. Liter. parte 29. Sed res liquidius confiet prolatis exemplis. Cicero ſic loquitur Dial. de Amicit. C. 22. *Equidem in talibus ea, quam jam dudum tractamus, ſtabilitas amicitiae confirmari poteſt.* Terentius Eunuch. Act. 4. Sc. 5. ℣. 8.

C. *Sed Thais multo ante venit?* P. *anne abiit*
jam a milite?
C. *Jam dudum: aetatem. lites ſunt inter eos*
factae maxumae.

homo madidus rem exaggerat verbo: nam Thais tantum quod abierat a Thraſone. Sed clarius loquitur Sc. 6. ℣. 5.

C. *Thais, ego jam dudum hic adſum.* T. *o mi*
Chremes te ipſum exſpecto.

Sinon Maronianus L. 2. Aen. ℣. 103.

Sed quid ego haec autem nequicquam ingrata
revolvo?

Quid-

Quidve moror? si omnis uno ordine habetis
Achivos,
Idque audire sat est; jam dudum sumite poenas.

Horatius L. 3. Od. 29.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Maecenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis
Jam dudum apud me est.

Naso L. 2. Art. Amat. ℣. 457.

Candida jam dudum cingantur colla lacertis;
Inque tuos flens est accipienda sinus.

Seneca Med. ℣. 191.

Vade veloci via,
Monstrumque saevum, horribile, jam dudum
evehe.

Valerius Flaccus L. 6. ℣. 456. de Junone:

Hinc Veneris thalamos, semperque recentia sertis
Tecta petit. visa jamdudum prosilit altis
Diva toris, volucrumque exercitus omnis Amo-
rum.

Apulejus L. 2. Metam. *Zachlas adest Aegyptius, propheta primarius, qui mecum jam dudum grandi praemio pepigit, reducere paullisper ab inferis spiritum, corpusque istud postliminio mortis animare.* Pro eo *jamdudum*, nitidissimus Arbiter *jam olim* dixit, venustate non minore: *Haud mora, omnes consurgimus: & Eumolpus quidem mercenarium suum jam olim dormientem exire cum sarcinis jubet.*

63. Tyrio madefactus tempora nardo] *Tyrium* dici nardum, quod Tyro advehetur, statuunt eruditi. Atque ita myrrham Propertius meus *Oronteam* vocat L. 1. Eleg. 2. ℣. 3. non quia ad Orontem Syriae nasceretur, sed quod Antiochiam camelis deferretur, inde porro in alias oras deportanda. Atque equidem his rationibus adquiescere poteramus, nisi *Syrio* haberent nonnulli codices Statiani, & Lipsii atque Heinsii excerpta. id quod merito probavit noster Douza. Neque vero dubitare nos sinit Horatii auctoritas, L. 2. Od. 11. ℣. 16.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

inibi haec notavit Pomponius Porphyrio: *Ea quae nunc Syria dicitur, olim addita sylla-ba Assyria nominabatur. Et adnotandum, hic quoque* NARDUM *feminino genere dici.* Vere ille de Syria, testibus Plinio L. 5. C. 12. & Justino L. 1. C. 2. De genere autem quod notat, sciendum veteres & *haec nardus* dixisse, & *hoc nardum.* id quod Vossius noster observavit L. 1. de Analog. C. 32. & 36. quamquam inmemor hujus loci Tibulliani. Ceterum e Syria potissimum petebant Romani illas suas preciosas delicias, etiam ex Perside atque India advectas. Catullus Carm. 6.

Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio flagrans olivo.

& Carm. 65. ℣. 144.

Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum.

Horatius L. 1. Od. 31. ℣. 12.

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem: dives & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce.

L. 2. Od. 7. ℣. 8.

Cum quo morantem saepe diem mero
Fregi, coronatus nitentis
Malobathro Syrio capillos.

L. 3. Od. 29. ℣. 60.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci,
Ne Cypriae Syriaeque merces
Addant avaro divitias mari.

sic enim ibi habet codex vetustissimus Bibliothecae Franequeranae, quum sit in vulgatis *Tyriaeque merces.*

ALBII TIBULLI
LIBER QUARTUS.

I.

Panegyricus ad Meſſalam.

Te, Meſſala, canam. Quamquam me cognita virtus
Terret, ut infirmae nequeant ſubſiſtere vires;
Incipiam tamen. At meritas ſi carmina laudes
Deficiant: humilis tantis ſim conditor actis:
Nec tua praeter te chartis intexere quiſquam
Facta queat, dictis ut non majora ſuperſint:
Eſt nobis voluiſſe ſatis. Nec munera parva
Reſpueris. etiam Phoebo gratiſſima dona

Cres

Venimus ad librum quartum: qui utrum auctorem habeat Tibullum, ambigi poſſe arbitror. Certe hic Panegyricus, quem in manibus habemus, quamquam eſt Latinus, tamen jejuna ſua macritudine inmenſum quantum abhorret ab illo cultu & nitore Albiano. Neque aliter ſtatuerunt viri eruditiſſimi, ſolo Tibulli titulo perſuaſi ut Tibullo darent. Muretus quidem certe multa hic reperiebat, quae ſe non intelligere fatebatur L. 1. Epiſt. 13. & 16. atque ideo tres tantum libros priores Scholiis ſuis inluſtravit, ſecurus ſermonum, quos ſererent homines malevoli. Non ita Andreas Dacerius; qui Tibulli inimitandam in Elegis ſuavitatem quum admiratur, ſimul & ſummam in Epico carmine majeſtatem invidioſe praedicat, Animadv. ad Horat. L. 1. Epiſt. 4. atque hujus ſuae ſententiae fundum laudat Domitium Marſum; cujus mentem parum percepit. nam poſtremus ejus epigrammatis verſiculus ad Virgilium referri debet, haud quaquam ad Tibullum. Multa in hoc Carmine reſtituit Joſephus Scaliger; quaedam & aliorum hominum induſtria in melius mutavit. Nos illorum veſtigia prementes, id quod noſtrarum eſt partium praeſtabimus, quantum poterimus: nihil tamen praeclarum polliciti, quum parum ſit praeſidii in codicibus ſcriptis, prodigioſe ut plurimum corruptis, neque ulla divinandi ſagacitate facile emendandis.

1. Quamquam me cognita virtus Terret] Ita recte Scaliger, quum vel *mea* eſſet in libris, vel *tua*. Etiam Jo. Livinejus *me* legebat, & Lud. Carrio Caſtig. in Valer. Flacc. L. 5. ℣. 499. probante Barthio L. 3. Adv. C. 6.

7. Est nobis voluisse satis] Quia *omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in caſu eſt*, ut loquitur Apulejus L. 4. Florid. Multi ſcriptores hoc effatum fecerunt ſuum: quorum verba apud Paſſeratium reperire licet.

8. Etiam Phoebo gratissima dona Cres tulit] Viri eruditi haud pauca huc adtulerunt, locum difficilem parum juvantia, dum de iſto Crete diſquirunt. Multa & varia adfert Cyllenius, nec tamen ſtatuit quidquam. De Daedalo intelligit Beroaldus in Annotationum Sylloge; probante Jo. Lud. de la Cerda ad L. 4. Aen. ℣. 146. Atque ita etiam Paſſeratius volebat, niſi quod prius de Epimenide aliquid injecerat. Turnebus autem

cre-

Cres tulit; & cunctis Baccho jucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera caelo,

Eri-

credebat Cretas quotannis ab ultima antiquitate solitos fuisse Delum dona mittere, etsi vilia, puta frugum primitias, L. 24. Adv. C. 26. Denique Scaliger huc vocabat principis poëtae verba ex L. 4. Aen. ℣. 143.

Qualis, ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros; mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt, pictique Agathyrsi.

quod tamen ipsum deseruit in secunda editione. Sed in Animadv. ad Euseb. p. 17, Cretem, unum Curetarum, olim hospitio Phoebum excepisse, ex hisce Tibulli verbis colligi putat. exigere enim usum loquendi, ut *Cres* hic nomen sit proprium, non gentile. Ab his omnibus seorsum abiit Caspar Barthius L. 3. Adv. C. 6. nempe, Apollinem interfecto Pythone serpente templum sibi sedemque apud Delphos condidisse; ex omnibus autem universae terrae incolis elegisse, qui sibi sacra facerent, homines quosdam probos ac pios ex Gnoso Minoïa, tunc forte in mari navigantes, quamquam insula Creta nequaquam ea tempestate esset divitiis aut potentia praepollens. *Cretem* vero dici Tibullo horum Cretensium ducem, cum quo sermones miscebat Apollo, dum eum sacris praeficit. Sed fabula est longa, nec bene pernoscenda nisi ex Homeri Hymno in Apollinem ℣. 382. quem tu cave neglexeris. Certe *dona ferre* pertinet ad rem sacrificiorum. Maro, qui in ritibus sacrorum numquam non proprie loquitur, L. 5. Aen. ℣. 101.

Nec non & socii, quae cuique est copia, laeti
Dona ferunt: onerantque aras, mactantque juvencos.

L. 7. ℣. 86.

huc dona sacerdos
Cum tulit, & caesarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, &c.

L. 9. ℣. 406.

Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit.

ejusdem libri ℣. 626.

Jupiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem.

L. 4. *munera* vocavit, solenni item vocabulo, ℣. 217.

nec munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.

Lapis Romanus in Capitolio, apud Gruterum p. XLVII. 10.

TE. PRECOR. ALCIDE. SACRIS. INVICTE. PERACTIS
RITE. TVIS. LAETVS. DONA. FERENS. MERITIS

Alibi quoque *dona* simpliciter dicuntur honores quicumque, in aras inlati Deorum placandorum caussa. Lucretius L. 4. ℣. 1229.

Conspergunt aras, adolentque altaria donis.

L. 6. ℣. 753.

Est & Athenaeis in moenibus, arcis in ipso
Vertice, Palladis ad templum Tritonidos almae,
Quo numquam pennis adpellunt corpora raucae
Cornices, non quom fumant altaria donis.

Virgilius L. 3. Aen. ℣. 439.

Junonis magnae primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis.

Seneca Hippol. ℣. 105.

Non colere donis templa votivis libet;
Non inter aras, Atthidum mistam choris,
Jactare tacitis conscias sacris faces.

10. ICARUS] de Icaro diximus nonnihil ad Propert. L. 2. Eleg. 24. ℣. 29. Hunc alii *Icarium* nominarunt, errore pravo confundentes Penelopae patrem cum patre Erigonae. in his ipse Papinius, ille tantus veterum fabularum magister, L. 5. Silv. 3. ℣. 77.

nec enim Marathonia virgo
Parcius exstinctum saevorum crimine agrestum
Fleverit Icarium, Phrygia quam turre cadentem
Astyanacta parens.

Recentiorum est quasi antesignanus Joannes Tortelius, Aretinus, vir (ut Erasmus noster judicabat) suo saeculo magnus, in Orthographia: &, quod miror, Scaevola Sammarthanus, poëta egregius, Silv. L. 2. in Epicedio Joannis Morelli. Sed hunc lapsum non capitalem bene redemit felici ubertate pulcerrimorum versuum. Quos cur pigeat adscribere? Sunt enim & Latini, & diserti, & multum dissimiles eorum, quos hodie eructant vappae quidam de schola. Sic igitur vir ille laudatissimus:

Nam

Erigoneque, Canisque, neget ne longior aetas.
Quinetiam Alcides Deus adscensurus Olympum
Laeta Molorcheis posuit vestigia tectis.

Par-

Nam pater Actaeis quondam regnator in oris
Icarius (Graji nisi fingunt omnia vates)
Dulcia inexperti primus dum pocula Bacchi
Monstrat, & ingratos hoc munere donat agrestes,
Qua virides inter Marathon patet ardua saltus;
Illum turba neci dedit ebria, scilicet haustum
Nectare sub dulci sibi credens esse venenum,
Quod madida insolito titubarent corpora lapsu.
Forte viae comes & fidus canis iverat una,
Qui morientis heri casum indignatus acerbum,
Multa ululans, multis latratibus aëra complens,
Currit ad Erigonen, &, qua potis, indicat illi,
(Mirus amor) simul & sua per vestigia monstrat
Qua sit iter: sequitur tremulis moestissima virgo
Passibus, atque animo jam tum praesagia sentit
Certa mali, carique subit genitoris imago.
Ut vero hunc toto projectum corpore vidit,
Exanimes pallentem artus, & sanguine foedum;
Tum flavas laniata comas, percussa lacertos,
Et gelidum nequidquam amens amplexa cadaver,
Tene, ait, o genitor, tene, o dulcissime, talem
Adspicio? quae tandem in te manus impia tantum
Ausa nefas? nec te sacri reverentia sceptri,
Nec generi humano tot praestita commoda servant?
Vos o tam miti felices nuper Athenae
Principe, vos populi quotquot meus ille regebat
Imperio pater, & secura pace beabat,
Immani meritas a gente reposcite poenas,
(Si qua fides) tantumque scelus ne linquite inultum.
Quo feror ah demens? etiamne humana requiro
Auxilia? ipse Deus, nostro quem saepe receptum
Fovimus hospitio, nobis non adfuit Euan.
Vix ea finierat, cum saevo evicta dolore,
Ipsa sibi vitae invisae retinacula rupit.
At Superi, impavidos mirati virginis ausus,
Protinus aurarum hanc levibus per inania pennis
In sublime, canemque simul rapuere fidelem,
Et nova stellato fixerunt sidera mundo.

12. ALCIDES DEUS] titulus solennis. Symmachus L. I. Epist. I.

Huc Deus Alcides stabulanda armenta coëgit,
Eruta Geryonae de lare tergemini.

Auctor Octaviae, ℣. 219.

Deus Alcides
Possidet Heben, nec Junonis
Jam timet iras; cujus gener est,
Qui fuit hostis.

Lapis Romanus, apud Gruterum p. XLIII. 7.

ALCIDE. SACRI. GENERIS. DECVS. HOC. TIBI. (PRAETOR ET. JOVIS. ANTISTES. DEDICO. PERPETVVS

Sed & inter mortales ita vocitatum fuisse, post devicta monstra, ostendit ipsius verbis Propertius L. 4. Eleg. 9. ℣. 38.

Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.

13. LAETA MOLORCHEIS POSUIT VESTIGIA TECTIS] *terris* habent libri: sed nos Muretum libentius sequimur, *tectis* emendantem; est enim sermo de casa pastoritia, vix quidquam praeter tectum praestante. Neque aliud praeberi poterat ab homine vinitore, quique victum suis sibi manibus quaeritaret. qualem nobis Molorchum describit Apollodorus L. 2. Biblioth. C. 4. §. 1. Servius ad L. 3. Geor. ℣. 19. *Molorchus pastor fuit, qui Herculem, venientem ad occidendum Nemeaeum leonem, suscepit hospitio.* Hinc decente epitheto *parcum* vocavit Papinius L. 4. Silv. 6. ℣. 51.

Nec torva effigies, epulisve aliena remissis:
Sed qualem parci domus admirata Molorchi,
Aut Aleae lucis vidit Tegeaea sacerdos.

& Martialis, de eo ipso Vindicis sigillo, Hercule Epitrapesio, L. 9. Epigr. 43.

Utque fuit quondam placidi conviva Molorchi,
Sic voluit docti Vindicis esse Deus.

Quin & ipsius tugurii meminisse non dedignatur ille idem Papinius L. 4. Theb. ℣. 161.

Dat Nemee comites, & quas in praelia vires
Sacra Cleonaei cogunt vineta Molorchi.
Gloria nota casae. Foribus simulata salignis
Hospitis arma Dei; parvoque ostenditur auro,
Robur ubi, & laxos qua reclinaverit arcus
Ilice; qua cubiti sedeant vestigia terra.

Inibi Lutatius: *Herculem eo loco Molorchus accepit hospitio, censu pauper, affectu dives.* —— *Cum Hercules ad occidendum leonem isset, ab Eurystheo missus, a Molorcho susceptus est hospitio, cujus leo filium interfecerat: didicitque*

ab

Parvaque caeleſtes placavit mica; nec illis
Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.
Hic quoque ſit gratus parvus labor, ut tibi poſſim
Inde alios, aliosque memor componere verſus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi:

Qua-

ab eo, quemadmodum adverſus feram coiret. Qua ſuperata, ludos inſtituit, quos a loco Nemeos appellavit. Igitur Nemea dat comites, dant & Molorchi vineta: quia ea omnia in clypeorum pictura, & quomodo filius ejus Molorchi a leone occiſus fuiſſet, & Herculis hoſpitium, auro figurata notanter deſcripſerunt. Enarrator Barthii, nondum in lucem publicam editus, ita ſcripſit: *Cum Euryſtheo datus eſſet a Junone excruciandus laboribus Hercules, juſſus eſt ire ad occidendum leonem Nemeaeum. Quo cum per Cleonaeum agrum proficiſceretur, invenit ibi Molorchum vinitorem, qui eum hoſpitio excepit, & pro Deo affecit. Hercules cum interfecto leone rediiſſet, omnem illum agrum donavit Molorcho, qui vini culturam magnam inſtituit.* Verba iſta extrema, quibus Herculis grati munificentia celebratur, aliis conciliant Junium Philargyrium, in diverſa abire viſum ad L. 3. Geor. ℣. 19. *Per ludos Molorchi accipimus eos, qui Nemei; ubi Molorchus rex, qui Herculem ad Nemeaeum leonem tendentem recepit hoſpitio.*

14. PARVAQUE CAELESTES PACAVIT MICA] mica turis. Naſo L. 3. Triſt. Eleg. 13. ℣. 16.

Micaque ſollemni turis in igne ſonet.

ſed & de grano ſalis intelligi poteſt. Horatius L. 3. Od. 23. ℣. ult.

Inmunis aram ſi tetigit manus,
Non ſumtuoſa blandior hoſtia
Mollibit averſos Penates
Farre pio, & ſaliente mica.

Ego autem, pro *pacavit*, malo cum priſcis editionibus *placavit.* Horatius L. 1. Od. 36.

Et ture, & fidibus juvat
Placare, & vituli ſanguine debito
Cuſtodes Numidae Deos.

Inibi Pomponius Porphyrio: PLACARE *pro eo quod eſt gratiam referre intelligendum; non, ut placari irati dicuntur. Cum enim Numidam dicat ſoſpitem rediſſe, apparet eum Deos propitios & ante ſacrificia habuiſſe.* Ita & hic capiendum arbitror.

15. INAURATO TAURUS CADIT HOSTIA CORNU] victima major. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 146.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſaepe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Plinius L. 33. C. 3. ubi de uſu auri: *Deorum vero honori in ſacris nihil aliud excogitatum eſt, quam ut auratis cornibus hoſtiae, majores dumtaxat, inmolarentur.* Tamen & minores quoque victimas inaurari Livius docet, L. 25. C. 12. *Alterum Senatusconſultum factum eſt, Ut decemviri ſacra Graeco ritu facerent, hisque hoſtiis. Apollini bove aurato, & capris duabus albis auratis, Latonae bove femina aurata.* Eadem Macrobius habet L. 1. Saturn. C. 17. De Graeco ritu firmat Valerius Flaccus L. 3. Argon. ℣. 430.

Atque Argoa manus variis inſignis in armis
Ibat, agens lectas aurata fronte bidentes.

Itaque nullo jure Plinius carpitur, ex verbis Livianis, quaſi patrii moris parum gnarus. Tradit enim Plutarchus, in triumpho Macedonico Paulli Aemilii ductos fuiſſe boves auratis cornibus centum viginti, vittis ſertisque redimitos, nulla minoris pecoris mentione. Non erant confundendi ludi Apollinares, ritu Graeco facti, cum triumphis mere Romanis.

18. ALTER DICTET OPUS] *Alter* hic ſonat idem quod *alius.* Horatius L. 1. Epiſt. 14. ℣. 11.

Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.

Albinovanus Conſol. ad Liviam Aug. ℣. 10.

Hei mihi, quam facile eſt (quamvis hic contigit omnes)
Alterius luctu fortia verba loqui.

Severus Endeleichus Bucol. ℣. 98.

Quidnam, quaeſo, quid eſt, quod vario modo
Fatum triſte necis tranſilit alteros,
Affligitque alios?

Dictet ſic poſitum videri poteſt, ut apud Flaccum, de Lucilio, L. 1. Sat. 4. ℣. 10.

in hora ſaepe ducentos,
Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno.

& L. 2. Epiſt. 1. ℣. 110.

pueri, patresque ſeveri
Fronde comas vincti coenant, & carmina dictant.

Qualis in inmenſum deſcenderit aëra tellus;
Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem;
Et vagus a terris qua ſurgere nititur aër,
Hinc ut contextis paſſim fluat ignibus aether;
Pendentique ſuper claudantur ut omnia caelo.
At quodcumque meae poterunt audere camenae,
Seu tibi par poterunt, ſeu, quod ſpes abnuit, ultra,
Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quamquam antiquae gentis ſuperant tibi laudes,
Non

Sed libri veteres *dictat* habent; quod corruptum fuit ex *dicat.* quae ſcriptura exſtat in multis codicibus. Naſo ipſo initio Metam.

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Horatius L. 2. Sat. 1. ℣. 11.

Aut, ſi tantus amor ſcribendi te rapit, aude
Caeſaris invicti res dicere.

19. QUALIS IN INMENSUM DESEDERIT AERA TELLUS] Plures libri habent *deſcenderit.* quod non eſt de nihilo; & firmis innititur rationibus. Vide ſis Macrobium L. 1. in Somn. Scip. C. 22. & Barthium L. 3. Adv. C. 6. qui & poëtam ita ſcripſiſſe arbitratur,

Qualis inemenſo deſcenderit aëre tellus.

Non enim (inquit) procidit, ſed in aëre non emenſo deſcendendo conſtitit, id quod ſuis verbis effert noſter Albius. Et Lucretius firmat, L. 5. ℣. 451.

Quippe etenim primum terraï corpora quaeque,
Propterea quod erant gravia & perplexa, coibant
In medio, atque imas capiebant omnia ſedes.

21. ET VAGUS E TERRIS QUA SURGERE NITITUR AER] Idem vir magnus recte notat, falſo dici e terra ſurgere aërem, nobilius elementum ex ignobiliori. Idcirco ſcribendum *a terris*, tellure ſubtus relicta. Nihil verius. Lucretius L. 5. ℣. 491.

foras elapſa volabant
Corpora multa vaporis, & aëris, altaque caeli
Denſebant procul a terris fulgentia templa.

22. HUIC ET CONTEXTUS PASSIM FLUAT IGNEUS AETHER] ſcribe cum libris,

Hinc ut contextis paſſim fluat ignibus aether.

Nihil poterat elegantius dici. atque ita ferme legebat jam olim Barthius, ſola conjectura ductus. Lucretius L. 5. ℣. 448.

Hoc eſt a terris altum ſecernere caelum,
Et ſeorſum mare uti ſecreto humore pateret,
Seorſus item puri ſecretique aetheris ignes.

paullo poſt, ℣. 459.

per rara foramina terrae
Partibus erumpens primus ſe ſuſtulit aether
Signifer, & multos ſecum levis abſtulit igneis.

Cicero L. 2. de Nat. Deor. C. 36. *Terra ſita in media parte mundi, circumfuſa undique eſt hac animabili ſpirabilique natura, cui nomen eſt aër. Hunc rurſus amplectitur immenſus aether, qui conſtat ex altiſſimis ignibus.* Albianum *fluat* idem nobis exponet puriſſimus poëta, libro laudato, ℣. 502.

liquidiſſimus aether,
Atque leviſſimus, aërias ſuper influit auras;
Nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
Commiſcet: ſinit haec violentis omnia verti
Turbinibus: ſinit incertis turbare procellis:
Ipſe ſuos igneis certo fert impete labens.
Nam modice fluere, atque uno poſſe aethera niſu,
Significat Ponti mare, certo quod fluit aeſtu,
Unum labendi conſervans uſque tenorem.

Denique *contextos* noſter *ignes* more item Lucretiano dixit. Sic enim ille L. 6. ℣. 997.

Scilicet id fieri cogit natura viarum
Multimodis varians, ut paullo oſtendimus ante,
Propter diſſimilem naturam, textaque rerum.

& L. 5. ℣. 93.

Principio, maria ac terras, caelumque tuere.
Horum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
Treis ſpecies tam diſſimileis, tria talia texta,
Una dies dabit exitio: multoſque per annos
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.

30. QUID

Non tua majorum contenta est gloria fama;
Nec quaeris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi majores, majus decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu:
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potior, certamen erit. sim victor in illis,
Ut nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit castrisve, forove?

Nec

30. QUID QUAQUE INDEX SUB IMAGINE DICAT] In codicibus minus correctis est, *quid qua judex sub imagine dicat.* quae caussa fuit, cur rem admodum infeliciter hic gesserit Achilles; itemque Turnebus L. 29. Adv. C. 32. nam bono Cyllenio in tantis illis tenebris libenter ignoscimus. Pulcerrimam hanc Scaligeri emendationem pulcre stabilivit Lipsius L. 1. Elect. C. 29. ubi videbis hos *indices* fere *titulos* vocari. quomodo noster, tertio mox versu:

At tua non titulus capiet sub nomine facta.

Naso Epist. Phyllidis ℣. 65.

Sum decepta tuis & amans & femina verbis.
Dii faciant, laudis summa sit ista tuae!
Inter & Aegidas media statuaris in urbe:
Magnificus titulis stet pater ante suis.
Cum fuerit Scyron lectus, torvusque Procrustes,
Et Sinis, & tauri mixtaque forma viri;
Et domitae bello Thebae, fusique bimembres,
Et pulsata nigri regia caeca Dei:
Hoc tua post illum titulo signetur imago:
HIC EST, CUIUS AMANS HOSPITA CAPTA DOLO EST.

Valerius Maximus L. 5. C. 8. ex. 3. de T. Manlio Torquato: *Videbat enim se in eo atrio consedisse, in quo illius Imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoque viro succurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in prima aedium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.*

32. QUAM TIBI MAJORES, MAJUS DECUS IPSE FUTURUS] Novi illud Tullii, *Ego meis praeluxi majoribus.* Verum id locum habere non potest in hac gente longe nobilissima. Quocirca amplector aliorum librorum scripturam, in quibus duo mei, *futuris.* Rationem vidisti in nota proxime praecedente. Gebhardus ex uno Palatino hanc lectionem eruditis examinandam proposuit, *in avis decus ipse futurus.* Quae lectio & Barthio crucem videtur fixisse, L. 3. Adv. C. 6. Piget ineptiarum. *in avis*, & male divisis & male concretis crusculis, nihil aliud erat quam *maius.* Idem error erat ℣. 36. *quique canent vincto pede, quique soluto.* nam *juncto pede* ediderunt primi illi architecti. nimirum in libris est *iuncto.* unde utrimvis effici potest. Sed *pes solutus* oppositum sibi postulat *pedem vinctum.* Papinius L. 5. Silv. 3. ℣. 101. de suo patre:

Omnia namque animo complexus, & omnibus auctor,
Qua fandi vis lata patet: sive orsa libebat
Pieriis vincire modis, seu voce soluta
Spargere, & effreno nimbos aequare profatu.

Et tamen lapsus hic etiam est insignis ille Flaminius, epigrammate in Andreae Naugerii Lusus Poëticos:

Naugeri, ne quis tibi certet, neve laboret
Incassum laudes aequiparare tuas;
Sive epigramma facis juncto pede, sive soluto
Defles magnanimûm funera acerba virûm.

Vide supra ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 77.

37. QUEIS POTIUS CERTAMEN ERIT] Rectius libri scripti, *Quis potior, certamen erit.* contentio erit de victoria. Sallustius Catil. C. 7. *Virtus omnia domuerat: sed gloriae maximum certamen inter ipsos erat.*

39. NAM QUIS TE MAJORA GERIT CASTRISVE FOROVE] In priore hemistichio nihil mutari debet, etsi libri multis modis discrepant. Deinde *chartisve forove* habent plurimi scripti, quasi de compacto. Id exposuerunt,

Sive

Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve, minorve:
Justa pari premitur veluti quum pondere libra:
Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, inaequatum si quando onus urget utrimque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diversi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu judicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace, tantos genuisse feruntur
Nestora, vel parvae magnum decus urbis Ulixen.

Vixe-

Sive scribis ipse domi meditatus, sive dicis in foro. Satis profecto frigide. Noster in Messala eloquentiam simul miratur, simul gloriam ac virtutem bellicam. nam *castrorum* adpellatione res tota militaris intelligitur: ut pulcre ostendit magnus Casaubonus Comment. in Polybium p. 123.

45. DIVERSI FREMAT INCONSTANTIA VULGI] Et hic multipliciter variatur. sed *diversi* rectum est. Maro L. 2. Aen. ℣. 39.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Diversus est a *divertere*; unde *divortium*. Sallustius Catil. C. 52. *Bene & composite C. Caesar paullo ante in hoc ordine de vita & morte disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur, diverso itinere malos a bonis loca taetra, inculta, foeda, atque formidolosa habere.* Catullus Carm. 43.

O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diversos variae viae reportant.

Maro L. 1. Aen. ℣. 70.

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes;
Aut age diversas: & disjice corpora ponto.

L. 12. ℣. 487.

vario nequicquam fluctuat aestu:
Diversaeque vocant animum in contraria curae.

Propertius L. 1. Eleg. 10. ℣. 15.

Possum ego diversos iterum conjungere amantes.

48. PYLOS] Homerum vide initio L. 3. Odyss. Fuerunt autem in Peloponneso tres Pyli, singulae Nestorem sibi vindicantes, Messeniae una, altera Arcadiae, tertia Elidis. Sed Pylum Arcadicam, sive Triphyliacam, fuisse Nestoris ditionem praeclare ostendit Strabo L. 8. Geogr.

48. ITHACE] Mela Pomponius L. 2. C. 7. *in Ionio Prote, Hyria, Cephalenia, Neritos, Same, Zacynthos, Dulichium: & inter non ignobiles, Ulyssis nomine Ithaca maxime illustris.* Insulam describit Homerus L. 9. Odyss. ℣. 21. portum vero, cum antro Nympharum, L. 13. ℣. 96. 237. 344. fontem autem L. 17. ℣. 205. Ipsum quoque insulae oppidum *Ithaca* dictum fuit, ut hic videre licet, atque apud Ciceronem L. 1. de Orat. C. 44. L. 2. de Legib. C. 1. L. 3. de Offic. C. 26. Multum fluctuant in hujus insulae situ Geographi hodierni. Vide sis Jac. Sponium Itiner. T. 1. p. 100. ejusque comitem Geor. Wheler T. 1. p. 53. Parum considerate Servius, vel potius sarcinator aliquis sub Servii persona, ad Eclog. 6. ℣. 76. *Dulichias vexasse rates*] *Ithacenses a monte. Dulichium insula est, ubi mons est Ithacus, in qua fertur habitasse Ulysses.* At poëta sollicite discrevit L. 3. aeterni operis ℣. 270.

Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacae Laërtia regna,
Et terram altricem saevi exsecramur Ulixi.

49. PARVAE MAGNUM DECUS URBIS ULIXEN] imo Graeciae universae. Sic enim Sirenes apud Homerum, L. 12. Odyss. ℣. 184.

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος ἀχαιῶν.

Huc age profectus gloriose Ulysses, ingens gloria Graecorum.

Quem locum pulcre expressit noster Hoofdius, generosissimi spiritus poëta, etiam ubi ludit ac delicias facit, in quadam cantilena:

Lostuytery de kloekst' men vack bekooren ziet.
Maar Meereminnen zang belas myn' ooren niet;

Al

Vixerit ille senex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurrerit horis:

Ille

Al quelden zy haer best: Ulisses, herwaerts jaeght,
O alderbraefste heldt, daer Grieken roem op draeght!

Et jam olim Siren Romana M. Tullius L. 5. de Finibus C. 18.

O decus Argolicum, quin puppim flectis Ulysse,
Auribus ut nostros possis agnoscere cantus?

Praeclare L. Apulejus in fine libri de Deo Socratis: *Quin ergo & tu, qui te ad studium sapientiae ingeris, aliquando caves, ut nihil alienum in laudibus tuis audias: sed ut, qui te volet nobilitare, aeque laudet ut Accius Ulyssem laudavit in Philoctleta suo, in ejus tragoediae principio:*

Inclute, parva prodite patria,
Nomine celebri claroque potens
Pectore, Achivis classibus auctor,
Gravis Dardaniis gentibus ultor,
Laërtiade.

Novissime patrem memorat. Ceterum omnes laudes ejus viri audistis. Nihil inde nec Laërtes sibi, nec Anticlea, nec Arcisius vindicat. Haec enim tota, ut vides, laudis hujus propria Ulyssi possessio est. Nec aliud te in eodem Ulysse Homerus docet, qui semper ei comitem voluit esse Prudentiam: quam poëtico ritu Minervam nuncupavit. Igitur, hac eadem comite, omnia horrenda subiit, omnia adversa superavit. Quippe ea adjutrice Cyclopis specus introivit; sed egressus est: Solis boves vidit; sed abstinuit: ad inferos demeavit; & adscendit. Eadem Sapientia comite, Scyllam praeternavigavit; nec ereptus est: Charybdi conseptus est; nec retentus est: Circes poculum bibit; nec mutatus est: ad Lotophagos accessit; nec remansit: Sirenes audivit; nec accessit.

50. DUM TERNA PER ORBEM SAECULA FERTILIBUS TITAN DECURRERIT HORIS] Vixerit itaque Nestor annos ter centenos. Sic & Propertius L. 2. Eleg. 10. ℣. 46.

Nestoris est visus post tria saecla cinis.

ipse rex Pylius apud Nasonem, L. 12. Metam. ℣. 188.

si quem potuit spatiosa senectus
Spectatorem operum multorum reddere; vixi
Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas.

Juvenalis Sat. 10. ℣. 246.

Rex Pylius, magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vitae fuit a cornice secundae.
Felix nimirum, qui tot per saecula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos.

At cornicem novem saecula vivere tradiderunt scriptores antiqui. Ausonius Idyll. 18.

Ter binos deciesque novem super exit in annos,
Justa senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix.

Haec sunt satis liquida: unde & Ciceronem ita intelligere oportet, iisdem ferme verbis utentem, dialog. de Senect. C. 10. *Videtisne, ut apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? jam enim tertiam aetatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de se praedicans nimis videretur aut insolens aut loquax. Etenim, ut ait Homerus, ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad suavitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat quin brevi Troja sit peritura.* Horatius L. 2. Od. 9. ℣. 13.

At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos.

Haec, ut dixi, satis sunt clara. Tamen non defuerunt viri spectatae auctoritatis, qui *saeculum*, & *aetatem*, itidem ut γενεὰν, triginta annorum spatio definiverint. Quibus sane accessisse putandus est noster poëta. sic enim scribit infra ℣. 112.

Quem si quis videat, vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur saecula famae.
Centum foecundos Titan renovaverit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Gaudet equum, validisque sedet moderator habenis.

Vide Plutarchum in Catone majore; Acronem & Lambinum ad Horat. l. c. Franciscum Floridum L. 2. Subseciv. Lection. C. 3. Angelum Decembrium L. 4. de Polit. Liter. parte 32. Muretum L. 10. Var. Lect. C. 8. Matthaeum Raderum ad Martial. L. 8. Epigr. 2. Cerdam ad Virgil. L. 8. Aen. ℣. 508.

51. FERTILIBUS HORIS] Barthius *vertilibus* malebat L. 3. Ablegm. Critic. C. 23. Quod quum rejecisset Gebhardus, ipse admodum sollicite tueri instituit. L. 9. Adv. C. 19. & L. 17. C. 4. Nihil erat opus tanto conatu. Horae dicuntur *fertiles* eadem ratione, qua annus ipse. Noster infra ℣. 122.

Nam

Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Qua maris extremis tellus excluditur undis.
Nam Ciconumque manus adversis repulit armis:
Nec valuit Lotos caeptos avertere cursus.
Cessit & Aetnaeae Neptunius incola rupis,
Victa Maroneo foedatus lumina Baccho.

Vexit

Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni.

& ℣. 113.

Centum foecundos Titan renovaverit annos.

Neque enim horae ab annis sejungi queunt, neque a saeculis anni. Ovidius L. 2. Metam. ℣. 25. in regia Solis:

A dextra laevaque Dies, & Mensis, & Annus,
Saeculaque, & positae spatiis aequalibus Horae.

Plura erant: sed quae jam occupavit Passeratius, amoeni homo atque elegantis ingenii.

54. NAM CICONUMQUE MANUS] Non satis adsequor quid sibi velit istud *que* in ipso orationis initio: & puto hos duos versiculos loco suo motos fuisse, ut saepe accidit; sic restituendos:

Non valuit Lotos caeptos avertere cursus:
Non Ciconumque manus adversis reppulit armis.

Nam quamvis Ulysses, quum ab Ilio discessisset, prius cum Ciconibus depugnaverit, quam ad terram Lotophagorum accederet; nihil tamen caussae fuit, cur Albius noster hunc rerum ordinem tam religiose servaret, ut propterea corrumpere vellet nexum sermonis naturalem. Sunt praeterea hi duo casus ipso tempore tam inter se vicini, ut parum referat quid prius quidve posterius referatur. non enim nisi duodecim dies fuere interjecti. *Non Ciconumque manus* legebat Heinsius in Adversariis. Exstat quoque *Non* in uno Anglicano: ut intelligas, Manus Ciconum non repulit Ulyssem. Tamen (ne quid dissimulem) vetus lectio stare potest, atque etiam debet, leviter ac leniter correcta, hoc modo:

Nam Ciconumque manus adversis repulit armis:
Nec valuit Lotos caeptos avertere cursus.

Nam & Ciconum maritimorum ac terrestrium conjunctas vires fortiter fregit: nec loti dulcedo potuit eum a suscepto itinere revocare. Voculam *Nec* habent septem libri scripti: *repulit* tres alii non mali. Conjunctio caussalis *Nam* reddit rationem epitheti *audax*, quod modo praecessit. Historiam reperies apud Homerum L. 9. Odyss. haud longe ab initio.

56. AETNAEAE NEPTUNIUS INCOLA RUPIS] Cyclopum sedem in Sicilia apud Aetnam non poetae tantum statuerunt, sed & Scriptores ferme omnes alii, qui de Cyclopibus meminerunt. id quod operose docteque ostendit Phil. Cluverius L. 1. Sicil. Antiq. C. 2. Sed Homerus, omnium scriptorum antiquissimus, eos continentis habitatores fecit, non insulae Siciliae. Vide quae ex sermonibus Petri Castellani, Aureliarum episcopi, disputat doctissimus Turnebus L. 24. Adv. C. 10.

57. VICTA MARONEO FOEDATUS LUMINA BACCHO] Tibullum *Una lumina* scripsisse, quum in principe editione sit *Uncta*, suspicatur Barthius L. 9. Adv. C. 19. Non placet. Et quid ni sopore *victus* sit Cyclops, qui tantum meri bibisset? atque ejus quidem meri, cujus una mensura ferebat aquae mensuras viginti. Illo vino Ulyssem donaverat Maron, Euanthei filius, Apollinis Ismarii sacerdos. Auctor Homerus L. 9. Odyss. ℣. 195. unde corrigendus Probus, Virgilii interpres, ad L. 2. Geor. ℣. 37. *Juvat Ismara Baccho Conserere*] *oppidum est Ismarus, quod expugnavit Ulysses, cum a Troja discederet; & victor vinum accepit a Marone, cujus pater Cupithus* [l. *Euantheus*] *traditur, quod Cyclopi dedit.* Illud ergo vinum Propertius *Ismarium* vocavit L. 2. Eleg. 24. ℣. 32.

Tu quoque, o Eurytion, vino, Centaure, peristi:
Nec non Ismario tu, Polypheme, mero.

Peccant illi, qui *Maroneum* dici volunt a Marone Apollinis sacerdote; quum ita dicatur ab oppido *Maronea.* Mela L. 2. C. 2. *Tum Nestos fluvius, & ripis ejus adjacens Maronea.* Plinius L. 4. C. 11. *Dicaeae, Ismaron, locus Parthenion, Phalesina, Maronea prius Orthagoria.* & L. 14. C. 4. *Vino antiquissima claritas Maroneo, in Thraciae maritima parte genito, ut auctor est Homerus.* ubi plura de

ejus

Vexit & Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Laestrygonas, Antiphatenque,
Nobilis Artacie gelida quos inrigat unda.
Solum nec doctae verterunt pocula Circes:

Quam-

ejus vini generositate indomita. Oppido nomen dedit Maro, jussu Osiridis, jam senex, post interfectum Lycurgum, Thraciae regem, Aegyptii herois coeptis obsistentem, tradente Diodoro Siculo Biblioth. L. 1. Non ludes operam, si Isaaci Vossii notam inspicere volueris ad laudata modo Pomponii Melae verba.

58. VEXIT ET AEOLIOS PLACIDUM PER NEREA VENTOS] sed infelici exitu, propter sociorum scelus. nam quum illi Aeolus ventos omnes in utre bovis novennis inclusos, solo Zephyro spirante, donasset pro munere hospitali, jamque die decima adpareret patria tellus; ibi nebulones praedae cupidi (aurum enim includi rebantur) solverunt utrem, duce ad clavum insidioso somno consopito. Statim autem insurrexit procellosa tempestas, navemque retro ad Aeoliam insulam valido turbine rejecit. Vide Homerum initio L. 10. Odyss. Ovidius L. 14. Metam. ℣. 223.

Aeolon ille refert Tusco regnare profundo;
Aeolon Hippotaden, cohibentem carcere ventos:
Quos bovis inclusos tergo memorabile munus
Dulichium sumsisse ducem: flatuque secundo
Lucibus isse novem, & terram adspexisse petitam;
Proxima post nonam cum sese Aurora moveret;
Invidia socios praedaeque cupidine ductos,
Esse ratos aurum, demsisse ligamina ventis:
Cum quibus isse retro, per quas modo venerat undas,
Aeoliique ratem portus repetisse tyranni.

Agnoscis hinc veram originem miraculorum Lapponicorum, quae tam sitienter apud plebem inperitam audiuntur.

59. INCULTOS ADIIT LAESTRYGONAS] crudeles illos, & humanis corporibus vescentes. Itaque epitheto parum valido *incultos* poëta nominasse videri possit. Sed non est ita. Etenim ut Busiris Maroni *inlaudatus* dicitur, h. e. exponente Gellio L. 2. C. 6, qui in omni re, atque omni tempore, laude omni vacat: sic *incultos* noster vocavit, qui in omni parte vitae ab omni cultu humano abessent quam longissime. Compari notione Cato dixit apud Sallustium, Catilin. C. 52. *diverso itinere malos a bonis loca taetra, inculta, foeda, atque formidolosa habere.* Quid enim magis abhorret a cultu & nitore & luce, quam squalor ille aeternus, & diri carceres inpiorum suppliciis destinati? Petronius: *Incultis asperisque regionibus diutius nives haerent: ast ubi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina dilabitur.*

59. ANTIPHATENQUE] Hujus inhumani hominis feritas locum dedit proverbio, quod primus opinor Gulielmus Gentius observavit in Juvenale, Sat. 14. ℣. 21.

Mitem animum, & mores modicis erroribus aequos
Praecipit, atque animas servorum & corpora, nostra
Materia constare putat, paribusque elementis;
An saevire docet Rutilus? qui gaudet acerbo
Plagarum crepitu, & nullam Sirena flagellis
Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus.

in vulgatis male circumfertur *Plagarum strepitu*: ut monuimus ad Propert. L. 4. Eleg. 7. ℣. 21. De Antiphate, deque urbe Laestrygonia, videndus Homerus L. 10. Odyss. ℣. 81. Ovidius L. 14. Metam. ℣. 233. Julius Hyginus Fab. 25. Oppidum deinde *Formiae* dictum fuit. Plinius L. 3. C. 5. *Dein locus Speluncae, lacus Fundanus, Cajeta portus; oppidum Formiae, Hormiae dictum, ut existimavere, antiqua Laestrygonum sedes.* Actius Sannazarius L. 3. Eleg. 1. ℣. 57. verbis Cajetae ad Fredericum Siciliae regem:

Ingredere, o, felixque subi pede nostra secundo
Moenia, propensos & venerare Deos.
Ingredere: Antiphatae pollens tibi regia servit,
Et Laestrygonio limina tuta metu.

60. NOBILIS ARTACIE GELIDOS QUOS IRRIGAT UNDA] libri ferme *Nobilis* habent, uno Mattii codice excepto. Atque hanc lectionem firmat Homerus L. 10. Odyss. ℣. 107.

Ἡ μὲν ἄρ᾽ ἐς κρήνην κατεβήσετο καλλιρέεθρον
Ἀρτακίην· ἔνθεν γὰρ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον.

Haec quidem ad fontem descenderat limpidum
Artaciam: hinc enim aquam ad urbem ferebant.

Ho-

Quamvis inliceret Solis genus, apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces:

Quîs

Horatius, ad fontem Blandusiae, L. 3. Od. 13. ℣. 13.

Fies nobilium tu quoque fontium.

deinde *gelida* scribe ex libris.

62. QUAMVIS ILLA FORET SOLIS GENUS] In principe Veneta, inque Regiolepidina editione legitur, *Quamvis illa ceres Solis genus.* unde non frustra Barthius fecit *illaceret*, h. e. *inliceret*, L. 9. Adv. C. 19. Sane apud Homerum Circe plus uno loco Ulyssem ad concubitum invitat L. 10. Odyss. nec sine fructu. Julius Hyginus Fab. 125. *Tunc Circe intellexit, non sine voluntate Deorum id esse factum: itaque fide data, se nihil tale commissuram, socios ejus ad pristinam formam restituit: ipsa cum eodem concubuit; ex quo filios duos procreavit, Nausiphoum & Telegonum.* quibus paria ferme habet Lutatius ad Papin. L. 4. Theb. ℣. 551. nisi quod unum dumtaxat Telegonum nominat. Sed propius ad rem facit L. Septimius L. 6. Ephemer. Belli Trojani C. 5. *Quo pacto exactus per Aeoli insulas devenerit ad Circen, atque inde ad Calypso, utramque reginam insularum in quîs morabantur, & quibusdam inlecebris animos hospitum ad amorem sui inlicientes.* Vides tantum non ipsa Albii nostri verba. Unde fit, ut nullum mihi dubium sit de bonitate Barthianae emendationis.

64. CIMMERIUM ETIAM OBSCURAS ACCESSIT AD ARCES] Ridicula scriptura; qualis illa, quam Catullo elargiti sunt de suo viri docti, Carm. 63. ℣. 48.

Jupiter, ut Chalybum omne genus pereat.

Apage voces hybridae flexionis a carmine Latino. Itali critici olim legebant,

Cimmeriûm etiam obscuras accessit ad oras.

Id quod sane stare poterat: nam litera M crebro stat per se ante vocalem, neque absorbetur. Tamen alii eo, tamquam duriusculo, offensi maluerunt,

Cimmeriûm obscuras etiam concessit ad oras.

Ne quid a vetere librorum scriptura discedatur, simpliciter legemus,

Cimmeriorum etiam obscuras accessit ad arces.

Error natus est ex compendio pingendi. fuit enim *Cimmerior:* elemento *r* deinde in *n* corrupto. Neque nos terrere debet hiatus paullo vastior, non tamen indecorus. *ad arces* habent omnes omnium libri. Et sane recte, Homero auctore L. 11. Odyss. ℣. 14.

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε.

Hic vero Cimmeriorum erat virorum populusque civitasque.

Atque hunc inibi populum cum sua sibi urbe collocat poëta ad fines Oceani. Sane Ulyssem in Oceano navigasse, sententia est Strabonis primo libro, ac tertio. Hinc Claudianus L. 1. in Rufin. ℣. 124.

Est locus, extremum pandit qua Gallia litus,
Oceani praetentus aquis: ubi fertur Ulixes
Sanguine libato populum movisse silentem.
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus. simulacra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras.

Putes eum de Lusitania loqui. Sed Homeri Cimmerios in Britannia insula posuit Georgius Carleton, epistola erudita, quae est octogesima inter Camdenianas. Verosimilius, ni fallor, Servius ad L. 6. Aen. ℣. 107. *Acheron fluvius dicitur inferorum, quasi sine gaudio. Sed constat locum esse haud longe a Bajis, undique montibus septum, adeo ut nec orientem nec occidentem Solem possit adspicere, sed tantum medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, haec ratio est: omnia vicina illic loca calidis & sulphuratis aquis scatent. Sine gaudio autem ideo ille dicitur locus, quod necromantia, vel sciomantia, ut dicunt, non nisi ibi poterat fieri: quae sine hominis occisione non fiebat. Nam & Aeneas illic occiso Miseno sacra ista complevit, & Ulysses occiso Elpenore: quamquam fingatur in extrema Oceani parte Ulysses fuisse. Quod ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum, quae commemorat, ex* [l. &] *tempore navigationis. Dicit enim eum circa unam noctem navigasse, & ad locum venisse, ubi sacra perfecit. Quod de Oceano non procedit: de Campania manifestissimum est. Praeterea a Bajo, socio ejus illic mortuo, Bajas constat esse nominatos. Dicit etiam vidisse Herculem: ideo, quia illic sunt Bauliae,* [l. Bauli] *locus Herculis dictus quasi Boaulia, quod illic habuit animalia, quae Geryoni detracta ex Hispania adduxerat.* Vera Servium scripsisse, operose ostendit Philippus Cluverius L. 4. Ital. antiq. C. 2. Urbis Cimmeriorum etiam Plinius

Quîs numquam candente dies adparuit ortu,
Sive ſupra terras Phoebus, ſeu curreret infra.
Vidit, ut inferno Plutonis ſubdita regno
Magna Deûm proles levibus discurreret umbris.
Praeteriitque cita Sirenum litora puppi.

Il-

nius meminit L. 3. C. 5. *In ora Savo fluvius; Vulturnum oppidum cum amne, Liternum, Cumae Chalcidenſium, Miſenum, portus Bajarum, Bauli, lacus Lucrinus & Avernus, juxta quem Cimmerium oppidum quondam.* Pompejus Feſtus: *Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt. Quales fuerunt inter Bajas & Cumas, in ea regione, in qua convallis ſatis eminenti jugo circumdata eſt; quae neque matutino, neque veſpertino tempore ſole contegitur.* In ultimo verbo mendum eſt; & ſcribendum haud dubie, *ſole contingitur.* Lucretius L. 4. ℣. 408.

Quos tibi tum ſupra Sol monteis eſſe videtur,
Cominus ipſe ſuo contingens fervidus igni.

Catullus Carm. 61. ℣. ultimo:

Quare nec tales dignantur viſere coetus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

67. Vidit ut inferno] Hoc totum in libris vulgatis male cohaeret. Scribe cum Luca Fruterio, ac Nic. Heinſio,

Vidit, ut inferno Plutonis ſubdita regno
Magna Deûm proles levibus discurreret umbris.

Mutatae ſcripturae cauſſas cognoſces ex libello variarum lectionum; quamquam Fruterius ſola ingenii bonitate rem peregit. Sed & Janus Parrhaſius ita legebat, Comment. in Claudian. L. 1. de Raptu Proſerp. Ipſas fabulas tradet tibi Homerus Odyſſ. L. 11.

69. Praeteriitque cita Sirenum litora puppi] Sirenes non in mari, ſed in prato inſulae florido ſedent cantantes apud Homerum, ingente circum oſſium putreſcentium acervo, L. 12. Odyſſ. ℣. 38. & 158. quod non ſecuti ſunt pictores etiam celeberrimi. Eſt & alter eorum error, (a quo errore ne ipſe quidem Alciatus ſibi cavit Emblem. 115. neque Alciati interpres Julius Caeſar Capaccius Emblem. 113.) quod Sirenas faciunt vultu quidem virgineo, ſed parte corporis inferiore in piſcem deſinente. Quamquam ignoſcere pictoribus aequum eſt, Joannis Boccatii auctoritatem ſecutis L. 7. Genealog. Deor. C. 20. qui Boccatius ipſe deceptus fuit ab Albrico philoſopho, obſcuri nominis ſcriptore. Illa verò pars inferior deſinit in avem, gallinae non abſimilem: ſuperior alas habet in humeris, tibiam vel lyram in manu. Julius Hyginus Fab. 125, qua recenſentur errores Ulyſſis: *Tum ad Sirenas Melpomenes muſae & Acheloi filias venit, quae partem ſuperiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam.* Servius ad L. 5. Aen. ℣. 864.

Jamque adeo ſcopulos Sirenum advecta ſubibat,
Difficiles quondam, multorumque oſſibus albos.

Sirenes (inquit) *ſecundum fabulas, tres parte virgines fuerunt, parte volucres, Acheloi fluminis & Calliopes muſae filiae. Harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat. Et primo juxta Pelorum, poſt in Caphareis inſulis habitaverunt, quae illectos ſuo cantu in naufragia deducebant.* Aelianus quoque Sirenas virgines alatas, & pedibus aves fuiſſe ait, idque & poëtarum fabulas oſtendere, & tabulas pictorum, L. 17. de Animalibus C. 23. Oſtendit certe Apollonius Rhodius, quamquam tacet de alis, L. 4. Argon. ℣. 892. Pulcerrime Ovidius L. 5. Metam. ℣. 551.

Hic tamen indicio poenam linguaque videri
Commeruiſſe poteſt. Vobis, Acheloïdes unde
Pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?
An quia, cum legeret vernos Proſerpina flores,
In comitum numero miſtae, Sirenes, eratis?
Quam poſtquam toto fruſtra quaeſiſtis in orbe;
Protinus ut veſtram ſentirent aequora curam,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Optaſtis: facilesque Deos habuiſtis; & artus
Vidiſtis veſtros ſubitis flaveſcere pennis.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguae deperderet uſum;
Virginei vultus, & vox humana remanſit.

quem ſequitur ex parte Claudianus L. 3. de Raptu Proſerp. ℣. 254.

Diſcedunt aliae. Rapidis Acheloïdes alis
Sublatae Siculi latus obſedere Pelori:
Accenſaeque malo, jam non inpune canoras
In peſtem vertere lyras. Vox blanda carinas
Adligat: audito frenantur carmine remi.

Igitur hac ipſa, quam dixi, forma in nummis veteribus ſpectantur. Id quod primus,

opinor, observavit Hannibal Carus, scriptor & eruditus & venustus, L. 2. Epist. 145. *Le Sirene erano maritime, ò litorali più tosto, che marine. Et, riscontrando la descrittion d'essa col rouescio di detta medaglia, la figura dal mezzo in sù, al uolto, al corpo, & a le braccia ignude, è pur d'una uergine: & dal mezzo in giù, a le piume, a i piedi, & a tutta la fattezza, è d'una gallina; saluo, che l'ali sono in sù gli homeri de la uergine: e con assai bella gratia porta in ciascuna mano una tibia, o un flauto, che vogliamo dire.* Ita ille vernaculo idiomate descripsit nummum argenteum a Neapolitanis in honorem Augusti procusum, ac sibi a celeberrimo antiquario Pyrrho Ligorio muneri donatum. Est ille ipse denarius (vix enim potest esse alius) P. Petronii Turpiliani, instaurandae Neapoli triumviri, quem eruditissime interpretatus est in admirabili opere de Praestantia & Usu Numismatum antiquorum nunc nuper recentato, & luculentissimis accessionibus egregie locupletato, Inlustrissimus Spanhemius, vir sine exemplo eruditus; cujus nec virtutes neque ingenium capere potest iners hujus saeculi livor; Differt. 5. sect. 3. p. 251. In eo nummo est ab una parte caput Augusti Caesaris: ab altera stat Siren Parthenope, inflatam tibiam manu dextra tenens, sinistro brachio ad latus ansato, grandibus in humero alis, pedibus gallinaceis, cum cauda bene ampla. Non alium ab illo nummum fuisse puto, quem describit in Antiquitatibus Puteolanis Julius Caesar Capaccius cap. 33; sed festinata opera. Sic enim loquitur: *Fù ritrouato in Cuma una moneta col nome di Petronio Triumuiro. Viene riferito da Fuluio Orsino nella famiglia Petronia, dicendo che si riferisce alla colonia Cumana dedutta da Augusto, & a Napoli dal medesimo ristaurata.* Deinde exhibet eam nummi faciem, in qua est Siren Parthenope, sed utraque manu tibiam comprimens, neque ulla cauda insignis. Non satis sibi constat Vincentius Cartarius in descriptione Sirenum: nam modo parte inferiore aves facit, modo pisces. Putat autem tum demum factas esse Nereïdas, postquam elapso inpune Ulysse prae dolore atque ira sese in mare praecipites dedissent. Sed quum nullo id auctore proferat, non male faciet, qui amplius inquirendum abitrabitur. Certe in Argonauticis, quae Orphei nomine censentur, se ipsas e vertice excelsi scopuli in pelagus dejecisse dicuntur, ac confestim in petras obriguisse, ℣. 1266. sqq. Apollonius autem solam vocem perdidisse narrat, ab Orpheo testudinis cantu superatas, L. 4. Argonaut. ℣. 905. Alias Sirenas, nempe toto corpore volucris, collo autem ac vultu femineo, ex villae Aldobrinae thesauris nuper cum orbe erudito communicavit doctissimus & diligentissimus monachus Bernardus de Montfaucon, Diar. Ital. C. 14. p. 190. Qui utinam pari sedulitate descripsisset anaglyphum Thesauri Medicaei, C. 24. p. 357. in quo anaglypho cymba, ibidemque colligatus Ulysses conspicitur, & Sirenes instrumenta Musica pulsantes. Nam istae Aldobrandinae nihil commune habent cum fabulis Graecorum. Atque ego opinor referri debere ad ululas sive noctuas in locis desertis lugubriter gementes, quas in quibusdam antiqui Foederis locis *Sirenas* reddiderunt septuaginta Seniores. De istis luctuosi cantus animalibus res pulcras, ut semper, prodidit maximus Spanhemius, laudati operis pag. 254. Haec ego recens nata quum ostendissem amico meo summo Petro Burmanno, qui ad me visendi gratia iis diebus venerat, monuit me vir candidissimus exstare Dissertationem Gallicam de Sirenibus Cl. Nicasii, Divionensis; videndumque si ego, quamquam ignarus, in ejus vestigia incurrissem. Misit quoque, qua est morum comitate



Illum inter geminae nantem confinia mortis,
Nec Scyllae ſaevo conterruit impetus ore,
Quum canibus rabidas inter freta ſorberet undas,
Nec violenta ſuo conſumſit more Charybdis,

Vel

tate, ipſum libellum; quo ego avide evoluto comperi, nihil mihi cum Nicaſio commune eſſe, extra unum illum denarium Petronianum. quem tamen ego aliunde, ut vidimus, acceperam. Praeterea quum ego de ſola Sirenum figura egerim, ille ſibi omnem earum mythologiam exhauriendam putavit. quod & praeclare fecit.

70. ILLUM INTER GEMINAE NANTEM CONFINIA MORTIS] inter Scyllam & Charybdim. Nihil certius hac emendatione ex optima ſcheda Scaligerana. Sed & Achilles ita conjecerat, & Livinejus, & Gulielmus noſter Canterus L. 4. Nov. Lect. C. 16. Et nos ita invenimus in excerptis duorum Anglicanorum. Reliqui ferme libri habent, *Illum tergeminae.* Quam *mortem tergeminam* Turnebus capit pro certiſſima ac praeſentiſſima, & tamquam triplici, non una, L. 3. Adv. C. 20. & L. 29. C. 23. Tamen haud difficulter perſpici poterat, τὸ *in* periiſſe in elemento ultimo *m* vocis *illum.* Perperam huc trahas iſta Papinii, de Cerbero, L. 2. Theb. ℣. 31.

Ni Deus horrentem Lethaeo vimine mulcens
Ferrea tergemino domuiſſet lumina ſomno.

aliter enim intelligi debere docuit eruditus ſcholiaſtes Lutatius, ita ſcribens: *tergemino*] *propter trina lumina trium capitum: quaſi tot illi ſomnos immiſerit, quot capita luminibus armarentur.*

71. NEC SCYLLAE SAEVO CONTERRUIT IMPETUS ORE] Hoc quoque Scaligero debemus: cui jungas licet Pocchi & Lipſii excerpta. Olim fuit *orbe:* quod exponebant de rapidis vorticibus aquarum in orbem & gyrum circumactarum. Sed Nic. Heinſius, Not. ad Ovid. Amor. L. 2. Eleg. 16. ℣. 26, legebat:

Nec Scyllae ſaevo conterruit impetus aeſtu.

in Notulis autem ad hunc noſtri Albii locum *ſaeva ira* reponebat. Horum neutrum placet. neque enim Scyllae os ſuum perire debet; quo ore vel maxime terribilem fuiſſe ac formidoloſam tradunt poëtae. Homerus L. 12. Odyſſ. ℣. 90.

Ἓξ δέ τε οἱ δειραὶ περιμήκεες, ἐν δὲ ἑκάςῃ
Σμερδαλέη κεφαλὴ, ἐν δὲ τρίςοχοι ὀδόντες,
Πυκνοὶ, καὶ θαμέες, πλεῖοι μέλανος θανάτοιο.
Μέσση μέν τε κατὰ σπείϋς κοίλοιο δέδυκεν·
Ἔξω δ᾽ ἐξίσχει κεφαλὰς δεινοῖο βερέθρου.

Sex autem illi colla praelonga, in ſingulis vero
Horrendum caput ineſt, tres ordines autem dentium,
Denſi, & frequentes, pleni nigrae mortis.
Medio quidem per ſpeluncam cavam inmergitur,
Foras autem porrigit capita e terribili barathro.

Maro L. 3. Aen. ℣. 424.

At Scyllam caecis cohibet ſpelunca latebris,
Ora exſertantem, & navis in ſaxa trahentem.

Sane apud Homerum, libro modo laudato, exponit Ulyſſes ut ſex ſibi optimos ſocios ex nave ablatos devoraverit Scylla vivos ac palpitantes, & ducem ſuum nomine cientes, eique manum tendentes. Quo miſerabili ſpectaculo nihil ſe triſtius atque horribilius vidiſſe ait in illo ſuo longiſſimo errore.

72. QUUM CANIBUS RAPIDAS INTER FRETA SERPERET UNDAS] *rabidas* erat in ſex libris. deinde *ſorbĕret* lege, ἀρχαϊκῶς, cum Guyeto, & Heinſio in Naſonianis loco proxime indicato.

73. NEC VIOLENTA SUO CONSUMSIT MORE CHARYBDIS] Multi libri habent, *conſumſit in ore Charybdis.* id quod multis argutius viſum fuit. mihi vero parum ſuaviter hic repeti videtur, quum altero ab hinc verſu in Scylla habuerimus. *More ſuo*, ut numquam non ſolebat, ut ſemper facere adſueverat. *Mos* eſt, natura, adfectio. Sic *ventorum* & *coeli mores* apud optimos ſcriptores ſaepe reperiuntur. Plinius L. 17. C. 2. *Ad ſoli naturam, ad loci ingenium, ad coeli cujusque mores dirigenda ſolertia eſt.* Manilius L. 4. ℣. 122.

Nunc tibi Signorum mores, ſummumque colorem,
Et ſludii varias artes ex ordine reddam.

Vide elegantiſſimae eruditionis virum Janum Caſperium Gevartium L. 3. Lection. Papinian. C. 5. Heinſius juvenis legebat:

Nec violenta ſua conſumſit mole Charybdis.

 76. NON

Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non amor, & foecunda Atlantidos arva Calypsus,
Finis & erroris miseri Phaeacia tellus.
Atque haec seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula sive novum dedit his erroribus orbem;
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Jam te non alius belli tenet aptius artes,

Qua

76. NON VIOLATA VAGI SILEANTUR PASCUA SOLIS] Propertius L. 3. Eleg. 10. ℣. 29.

Lampeties Ithacis verubus mugisse juvencos:
Paverat hos Phoebo filia Lampetie.

fabulam copiose denarrat Homerus L. 12. Odyss. ℣. 260.

79. ATQUE HAEC SEU NOSTRAS INTER &c.] Hanc quaestionem jam olim agitari solere docet nos Seneca Epist. 88. *Quaeris, Ulysses ubi erraverit, potius, quam efficias, ne nos semper erremus? Non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.* Itemque Gellius L. 14. C. 6. *Atque illud etiam scriptum fuit, quae nomina fuerint sociorum Ulixis, qui a Scylla rapti laceratique sunt: utrum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ Ulixes erraverit κατὰ Ἀρίσταρχον, an ἐν τῇ ἔξω κατὰ Κράτητα.* Uterque, ut vides, deridenti propior. Posse tamen hoc ipsum quaeri nec sine erudita voluptate, nec citra frugem bonam, luculento specimine ostendit doctissimus Cluverius L. 2. Sicil. antiq. C. 17. Praepositio *inter* valet hoc loco *intra.* Sive haec sunt gesta intra orbem nobis notum in mari mediterraneo, sive fabulose gesta narrantur in parte mundi nobis ignota, &c. Minus cogitate Passeratius: *Sive haec vera sunt, & saeculi nostri ac regionis hominibus nota: sive falsa & commentitia.*

81. SIT LABOR ILLIUS, TUA DUM FACUNDIA MAJOR] Eximia laus viri diserti. nam dicendo superare illum, cujus eloquentiam tota Graecia est admirata, quantae putas virtutis fuisse? Nec tamen nimis poëtice, arbitro quidem Fabio Quintiliano L. 10. C. 1. *At Messala nitidus & candidus, & quodammodo prae se ferens in dicendo nobilitatem suam.* tum L. 12. C. 10. *In oratione vero si species intueri velis, totidem pene reperias ingeniorum, quot corporum formas. Sed fuere quaedam genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam jam ingenii vim prae se ferentia. Hinc sunt Laelii, Africani, Catones, Gracchique; quos tu licet Polygnotos vel Calones appelles. Mediam illam formam teneant L. Crassus, Q. Hortensius. Tum deinde efflorescat non multum inter se distantium temporum oratorum ingens proventus. Hinc vim Caesaris, indolem Coelii, subtilitatem Callidii, gravitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Cassii, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalae, sanctitatem Calvi reperiemus.* Ecce ut in variis multorum magnorum hominum virtutibus, uni Messalae dederit dignitatem in dicendo, id est, eloquentiam nobilitati suae parem. Naso L. 2. Pontic. Epist. 2. quae ad Messalinum filium est perscripta, ℣. 51.

Nunc tibi & eloquii nitor ille domesticus adsit,
Quo poteras trepidis utilis esse reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis;
Et res haeredem repperit illa suum.

& deinde ℣. 99.

Hoc pater ille tuus, primo mihi cultus ab aevo,
Si quid habet sensus umbra diserta, petit.

Tacitus L. 11. Hist. C. 6. *Meminissent C. Asinii, & Messalae, ac recentiorum Arruntii & Aesernini, ad summa provectorum incorrupta vita & facundia.* De filio autem L. 3. C. 34. *Mox Valerius Messalinus, cui parens Messala, ineratque imago paternae facundiae, respondit.*

82. NAM TE NON ALIUS BELLI TENET APTIUS ARTES] Male colligit, ideo floruisse facundiae laude, quod in eo vigeret scientia rei militaris. Transitio est, quae voculam *Jam* postulat. atque exstat illa vocula in excerptis Pocchi, & in duobus Anglicanis.

84. AD-

Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter adversos hosti defigere cervos:
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus ut dulces erumpat terra liquores:
Ut facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti:
Laudis & assiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celerem arctato compescere freno
Par sit, & effusas tardo permittere habenas?
Inque vicem modo directo contendere cursu,

Seu

84. ADVERSOS HOSTI DEFIGERE CERVOS] Ita praeclare emendarunt viri eruditi, quum in libris fere sit *nervos*. De *cervis* castrensibus vide, si otium est, Servium ad Virgil. Eclog. 2. ℣. 29. & Valentem Guellium ac Ludovicum de la Cerda ibidem loci: Turnebum L. 29. Adv. C. 32. Lipsium Poliorcet. L. 2. dial. 2. Delrium Adversf. ad Senec. Oedip. ℣. 752. Meursium in Lycophr. p. 174. Dion. Vossium in Caesar. L. 7. de Bello Gall. C. 72.

86. FONTIBUS UT DULCES ERUMPAT TERRA LIQUORES] Elegantissimus usus verbi *erumpendi*; quo usu casta illa antiquitas multum delectabatur. Lucretius L. 4. ℣. 1111.

Tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido,
Parva fit ardoris violenti pausa parumper.

L. 6. ℣. 582.

Versabundaque portatur post incita quom vis;
Exagitata foras erumpitur, & simul altam
Diffindens terram magnum concinnat hiatum.

L. 1. ℣. 730. ubi de Sicilia:

Hic est vasta Charybdis: & hic Aetnaea minantur
Murmura flammarum rursum se conligere iras,
Faucibus eruptos iterum vis ut vomat igneis.

Cicero Phoenom. Arat. ℣. 111.

Nec toto spirans rabido de corpore flammam
Aestiferos validis erumpit flatibus ignes.

Virgilius L. 1. Georg. ℣. 445.

Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi erumpunt radii.

Coelius apud Tullium L. 8. ad famil. Epist. 14. *Sic illi amores, & invidiosa conjunctio, non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad bellum se erupit.* Caesar L. 2. Belli civilis C. 14. *Meridiano tempore, quum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma vero omnia reposita contectaque essent, portis se foras erumpunt.* Hos duces secutus est facundissimus Baudius L. 3. Iambicorum, carmine ultimo:

Exinde Sermo, ceu minister efficax,
Vox atque lingua proma mortali sono
Reperta dia mentis effert, ac foras
Erumpit alti cogitata pectoris.

88. LAUDIS ET ASSIDUO VIGEAT CERTAMINE MILES] loquitur de laudatione castrensi. super qua non incuriose egimus ad L. 1. Eleg. 1. ℣. 57.

91. AUT QUIS EQUUM CELEREMVE ARCTO COMPESCERE FRENO POSSIT] Malo cum Colotio *celerem arctato:* nam istud *ve* cum insequente *&* nihil congruit. Deinde pro *Possit*, bene in Adversariis restituit Heinsius *Par sit.*

93. DIRECTO CONTENDERE PASSU] *cursu* est in undecim libris: quod omnino praeferendum. Sequitur, *Seu libeat curvo melius contendere gyro.* multi libri *brevius* habent; quod est ex disciplina equestri. dulcissimus Columella L. 10. ℣. 226.

Me mea Calliope cura leviore vagantem
Jam revocat, parvoque jubet decurrere gyro.

Cicero L. 3. de Orat. C. 19. *Sed, si his contenti estis, atque iis etiam, quae dici voluistis a me; ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis.* Quem locum imitatione expressit Papinius L. 4. Silv. 7. initio:

Jam diu lato spatiata campo
Fortis heroos Erato labores
Differ, atque ingens opus in minores
Contrahe gyros.

Horatius L. 2. Sat. 6. ℣. 26.

Sive

Seu libeat curvo brevius compellere gyro?
Quid, parma ſeu dextra velis, ſeu laeva tueri,
(Sive hac, ſive illac veniat gravis impetus haſtae,)
An prior, aut ſignata cita loca tangere funda?
Jam ſimul audacis veniunt certamina Martis,
Adverſiſque parant acies concurrere ſignis,
Tunc tibi non deſit, faciem componere pugnae;
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo;
Seu libeat duplici ſejunctim cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, dextrumque ſiniſter

Mi-

Sive Aquilo radit terras, ſeu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.

Repetitio verbi *contendere* inſuavis eſt, nec ſatis decora. Scribamus, duce Tullio, *compellere.* nec debent obſtare librariorum aberrationes.

95. QUIS PARMA] Conſtituimus iſthaec ad ductum Nic. Heinſii, ſimplicem illum, ac verum, & germanum.

98. JAM SIMUL AUDACIS] Pulcra deſcriptio aciei Romanae, tam ſimplicis, quam bipartitae. Rem ipſam egregie inluſtravit Claudius Salmaſius lib. de Re Militari Roman. C. 7. ſqq. cui tamen ſuper agmine quadrato minus bene convenit cum inluſtri viro Radbodo Hermanno Schelio Diſſert. Polybian. C. 11. adde, ſi videtur, Lipſium L. 4. de Milit. Rom. dialog. 6.

100. TUNC TIBI NON DESIT] lege cum Heinſio *deſit.* & ſic libri non nulli. Tragicus vetus apud Ciceronem L. 3. Tuſcul. Quaeſt. C. 19.

Pol mihi fortuna magis nunc deſit, quam genus.

Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. ℣. 12.

Omnia habeo, neque quidquam habeo: nihil
cum eſt, nihil deſit tamen.

& Hecyr. Act. 5. Sc. 2. ℣. 2.

Nihil aput me tibi
Deſieri patiar, quin quod opus ſit, benigne
praebeatur.

Lucretius L. 2. ℣. 1141.

Quandoquidem grandi cibus aevo denique deſit.

L. 3. ℣. 221.

Extima membrorum circumcaeſura tamen ſe
Incolumem praeſtat: neque deſit ponderis hilum.

Maro Eclog. 2. ℣. 22.

Lac mihi non aeſtate, novum non frigore deſit.

Aurelius meus L. 1. Eleg. 1. ℣. 34.

In me noſtra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore deſit Amor.

103. SEU LIBEAT DUPLICEM, SEU JUNCTUM CERNERE MARTEM] Haec quia erant mendoſa, non recte potuerunt explicari a viris eruditis. Scribendum cum Salmaſio atque Heinſio,

Seu libeat duplici ſejunctim cernere Marte.

ſejunctum eſt in priore Wittiano, inque uno Anglicano; haud longe a vero. Qui *cernere Martem* probabant, Enniano ſe exemplo tuebantur, quod eſt apud Varronem in Gerontodidaſcalo, & lib. 5. de L. L. itemque apud Nonium in verbo *Cernere:*

Nam ter ſub armis malim vitam cernere,
Quam ſemel modo parere.

Sed quum ibi *cernere vitam* poſitum ſit pro eo, quod eſt decertare de vita; par erit ut hoc loco, *Martem cernere*, ſit depugnare de pugna. Quo quid abſurdius? Albius noſter poſtquam egerat de agmine quadrato, nunc agit de acie bipartita, ubi duobus exercitibus pugnatur. L. Septimius L. 2. Ephemer. C. 22. *Cohortati inter ſe arma capiunt, ac propere cum manu auxiliari effuſi, portis pergunt advorſum. Ac dein per campos exercitu bipartito, Trojanis Hector, Sarpedon auxiliaribus duces facti. Tum noſtri, viſis contra hoſtibus, armati atque inſtructi pro negotio ſimplicis formae aciem compoſuere, circa cornua diviſis ducibus: dextrum Achilles cum Antilocho, alterum Ajax Telamonius cum Diomede curabant: medios accepere Ajax alter, & Idomeneus dux noſter. Hoc modo exercitu utrimque compoſito, pergunt obviam. At ubi in manus ventum eſt, cohortati ſuos quiſque, acie conflixere.*

105. SIT-

Miles, ſitque duplex geminis victoria caſtris.
At non per dubias errant mea carmina laudes:
Nam bellis experta cano. teſtis mihi victae
Fortis Iäpidiae miles. teſtis quoque fallax
Pannonius, gelidas paſſim disjectus in Alpes.
Teſtis Arupinas & pauper natus in armis.
Quem ſi quis videat, vetus ut non fregerit aetas,
Terna minus Pyliae miretur ſaecula famae.
Centum foecundos Titan renovaverit annos,
Ipſe tamen velox celerem ſuper edere corpus

Gau-

105. Sitque duplex gemini victoria casus] codex bibliothecae Colbertinae, itemque unus Achillis Statii, & excerpta Angeli Colotii habebant *geminis victoria caſtris.* Quod quanto ſit praeſtabilius, nemo non videt. *caſtra*, exercitus: ut paſſim apud Hiſtoricos Latinos.

107. Testis mihi victae fortis Iapidiae miles] Quas hic memorat Iapidum, atque aliarum Illyrii ac Pannoniae gentium ferarum rebelliones, deſcripſerunt Strabo L. 4. & 7. Dio L. 49. Appianus lib. de bellis Illyricis. Florus L. 4. C. 4. & 12. Suetonius Aug. C. 21. Vellejus L. 2. C. 90. Oroſius L. 6. C. 21. meminerunt quoque Livii epitomae L. 131. 132. 133. 135. Solos quidem Salaſſos ductu ſuo Meſſala perdomuit, fame ſubactos: reliqua bella ipſe Auguſtus confecit. In quibus quin enituerit egregia Meſſalae virtus, dubitari omnino nequit. Cujus enim frontis foret, ſummis laudibus efferre ejus hominis facinora bellica, cujus opera obſcura fuiſſet atque ignobilis? quique ipſe nihil tanto praeconio dignum adminiſtraſſet? Tumultus illi primum tumeſcere coeperunt A. V. DCCXVIII. quo tempore noſter Albius annum agebat octavum ſupra viceſimum. Unde veroſimile fit, ipſum quoque has expeditiones vidiſſe praeſentem, in contubernio videlicet Meſſalae. Atque hoc facile evicerit Arupini ſenis deſcriptio.

110. Arupinas] Ita rectiſſime Scaliger ex Strabone, atque ex Itinerario Antonini. Neque ſunt audiendi, qui *inalpinus* huc intrudunt etiam cum convicio, viri cetera egregii, Janus Parrhaſius Comment. ad Claudian. L. 3. de Raptu Proſerp. & Nic. Erythraeus Ind. Virgil. in voce *Inarime.*

110. Pauper natus in armis] Ut fere ſolent gentes deliciis & luxu nondum corruptae. Poſtumius apud Livium L. 9. C. 9. *Nihil ad Caudium, Patres Conſcripti, humanis conſiliis geſtum eſt. Dii immortales & veſtris & hoſtium imperatoribus mentem ademerunt. nec nos in bello ſatis cavimus; & illi male partam victoriam male perdiderunt: dum vix locis, quibus vicerant, credunt, dum quacumque conditione arma viris in arma natis auferre feſtinant.* Seneca L. 1. de Ira C. 11. *Germanis quid eſt animoſius? quid ad incurſum acrius? quid armorum cupidius? quibus innaſcuntur, innutriunturque: quorum unica illis cura eſt, in alia negligentibus.*

111. Vetus ut non fregerit aetas] ſic Remulus ille gloriarum plenus apud Maronem L. 9. Aen. ℣. 609.

Omne aevom ferro teritur, verſaque juvencûm
Terga fatigamus haſta: nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; ſemperque recentis
Comportare juvat praedas, & vivere rapto.

114. Ipse tamen velox celerem super edere corpus Audet equum] veloci ſaltu in equum alacriter emicat. Sed ſcribendum *Gaudet*, quod & Heinſius vidit. Maro L. 4. Aen. ℣. 156.

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo.

Horatius Art. Poët. ℣. 162.

Gaudet equis, canibusque, & aprici gramine
Campi.

edere eſt attollere. hinc *montes editi* dicuntur, & *arces editae*, atque alia id genus quam plurima. Itaque nihil hic mutandum videtur.

115. Va-

Gaudet equum, validusque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conversus terga domator
Libera Romanae subjecit colla catenae.
Nec tamen his contentus eris. majora peractis
Instant, compertum est veracibus ut mihi signis,
Quîs Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni;

Splen-

115. VALIDISQUE SEDET MODERATOR HABENIS] Habenae cur *validae* dicantur, non satis perspicio. quinque libri habent *validusque:* id quod melius congruit vigori illi crudo in extrema senecta.

116. DOMATOR] Hanc vocem Scaliger de mendo suspectam habebat. neque ego tamen damnare audeo. in Glossario Philoxeni legitur, *Domavi*, 'Εδάμασα. & paullo ante, *Damnator*, Δαμηστὴς: id quod Passeratius recte (ni fallor) emendavit *Domator*. Sed ne solis lexicis nitamur, facit Ennii auctoritas, cujus hos ex Medea versus servavit nobis Flavius Charisius, extremo libro 4.

Non memoro, quod draconis saevi sopivi impetum;
Non, quod viros domavi, & segetis armatae manus.

Accedit Ammianus Marcellinus L. 21. C. 5. *Hoc sermone Imperatoris vice alicujus oraculi comprobato, mota est incitatius omnis concio: & rerum cupida novandarum, unanimanti consensu voces horrendas immani scutorum fragore miscebat, magnum elatumque Ducem, &, ut experta est, fortunatum domatorem gentium appellans & Regum.*

120. AMYTHAONIUS MELAMPUS] Vates sagacissimus, & veracissimus. Papinius L. 3. Theb. ℣. 449.

Dubio sententia tandem
Sera placet, vatum mentes, ac provida veri
Sacra movere Deûm. Solers tibi cura futuri,
Amphiaraë, datur; juxtaque Amythaone cretus,
Jam senior, sed mente virens Phoeboque, Melampus
Adsociat passus. dubium, cui dexter Apollo,
Oraque Cyrrhaea satiarit largius unda.

Vide Apollodorum L. 1. Biblioth. C. 9. & L. 2. C. 2. ac Muretum Schol. in Propert. L. 2. Eleg. 3.

121. NAM MODO FULGENTEM TYRIO SUBTEMINE VESTEM INDUERAS] A. V. DCCXXII. Consules fuere Imperator Caesar Divi F. III. M. Valerius M. F. M. N. Messala Corvinus. quo tempore Albius noster annum ferme agebat trigesimum secundum. Nam quae de divinandi scientia paullo ante jactabat, nullo modo cadere possunt in puerum duodecennem. qualem tamen statuamus necesse est, si sequimur hos novos aetatium finitores, qui Hirtio & Pansa Coss. natum adfirmant. Ceterum in subsequentibus describit laeta illius diei omina, & caerimonias ac ritus anni aperiundi inito primum honore. Pulcerrime Ovidius L. 4. Pontic. Epist. 4. ℣. 23.

Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,
Pulsus & a sacro mense December erit;
Purpura Pompejum summi velabit honoris:
Ne titulis quidquam debeat ille suis.
Cernere jam videor rumpi penetralia turba;
Et populum laedi deficiente loco.
Templaque Tarpejae primum tibi sedis adiri;
Et fieri faciles in tua vota Deos.
Colla boves niveos certae praebere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Cumque Deos omnes, tum quos impensius aequos
Esse tibi cupias, cum Jove Caesar erit.
Curia te excipiet, Patresque e more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore;
Utque solet, tulerit prospera verba dies;
Egeris & meritas Superis cum Caesare grates:
Qui caussam, facias cur ita saepe, dabit.
Inde domum repetes toto comitante Senatu,
Officium populi vix capiente domo.

Locus est paullo spatiosior, sed qui boni commentarii instar habeat.

127. UL-

Splendidior liquidis quum Sol caput extulit undis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec aſſuetos egerunt flumina curſus.
Quin rapidum placidis etiam mare conſtitit undis.
Nulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes denſas depaſcitur aſpera ſilvas,
Quum largita tuis ſunt muta ſilentia votis.
Jupiter ipſe levi vectus per inania curru
Ad-

127. ULLA NEC AERIAS VOLUCRIS PERLABITUR AURAS] Melius libri veteres, *Nulla nec.* negatio duplex pro ſimplici. Propertius L. 2. Eleg. 15. ℣. 5.

Nulla neque ante tuas orietur rixa feneſtras;
Nec tibi clamatae ſomnus amarus erit.

Cicero Accuſ. 2. in Verr. C. 24. *Debebat Epicrates nullum nummum nemini.*

129. QUIN LARGITA TUIS SUNT MULTA SILENTIA VOTIS] τὸ *Quin* quomodo exponam, non invenio. Neque invenerunt alii interpretes, unice de hac vocula ſecuri. tamen *Quin etiam* praeceſſerat tertio verſu ſuperiore. Nec *largita* quo referatur, facile quis dixerit. *multa* quoque *ſilentia* duriuſcule dici puto. Ab ipſa poëtae manu ita fuiſſe arbitror:

Quum largita tuis ſunt muta ſilentia votis.

Hoc ſenſu: Quin etiam mare irrequietum placide viſum fuit conſiſtere, neque avis ulla in aëre perſtrepuit, neque ulla quadrupes in paſtu ſonum edidit motis maxillis, interea dum tu in altiſſimo ſilentio vota nuncupabas pro populo Romano Quiritium. Haec quin commode inter ſe cohaereant, nemo opinor negabit. *Quin* corruptum fuerat ex *Quum.* & ſane *Cum* legitur in uno Anglicano. *largita* paſſive extulit, more veterum, qui *largio* dicebant. exempla reperiès apud Nonium Marcellum. *muta ſilentia* habent excerpta Perreji, cum uno Anglicano. quod quin verum ſit, non ſinit nos dubitare Naſonis auctoritas, L. 7. Metam. ℣. 184.

Egreditur tectis veſtes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infuſa capillos:
Fertque vagos mediae per muta ſilentia noctis
Incomitata gradus.

Vox *muta* ſaepe corrupta fuit in *multa.* id quod aliquot exemplis oſtendimus ad Propert. L. 1. Eleg. 15. ℣. 29. *ſilentia* vocat Albius faventiam in ſacris. *Vota* ſunt, quae Conſul ipſis Calendis Januariis pro ſalute populi in aede Jovis nuncupabat. Naſo L. 4. Pontic. Epiſt. 4. ℣. 29.

Templaque Tarpejae primum tibi ſedis adiri,
Et fieri faciles in tua vota Deos.

Vide eumdem L. 1. Faſt. ℣. 63. Sabinus apud Tacitum L. 4. Annal. C. 70. *Quem enim diem vacuum poena, ubi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos eſſet, vincla & laqueus inducantur? non inprudentem Tiberium tantam invidiam adiiſſe: quaeſitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magiſtratus, quo modo delubra & altaria, ſic carcerem recludant.*

130. JUPITER IPSE LEVI VECTUS PER INANIA CURRU ADFUIT] *levem* dici Jovis currum ait Paſſeratius propter quadrigas, quibus trahebatur. atque huc vocat illud Plauti, Amphitr. Act. 1. Sc. 1. ℣. 294.

quadrigas ſi nunc inſcendas Jovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Sed currum Jovis volucrem fuiſſe atque alatum didicimus. Macrobius L. 1. Saturn. C. 23. *His verbis* [Plato] *magnum in caelo ducem Solem vult ſub appellatione Jovis intelligi, alato curru velocitatem ſideris monſtrans.* Eleganter hunc noſtri poëtae locum inluſtravit Douza filius Notar. cap. 7. At vero currus Jovis tonantis *gravis* dicebatur. Horatius L. 1. Od. 12. ℣. 58.

Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum caſtis inimica mittes
Fulmina lucis.

ibidem Od. 34. ℣. 5.

Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum;
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inviſi horrida Taenari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur.

Adſuit, & caelo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus ſe praebuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit. Additus aris
Laetior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.
Quin hortante Deo magnis inſiſtere rebus
Incipe: non iidem tibi ſint, aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gal-

Pro *Adfuit*, unus Heinſii habebat *Affluit*; & ſic quoque editio illa quae Regii Lepidi prodiit A. 1481. quam ſcripturam probabat amicus meus magnus Petrus Burmannus, *Jovis Fulgeratoris*, eruditiſſimi atque elegantiſſimi libri, cap. 9. p. 72. Sane Deorum greſſum (nam Jovem hoc loco de curru deſcendiſſe intelligamus oportet) minime humano ſimilem faciebant, ſed adfluxum potius ac refluxum, ſine ullo gradu pedum alternorum. Vide quae Cerda notavit ad L. 5. Aen. ℣. 649. & quae Barthius ad Papin. L. 5. Theb. ℣. 267.

131. CAELO VICINUM LIQUIT OLYMPUM] Montem Macedoniae intelligit, ita altum, ut nubes omnes exſuperare putaretur. de eo multa mira veteres tradiderunt, nec nulla inter ſe pugnantia. Tu lege quae docte atque adcurate Caſpar Barthius notavit ad Papin. L. 2. Theb. ℣. 35. Douza filius Olympum cum Homero interpretatur θεῶν ἕδος; quam Jovis ac Deorum ſedem poëta caelo ſuperiorem facit. recte ergo dici *caelo vicinum*, e quo in caelum proximus ſit deſcenſus.

134. LAETIOR ELUXIT STRUCTOS SUPER IGNIS ACERVOS] Jo. Marius Mattius, L. 1. Opin. C. 13. ex codice ſuo vetuſto profert,

Purior eluſit ſubſtratos ignis acervos.

atque hanc lectionem non oſcitanter adtendendam cenſet. Videri enim poëtam noſtrum intelligere de flamma innocua; qualem accidiſſe capiti Aſcanii tradit Maro L. 2. Aen. ℣. 682.

Ecce levis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.

itemque Laviniae L. 7. ℣. 71. Ignoſcant mihi manes viri docti: neutrum exemplum huc facit. Quid enim praeſtet flamma innocua in honore aris inlato? aliquid dixiſſet, ſi ex libri ſui diverſa ſcriptura oſtendiſſet ligna ultro arſiſſe: quale prodigium Seleuco ſacrificanti regnum portendiſſe tradit Pauſanias in Atticis. Neque ego *ſubſtratos* melius dici arbitror, quam *ſtructos*: quum *ſtruendi* verbo in hac re ferme utantur poëtae Latini. Maro L. 5. Aen. ℣. 54.

Hunc ego, Gaetulis agerem ſi Syrtibus exſul,
Argolicove mari deprenſus, & urbe Mycenae;
Annua vota tamen ſollemniſque ordine pompas
Exſequerer, ſtruerемque ſuis altaria donis.

Seneca Oedip. ℣. 305.

In vota Superos voce ſolenni voca,
Araſque dono turis Eoi exſtrue.

Feſtus: *Struere antiqui dicebant pro adjicere, augere.* Vides eſſe verbum ſacrorum. Hinc magnus magiſter (nam & convivia in ſacris numerantur) L. 1. Aen. ℣. 704.

Quinquaginta intus famulae: quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.

Nec *Purior* mihi magis blanditur, quam *Laetior*: etſi ſcio Tragicum Romanum ſic loqui Oedip. ℣. 310.

Utrumne clarus ignis & nitidus ſtetit,
Rectusque purum verticem caelo tulit,
Et ſummam in auras fuſus explicuit comam?

Laetus ignis dicitur, qui eſt ominis laeti ac ſecundi, clarus & hilaris, nec fumo ullo ſordidus: idem qui *lucidus*. Propertius L. 3. Eleg. 8. ℣. 20.

Inde coronatas ubi ture piaveris aras,
Luxerit & tota flamma ſecunda domo.

Naſo L. 4. Pontic. Eleg. 9. ℣. 54.

Atque utinam, cum jam fueris potiora precatus,
Ut mihi placetur numinis ira, roges!
Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara;
Detque bonum voto lucidus omen apex.

137. NON TE VICINO REMORABITUR OBVIA MARTE GALLIA] His verbis, quaſi praeſagientis animi quodam vaticinio, illum Meſſalae triumphum auguratur, quem quarto poſt anno

Gallia, nec latis audax Hiſpania terris:
Nec fera te Tyrio tellus obſeſſa colono.
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaſpes

Pro-

anno egit de ſubactis Aquitanis. Erant autem Galliae populi vel maxime formidoloſi populo Romano. Salluſtius Jugurth. C. 114. *Per idem tempus advorſum Gallos ab ducibus noſtris Q. Caepione & M. Manlio male pugnatum. quo metu Italia omnis contremuerat. Illique & uſque ad noſtram memoriam Romani ſic habuere, alia omnia virtuti ſuae prona eſſe, cum Gallis pro ſalute, non pro gloria, certari.* Cicero Orat. pro Fontejo C. 16. *Denique, ut oportet bello Gallico, ut majorum jura moresque praeſcribunt, nemo eſt civis Romanus qui ſibi ulla excuſatione utendum putet.* Inibi plura ſcitu digna ex aliis notavit vir praeclarus Franciſcus Hotomannus.

138. NEC LATIS AUDAX HISPANIA TERRIS] Et hae quoque gentes maximo terrori fuerunt, ferae videlicet ac feroces, neque ullo bello edomabiles. Horatius L. 4. Od. 5. ỳ. 27.

Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Foetus, incolumi Caeſare? quis ferae
Bellum curet Iberiae?

ibidem Od. 14. ỳ. 50.

Te non paventis funera Galliae,
Duraeque tellus audit Iberiae.

Sed melius id evicit virorum longiſſimis bellis indomita virtus, & mulierum ſupra ſexus naturam bellicoſa ferocia, crebraeque ac magnae clades exercituum Romanorum. quae omnia praeclare exſecutus eſt in Ibericis ſuis Appianus Alexandrinus. Unde non fruſtra has nationes haud quaquam armorum viribus fuiſſe devictas, ſed Romana pietate ac religione fatetur ipſe Tullius, orat. de Haruſp. reſponſ. C. 9. *Quam volumus licet, Patres Conſcripti, ipſi nos amemus: tamen nec numero Hiſpanos, nec robore Gallos, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos, nec denique hoc ipſo hujus gentis ac terrae domeſtico nativoque ſenſu Italos ipſos ac Latinos, ſed pietate ac religione, atque hac una ſapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perſpeximus, omnes gentes nationesque ſuperavimus.* Hiſpaniam noſter quod *audacem* vocat, id fere tantumdem eſt, ac ſi vocaſſet exlegem ac ſceleſtam. Cato, apud Hirtium lib. de Bello Afric. C. 22. ad Cn. Pompejum F. *Tuus pater, iſtuc aetatis quum eſſet, & animadvertiſſet rempublicam ab audacibus ſceleratisque civibus oppreſſam, bonosque aut interfectos, aut exſilio multatos patria civitateque carere; gloria & animi magnitudine elatus, privatus, atque adoleſcentulus, paterni exercitus reliquiis collectis, pene oppreſſam funditus & deletam Italiam, urbemque Romanam in libertatem vindicavit.* Cicero orat. in L. Piſon. C. 20. *Nolite putare, Patres Conſcripti, ut in ſcena videtis, homines conſceleratos impulſu Deorum terreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, ſuum ſcelus, ſua audacia de ſanitate ac mente deturbat.* Seneca Hippol. ỳ. 920.

O vita fallax! abditos ſenſus geris,
Animisque pulcram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum.

139. TYRIO TELLUS OBSESSA COLONO] Africa, quam coloni Tyro profecti tenuerunt. Ita recte Scaliger. *poſſeſſa* habet Cyllenius; quomodo & Heinſius malebat. Sed nulla opus eſt mutatione. Vide ſupra ad L. 2. Eleg. 6. ỳ. 23.

140. REGIA LYMPHA CHOASPES] Ex eo amne ſolo Perſarum reges bibebant, etiam peregre profecti, etiam in bellicis expeditionibus. Rem omnem docte atque operoſe expoſuerunt duo praeclari viri, Barnabas Briſſonius L. 1. de Regno Perſ. p. 59. & Franc. Fernandius de Cordoua Didaſcaliae multipl. C. 31. ibi tu invenies, quidquid ex antiquitate huc congeri poteſt. Scaliger non bene hunc *Choaſpem* confundit cum *Diaſpe*, eo quod in libris ſcriptis *Diaſpes* hoc loco invenerat. ſed fuit error librariorum. cujus erroris originem acute deprehendit magnus Salmaſius Exerc. Plin. p. 418. 699. ed. Pariſ. Iſaacus Voſſius *Diaſpes* legebat, pro *Idaſpes*; nam *Idaſpem* Romanos appellaſſe etiam *Choaſpem*; Not. ad Juſtin. L. 11. C. 14. In uno meo eſt *regia nympha*, quod neſcio quomodo adblanditur: videtur enim ſignificare, aquam Choaſpis regibus Perſarum non ſolum eſſe in deliciis, verum etiam in amoribus. Ipſum Choaſpem, ut & alios magnos amnes, in Deorum numero fuiſſe habitum oſtendit Valerius Flaccus L. 5. Argon. ỳ. 585.

Quid

Profluit, aut rapidus, Cyri dementia, Gindes
Radit Arecteos haud una per hostia campos.

Nec

Quid Latagum? quid si amnigenam mirere Choaspem?
Bellatoris equi potantem cerne cruores:
Nec tamen inmissis hic segnior ibit habenis.

141. RAPIDUS CYRI DEMENTIA GINDES] Insignem illam Cyri insaniam luculentis verbis descripsit Sapiens Romanus L. 3. de Ira C. 21. Sed nos Paullum Orosium audiamus, qui & tempus notavit furiosi facinoris, L. 2. C. 6. *Eodem tempore Cyrus rex Persarum, qui tunc Asiam, Scythiam, totumque Orientem armis pervagabatur, cum Tarquinius Superbus urbem vel rex vel hostis aut servitio premebat aut bello, Cyrus (ut dixi) cunctis, adversum quos ierat, perdomitis, Assyrios & Babyloniam petit, gentem urbemque tunc cunctis opulentiorem: sed impetum ejus Gindes fluvius, secundae post Euphratem magnitudinis, intercepit. Nam cum unum regiorum equitum* [l. *equorum*] *candore formaque excellentem, transmeandi fiducia persuasum, qua per rapacem alveum offensi vado vortices attollebantur, abreptum praecipitatumque mersisset, rex iratus ulcisci in amnem statuit, contestatus eum, qui nunc tam praeclarum equitem* [l. *equum*] *voravisset, feminis vix genua tingentibus permeabilem relinquendum. Nec in peragendo segnior, totis copiis perpeti anno Gyndem fluvium per magnas concisum deductumque fossas, in trecentos sexaginta alveos comminuit.* Hoc & Herodotus tradit L. 1. C. 189. 202. ac L. 5. C. 52. cujus auctoritate ducti, itemque Senecae, Orosium emendavimus. Putatur nec hodie exaruisse hujus fluvii alveus. Sic enim Petrus della Valle, scriptor & prudens & eruditus, Peregrinationis Persicae Epist. 1. *Ad un' hora di giorno in circa, arrivammo ad un fiume non grande, da me, come credo, altre uolte a V. S. nominato, che si chiama Diala, & entra nel Tigre: e per passarlo, perche ui era solo una barca, ui consumammo fin al mezo giorno. Hò qualche sospetto che il Diala non sia quel fiume Ginde, in cui affogatosi uno di quei caualli sacri candidi di Ciro, quando andaua con esercito sopra Babilonia, egli per dispetto lo diuise in trecento sessanta riui, da poter si guazzare da ciascuno a piedi, e ui consumò tutta la state, come Herodoto racconta.*

142. ARDET ARECTEIS AUT UNDA PERHOSPITA CAMPIS] locus varie tortus, & non una interpretatione a viris magnis expositus. Quamcumque ex illis sequi libuerit, videbis orationem hiare, & voculam *qua* desiderari. quae tamen abesse non debebat in discretione fluminum diversorum. Itaque omnium optima est visa Nic. Heinsii emendatio, sic scribentis:

aut rapidus, Cyri dementia, Gindes
Radit Arectaeos haud una per hostia campos.

nempe Gindes tam contumeliose a Cyro comminutus, trecentis sexaginta ostiis evolvebatur. Verbum autem *radendi* eleganter de aquis dicitur. Lucretius L. 5. ℣. 257.

Pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
Imbribus; & ripas radentia flumina rodunt.

Horatius Epod. 16. ℣. 54.

ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus.

Lucanus L. 2. ℣. 425.

umbrosae Liris per regna Maricae
Vestinis impulsus aquis, radensque Salerni
Culta Siler.

Hoc & *stringere*, & *mordere*, & *lambere* alii vocarunt. Virgilius L. 8. Aen. ℣. 63.

Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Caeruleus Tybris, caelo gratissimus amnis.

Festus Avienus L. 1. Orae Maritimae ℣. 67.

Scruposum ut alti verticem montes levent,
Stringatque nemora ut unda cani gurgitis.

Priscianus Perieg. ℣. 68.

Flexibus in variis qua frangitur aequore Pontus,
Has stringens pelago terras, circumfluus illis,
Montibus & radens suppositasque urbibus oras.

Horatius L. 1. Od. 31. ℣. 8.

Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua taciturnus amnis.

ibidem Od. 22. ℣. 8.

vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Ne vero *lambendi* verbum putes inbecillius, vetat idem poëta L. 1. Sat. 5. ℣. 74.

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.

Festus Avienus Descript. Orb. Terr. ℣. 93.

En tibi rursum
Aequoris Hesperii tractus loquar. istius unda
Lambit terga soli, qua se vagus explicat orbis;
Nam vel caeruleo loca circumplectitur aestu,

Vel

Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe;
Impia nec saevis celebrans convivia mensis
Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus;
Quaque Histrus, Tanaisque Getas rigat, atque Mosynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera Sole.
Nam circunfuso considit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe.

At-

Vel celso demissa jugo confinia radit,
Moenia vel fusi perstringit gurgite ponti.

143. Nec qua regna vago Tomyris finivit Araxe] Justinus L. 1. C. 8. *Cyrus subacta Asia, & universo Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quae non muliebriter adventu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, & sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus objectu fluminis fugam difficiliorem.* In nomine hujus reginae multum discordant libri scripti; sic tamen, ut plures *Tamiris* agnoscant. Bongarsii quoque codices, in verbis Justini, omnes constanter *Tamiris* habebant, uno excepto, in quo *Tomeris* erat. Herodoto Τόμυρις dicitur L. 1. C. 205. sqq. Τάμυρις autem Luciano in Charonte; Valerio Maximo *Thamyris* L. 9. C. 10. *Tomyris* vero Paullo Orosio L. 2. C. 7.

144. Impia nec saevis celebrans convivia mensis] *Nec pia qui saevis*, legebat olim Ludov. Carrio Scholiis in Valer. Flacc. L. 6. ℣. 750. quam ego emendationem minime necessariam arbitror. Auctor est Herodotus L. 3. C. 99, Padaeos, Indiae populum versus Auroram, si quis aegrotaret, eum mactare solere, atque ejus carnibus vesci, viri quidem viros, mulieris autem mulieres. tum si quis sanus ad senium perveniret, eo itidem caeso epulari: atque ob eam caussam perpaucos istic senes reperiri.

146. Quaque Hebrus, Tanaisque Getas rigat, atque Magynos] *Mosynos* habent multi libri. Plinius eos in Ponticis populis numerat L. 6. C. 4. sed gemino *ss*, non simplici: *Gentes Genetarum, Chalybum. Oppidum Cotyorum. Gentes Tibareni, Mossyni notis signantes corpora.* Sane Tanaim in Pontum Euxinum irrumpere tradidit Arrianus in Periplo, & Ovidius L. 4. Pontic. Epist. 10. ℣. 55. ubi plurimos nobiles fluvios enumerat, in hoc mare se exonerantes. Sed quid *Hebro* Thraciae fluvio cum Getis? Getas enim ad ripas Danubii inferioris habitasse scimus vel ex unius Ovidii Tristibus, ac Ponticis Epistolis. Scribendum igitur, *Quaque Hister Tanaisque.* aut verius fortasse, *Quaque Histrus.* sic enim *Leander* dicebant, & *Leandrus*, atque alia ad hanc formam compluria. Sed sive hoc, sive illud, scripsi *Histrus* more antiquo: nam certe antiqui adspirabant. Terentianus, p. 2388. ed. Putsch. ubi de H. sive nota, sive litera:

Vocalibus apte sed & antepostia cunctis,
Hastas, Hederas quum loquor, Hister, Hospes,
Hujus.

Cassiodorus lib. de Orthogr. C. 9. I *vel* V *sequente* S, *post quam erit* P *vel* T, *cum adspiratione proferuntur: ut, Hispania, Hispo, Hispidus, Historia, Histrio, Hister, seu proprium fluminis sit, seu gentis vocabulum.* &c. Scholiastes Juvenalis ad Sat. 8. ℣. 169. *Armeniam Tigris proluit, Euphrates Parthos, Hister Sarmatas, & Ponto influit.* & sic in arcu triumphali Drusi Neronis apud Gruter. p. CCXXXVI. 5.

149. Britannus] Variis modis hoc nomen exaratur. *Britanus* hic loci habet Wittianus prior, codex non spernendus. *Brittannicus* scriptum fuit in Arcu Septimii Severi, in foro Boario, apud Gruterum Inscr. p. CCLXV. 2. *Brittania*, per duplex *tt*, & simplex *n*, in nummis Commodi, auctore Petro Gassendo L. 2. de Vita Peireskii.

151. Consistit in aere tellus] Heinsius *consīdit* legebat. quod ego verum arbitror.

Atque duae gelido vaſtantur frigore ſemper.
Illic & denſa tellus absconditur umbra,
Et nulla incepto perlabitur unda liquore;
Sed durata riget denſam in glaciemque, nivemque.
Quippe ubi non umquam Titan ſuperingerit ortus,
At media eſt Phoebi ſemper ſubjecta calori,
Seu propior terris aeſtivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro,
Nec frugem ſegetes praebent, nec pabula terrae.
Non illic colit arva Deus, Bacchusve, Ceresve,
Nulla nec exuſtas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter poſita eſt, interque rigentes,
Noſtraque & huic adverſa ſolo pars altera noſtro,
Quas utrimque tenens ſimilis vicinia caeli
Temperat, alter & alterius vires necat aër.

Hinc

155. ET NULLA INCEPTO PERLABITUR UNDA LIQUORE] Hoc dicit, Aquam incipientem labi, ſtatim gelu vinciri, ac congelaſcere. Feſtus Avienus Deſcript. Orb. Terr. ℣. 57.

Hic denſata ſali ſtant marmora, pigraque ponti
Se natura tenet: numquam ruit effluus humor.

Certe *incepto liquore* quod ferri non poſſe contendunt, in eo cogor ſeorſum ab iſtis ſentire, quum plurima talia legantur vel apud unum Maronem. *inceptus labor* exſtat L. 2. Geor. ℣. 39. *inceptus ſomnus* L. 4. ejusdem operis ℣. 414. *incepti Hymenaei* L. 4. Aen. ℣. 316. *incepta ſacra* ibid. ℣. 638. *incepti honores* L. 5. ℣. 94. *inceptum iter* L. 6. ℣. 384. & L. 8. ℣. 90. *inceptus ſermo* L. 6. ℣. 470. *inceptus clamor* ibid. ℣. 493. *inceptus furor* L. 12. ℣. 833. itaque nihil mutare conſultius erit.

157. QUIPPE UBI NON UMQUAM TITAN SUPEREGERIT ORTUS] Eamdem rationem reddit Macrobius L. 1. Somn. Scip. C. 20. *Cur vero & TEMPERATIO MUNDI dictus ſit, ratio in aperto eſt. Ita enim non ſolum terram, ſed ipſum quoque coelum, quod vere MUNDUS vocatur, temperari a Sole certiſſimum eſt, ut extremitates ejus, quae a via Solis longiſſime receſſerunt, omni careant beneficio caloris, & una frigoris perpetuitate torpeſcant. quod ſequentibus apertius explicabitur.* Et Feſtus Avienus, Macrobii amicus, Deſcript. Orb. Terr. ℣. 62.

Vix hebes has oras ardor Titanius adflat:
Vix evecta Dies inluminat: omneque late
Pingue tenebroſa caelum ſubtexitur aethra.

Vide ſis Varronem L. 1. de Re Ruſt. C. 2. in libris fere eſt *ſuperingerit*: rectius, ni fallor. nam *ingerere* eſt infundere. Atque hoc imitatione ſua comprobavit jucundiſſimus Lotichius L. 1. Eleg. 1.

Nunc autem tepidos Phoebus ſuperingerit ortus,
Blandaque Riphaeum temperat aura gelu.

160. SEU CELER HIBERNAS PROPERAT DECURRERE LUCES] *noctes* habent libri nonnulli: ſed perperam. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 481.

Quid tantum Oceano properent ſe tinguere ſoles
Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obſtet.

Verbum *decurrendi* elegantiſſimum eſt. ſic ſupra ℣. 51.

Vixerit ille ſenex quamvis, dum terna per orbem
Saecula fertilibus Titan decurrerit horis.

Poëta magnus libri laudati ℣. 39.

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, o famae merito pars maxima noſtrae,
Maecenas; pelagoque volans da vela patenti.

171. ET

Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hinc & colla jugo didicit ſubmittere taurus,
Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos.
Tondeturque ſeges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur aere:
Quinetiam ſtructis exſurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.

Non

171. ET LENTA EXCELSOS VITIS CONSCENDERE RAMOS] loquitur de Italiae vitibus, quarum erat principatus ei ſolo peculiaris. Plinius L. 14. C. 1. *In Campano agro populis nubunt : maritasque complexae, atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato curſu ſcandentes, cacumina aequant, in tantum ſublimes, ut vindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine creſcunt, dividique, aut potius avelli nequeunt. Villas ac domos ambiri ſingularum palmitibus, ac ſequacibus loris, memoria dignum inter prima Valerianus quoque Cornelius exiſtimavit. Una vitis Romae in Liviae porticibus ſubdiales inambulationes umbroſis pergulis opacat, eadem duodenis muſti amphoris fecunda. Ulmos quidem ubique exſuperant. Miratumque altitudinem earum Ariciae ferunt legatum regis Pyrrhi Cineam, facete luſiſſe in auſteriorem guſtum vini, merito matrem ejus pendere in tam alta cruce.*

172. TONDETURQUE SEGES MATUROS ANNUA PARTUS] ſic L. 2. Eleg. 1. ℣. 47.

Rura ferunt meſſes, calidi quum ſideris aeſtu
Deponit flavas annua terra comas.

hoc eſt, tondetur. Maro L. 4. Geor. ℣. 135. de ſene illo Corycio;

Et cum triſtis hiems etiamnum frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frenaret aquarum,
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi.

L. 1. ℣. 289.

Nocte leves melius ſtipulae, nocte arida prata
Tondentur.

Columella L. 4. C. 21. *Sin aliqua earum vel perfracta, vel parum procera fuerit, locumque idoneum obtinebit, unde vitis anno ſequenti renovari debeat, in pollicem tondeatur.* quod quale ſit, ipſe ſtatim docet. Plinius L. 14. C. 1. *Hae vites tonſura annua coërcentur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines.* Sequitur *ſeges*, quae hic pro terra ſata ponitur, edente partus maturos ſuo tempore. Varro L. 1. de Re Ruſt. C. 29. *Seges dicitur, quod aratum ſatum eſt: arvum, quod aratum, necdum ſatum eſt.* Cicero Accuſ. 3. in Verr. C. 86. *Videbatur id perdere arator, in quo elaboraſſet, quod agri ſegetesque extuliſſent.* Cicero L. 2. Tuſc. Quaeſt. C. 5. *Ut agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur, falſumque illud Attii,*

Probae etſi in ſegetem ſunt deteriorem datae
Fruges, tamen ipſae ſuapte natura enitent.

ſic animi non omnes culti fructum ferunt. Virgilius L. 1. Geor. ℣. 47.

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolae, bis quae ſolem, bis frigora ſenſit.

Horatius L. 1. Od. 31. ℣. 4.

non opimae
Sardiniae ſegetes feraces.

ſic enim legitur in optimis Graevii membranis, & codicibus quibusque praeſtantiſſimis. Vide Helenium Acronem ad L. 3. Od. 16. ℣. 30. Servium ad L. 1. Geor. ℣. 1. ad L. 3. Aen. ℣. 142. ad L. 7. ℣. 526. Philargyrium ad L. 4. Geor. ℣. 129. Feſtum, ac Nonium, in voce *Seges*. Primus e recentioribus hanc *ſegetis* ſignificationem obſervavit Laurentius Valla L. 4. Elegant. C. 25. ni illo fortaſſe prior fuerit Guarinus Veronenſis, apud Angelum Decembrium L. 3. de Politia Liter. parte 27.

175. UBI PER CLAROS IERINT TUA FACTA TRIUMPHOS] Haec eſt libri Scaligerani ſcriptura; melior quam vulgata, *ubi praeclaros poſcent.* Naſo L. 3. Art. Amat. ℣. 87.

Ite per exemplum genus o mortale Dearum.

Papinius L. 1. Achill. ℣. 4.

nos ire per omnem,
Sic amor eſt, heroa velis.

176. SOLUS UTROQUE IDEM DICERIS MAGNUS IN ORBE] Multum aeſtuat Paſſeratius, varieque ſe torquet in *utroque orbe.* At poëta Aſiam intelligit & Europam, nam ita omnem ter-

Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis,
Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus.
Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius. Aeterno propior non alter Homero.

Lan-

terrarum orbem diviserat Eratosthenes, Africa Europae adjecta. Varro lib. 4. de L. L. *Ut omnis natura in coelum & Terram divisa est, sic coelum in regiones, Terra in Asiam & Europam. Asia enim jacet ad meridiem & Austrum: Europa ad septemtriones & Aquilonem. Asia dicta est ab nympha, ex qua & Iapeto trahitur Prometheus. Europa ab Europa Agenoris filia, quam ex Phoenice Manlius scribit taurum exportasse: quorum egregiam imaginem ex aere Pythagoras Tarenti fecit.* de Eratosthenis divisione iterum loquitur L. 1. de Re Rust. C. 2. hanc & Horatius est secutus L. 3. Od. 27. ipso fine, ubi Venus ita ad Europen:

Uxor invicti Jovis esse nescis?
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

inibi Helenius Acro: *Sectus*] *divisus, eo quod una pars orbis Europae nomen accepit, altera Asia dicta est.* Minus recte Lambinus: *tertia pars orbis terrarum tuo nomine appellabitur.* non enim ista mens Horatii, Moschum sequentis Idyll. 2, cui nomen Europae. Atque etiam sic noster. Nec tamen defuerunt, qui orbem in tres partes dirimerent, rejecta divisione Eratosthenis. Sallustius Jugurth. C. 17. *In divisione orbis terrae plerique in parte tertia Africam posuere: pauci, tantummodo Asiam & Europam esse; sed Africam in Europa.* Paullus Orosius L. 1. C. 2. *Majores nostri orbem totius terrae, Oceani limbo circumseptum, triquadrum statuere: ejusque tres partes Asiam, Europam, & Africam vocaverunt: quamvis aliqui duas, hoc est, Asiam ac deinde Africam in Europam accipiendam putarint.*

180. VALGIUS] T. Valgius Rufus (isthoc cum cognomine codices Horatii veteres cohonestant) quantus poëta fuerit, vel ex hoc uno loco adparet. quid enim poterat noster aut praeclarius, aut magnificentius? Ipse quoque Flaccus inter eos numerat, qui ingenii atque eruditionis gloria tum maxime florebant, L. 1. Sat. 10. ỳ. 81.

Plotius, & Varius, Maecenas, Virgiliusque,
Valgius, & probet haec Octavius optimus, atque
Fuscus; & haec utinam Viscorum laudet uterque.

deinde Pollionem his jungit, & fratres Messalas, & Bibulos, & Servios, & Furnium, florem populi delibatum, ac Suadae medullam. Valgium autem epico carmine plurimum potuisse, hinc docemur. Docet & Horatius L. 2. Od. 9. quae est ad ipsum Valgium perscripta:

Desine mollium
Tandem querelarum; & potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris; & rigidum Niphatem,
Medumque flumen gentibus additum
Victis minores volvere vortices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Merito igitur Angelus Politianus Nutric. ỳ. 538.

Et qui Smyrnaeis poterat contendere plectris
Valgius, ut tersi memorat pia Musa Tibulli.

Scripsit multa: sed omnia interierunt. Junius Philargyrius binos laudat versiculos, ex lusu aliquo pastorali, ad L. 3. Geor. ỳ. 176. *Legitur &* mulgaria, *ut Valgius ait:*

Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis,
Et sinum vini cessamus ponere Baccho?

Elegos quoque ejus conmemorat Servius ad Eclog. 7. ỳ. 22. *Quale meo Codro*] *Codrus poëta ejusdem temporis fuit, ut Valgius in Elegis suis refert.* & ad L. 11. Aen. ỳ. 557. *Padusa pars est Padi. nam Padus licet unus sit fluvius, habet tamen fluenta plurima, e quibus est Padusa; quae quibusdam locis facit paludem, quae plena est cygnorum. Alii Padum tribus fontibus nasci dicunt, ex quibus sumsit vocabulum Padusa, qui diffusus in modum stagni in amnem digeritur: nam ideo* per stagna loquacia. *Alii partem fluminis Padi, in quam descenditur Fossa. Valgius in Elegis:*

Et placidam Fossae qua jungunt ora Padusam
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Isidorus L. 19. Origin. C. 4. REMULCUM, *funis, qua deligata navis trahitur vice remi. De quo Valgius:*

Hic mea me longo succedens prora remulco
Laetantem gratis sistit in hospitiis.

Epigrammatum meminit Charisius L. 1. Instit. Grammat. p. 84. *Neutraliter* hoc margaritum

di-

Languida nam noster peragit labor otia, quamvis
Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget.

Nam

dicere vitiosum est: & tamen multi dixerunt, ut Valgius in Epigrammate,

Situ rugosa, rotunda margarita.

Est & aliquid apud Senecam, fortasse ex Heroicis, Epist. 51. *Quomodo quisque potest, mi Lucili: tu istic habes Aetnam, illum nobilissimum Siciliae montem: quem quare dixerit Messala* unicum, *sive Valgius,* (*apud utrumque enim legi*) *non reperio.* Neque hoc quo pertineat, scio, apud Diomedem L. 1. p. 382. *Didius ait de Sallustio,* COMESTO PATRIMONIO. *Valgius autem de Tralatione,* COMESA PATINA. Ceterum poëta T. Valgius Rufus non debet confundi cum C. Valgio Saturnino Rufo consulari, id quod a Joanne Glandorpio factum est in Onomastico, atque etiam a nostro Pighio ad A. V. DCCXLI, praeeuntibus Acrone ac Porphyrione; & a Jo. Henr. Meibomio in Maecenate C. 18. nam Cajum versibus quidquam conscripsisse ostendi nequit: de oratione soluta satis constat. Plinius L. 25. C. 2. ubi recenset eos, qui Latine usus herbarum scripserint: *Post eum* [M. Catonem] *unus illustrium tentavit C. Valgius, eruditione spectatus, imperfecto volumine ad Divum Augustum, inchoata etiam praefatione religiosa, ut omnibus malis humanis illius potissimum principis semper mederetur majestas.* Fuit autem hic Cajus consul suffectus in locum M. Valerii Messalae Barbati, in magistratu mortui, A. V. DCCXLI, vel quinto vel sexto post obitum Tibulli anno. Unde colligitur, veteres Grammaticos nullo illum jure consularem fecisse A. V. DCCXXXIV. quum victoriae illae Augusti Parthicae atque Armeniae, & nova (ut Horatius disertim vocat) tropaea, inciderint in A. V. DCCXXXIII. M. Appulejo, P. Silio Nerva Coss. Vide Dionem Cassium L. 54. Suetonium Aug. C. 21. Vellejum L. 2. C. 94. Justinum L. 42. C. 5. Horatius in compendium misit L. 1. Epist. 12. ℣. 25.

Ne tamen ignores quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit: jus imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor. aurea fruges
Italiae pleno diffudit Copia cornu.

181. Languida non noster peragit labor otia] Verius excerpta Lipsii, *Languida nam noster.* ideo enim Valgii humeros illi oneri subjicit, quod ipse laborem refugiat conscius sibi virium exiguarum, atque otium potius sectetur, quamvis in re non lautissima.

182. Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget] Ecce caussam paupertatis Tibullianae: quam ipse prudenter rejicit in Fortunam, non ausus palam accusare scelera & rapinas bellorum civilium, praesertim Augusto jam rerum potiente. Plura in hanc rem bono judicio disseruit ocellus nostrae gentis Janus Douza Praecidan. C. 20. Tamen alii non desinunt veterem illam suam cantilenam; videlicet Albium nostrum coactum fuisse ruri vivere, ni mallet Romae a creditoribus suis secari, propter inmensum aes alienum in luxu & nepotatu contractum. In his erat Scaliger, cujus semper auctoritas magna fuit. Sed aliorum omnium solertiam in describenda Tibulli nequitia, & prodigentia in nugis, longe superavit Andreas Dacerius Comment. ad Horat. L. 1. Epist. 4. ibi tu prolixam historiam videbis rei familiaris Tibullianae: cujus historiae vestigiis fideliter haesit nuperus Horatii ab Harlemo interpres. Illorum ego hominum temeritatem non refutabo, ea adfirmantium, quae ex nullo vetere scriptore probari queunt: quinimo largiar potius, recte eos calculum posuisse; ut tanto certius corruant. Nimirum queritur poëta apud Messalam consulem de sua paupertate, A. V. DCCXXII; ipse natus A. V. DCCX. unde colligitur, non vigesimo secundo, ut Dacerius exputabat, sed duodecimo aetatis anno praeclaram rem paternam ingluvie ac libidinibus turpiter jam strinxisse. Nam profecto inter Hirtii ac Pansae consulatum, eumque quem Messala gessit, non nisi duodecim anni interfluxerunt. Hic autem ipse Panegyricus quin scriptus fuerit in consulatu Messalae, si quis negaverit, cum eo homine verbum ego nullum commutandum existimo. Tamen si qui pertendent in vetusti erroris defensione, dabo iis advocatum tam bella caussa condignum. Grammaticus is est semipriscus, cujus glossam ad Horat. L. 1. Epist. 4, talem nobis exhibuit Casparis Barthii sedulitas, L. 37. Adv. C. 19. *Ad Albium Elegiūm scriptorem. Fuit hic Albius eques Romanus, qui primus in amatorio carmi-*

 ne

Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci
Horrea, foecundas ad deficientia messes:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupoque:
Nunc desiderium superest. nam cura novatur,
Quum memor anteactos semper dolor admovet annos.
Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis:
Non te deficient nostrae memorare Camenae.
Nec tibi Pierii solum tribuentur honores.
Pro te vel rapidas ausim maris ire per undas,
Adversis hiberna licet tumeant freta ventis:
Pro te vel solus densis subsistere turmis,

Vel

ne habetur: eum per ironiam irridet Horatius, quasi rem bene gesserit, cum in juventa omnia prodegerit, & postea versibus victum quaesiverit. Ergo ubi eum laudat, se innuit Horatius; ubi vituperat se, & Epicurum nominat, Albium intelligit, quem ridendum ait, quod prodegerit omnia, jam nihil habens quo, ut solebat, cutem curare posset. Quod vero ait, Dii tibi divitias dederant, *manifesta ironia est. Nam Epicuri non credentes Deos habere curam rerum humanarum, omnia prodigunt; quod postquam factum est, omnibus sunt ridiculi.*

183. QUUM MAGNIS OPIBUS DOMUS ALTA NITERET] Proprio verbo utitur in descriptione rei bene lautae. Horatius L. 1. Epist. 15. ipso fine:

Vos sapere, & solos ajo bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

L. 2. Sat. 5. ỳ. 12.

turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet domino sene.

Cicero Accus. 3. in Verr. C. 18. *Quos ego campos antea collesque nitidissimos viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbam, ut ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominum videretur.* Huc pertinent *excultae* Propertii mei *opes*, L. 4. Eleg. 1. ỳ. 130.

Nam tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

184. CUI FUERANT FLAVI DITANTES ORDINE SULCI HORREA] Nihil hic mutandum. Seges in sulcis flavescens ordine locupletat horrea. tempore enim suo segetes quaeque maturescunt, non cunctae simul. igitur messis alia aliam ordine subsequitur; & in horreis certo quodam ordine conditur.

189. QUUM MEMOR ANTEACTOS SEMPER DOLOR ADMONET ANNOS] In quindecim libris *admovet* scriptum est. Eleganter. *admovere*, ante oculos ponere atque ita in memoriam revocare imagine vividissima. *memor dolor*, acerba recordatio injuriarum militarium, & rapinarum triumviralium. Nicolaus Heinsius legebat,

Quum memori anteactos semper dolor admovet annos.

Non male. Quin tamen floridius ac figuratius cum *doloris* voce jungatur epitheton *memor*, nemo opinor negabit. Virgilius L. 1. Aen. ỳ. 4.

multum ille & terris jactatus & alto
Vi Superûm, saevae memorem Junonis ob iram.

Naso L. 14. Metam. ỳ. 694.

Ultoresque Deos, & pectora dura perosam
Idalien, memoremque time Rhamnusidis iram.

Nascitur autem ex dolore ira: quae qua ratione dicatur *memor*, exponit Petrus Victorius L. 25. Var. Lect. C. 2.

192. NEC SOLUM TIBI PIERII TRIBUENTUR HONORES] Molliore numero codex Jo. Marii Mattii, L. 1. Opinion. C. 13, *Nec tibi Pierii solum.* ubi & ratio redditur hujus in dicendo coloris, parum vulgo intellecti, quum post *non solum* non sequitur *verum etiam*; quae verba a natura ejus locutionis postulari videntur.

195. PRO TE VEL SOLUS DENSIS SUBSISTERE

Vel pavidum Aetnaeae corpus committere flammae.
Sum quodcumque, tuum est. nostri sit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, si sit modo; non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas.

Quod

STERE TURMIS] quidam libri *obsistere* habent: quod ut pravum non est, tamen neque illam remotiorem vim verbi *subsistendi* exaequat. D. Brutus L. 11. ad famil. Epist. 10. *Septenum numerum nunc legionum alo, qua difficultate, tu arbitrare. Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumtui possem.* Livius L. 27. C. 7. *Maxime movit Patres Asdrubalis transitus in Italiam, vix Annibali atque ejus armis subsistentem.* Vide istic notata Gronovio patri, viro egregio, adserto simul hoc versiculo.

196. VEL PARVUM AETNAEAE CORPUS COMMITTERE FLAMMAE] Hinc colligunt, Tibullum fuisse humili statura. At tales *venusti* potius & *belli* dicuntur, quam *formosi*. tamen nostro poëtae Horatius *formam* tribuit L. 1. Epist. 4. ℣. 6.

Non tu corpus eras sine pectore. Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederunt, artemque fruendi.

Itaque Heinsius, rejecta scriptura vulgari, legebat *par corpus*, quod par sit Aetnaeo igni ferendo. Sed neque hoc ipsum satis placet. Aliud aliquid latere sentio magis, quam adsequor. Et tamen adsequor, nisi me fallit spes mea. Scripserat poëta,

Vel pavidum Aetnaeae corpus committere flammae.

Neque est cur quisquam putet, ipsum sibi contradicere, modo tam magnifice locutum. Statuebant philosophi, cor soli homini palpitare: hominem enim solum spe atque exspectatione rei futurae permoveri. Id autem fieri nemo non sentit in omni re vel subita, vel ardua atque difficili, sive illa res sit innoxia atque ludicra, sive citra periculum aut perniciem nequeat confieri. Talis erat hic saltus in ardentem Aetnam. Hunc autem motum vocabant *pavorem*, verbo haudquaquam indecoro. Virgilius L. 3. Geor. ℣. 103.

Nonne vides, cum praecipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus,
Cum spes arrectae juvenum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi fervidus axis.

haec de aurigatione. de remigio L. 5. Aen. ℣. 136.

Considunt transtris, intentaque brachia remis:
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido:

deducitur autem *pavor* a verbo *pavire*, quemadmodum bene ostendit magnus Vossius in Etymologico L. L. Itaque Tibulli corpus *pavidum* fuisse oportuit ad denuntiationem tam ingentis periculi, quamvis animus ipse fortis esset atque inconcussus. Nam *omnis nostra vis*, ut praeclare Sallustius, *in animo & corpore sita est. Animi imperio, corporis servitio magis utimur.*

197. NOSTRI SI PARVULA CURA] scribe cum Heinsio, *nostri sit parvula cura.*

198. NON MIHI REGNA LYDIA] dulcissimus Anacreon Od. 15.

Ὄυ μοι μέλει Γύγαο
Τοῦ Σάρδεων ἄνακτος·
Ὄυθ' αἱρέει με χρυσὸς,
Ὀυδὲ φθονῶ τυράννοις.

Henricus Stephanus vertit:

Nil curo Sardiani
Regni Gygen potentem:
Auri nec appetens sum,
Nec invidens tyrannis.

199. NON MAGNI POTIOR SIT FAMA GYLIPPI] Vide Plutarchum in Vita Niciae: Justinum L. 4. C. 4. 5. Paullum Orosium L. 2. C. 14. Adlusit Petrus Francius, amicus noster primarius, nuper rebus humanis exemtus, in nobili Epicedio fortissimi herois Michaëlis Ruteri, cujus solum nomen elogiorum omnium instar habet:

Pugnantum ferale Sicania murmur
Ut sensit, pavidos convertit ad aequora vultus;
Et secum: Inferna rediitne ab sede Gylippus,
Ionioque salis dominas sale frangit Athenas?

200. POSSE MELETEAS NEC MALLEM VINCERE CHARTAS] Homericas. Politianus Nutric. ℣. 336.

Demodoci vivacior aevo
Fama Meleteis gaudet juvenescere chartis.

Meles fluvius est ipsos urbis Smyrnae muros, uti quidem hodie sunt, adluens; sed ad-

Quod tibi si versus noster totusve minusve,
Vel bene sit notus, summo vel inerret in ore:
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quinetiam mea quum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Lon-

admodum exiguus, & in plurimos rivulos comminutus. olim nobilior fuit, ac spatiosior. Plinius L. 5. C. 29. *Regredientibus inde abest XII. mill. passuum ab Amazone condita, restituta ab Alexandro, in ora Smyrne, amne Melete gaudens, non procul orto.* Hujus amnis filium Homerum tradidit antiquitas. Atque hinc nummi Amastrianorum, in quorum una facie Homerus diadematus, ac bene barba-



tus; in altera fluvius Meles urnae innixus, cum lyra supra genu dextrum erecta. Vide Inlustrissimum Spanhemium Dissert. 5. de Usu ac Praestant. Numism. p. 488, editionis prioris: Laurentium Ramirez de Prado Pentecont. C. 25. (qui tamen diadema non expressit, prave, ac negligenter) Barthium ad Papin. L. 3. Silv. 3. ℣. 60. & Amplissimum Cuperum Apoth. Homer. p. 7. 8. quem eximium virum, & de publicis patriae rebus praeclare meritum, amicitiae atque honoris caussa nominamus.

202. VEL BENE SI TOTUS] lege cum scriptis libris, *Vel bene sit notus.* Quod si carmen meum tibi vel bene sit familiare, vel leviter tantum & perfunctorie lectum. *sit* est in decem codicibus; *notus* in septemdecim.

204. QUIN ETIAM MEA TUNC TUMULUS QUUM TEXERIT OSSA] Malo cum libris nonnullis,

Quin etiam mea quum tumulus contexerit ossa.

205. SEU MATURA DIES CELEREM PROPERAT MIHI MORTEM] *dies matura*, tempestiva. Horatius L. 3. Od. 15, in anum libidinantem, ℣. 4.

Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.

Sed hic ponitur pro morte praecipiti, ac festinata, quaeque ante diem venit. Caesar L. 4. Bell. Gall. C. 20. *Exigua parte aestatis reliqua, Caesar, etsi in iis locis, quod omnis Gallia ad Septemtrionem vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit.* Cornelius Celsus L. 1. Medic. C. 1. *Ignavia corpus hebetat, labor firmat. illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit.* Nepos in vita Attici, C. 2. *Pater mature decessit.* Cicero Orat. pro Caecina C. 4. *Sed hunc fructum mature fortuna ademit. nam brevi tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est.* Male ibi Lambinus suum *praemature* supponit. Orat. pro M. Coelio C. 32. *Nolite, judices, aut hunc jam natura ipsa occidentem velle maturius exstingui vulnere vestro, quam suo fato:* &c. Igitur *maturam diem* nostrates Belgae eleganter vocant *een vroege doodt.* Ceterum in libris omnibus *fato properat mihi mortem* legebatur: sed bene, ni fallor, *celerem* pro isto *fato* reposuit Scaliger ex codice Jacobi Cujacii, ut *celer mors* opponatur *vitae longae.* Verbum autem *properare* active, uti hic vides, efferebant optimi quique scriptores. Maro L. 4. Geor. ℣. 170.

Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina massis
Cum properant.

L. 9. Aen. ℣. 401.

an sese medios moriturus in enses
Inferat, & pulcram properet per volnera mortem?

Propertius L. 2. Eleg. 21. ℣. 27.

Quod si forte tibi properarint fata quietem.

L. 3. Eleg. 20. ℣. 21.

Quod superest, sufferte pedes: properate laborem,
Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

Horatius L. 1. Epist. 3. ℣. 28.

Hoc opus, hoc studium parvi properemus & ampli,
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.

L. 2. Od. 7. ℣. 24.

quis

Longa manet seu vita, tamen mutata figura
Seu me finget equum gyro percurrere campos

Do-

quis udo
Deproperare apio coronas
Curatve myrto?
L. 3. Od. 24. ℣. 62.
Cum perjura patris fides
Consortem socium fallat, & hospitem:
Indignoque pecuniam
Haeredi properet.
Tacitus L. 1. Annal. C. 56. *Rarum illi coelo, siccitate & amnibus modicis inoffensum iter properaverat.* L. 2. C. 22. *Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent.* ibidem C. 31. de Libone: *Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, juravitque Tiberius, petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset.* L. 11. C. 37. de Messalina: *Ac ni caedem ejus Narcissus properavisset, verterat pernicies in accusatorem.* L. 3. Hist. C. 40. de Fabio Valente: *Si coeptum iter properasset, nutantem Caecinam praevenire; aut, ante discrimen pugnae, adsequi legiones potuisset.* L. Septimius Romanus L. 1. Ephemer. belli Trojani C. 5. *Inde quod jam Alexander, abreptis quae cupierat, adscensionem properabat, pro tempore armati ad naves veniunt; ortoque inter eos acri praelio, cadunt utrimque plurimi.* Servium grammaticum foedavit lacinia non bella, nec digna Servio, ad L. 9. Aen. ℣. 401. *pulcram properet per vulnera mortem*] *Aut deest* adire, *aut deest* ad: *ut sit, ad mortem properet. Aut certe antique, properet mortem: ut Plautus*, PROPERATE PRANDIUM; *Ennius*, FESTIVUM FESTINANT DIEM. Vides hunc hominem verbum *properandi* pro verbo neutro habuisse, & in archaïsmis posuisse puros nitores sermonis Latini. Sed de hisce talibus monere non negliget amicus noster summus David Hoogstratanus, vir haud fine cura dicendus; cujus felici industriae debebimus brevi Fragmenta Veterum Poëtarum, & Jani Douzae & aliorum virorum doctorum egregiis observationibus examussim inlustrata. Quae non minus grata fore literato orbi & auguror, & spondeo, quam nuper fuit dulcissimus ille a Thracia Fabulator, ab eadem illa manu tam liberaliter procuratus. Exesto, Livor: nihil hic poteris, etiamsi ramices tibi tuos diruperis.

207. SEU ME FINGET EQUUM] Haec sunt de Pythagorae schola. Vide Nasonem L. 15. Metam. ℣. 158. & Macrobium L. 1. in Somn. Scip. C. 9. ubi sic de anima: *Sed nec post mortem facile corpus relinquit, quia* non funditus omnes corporeae excedunt pestes: *sed aut suum oberrat cadaver, aut novi corporis ambit habitaculum, non humani tantummodo, sed ferini quoque, electo genere moribus congruo quos in homine libenter exercuit; mavultque omnia perpeti ut coelum, quod vel ignorando vel dissimulando vel potius prodendo deseruit, evadat.* Hodie Siamensium Indorum sapientes in istum ferme morem philosophari solent. Volebat autem Plato, animas per metempsychosin sexum plerumque mutare, tradente Servio ad L. 6. Aen. ℣. 448. id quod Albio nostro minus placuit; quem vides nec equam fieri voluisse, nec vaccam.

207. RIGIDOS PERCURRERE CAMPOS DOCTUM] *rigidi campi* non nisi hieme apte dicuntur. Virgilius L. 2. Geor. ℣. 315.

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor,
Tellurem Borea rigidam spirante moveri.
Rura gelu tum claudit hiems.

Achilles Statius *riguos* malebat: quem sequitur Passeratius, & in Notis Nic. Heinsius. qui tamen in Adversariorum fragmentis *gyro percurrere campos* deinde castigavit. Felicissime, ac verissime, aut me omnia fallunt. Videbimus singula. Poëta loquitur de equo jam condocefacto, atque exercitato, quique didicit a magistro. hoc enim vult *docti* epitheton. Horatius L. 1. Epist. 2. ℣. 64.

Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques.

L. Varius, apud Macrobium L. 6. Saturn. C. 2.

Quem non ille sinit lentae moderator habenae
Qua velit ire; sed angusto prius orbe coërcens
Insultare docet campis, fingitque morando.

Deinde *campos* noster, aeque ac Varius, non pro herboso prato posuit, sed pro hippodromo, vel circo, ubi equi solent exerceri. Scripsit Varro lib. 4. de L. L. *Quod fructus capiebant ex agro plano, Campus dictus.* Sed inibi magnum Scaligerum audiamus, haud paullo meliora promentem: *Inepta est* (inquit) *haec etymologia, sicut & de agro culto, a coalescendo potius quam a colendo. Siculi circum, aut hippodromum, καμπὸν vocabant, a flexu equo-*

Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucri vehar aëra penna:
Quandocumque hominem me longa refecerit aetas,
In-

equorum, & quadrigarum quae ibi certabant. Inde omnia plana καμπoὶ dicti: poëtae vocant aequora terrae. *Unde καμπτὴρ, metae. Pacuvius Tantalo, citante Nonio:*

Extremum intra campterem, ipsum
Jam praegreditur Parthenopaeum.

Haec vir ille summus, quae pluribus argumentis locupletavit eruditissimus Vossius in Etymologico L. L. Jam inter studia equestris disciplinae vel primo loco discebant equum in gyros compellere: idque ab ultima petitum antiquitate. Maro L. 3. Geor. ℣. 115.

Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere
Inpositi dorso, atque equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos.

ibidem ℣. 190.

At tribus exactis ubi quarta accesserit aestas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum.

L. 11. Aen. ℣. 694. de Camilla:

Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.

Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 384.

Sunt illis celeresque pilae, jaculumque, trochique,
Armaque, & in gyros ire coactus equus.

Remed. Amor. ℣. 398.

Hactenus Invidiae respondimus. attrahe lora
Fortius; & gyro curre, poëta, tuo.

Horatius L. 3. Od. 7. ℣. 25.

Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio.

Propertius, de virgine Spartana, L. 3. Eleg. 22. ℣. 11.

Gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit.

noster supra ℣. 94.

Inque vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curvo brevius compellere gyro.

Papinius L. 5. Silv. 3. ℣. 138.

Inde frequens pugnae, nulloque ingloria sacro
Vox tua. Non toties victorem Castora gyro,
Nec fratrem caestu virides plausere Therapnae.

& L. 3. Silv. 2. ℣. 125.

puer hic sudavit in armis,
Notus adhuc tantum majoris munere clavi.
Jam tamen & turmas facili praevertere gyro
Fortis, & Eoas jaculo damnare sagittas.

208. SEU TARDI PECORIS SIM GLORIA TAURUS] Naso L. 1. Art. Amat. ℣. 290.

Forte sub umbrosis nemorosae vallibus Idae
Candidus armenti gloria taurus erat.

Maro Eclog. 5. ℣. 32.

Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis;
Tu decus omne tuis.

Pecus, armentum bucerum. Sed antiqui omne animal praeter hominem *pecus* vocabant. notarunt Servius ad L. 1. Aen. ℣. 439. Philargyrius ad L. 4. Geor. ℣. 168. Acro ad Horat. L. 1. Od. 2. ℣. 7. Nonius in voce *Pecus.* quibus adjunge Laurentium Vallam L. 4. Elegant. C. 42. Tamen Horatius ipsos quoque homines *pecoris* vocabulo comprehendit, L. 1. Sat. 3. ℣. 100.

Cum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere.

209. SIVE EGO PER LIQUIDUM VOLUCRIS VEHAR AERA PENNIS] Placet Nic. Heinsii venusta emendatio, *volucri vehar aëra penna.* Naso L. 2. Art. Amat. ℣. 45. de Daedalo alas sibi fabricante:

Remigium volucres disponit in ordine pennas:
Et leve per lini vincula nectit opus.

Pariter Boëtius L. 4. Carm. 1.

Sunt etenim pennae volucres mihi,
Quae celsa conscendant poli.

Valerius Flaccus L. 7. ℣. 398.

Atque hinc se profugam volucri Thaumantias ala
Sustulit.

Horatius L. 2. Od. 17. ℣. 24.

Te Jovis inpio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas.

ibi τὸ *volucris* accusativus est pluralis, more Augustaei temporis prolatus.

210. IN QUEMCUMQUE HOMINEM ME LONGA RECEPERIT AETAS] Melius liber Cujacii, cum uno Heinsiano, *Quandocumque hominem.*
Pro-

Inceptis de te subtexam carmina chartis.

Probabat Passeratius; qui & *refecerit* emendabat pro vulgato *receperit*. id quod ego verum existimo. Habebat hujus lectionis vestigium sextus Gebhardi Palatinus, in quo *retexerit*. Videlicet ex *refecerit* primo natum fuisse *refeccerit*, deinde *retexerit*. Dicuntur autem *refici* ea, quae fuerant sublata. Cicero Dial. de Amicit. C. 25. *Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis? dissuasimus nos.*

211. INCEPTIS DE TE SUBTEXAM CARMINA CHARTIS] Elegans tralatio. Columella L. 11. de Re Rust. C. 1. *Sed tibi, P. Silvine, pertinaciter expetenti versificationis nostrae gustum, negare non sustinebam, facturus mox, si collibuisset, quod nunc aggredior, ut olitoris curam subtexerem villici officiis.* Livius L. 37. C. 48. *Subtexit deinde* [Valerius Antias] *fabulae huic, legatos Aetolos in senatu inter cetera hoc quoque interrogatos esse, Unde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege, & exercitum deletum esse?* Paterculus L. 1. C. 14. *Huic rei per idem tempus civitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione juris, haud intempestive subtexturi videmur.* Verbum autem *texendi*, sive simplex, sive compositum, venustissime transfertur ad Musarum dona, & foetus quoscumque ingenii. Exempla quaedam quasi in lance satura proferemus, a simplici verbo exorsi. Cicero L. 9. ad famil. Epist. 21. *Privatas caussas, & eas tenues, agimus subtilius: capitis, aut famae, scilicet ornatius. Epistolas vero quotidianis verbis texere solemus.* Ausonius Epigr. 38.

Licia qui texunt, & carmina; carmina Musis,
Licia contribuunt, casta Minerva, tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo Sabina:
Versibus inscripsi quae mea texta meis.

idem poëta Mosell. ℣. 294.

licet hic commercia linguae
Jungere, & alterno sermonem texere pulsu.

CONTEXERE. Cicero Orat. pro Coelio C. 8. *Quo loco possum dicere id, quod vir clarissimus M. Crassus, cum de adventu regis Ptolemaei quereretur, paullo ante dixit,* Utinam ne in nemore Pelio. *Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret.* Nam numquam hera errans *hanc molestiam nobis exhiberet* Medea animo aegra, amore saevo saucia. DETEXERE. Sulpicia, ipso initio Satirae:

Musa, quibus numeris heroas & arma frequentas,
Fabellam permitte mihi detexere pacis.

auctor Ciris ℣. 9.

Non tamen absistam coeptum detexere munus.

Ausonius Mosell. ℣. 415.

At modo coeptum
Detexatur opus: dilata & laude virorum,
Dicamus laeto per rura virentia tractu
Felicem fluvium.

INTEXERE. Cicero L. 13. ad Attic. Epist. 12. *Quod ad me de Varrone scribis, scis me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere.* Auctor Ciris ℣. 21.

Sed magno intexens (si fas est dicere) peplo,
Qualis Erichtheis olim portatur Athenis.

noster supra, ℣. 5.

Nec tua praeter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non majora supersint.

PERTEXERE. Cicero L. 1. de Orat. C. 33. *Arrisit hic Crassus leniter, &, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.* L. 1. ad Attic. Epist. 14. *Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, soleo pingere, de flamma, de ferro, (nosti illas* ληκύθους*) valde graviter pertexuit.* Lucretius L. 1. ℣. 419.

Sed nunc jam repetam coeptum pertexere dictis.

quod repetivit L. 6. ℣. 41.

Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

RETEXERE. Cicero L. 2. de Orat. C. 38. de Dialecticis: *Ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quaerendo, reperiunt non modo ea, quae jam non possunt ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, & potius detexta prope retexantur.*

I I.

SULPICIA est tibi culta tuis, Mars magne, kalendis.
Spectatum e caelo, si sapis, ipse veni.

Hoc

1. SULPICIA] Quae nunc sequuntur exigua poëmatia, ea non esse Tibulli vel ipsa dictio arguit. tamen auctorem Tibulli studiosum fuisse, neque infeliciter ejus vestigia pressisse, fatendum est. Arguta sunt, & candida, & venusta, atque etiam hic illic ipsis Tibullianis alacriora, habentque multum Nasoniani & genii & leporis. Ego Sulpiciae esse credo, illius quae sub Domitiano floruit, Caleni uxoris. Scripsisse eam Amores Conjugales auctor est Martialis L. 10. Epigr. 35. quod integrum hic legi meretur:

Omnes Sulpiciam legant puellae,
Uni quae cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptae.
Non haec Colchidos adserit furorem,
Diri prandia nec refert Thyestae;
Scyllam, Byblida, nec fuisse credit:
Sed castos docet & pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque.
Cujus carmina qui bene aestimarit,
Nullam dixerit esse nequiorem,
Nullam dixerit esse sanctiorem.
Tales Egeriae jocos fuisse
Udo crediderim Numae sub antro.
Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior & pudica Sappho.
Sed tecum pariter simulque visam
Durus Sulpiciam Phaon amaret.
Frustra: namque ea nec Tonantis uxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto sibi viveret Caleno.

Meminit & Sidonius Apollinaris Carm. 9. ℣. 258.

Non Getulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.
Non quod Sulpiciae jocus Thaliae
Scripsit blandiloquum suo Caleno.

Sed hos Amores parum severe scriptos fuisse, neque Catonibus legendos, jam vidimus ex Martiale. Clarius etiam ostendit Scholiastes antiquus Juvenalis ad Sat. 6. ℣. 537. *violato poena cadurco*] *Membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen. Unde ait Sulpicia:*

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Caleno concubantem proferat.

Vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur. Ita locus ille constituendus; quum vulgo posterior expositio ponatur ante verba Sulpiciae, nullo sensu. Nec tamen haec, quae in manibus habemus, carmina ex libris istis Amorum Conjugalium decerpta esse contendo: adparet enim lusus esse amantis puellae, & quidem sub matre. Multa & varia scripta sua commemorat ipsa Sulpicia initio Satirae, quae nunc quoque exstat:

quare nec carmine curro Phaleuco,
Nec trimetro Iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter irasci didicit duce Clazomenio.
Cetera quin etiam, quot denique milia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Grajis,
Et salibus variare novis, constanter omitto.

Atque ut Satira illa in codicibus Juvenalis & Ausonii inventa fuit, modo huic modo illi adscripta: ita veri admodum simile est, haec ipsa poëmatia conjecta fuisse ad finem librorum Tibulli, propter argumenti vicinitatem. Nam sane Tibulli non esse, ipse (ut dixi) stylus evincit. Quantas in his rebus turbas olim dederint scribae librarii, non semel monuerunt viri praeclari, quibus curae fuit suum cuique reddere. Sed & imitationes minime occultae facile prodent aetatem Augustea inferiorem.

1. SULPICIA EST TIBI CULTA TUIS, MARS MAGNE, KALENDIS] tunc enim & matronae & virgines domi desidebant ornatissimae & cultissimae, munera exspectantes a maritis atque amicis mittenda. Macrobius ex L. Pomponii Atellana, quae *kalendae Martiae* inscribebatur, insignem locum profert L. 6. Saturn. C. 4. sed ordine versuum disjecto: *Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur verba. Jube modo afferatur munus; ego vocem reddam tenuem, & tinnulam.* Martialis L. 5. Epigr. 85.

Saturnalia transiere tota,
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quae solebas.
Sane sic abeat meus December?
Scis certe, puto, vestra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.

Vide nostrum Albium L. 3. Eleg. 1.

3. Hoc

Hoc Venus ignoſcet. at tu, violente, caveto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere Divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Illam

3. HOC VENUS IGNOSCET] Propertius L. 2. Eleg. 21. ℣. 3. ad Jovem:

Hoc tibi vel poterit conjunx ignoſcere Juno.

4. NE TIBI MIRANTI TURPITER ARMA CADANT] Propertius, de Tarpeja, L. 4. Eleg. 4. ℣. 20.

Obſtupuit regis facie, & regalibus armis;
Interque oblitas excidit urna manus.

Paria de ſubito amoris vulnere Ovidius L. 1. Art. Amat. ℣. 167.

Dum loquitur, tangitque manum, poſcitque libellum,
Et quaerit poſito pignore, vincat uter;
Saucius ingemuit, telumque volatile ſenſit:
Et pars ſpectati muneris ipſe fuit.

Sulpiciam noſtram ſecutus eſt Jac. Primerius hoc delicatiſſimo epigrammate:

Quum dominam adſpexit, clypeum abjicit, & procul imos
Infelix mi animus effugit in digitos.
O Divi, fugitivo illi latebram date tutam
Hoſtili in gremio. ſic fugiat dominum.

5. ILLIUS EX OCULIS, &c.] Praeclara inventio, neque ulli alii facile ceſſura aut ingenio aut venuſtate amoena. quam cur Andreas Schottus, Obſ. L. 2. C. 13, Euripidi deberi dicat, non ſatis perſpicio. Verba divini Tragici ſunt Hippol. coron. ℣. 525.

Ἔρως, Ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
Στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
Ψυχᾷ χάριν, οὓς ἐπιςρατεύσῃ.
O Cupido, o Cupido, qui per oculos
Stillas deſiderium, inducens dulcem
Animis voluptatem, quos quidem invaſeris.

Nihil tale apud noſtram. Sed varie in hac amabili materia luſerunt poëtae, & veteres, & novi. Sophocles Antigon. ℣. 796.

Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
Ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
Νεάνιδος ἐννυχεύεις.

vertit Georgius Ratallerus, ſupremae apud Trajectinos curiae olim praeſes:

O Amor,
O nulla ſuperabilis
Pugna Cupido;
Qui magnificas irruis in opes,
Qui pernoctas mollibus in genis
Tenerae virginis.

Horatius L. 4. Od. 13. ℣. 8.

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. Ille virentis, &
Doctae pſallere Chiae
Pulcris excubat in genis.

Jo. Jovianus Pontanus L. 1. Hendecaſyll. carm. 4. ad Focillam:

In tuis Amor inſidens ocellis
Mira coepit ab arte vulnerare.
Nec ſuetas pharetra jacit ſagittas,
Nec tendit veterem recurvus arcum;
Sed cum lumina, paetulosque ocellos
Huc illuc agis, & ſubinde rides,
Iſtis utitur ille tunc ſagittis,
Iſtis corda quatit feritque amantum.
Iſti ſpicula ſunt facesque ocelli.

Secundus noſter, aut potius Secundi verbis Cupido, L. 1. Eleg. 2.

Illius e claris me ſaepe ſtupebis ocellis
Vibrantem occultas in tua corda faces;
Spicula ſtringentem tacito letalia nervo,
Ut venit ignota fulminis ira via.

Idem ille domitor hominumque Deûmque apud Petrum Angelium Bargaeum, Epithalamio Franciſci Medicis & Joannae Auſtriacae, ita loquitur:

Adſtant & pueri ſimul, innuptaeque puellae.
Quarum uni, quae viſa mihi pulcherrima forma eſt,
Bis ſeptem vix nata annos, occultus ocellos
Inſedi, laqueosque illic & vincla paravi.
Et Medicem, ſimulacra animum per cuncta ferentem,
Mirantem genus egregium, formasque decoras,
Implicui, magnoque recluſi vulnere pectus.

Georgius Anſelmus L. 4. Epigr. 45.

His vidi teneram luminibus Cyprin,
(Credat poſteritas) & Charitum choros
Sanctarum, haud ſine magni
Extremis facibus Jovis.

Janus Lernutius Ocell. carm. 17.

Amorem ocellis flammeolis herae
Vidi inſidentem; credite poſteri;
Fratresque circum ludibundos
Cum pharetra volitare & arcu.

Illam quidquid agit, quoquo veſtigia movit,
Componit furtim, ſubſequiturque Decor.
Seu ſolvit crines, fuſis decet eſſe capillis:
Seu comſit, comtis eſt veneranda comis.
Urit, ſeu Tyria voluit procedere palla:
Urit, ſeu nivea candida veſte venit.
Talis in aeterno felix Vortumnus Olympo,
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna eſt, cui mollia caris
Vellera det fucis bis madefacta Tyros;

Poſſi-

Et Xenophon, apud Joannem Stobaeum Serm. 64, ignem quidem ſolos tangentes urere dixit: formoſos vero etiam procul diſtantes inflammare. Viſum enim veluti anſam eſſe capiendi amoris. Quod quale ſit, exponit inpia illa noverca in Apuleji Mileſiis, L. 10. *Tunc illa nacta ſolitudinis damnoſam occaſionem, prorumpit in audaciam: & ubertim adlacrimans, laciniaque contegens faciem, voce trepida ſic eum breviter affatur. Cauſſa omnis & origo praeſentis doloris, & etiam medela ipſa, & ſalus unica mihi tute ipſe es. Iſti enim tui oculi per meos oculos ad intima delapſi praecordia, meis medullis acerrimum commovent incendium.* Et haec quidem pulcre conveniunt cum Euripidaeis. Sed omnes iſtos, aut ego egregie fallor, una vicit Sulpicia. Quanti enim putas, Amorem illum invictum decurrere ad oculos puellae formoſae, ut ſuas inde accendat faces, quibus non tantum homines, ſed & ipſos Deos inmortales exurat? Senſit, & imitatione ſua expreſſit noſter Secundus, L. 1. Eleg. 9. ad rivalem ſuum Petrum Clericum:

Nimirum noſtri jam pridem conſcius ignis
Una geris mecum pectore tela tuo.
Unius ex oculis fax eſt accenſa puellae,
Qua jecur Idalius torret utrique puer.

deinde & Jacobus Primerius:

E dominae ſacros accendit vultibus ignes,
Et flammam geminis ſuſcitat ex oculis.
Ut quondam Titana ferunt inmanibus auſis
Aeterno flammas ſurripuiſſe Jovi.

ac vernacule Aegidius Menagius Eleg. 1.

Quand l'Amour de ſes feux veut embraſer une ame,
Des beaux yeux d'Uranie il emprunte ſa flame.

10. SEU COMSIT, COMTIS] Agnoſcis paratum Elegiae Naſonianae. nam hoc repetitionis & converſionis artificium huic Sulmonenſi proprium fuit ac peculiare, prioribus iſtis nec tactum nec notum.

14. MILLE HABET ORNATUS, MILLE DECENTER HABET] Hoc quoque ab Ovidio eſt, L. 2. Amor. Eleg. 5. ℣. 43.

Spectabat terram; terram ſpectare decebat.
Moeſta erat in vultu; moeſta decenter erat.

16. CUI MOLLIA CARIS VELLERA DET SUCCIS BIS MADEFACTA TYROS] Non *ſuccis*, ſed *fucis* ſcribendum eſt. Catullus Carm. 61. ℣. 49.

Pulvinar vero Divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchilii purpura fuco.

Claudianus L. 1. in Rufin. ℣. 208.

Rapiunt Tyrios ibi vellera fucos,
Et picturatae ſaturantur murice veſtes.

Vide quae iſtic docte & copioſe notavit princeps nuper ingeniorum Nicolaus Heinſius. *bis madefacta*, dibapha. nam iſta in ſummo precio. Horatius Epod. 12. ℣. 21.

Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret aequales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier ſua, quam te.

Papinius L. 3. Silv. 2. ℣. 139.

Quo precioſa Tyros rubeat, quo purpura fuco
Sidoniis iterata cadis.

Plinius L. 9. C. 39. *Nepos Cornelius, qui Divi Auguſti principatu obiit, Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi.* —— *Dibapha tunc dicebatur, quae bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio.* Totum hunc Sulpiciae noſtrae

Poſſideatque, metit quidquid bene olentibus arvis
  Cultor odoratae dives Arabs ſegetis;
Et quaſcumque niger rubro de litore conchas
  Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, feſtis cantate kalendis,
  Et teſtudinea Phoebe ſuperbe lyra.
Hoc ſollenne ſacrum multos celebretur in annos.
  Dignior eſt veſtro nulla puella choro.

ſtrae locum non inpari facundia expreſſit nobiliſſimus poëta Balthaſar Caſtilionus, Carm. 4. ℣. 69.

O centum aequoreae formoſa Doride natae,
Et quaſcumque maris contigit eſſe Deas;
Huic date, quidquid habent gemmarum litora rubra
Oceani, & quidquid dives arena vehit.
Quosque habet alma Thetis, quos & Galatea lapillos
Nerine in loculis candida nympha ſuis.
Quidquid odoratae meſſis Panchaïa tellus
Protulit, huic felix munera portet Arabs.
Huic uni Seres Tyrio ſatianda colore
Arboribus pectant vellera cara ſuis.
Haec una eſt noſtri rariſſima gloria ſaecli,
Digna ſuas cui det maximus orbis opes.
Vos quoque, Caelicolae, hanc merito celebretis honore:
Non erit haec vobis diſſimulanda Dea.

Evigila, o noſter adoleſcens, & te quoque Latinis dignum Muſis finge.

19. Rubro de litore conchas] *gemmas* habent libri magno numero; ſed *conchas* prior Wittianus, inter optimos non poſtremus. Et ſic paſſim poëtae. Propertius L. 1. Eleg. 8. ℣. 39.

Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obſequio.

L. 3. Eleg. 11. ℣. 6.

Inda cavis aurum mittit formica metallis;
Et venit a Rubro concha Erycina ſalo.

L. 4. Eleg. 5. ℣. 22.

Et quae ſub Tyria concha ſuperbit aqua.

Albius noſter L. 2. Eleg. 4. ℣. 30.

hinc Coa puellis
Veſtis, & a Rubro lucida concha mari.

Plinius L. 9. C. 35. *Praecipue autem laudantur circa Arabiam in Perſico ſinu maris Rubri. Origo atque genitura conchae, eſt haud multum oſtrearum conchis differens. Has ubi genitalis anni ſtimulaverit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione, impleri roſcido conceptu tradunt, gravidas poſtea niti, partumque concharum eſſe margaritas.*

23. Hoc sollenne sacrum multos consumet in annos] Ita Scaliger edidit, ut *conſumet* dictum ſit pro *conſummet*; faſſus tamen, omnes libros habere *hoc ſumet*. Salmaſius, Not. in Spartian. p. 31, legebat,

Hoc ſollemne ſacrum, multos hoc ſumet in annos.

volebatque *ſacra ſumere* eſſe idem quod ſacra ſuſcipere, hoc eſt, ſacris initiari. Id ſi verum eſt, jam Sulpicia quotannis, ubi Martiae kalendae rediiſſent, ſacris fuerit initianda. Cur ejecerunt veterem & probam ſcripturam *celebretur*? eam habent optimus Wittianus, & Fulvii Urſini codex, cum uno Anglicano: eratque in ſexto Gebhardi Palatino *celebratur*. Eſſe autem *celebrandi* verbum in ſacris proprium ac peculiare, oſtendimus ſupra ad L. 1. Eleg. 3. ℣. 33.

III.

PArce meo juveni, ſeu quis bona paſcua campi,
Seu colis umbroſi devia montis, aper.
Nec tibi ſit duros acuiſſe in praelia dentes.
Incolumem cuſtos hunc mihi ſervet Amor.
Sed procul abducit venanti Delia curas.
O pereant ſilvae, deficiantque canes.
Quis furor eſt, demens, denſos indagine colles
Claudentem, teneras laedere velle manus?
Quidve juvat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipſa ego per montes retia torta feram.
Ipſa ego velocis quaeram veſtigia cervae,
Et demam celeri ferrea vincla cani.

Tunc

4. INCOLUMEM CUSTOS HUNC MIHI SERVET AMOR] Secundus noſter L. 1. Eleg. 9.
Suppoſuit pro te ſcortillum turpe marito,
Afflavit vultus cui decus omne tui.
Barbarus ingratis illam complexibus urget:
Teliger intactam te mihi ſervat Amor.

5. SED PROCUL ABDUCIT VENANDI DEVIA CURA] *Delia* habent ſcripti ferme omnes. quod ne cui fraudi foret, caverat bonus Cyllenius, ita notans: *Delia*] *non amatrix Delia, ſed Diana venationis dea.* Ego vero amplector venuſtam ac veram Nic. Heinſii emendationem,
Sed procul abducit venanti Delia curas.

7. QUIS FUROR EST, QUAE MENS] Recte idem vir perſpicaciſſimus, poſt filium Douzam, *Quis furor eſt, demens,* &c.

10. CANDIDAQUE HAMATIS CRURA NOTARE RUBIS] libri nonnulli *armatis rubis* habent. Ego iſtud malo.

11. CERINTHE] Noli exiſtimare Sulpiciam noſtram, puellam nobiliſſimam, ſordibus ſervilibus caluiſſe. Graeco nomine involvit ac disſimulat juvenem Romanum, ingenuo amore peccans. Atque ita ſolebant poëtae Latini. Nota eſt Naſonis Corinna; Propertii Cynthia; Marſi Melaenis; Tibulli Delia, Nemeſis, Neaera; Catonis Lydia, & Diana. ne quid dicam de plurimis Horatii amoribus. Hic vero adoleſcens a Chalcide eſſe fingitur, nomine (ut crebro fiebat) ducto ab loco natali. Erat autem Cerinthus nobile oppidum inſulae Euboeae, auctore Plinio L. 4. C. 12.

13. IPSA EGO VELOCIS QUAERAM VESTIGIA CERVI] Melius erit *cervae*, ne in pentametro ter reſonet τὸ *i*, ſibilo odioſo. Atque iſto genere ſaepe utuntur poëtae. Catullus Carm. 60. ℣. 72.
Ego vitam agam ſub altis Phrygiae columinibus,
Ubi cerva ſilvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Carm. 61. ℣. 337. de Achille naſcituro:
Qui perſaepe vago victor certamine curſus
Flammea praevortet celeris veſtigia cervae.
Maro L. 6. Aen. ℣. 803.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit aeripidem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
Ovidius L. 3. Art. Amat. ℣. 670.
Non avis aucupibus monſtrat, qua parte petatur:
Non docet infeſtos currere cerva canes.
L. 7. Metam. ℣. 545.
Non aper iraſci meminit; non fidere curſu
Cerva; nec armentis incurrere fortibus urſi.
L. 2. Pontic. Epiſt. 2. ℣. 40.
Nec ſe vicino dubitat committere tecto,
Quae fugit infeſtos territa cerva canes.
Horatius L. 1. Od. 1. ℣. 27.

manet

Tunc mihi tunc placeant ſilvae; ſic, lux mea, tecum
Arguar ante ipſas concubuiſſe plagas.
Tunc veniat licet ad caſſes, illaeſus abibit,
Ne Veneris cupidae gaudia turbet, aper.
Nunc ſine me ſit nulla Venus. ſed lege Dianae,
Caſte puer, caſta retia tende manu.
Et quaecumque meo furtim ſubrepet amori,
Incidat in ſaevas diripienda feras.
At tu venandi ſtudium concede parenti,
Et celer in noſtros ipſe recurre ſinus.

manet ſub Jove frigido
Venator, tenerae conjugis inmemor;
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.

L. Varius, apud Macrobium L. 6. Saturn. C. 2.

Ceu canis umbroſam luſtrans Gortynia vallem,
Si veteris potuit cervae comprendere luſtra,
Saevit in abſentem, & circum veſtigia latrans
Aethera per nitidum tenues ſectatur odores.

verſu tertio ſcripſi *latrans* pro vulgato *luſtrans*, mutatione pudente, & (ni fallor) neceſſaria.

15. Si, lux mea, tecum] Heinſius *ſic* legebat. Recte: eſt enim optantis.

19. Tunc sine me sit nulla Venus] Melius libri, *Nunc ſine me*. Nunc, quia abſum, nec ſimul venamur, nulla ſit tecum puella. Atque ita jam olim divinavit inſignis ille Turnebus L. 16. Adv. C. 19.

20. Casta retia tange manu] Non placet iſtud *tange*, quamquam exſtat in libris fere omnibus. *pange* mallem: nam *pangere* eſt figere, auctore Feſto Pompejo. Sed in Colbertino eſt *tende*. & ſic olim praeſtantiſſimae editiones, Aldina, Colinaea, Gryphiana, Plantiniana, Douzica. Quod cur mutemus, optimis quibusque ſcriptoribus domeſticum ac familiare? Tibullus L. 1. Eleg. 7. ℣. 5. *Jam mihi tenduntur caſſes.* Terentius Phorm. Act. 2. Sc. 2. ℣. 16.

Non rete accipitri tenditur, neque milvo,
Qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, tenditur.

Cicero L. 3. de Offic. C. 17. *Suntne igitur inſidiae, tendere plagas, etiam ſi excitaturus non ſis, nec agitaturus? ipſae enim ferae nullo inſequente ſaepe incidunt.* Horatius Epod. 2. ℣. 33.

Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.

Ovidius L. 7. Metam. ℣. 701.

Cum me cornigeris tendentem retia cervis
Vertice de ſummo ſemper florentis Hymetti
Lutea mane videt pulſis Aurora tenebris.

23. Venandi studium] proprie. Cicero L. 1. de Offic. C. 29. *Suppeditant autem & campus noſter, & ſtudia venandi, honeſta exempla ludendi.* L. 2. Tuſc. Quaeſt. C. 15. *Illi autem voluerunt nihil horum ſimile eſſe apud Lacaenas virgines: quibus magis palaeſtra, Eurotas, ſol, pulvis, labor, militia in ſtudio eſt, quam fertilitas barbara.* Ovidius Remed. Amor. ℣. 199. *Vel tu venandi ſtudium cole.* & deinde ℣. 207.

Lenius eſt ſtudium, ſtudium tamen, alite capta,
Aut lino, aut calamis praemia parva ſequi.

L. 3. Metam. ℣. 413.

Hic puer, & ſtudio venandi laſſus & aeſtu,
Procubuit.

Horatius L. 2. Sat. 2. ℣. 12. ubi de venatu leporino:

Molliter auſterum ſtudio fallente laborem.

Franciſcus Philelfus Dec. 6. Hecatoſtich. 6.

Nonnullos ſtudioſa juvat venatio, cujus
Ingentes perſaepe viri, regesque, ducesque
Ignibus arſerunt.

Daniel Heinſius L. 3. de Contemtu Mortis, ℣. 275.

Nec leve Dianae ſtudium tentare vetabo,
Sed leporem, ſeu forte juvat deprendere cervum,
Spirantemque, & adhuc halantem ſolvere, ferro
Fruſtra obluctantem, pedibusque extrema moventem.

Sidronius Hoſſchius L. 3. Eleg. 9.

Nec tibi, quod ſpectes, vacuus non praebeat aether:
Venantum ſtudiis campus & ille patet.

24. Et celer in nostros ipse recurre sinus] a Naſone habet, Epiſt. Sapphûs ℣. 95.

Huc ades, inque ſinus formoſe relabere noſtros.

IV.

HUc ades, & tenerae morbos expelle puellae:
Huc ades intonſa Phoebe ſuperbe coma.
Crede mihi, propera, nec te jam Phoebe pigebit,
Formoſae medicas adplicuiſſe manus.
Effice, ne macies tabentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcumque mali eſt, & quidquid triſte timemus,
In pelagus rapidis devehat amnis aquis.

San-

1. TENERAE MORBOS EXPELLE PUELLAE] *depelle* reponebant Livinejus, & Guyetus. Fruſtra. Horatius L. 2. Epiſt. 2. ℣. 137.

Hic ubi cognatorum opibus curiſque refectus,
Expulit helleboro morbum bilemque meraco.

5. NE MACIES PALLENTES OCCUPET ARTES] Ego olim *tabentes artus* divinaveram, motus Europae verbis apud Flaccum L. 3. Od. 27. ℣. 53.

Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque ſuccus
Defluat praedae, ſpecioſa quaero
Paſcere tigres.

nam corpus defluente ſucco contabeſcit. Cicero L. 3. Tuſc. Quaeſt. C. 12. ex antiquo Tragico:

Refugêre oculi: corpus macie extabuit:
Lacrimae peredêre humore exſangueis genas.

Auctor Herculis in Oeta ℣. 120.

Nos turpis macies & lacrimae tenent,
Et crinis patrio pulvere ſordidus.

Nunc video mecum facere acutiſſimum Heinſium in Adverſariis, tam bono ſuffragio non parum laetus.

6. NEU NOTET INFORMIS PALLIDA MEMBRA COLOR] forte *ſqualida membra*, inluvie & paedore obſita, ut in morbis fieri ſolet. Terentius Eunuch. Act. 2. Sc. 2. ℣. 5.

Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis annisque obſitum.

Lucretius L. 5. ℣. 957.

Sed nemora, atque cavos montes, ſilvasque colebant,
Et frutices inter condebant ſqualida membra.

Ovidius L. 2. Metam. ℣. 381.

Squalidus interea genitor Phaëthontis, & expers
Ipſe ſui decoris, qualis, cum deficit orbem,
Eſſe ſolet: lucemque odit, ſeque ipſe, diemque:
Datque animum in luctus; & luctibus adjicit iram.

Curtius L. 4. C. 1. *Habitus hic, quem cernis in meis manibus, cum iſto ſqualore permutandus tibi eſt. Ablue corpus, inluvie aeternisque ſordibus ſqualidum.* Apulejus L. 5. Metam. *Petamne auxilium ab inimica mea Sobrietate, quam propter hujuscemodi luxuriam offendi ſaepius? aut ruſticae ſqualentisque feminae colloquium prorſus adhibendum eſt?* & L. 8. *Inedia denique miſera, & incuria ſqualida, tenebris imis abscondita jam cum luce transegerat.* Dicuntur autem *ſqualida*, quaecumque carent nitore. Cicero Orator. C. 32. *Haec tenenda ſunt oratori. ſaepe enim occurrunt. ſed quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.* Vide ſis Gellium L. 2. C. 6. quem exſcripſerunt Macrobius L. 6. Saturn. C. 7. & Servius ad L. 10. Aen. ℣. 314.

8. IN PELAGUS RAPIDIS EVEHAT AMNIS AQUIS] legendum *devehat.* id quod & Lotichium jam olim vidiſſe, palam eſt. Ita enim hunc locum imitatione ſua expreſſit L. 1. Eleg. 8.

Quid queror infelix? ſine pondere verba querentis
In pelagus rapidis devehit Albis aquis.

& ſic ferme locutus eſt Naſo L. 6. Faſt. ℣. 227.

Donec ab Iliaca placidus purgamina Veſta
Deiulerit flavis in mare Tibris aquis.

Videlicet expiationes omnes & purgamenta omnia ad aquam deferebant, ſive flumen eſſet, ſive mare. De mari, ex Homero oſtendit Gonſalius ad Petron. p. 249: inluſtrato ſimul hoc loco. quem nec Cerda exponere neglexit ad Virgil. Eclog. 8. ℣. 101; ubi de

ci-

Sancte veni, tecumque feras quicumque sopores,
Quicumque & cantus corpora fessa levant.

Neu

cineribus in profluentem abjectis. Ex hoc more remansit stulta opinio apud Christianos, calamitates inminentis anni averti ac derivari lustratione fluviali, ac deinceps omnia succedere laetiora. Et quos tu reris Christianos? vicinos nostros Agrippinates; quorum mulieres tam singulare beneficium Rheno suo quotannis acceptum referebant. Audiamus testem oculatum, ingeniorum ac doctrinae sua aetate longe principem, Franciscum Petrarcham L. 1. Epist. 4. qua Coloniam Agrippinam describit: *Forte Joannis Baptistae vigilia erat dum illuc applicui, & jam ad occidentem sol vergebat: confestim amicorum monitu (nam & ibi amicos prius mihi fama pepererat, quam meritum) ab hospitio traducor ad fluvium, insigne spectaculum visurus. Nec fallebar: omnis enim ripa praeclaro & ingenti mulierum agmine tegebatur. Obstupui. Dii boni, quae forma, quae facies, quis habitus! Amare potuisset, quisquis eo non praeoccupatum animum attulisset. In loco paullum altiore constiteram, unde in ea, quae gerebantur, intenderem. Incredibilis sine offensione concursus erat, vicissimque alacres, pars herbis odoriferis incinctae, reductisque post cubitum manicis, candidas in gurgite manus ac brachia lavabant, nescio quid blandum peregrino murmure colloquentes. ——— Unum igitur ex eo numero, admirans, & ignarus rerum, percunctatus Virgiliano illo versiculo,*

Quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animae?

Responsum accepi: Pervetustum gentis ritum esse, vulgo persuasum, praesertim femineo, omnem totius anni calamitatem imminentem fluviali illius diei ablutione purgari, & deinceps laetiora succedere; itaque lustrationem esse annuam, inexhausto semper studio cultam, colendamque. Ad haec ego subridens, O nimium felices, inquam, Rheni accolae, quorum ille miserias purgat! nostras quidem nec Padus unquam valuit purgare, nec Tiberis. Vos vestra mala Britannis Rheno vectore transmittitis: nos nostra libenter Afris atque Illyriis mitteremus, sed nobis (ut intelligi datur) pigriora sunt flumina.

9. TECUMQUE FERAS QUICUMQUE SAPORES] *sapores* vocant medici succos expressione collectos. Ita, post Scaligerum, Salmasius Exerc. Plin. p. 1285. Sed in optimo Wittiano, unoque Heinsii Anglicano, *sopores* legebatur: Angeli quoque Colotii liber, & membranae Comelini *sopore* habebant, mendo leviculo. *Sopor* est medicamentum soporem faciens. Frontinus Strateg. L. 2. C. 5. exempl. 12. *Maharbal, missus a Carthaginiensibus adversus Afros rebellantes, cum sciret gentem avidam esse vini, magnum ejus modum mandragora permiscuit, cujus inter venenum ac soporem media vis est.* Cornelius Nepos Dion. C. 2. *quo ille commotus, ne agendi esset cum eo Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit.* sed malum, ac mortiferum. pergit enim scriptor purissimus: *hoc aeger sumto, ut somno sopitus diem obiit extremum.* Plutarchus ex Timaeo historico φάρμακον ὑπνωτικὸν vocavit, notante ad Nepotem Lambino. Non semper adsecuti sunt librarii scribae vim hujus vocis: atque ideo corruperunt. Seneca L. 5. de Benefic. C. 13. *Qui veri beneficii specie fefellit, tam ingratus est, quam veneficus, qui soporem, cum venenum crederet, miscuit.* ita Gruterus restituit ex libris melioribus, quum alii *saporem* haberent; & ante Gruterum Delrius Comm. in Senec. Med. ℣. 692. Infelicius etiam rem gessit Erasmus noster; (quod ego sane factum nollem, & invitus refero) quum enim apud eumdem philosophum, Epist. 83, ita reperisset: *Nam si illud argumentaberis, sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiam si temulentus sit: licet colligas, nec veneno poto periturum, nec sopore sumto dormiturum, nec elleboro accepto quidquid in visceribus haerebit, ejecturum dejecturumque.* quum, inquam, ita reperisset, neque *soporis* vocabulum crederet legitime percussum, ex exemplari (ut ait) feliciore reposuit, *nec opio sumto dormiturum.* Sed haec hactenus. Sopores Sulpicia Apollinem poscit ad abigendam insomniam: sic enim credi vult minor versiculus. Maro L. 5. Aen. ℣.

datur hora quieti.
Pone caput, fessosque oculos furare labori.

Albius noster L. 1. Eleg. 2.

Adde merum, vinoque novos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor.

Seneca Troad. ℣. 441.

Ignota tandem venit afflictae quies,
Brevisque fessis somnus obrepsit genis.

Est

Neu juvenem torque, metuit qui fata puellae,
  Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum, quod langueat illa,
  Dicit in aeternos aſpera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe: Deus non laedit amantes:
  Tu modo ſemper ama: ſalva puella tibi eſt.
At nunc tota tua eſt. te ſolum candida ſecum
  Cogitat, & fruſtra credula turba ſedet.

Nil

Eſt autem inſomnia ipſo ſaepe morbo gravius malum. Caecilius Plotio:

Conſequitur comes
Inſomnia: ea porro inſaniam adfert.

Ovidius L. 4. Faſt. ℣. 530.

Dux comiti narrat, quam ſit ſibi filius aeger;
Nec capiat ſomnos, invigiletque malis.

De Cantuum vi in medendo notavimus nonnihil ad L. 1. Eleg. 5. ℣. 12. Plurimum iis tribuebant antiqui in omni medicina; ac vel maxime in parte ejus chirurgica. Apulejus Apolog. *An remedia noſſe, & ea conquirere, magi potius eſſe, quam medici, quam denique philoſophi putas? qui illis non ad quaeſtum, ſed ad ſuppetias uſurus eſt. Veteres quidem medici etiam carmina remedia vulnerum norant, ut omnis vetuſtatis certiſſimus auctor Homerus docet: qui facit Ulixi de vulnere ſanguinem profluentem ſiſti cantamine. Nihil enim, quod ſalutis ferendae gratia fit, criminoſum eſt.* Homeri locum reperies L. 19. Odyſſ. ℣. 456. Valerius Flaccus L. 6. Argon. ℣. 273.

Ille autem telo moribundus adacto,
Ad ſoceros pactaeque ſinus en conjugis, inquit,
Styre, fugis; vulnusque refers, quod carmine nullo
Suſtineat, nulliſque levet Medea venenis.

13. INTERDUM VOVET] *fovet* eſt in libro Archiepiſcopi Laudi. Pertinet autem verbum *fovendi* ad eos, qui aegrotis adſunt. Horatius L. 1. Sat. 1. ℣. 82.

At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te adflixit; habes qui
Adſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat natis, cariſque propinquis.

Vide ſis Naſonianam Acontii Epiſtolam ℣. 133. cui ita reſpondet Cydippe, ℣. 189.

Nec tu credideris illum, cui deſtinor uxor,
Aegra ſuperpoſita membra fovere manu.
Adſidet ille quidem, quantum permittitur ipſi:
Sed meminit noſtrum virginis eſſe torum.

Ego tamen non ſollicito lectionem vulgatam.

17. TE SOLUM CANDIDA SECUM COGITAT] Phaedria Terentianus Eunuch. Act. 1. Sc. 2. ℣. 113.

Dies nocteſque me ames: me deſideres:
Me ſomnies: me exſpectes: de me cogites:
Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis.

In voce *candida* eſt ſumma laus abſolutae formoſitatis. Servius ad Eclog. 2. ℣. 46. *Candida Nais*] *vel pulcra, vel Dea. nam Dii umbris contrarii ſunt, quas nigras eſſe conſtat. hinc eſt,*

Candidus inſuetum miratur limen Olympi.

Maro in Elegia ad Meſſalam, inter formoſiſſimas celebrem illam Helenam hoc epitheto mactam voluit:

Non illa, Heſperidum ni munere capta fuiſſet,
Quae volucrem curſu vicerat Hippomenen:
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
Non ſupero fulgens Caſſiopea polo.

tum in Epigrammate ad Antonium Muſam, Auguſti Caeſaris medicum:

O quis te in terris loquitur jucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.

& L. 8. Aen. ℣. 608.

At Venus aetherios inter Dea candida nimbos
Dona ferens aderat.

ibidem ℣. 139.

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit.

Catullus Carm. 13.

Si tecum attuleris bonam atque magnam
Coenam, non ſine candida puella.

Auctor Copae, venuſtiſſimi poëmatii:

Eia age, pampinea feſſus requieſce ſub umbra,
Et gravidum roſeo necte caput ſtrophio,
Candida formoſae decerpens ora puellae.

Naſo Epiſt. Parid. ℣. 250.

Pectora vel puris nivibus, vel lacte, tuamque
Complexo matrem candidiora Jove.

Epiſt. Leandr. ℣. 61. ad Lunam:

Hanc

Nil opus est fletu. lacrimis erit aptius uti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
Phoebe fave. laus magna tibi tribuetur, in uno
Corpore servato restituisse duos.
Jam celeber, jam laetus eris, quum debita reddet
Certatim sanctis lotus uterque focis.

Tunc

Hanc ego suspiciens, Faveas, Dea candida, dixi;
Et jubeant animo Latmia saxa tuo.

Amor. L. 2. Eleg. 18. ℣. 29.

Candida Penelope signum cognovit Ulyxis.

Horatius L. 1. Od. 18. ℣. 11.

Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam; nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam.

Atque hoc perpetuum Bacchi formosissimi est epitheton. Vide supra ad L. 3. Eleg. 6. ℣. 1. Idem ille Romanae fidicen lyrae Epod. 3. ℣. 9.

Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem.

Propertius L. 2. Eleg. 18. ℣.

Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet.

18. FRUSTRA CREDULA TURBA SEDET] frustra amantes alii fores ac limen obsident adsidue, tamquam janitores compediti. Albius noster L. 1. Eleg. 1. ℣. 56.

Me retinent vinctum formosae vincla puellae,
Et sedeo durus janitor ante fores.

Post hoc distichon sequi debet istud, *Nil opus est fletu:* ac deinde, *Phoebe fave.* id quod bene vidit Achilles Statius, & praestantissimae quaeque editiones expresserunt.

20. SI QUANDO FUERIT TRISTIOR ILLA TIBI] si quando fuerit iratior. Plautus Casin. Act. 2. Sc. 3. ℣. 12.

ST. *Sed uxor me excruciat, quia vivit.*
Tristem astare aspicio. Blande haec mihi mala res appellanda est.
Uxor mea, meaque amoenitas, quid tu agis?
CL. *abi, atque abstine manum.*
ST. *Eia mea Juno, non decet te esse tam tristem tuo Jovi.*

ibidem Act. 2. Sc. 4. ℣. 4.

Stultitia est, ei te esse tristem, quojus potestas plus potest.

Maro L. 10. Aen. ℣. 611.

Cui Juno summissa: Quid, o pulcherrime conjunx,
Sollicitas aegram, & tua tristia dicta timentem?

Propertius meus L. 1. Eleg. 6. ℣. 10.

Illa meam mihi se jam denegat: illa minatur,
Quae solet ingrato tristis amica viro.

22. IN UNO CORPORE SERVATO RESTITUISSE DUOS] Et hoc quoque a Nasone habet, Amor. L. 2. Eleg. 13. ℣. 15. ad Isin:

Huc adhibe vultus; & in una parce duobus.
Nam vitam dominae tu dabis; illa mihi.

Contrarium est apud Ciceronem Orat. pro Cluentio, C. 11. de Oppianico, qui fratris uxorem gravidam veneno malo sustulerat: *Ceteri non videntur in singulis hominibus multa parricidia suscipere posse: Oppianicus inventus est, qui in uno corpore plures necaret.*

23. JAM CELEBER] Verbum sacrorum, cum significatione cultus atque honoris. Albius noster L. 2. Eleg. 1. ℣. 83.

Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate.

Ovidius L. 1. Metam. ℣. 747.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Vide ad L. 1. Eleg. 3. ℣. 33.

24. LAETUS UTERQUE] Modo praecessit *jam laetus eris.* itaque odiose ac rustice hic iteratur. Scribe *lotus uterque.* nam ad sacra non accedebant, nisi prius pure lavissent. Plautus Aulul. Act. 3. Sc. 6. ℣. 43.

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem.

ibidem Act. 4. Sc. 2. ℣. 5.

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam, ne affinem morer,
Quin ubi arcessat me, meam extemplo filiam ducat domum.

& Mil. glor. Act. 2. Sc. 5. initio:

Inde ignem in aram, ut Ephesiae Dianae lauta laudes
Gratesque agam, eique ut Arabo fumificem odore amoene.

Cato lib. de Re Rust. C. 132. *Manus interluito. postea vinum sumito. Jupiter dapalis, macte istace dape pollucenda esto. macte vino inferio esto.* Horatius L. 2. Sat. 3. ℣. 281.

Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat, &,
Unum,

(*Quid*

Tunc te felicem dicent pia turba Deorum:
Optabunt artes & ſibi quisque tuas.

(*Quid tam magnum? addens*) *unum me ſurpite morti*,
Diis etenim facile eſt, orabat.
inibi Scholia vetuſta: *Lautis*] *quia ſolebant precaturi Deos manus & pedes abluere.* Pompejus Feſtus: *Malluvium latum, in commentario ſacrorum ſignificat, manus qui lavet. a quo malluviae dicuntur, quibus manus ſunt lautae; perinde ut quibus pedes, pelluviae.* Arnobius L. 7. *Mactaturque hoc illis, quorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, caſtiſſimosque praeſtatis?* Albius noſter L. 1. Eleg. 3. ℣. 25.
Quidve, pie dum ſacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro ſecubuiſſe toro?
Plura in hanc rem notavimus ad L. 2. Eleg. 1. ℣. 14.

25. DICET PIA TURBA] lege *dicent*. ita enim loqui amant optimi ſcriptores, verbum plurale jungentes cum nomine ſingulari vel collectivo, vel partitivo.

V.

QUi mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi ſanctus,
Atque inter feſtos ſemper habendus erit.
Te naſcente novum Parcae cecinere puellis
Servitium, & dederunt regna ſuperba tibi.
Uror ego ante alias: juvat hoc, Cerinthe, quod uror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adeſt.
Mutuus adſit amor. per te dulciſſima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape tura libens, votisque faveto:
Si modo, quum de me cogitat ille, calet.

Quod

3. TE NASCENTE] Ecce iterum inventionem ſaeculo ſuo longe feliciorem. Adparet quam ſtudioſe Naſonem verſaverit Sulpicia. Sunt enim haec Naſonianis proxima, & ingenii amabilitate, & venuſtate eloquendi.

4. DEDERUNT REGNA SUPERBA TIBI] Propertius L. 4. Eleg. 7. ℣. 6.
Quum mihi ſomnus ab exſequiis penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
ſupra inluſtratum dedimus ad L. 1. Eleg. 7. ℣. 75.

7. PER TE DULCISSIMA FURTA] Male libri quidam, *te per dulciſſima furta:* nec melius alii, *tua per dulciſſima furta.* Elegantiae Romanae eſt, ubi praepoſitio a ſuo caſu disjungitur inſerto pronomine. Terentius Andr. Act. 3. Sc. 3. ℣. 6.
Per te Deos oro, & noſtram amicitiam, Chreme.
Maro L. 4 Aen. ℣. 314.
Mene fugis? per ego has lacrimas, dextramque tuam te,
Quando aliud mihi jam miſerae nihil ipſa reliqui, &c.
Seneca Med. ℣. 285.
Per ego auſpicatos regii thalami toros,
Per ſpes futuras, perque regnorum ſtatus,
Fortuna variâ dubia quos agitat vice,
Precor, brevem largire fugienti moram.
& Agamemn. ℣. 929.
Per te parentis memoriam obteſtor mei,
Per ſceptra terris nota, per dubios Deos
Recipe hunc Oreſten ac pium furtum occule.
Apulejus L. 6. Metam. *Per ego te frugiferam tuam dextram iſtam deprecor, per laetificas meſſium cerimonias, per tacita ſacra ciſtarum.*

9. MAGNE GENI] Alii *Mane Geni:* alii *Alme Geni.* Sed nihil eſt mutandum. Genius titu-

Quod ſi forte alios jam nunc ſuſpirat amores;
Tu, precor, infidos, ſancte, relinque focos.
Nec tu ſis injuſta Venus. vel ſerviat aeque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potius valida teneamur uterque catena,
Nulla queat poſthac nos ſolüiſſe dies.
Optat idem juvenis, quod nos: ſed tectius optat.
Nam pudet haec illum dïcere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia ſentis,
Adnue. quid refert clamne, palamne roget?

titulo ſolenni ac proprio *Deus magnus* dicebatur. Lapis Puteolanus in Theſauro Gruteri, p. cx. 7.

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM. DEO. (MAGNO
GENIO. COLONIAE. PVTEOLANORVM. ET. PA- (TRIAE. SVAE
Q. AVRELIVS. HERMADION. SEVIR. AVGVSTA- (LIS. ET. CVRATOR. EORVM
EXSTRVXIT. ET. DONVM. DAT.

10. Si modo, quum de me cogitat ille, volet] *cogitare* cum accuſativo, ſine praepoſitione, poſitum vidimus paullo ante, Carm. 4. ℣. 17, *te ſolum candida ſecum cogitat.* *τὸ volet* ex Cujacii libro hic repoſuit Scaliger; ut *velle* ſit, amore uri. idque probabat ex Carm 11.

Ah ego non aliter triſtes evincere morbos
Optarim, quam ſi te quoque velle putem.

Sed *velle* iſtic loci notat compar deſiderium ejusdem rei. Nolim, inquit Sulpicia, cum ſalute in gratiam redire, niſi perſuaſum habeam te quoque idem cupere. Hic autem plures libri *valet* habent, quidam *calet.* quae poſterior ſcriptura vera eſt, ac germana. Paullo ante dixerat Sulpicia,

Si tibi de nobis mutuus ignis adeſt.

Naſo Amor. L. 2. Eleg. 16. ℣. 12.

At meus ignis abeſt. verbo peccavimus uno:
Quae movet ardores, eſt procul; ardor adeſt.

Horatius L. 4. Od. 11. ℣. 33.

Non enim poſthac alia calebo
Femina.

12. Tunc, precor, infidos] Melius Heinſius ex uno ſcripto, *Tu precor.*

17. Sed tutius optat] Ne quis malus invidere poſſit, neu lingua faſcinatrix obſcaevare. Sed melius libri, *tectius optat.* Redditur autem hujus tecti & arcani voti ratio verſiculo inſequente,

Nam pudet haec illum dicere verba palam.

nemo enim amans velit animi ſui deſideria ita Diis patefacere, ut & circumſtantibus hominibus innoteſcant. Itaque qui vel nimia optabant, vel inmodeſta, vel denique ea quae ipſi ſibi fateri vix auderent; aut vota taciti intra ſe concipiebant, aut Diis in aurem inſuſurrabant. Seneca Epiſt. 41. *Non ſunt ad caelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat.* & Epiſt. 10. *Sed ut more meo cum aliquo munuſculo epiſtolam mittam, verum eſt, quod apud Athenodorum inveni: Tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam. Nunc enim quanta dementia eſt hominum? turpiſſima vota Diis inſuſurrant: ſi quis admoverit aurem, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant.* Denique honeſta & licita petituri, occulto potius murmure quam aperto voto orabant. Perſius Sat. 2. ℣. 6.

Haud cuivis promtum eſt, murmurque humileſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Juvenalis Sat. 10. ℣. 289.

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater.

Sed de votis amantium videndus Albius noſter L. 2. Eleg. 1. ℣. 84.

VI.

NATALIS Juno, sanctos cape turis honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.

To-

1. NATALIS JUNO] Ut viri Genio sacrificabant die suo natali, ita mulieres Junoni, proprio cognomento *Natali* dictae. Explicavit hunc locum Turnebus L. 16. Adv. C. 19. plenius autem ac planius Douza noster Praecidan. C. 19.

1. TURIS ACERVOS] sic Martialis L. 7. Epigr. 53.

Consumsi salsasque molas, & turis acervos.

Papinius *cumulum* vocavit, L. 1. Theb. ℣. 263.

cur usquam sanguine festo
Conjugis ara tuae, cumulo cur turis Eoi
Laeta calet?

Sed in nostro tertio, inque uno item Heinsiano, est *turis honores.* Optime. *Honor* id omne significat, quo mortales Deum venerantur. Servius ad L. 1. Aen. ℣. 339. *Tunc Venus: Haud equidem tali me dignor honore*] *id est, sacrificio. Et aut vult se probare non numen, sed virginem Tyriam: aut certe quia Paphiae Veneri, quae Cypri colitur, ture tantum sacrificatur & floribus.* Idem doctissimus Grammaticus ad L. 3. Aen. ℣. 178. *perfecto laetus honore*] *peracto sacrificio, qui est honos Deorum.* Sed hoc Maroni in creberrimo usu. Noster Albius L. 1. Eleg. 8. ℣. 53.

Sic venias hodierne. tibi dem turis honores,
Libaque Mopsopio dulcia melle feram.

Naso L. 8. Metam. ℣. 740.

Pater hujus erat, qui numina Divûm
Sperneret, & nullos aris adoleret honores.

L. 10. ℣. 681. loquente Venere:

Dignane, cui grates ageret, cui turis honorem
Ferret, Adoni, fui? nec grates inmemor egit,
Nec mihi tura dedit.

L. 14. ℣. 128. verbis Aeneae ad Sibyllam:

Pro quibus aërias meritis evectus ad auras
Templa tibi statuam; tribuam tibi turis honorem.
Respicit hunc vates, & suspiratibus haustis,
Nec Dea sum, dixit; nec sacri turis honore
Humanum dignare caput.

Gratius Cyneget. ℣. 458.

Deus illam molliter aram
Lambit; & ipse suos ubi contigit ignis honores
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro.

Valerius Flaccus L. 1. ℣. 678.

Tum quocumque loco meritas tibi plurimus aras
Pascet honos, ubicumque rotis horrendus equisve
Stas, pater.

Auctor Ciris, delicatissimi poëmatii, quamquam admodum mendosi, ℣. 145.

Necdum etiam castos agitaverat ignis honores,
Necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae.

2. DOCTA PUELLA] Epitheton Sulpicia nostra condignum. nam in puellis semper refertur ad studium artis poëticae. Catullus Carm. 32. ℣. 16.

Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior.

Naso L. 2. Amor. Eleg. 4. ℣. 17.

Sive es docta; places raras dotata per artes.

L. 2. Art. Amat. ℣. 281.

Sunt tamen & doctae rarissima turba puellae:
Altera non doctae turba, sed esse volunt.
Utraque laudentur per carmina: carmina lector
Commendet dulci qualiacumque sono.
His ergo, aut illis, vigilatum carmen in ipsas
Forsitan exigui muneris instar erit.

Trist. L. 3. Eleg. 7. quae est ad Perillam poëtriam, ℣. 12.

Tu quoque, dic, studiis communibus ecquid inhaeres,
Doctaque non patrio carmina more canis?

paullo post:

Ergo desidiae remove, doctissima, caussas:
Inque bonas artes, & tua sacra, redi.

Martialis L. 7. Epigr. 68. de Theophila:

Carmina fingentem Sappho laudarit amatrix.
Castior haec, & non doctior illa fuit.

L. 10. Epigr. 35. de nostra Sulpicia:

Hac condiscipula, vel hac magistra
Esses doctior, & pudica, Sappho.

Sallustius, de Sempronia, Catilin. C. 25. *Haec mulier genere atque forma, praeterea viro atque liberis satis fortunata fuit, literis Graecis & Latinis docta.* ——— ——— *ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci.* Sed tam doctas uxores tamque poëticas ipsi sibi deprecantur poëtae, iniqui communium sacrorum aestimatores. Juvenalis Sat. 6. ℣. 444.

Nam

Tota tibi est hodie; tibi se laetissima comsit,
 Staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi, Diva, relegat:
 Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, fave, ne nox divellat amantes:
 Sed juveni, quaeso, mutua vincla para.
Sic bene compones. ulli non ille puellae
 Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilax deprendere custos,
 Fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue, purpureaque veni pellucida palla.
 Ter tibi fit libo, ter, Dea casta, mero.

Prae-

Nam quae docta nimis cupit & facunda videri,
Crure tenus medio tunicas succingere debet,
Caedere Silvano porcum, quadrante lavari.
Non habeat matrona, tibi quae juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema: nec historias sciat omnes:
Sed quaedam in libris & non intelligat. Odi
Hanc ego, quae repetit, volvitque Palaemonis artem
Servata semper lege & ratione loquendi;
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus:
Nec curanda viris opicae castigat amicae
Verba. Soloecismum liceat fecisse marito.

Martialis L. 2. Epigr. 90.

Sit mihi verna satur, sit non doctissima conjux,
Sit nox cum somno, sit sine lite dies.

3. TOTA TIBI EST HODIE] locutio non dispar est L. 1. Eleg. 1. ℣. 19.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona.

absque verbo substantivo extulit Valerius Flaccus L. 5. ℣. 247.

Haec tibi, fatorum genitor tutela meorum Omnituens.

5. ILLA QUIDEM ORNANDI CAUSSAS TIBI, DIVA, RELEGAT] Venuste, ac festive. Imitatus est vir summus Hier. Fracastorius L. 1. de Intellectione, ubi Naugerii puer citharistes ita canit:

Tu vulgo Venerique palam formosa videnda,
Comtaque: sed clam pulcra tuo, sed comta Myconi
Incedes, tacitisque Deam venerabere votis,
Ut mea tu, tuus ipse ut sim.

Inlustrissimus Huetius Iride, ℣. 15.

Nec tantae haec nescia curae
Senserat obtutus, haud aspernata, benignos,
Laeta Deo, & furtim captabat lumina Solis,
Et decedenti sese dabat ante videndam.
Praecipue quoties praetexere suetus amori
Officium Phoebus Junonia tecta subibat,
Comtior haec solito velaverat ante recenti
Flore caput, pictaque aderat perlucida palla.

7. NE QUIS DIVELLAT AMANTES] libri nonnulli, *ne nox divellat.* quod verum videtur. nam de suo loquitur thalamo, ubi Cerintho constituebat. Douza noster putabat, votis a Junone exposcere, ut vinculo aliquando maritali Cerintho suo copuletur: quum & cubili & connubiis praesit Juno; unde & *Jugae* cognomine ornatur.

11. VIGILANS DEPRENDERE CUSTOS] lege *vigilax.* quae vocula in poëtis saepenumero corrupta fuit. Propertius L. 4. Eleg. 7. ℣. 15.

Jamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburae?

Naso, de Invidia, L. 2. Metam. ℣. 779.

Nec fruitur somno, vigilacibus excita curis.

Ausonius Ephemer. ipso initio:

Mane jam clarum reserat fenestras,
Jam strepit nidis vigilax hirundo.

13. ADNUE] Nam quae natali die petebantur, ea se facile inpetraturos credebant. Martialis L. 10. Epigr. 24.

Natales mihi Martiae Kalendae,
(Lux formosior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus & puellae)
Quinquagesima liba septimamque
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos (si tamen expedit roganti)
Annos addite bis, precor, novenos;
Ut nondum nimia piger senecta,

Sed

Sed vitae tribus arcis peractis
Lucos Elysiae petam puellae.
Post haec tempora, nec diem rogabo.

Alia alii rogabant, neque enim uno voto vivebant omnes. Vide Albium nostrum L. 1. Eleg. 8. ℣. 55. L. 2. Eleg. 2. ℣. 9. Nasonem L. 3. Trist. Eleg. 13. ℣. 25.

13. PURPUREAQUE VENI PERLUCIDA PALLA] Pallam fuisse communem omnium Deorum vestem, ostendunt passim poëtae. Tibullus Apollini dedit L. 3. Eleg. 4. ℣. 35.

Ima videbatur talis illudere palla.

& Naso L. 11. Metam. ℣. 165.

Ille, caput flavum lauro Parnaside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla.

Seneca Med. ℣. 570.

Est palla nobis, munus aetheriae domus,
Decusque regni, pignus Aeëtae datum
A Sole generis.

Thetidi Valerius Flaccus L. 1. ℣. 132.

Hic insperatos Tyrrheni tergore piscis
Peleos in thalamos vehitur Thetis: aequora delphin
Corripit: illa sedet dejecta in lumina palla;
Nec Jove majorem nasci suspirat Achillem.

Hymenaeo Ovidius Epist. Cydipp. ℣. 162.

Saepe coronatis stillant unguenta capillis,
Et trahitur multo splendida palla croco.

Osiridi Tibullus L. 1. Eleg. 8. ℣. 46.

Non tibi sunt tristes curae, nec vultus, Osiri:
Sed chorus, & cantus, & levis aptus Amor.
Sed varii flores, & frons redimita corymbis;
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

Baccho Papinius L. 1. Achill. ℣. 262.

Si decet aurata Bacchum vestigia palla
Verrere.

Mercurio idem Papinius L. 7. Theb. ℣. 39.

crepat aurea grandine multa
Palla, nec Arcadii bene protegit umbra galeri.

Palladi Claudianus L. 2. de Raptu Proserp. ℣. 26.

stridentia colla
Gorgonos obtentu pallae fulgentis inumbrat.

Nocti Papinius L. 2. Theb. ℣. 527.

Coeperat humenti Phoebum subtexere palla
Nox, & caeruleam terris infuderat umbram.

C. Juvencus, ipso initio L. 2.

furvamque super Nox caerula pallam
Sidereis pictam flammis per inane trahebat.

Discordiae Maro L. 8. Aen. ℣. 702.

Et scissa gaudens vadit Discordia palla;
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Eumenidibus idem rex poëtarum L. 6. Aen. ℣. 555.

Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum exsomnis servat noctesque diesque.

& Valerius Flaccus L. 2. Argonaut. ℣. 106. de Venere, Lemniis mulieribus non leviter irata:

Eadem effera, & ingens,
Et maculis suffecta genas, pinumque sonantem
Virginibus Stygiis, nigramque simillima pallam.

Fluviis Claudianus: & quidem Tiberino Panegyr. in Probini & Olybrii Consulatum ℣. 224.

Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.

Eridano autem Panegyr. de sexto Consulatu Honorii Augusti ℣. 165.

Palla tegit latos humeros, curruque paterno
Intextus Phaëton glaucos incendit amictus.

Lunae, sive rerum parenti Naturae, Apulejus L. 11. Metam. haud procul ab initio: *Et, quae longe longeque etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima, splendescens atro nitore; quae circumcirca remeans, & sub dextrum latus ad humerum laevum recurrens, umbonis vice, dejecta parte laciniae, multiplici contabulatione dependula, ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat. Per intextam extremitatem, & in ipsa orae planitie, stellae dispersae coruscabant: earumque media semestris Luna flammeos spirabat ignes. Quaqua tamen insignis illius pallae perfluebat ambitus, individuo nexu corona totis floribus, totisque constructa pomis, adhaerebat.* Sed & aliis pluribus variisque vestimentis Deos tegi, fabulata est antiquorum sapientum theologia, mysteria sua talibus fere operimentis subtrahens vulgaribus hominum sensibus. Cujus rei rationem reddere fategit Macrobius L. 1. in Somn. Scip. C. 2. ita suam claudens disputationem: *Numenio inter philosophos occultorum curiosiori offensam numinum, quod Eleusinia sacra interpretando vulgaverat, somnia prodiderunt, visa sibi ipsas Eleusinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere prostantes: admirantique, & caussas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti, respondisse iratas, Ab ipso se adyto pudicitiae suae vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas. Adeo semper ita se & sciri & coli numina maluerunt, qualiter in vulgus antiquitas fabulata est; quae & imagines & simulacra formarum talium prorsus alienis, & aetates tam incrementi quam deminutionis ignaris, & amictus ornatusque varios corpus non habentibus adsignavit. Secundum haec Pythagoras ipse, atque Empedocles, Parmenides quoque, & Heraclitus de Diis fabulati sunt: nec secus Timaeus;*

Praecipit en natae mater ſtudioſa, quid optet,
Illa aliud tacita clam ſibi mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammae;
Nec, liceat quamvis, ſana fuiſſe velit.
Sic juveni gratis, veniet quum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adſit Amor.

maeus; qui progenies eorum, ſicuti traditum fuerat, exſecutus eſt.

13. PERLUCIDA] Velium Longum ſi ſequimur, jam *pellucida* oportet ſcribamus. Sic enim ille in Corpore Grammaticorum Putſchii p. 2227. PER *praepoſitio omnibus integra praeponitur, niſi cum incidit in* L *literam adfinem conſonantem, quam elegantioris ſermonis viri geminare magis voluerunt, quam* R *literam exprimere, ut* pellabor *malint dicere quam* perlabor. *Nec aliter apud Lucilium legitur in praepoſitione* PER, laciendo (*quod eſt inducendo*) congeminat L. Pellicere *malunt, quam* perlicere. *Unde & apud Virgilium non aliter legimus,* pellacis Ulyſſi. *Et a* pelluendo *apud antiquos triſyllabum* pelluis, *quae nunc in ſynaereſi* pelvis *dicitur.* Ita locus ille Velii conſtituendus videtur: nam vulgata ſunt ſatis mendoſa. Ceterum de veſtibus iſtis tenuiſſimis, in quibus mulier parum liquido juraret ſe non eſſe nudam, aliquid monuimus ad Propert. L. 2. Eleg. 1. ℣. 5.

14. TER TIBI FIT LIBO, TER, DEA CASTA, MERO] de ture jam dixerat ipſo initio. Unde vides & marium & femellarum natales compari ſacro fuiſſe celebratos. nam quantum hic Junoni Natali, tantumdem Genio dabatur in ſacro natalitio L. 1. Eleg. 8. & L. 2. Eleg. 2.

15. QUOD OPTET] Melius Lipſii excerpta, cum uno Heinſiano, *quid optet.* tum & initio verſiculi ſcribe, *Praecipit en natae.*

16. ILLA ALIUD TACITA JAM SUA MENTE ROGAT] Multi codices, *jam ſibi.* unde Nic. Heinſius ingenioſe & feliciter *clam ſibi* fecit.

17. URITUR, UT CELERES URUNT ALTARIA FLAMMAE] Aegidius Menagius non probabat verbum *uritur* paſſivum, cui reſpondeat *urunt* activum: ſequi enim debuiſſe *ut uruntur.* Atque ad eum modum ſe ſcripſiſſe in Elegia ad Stephanum Bachotum:

Uror, ut incenſae campis uruntur ariſtae;
Uruntur ſacris ut pia tura focis.

Haec ille parte altera Antibajuleti, C. 129. Recte, & vere. Sic nitidiſſimus Naſo Epiſt. Didûs ℣. 23.

Uror, ut inducto ceratae ſulphure taedae:
Ut pia fumoſis addita tura focis.

& Epiſt. Sapphûs ℣. 9.

Uror, ut, indomitis ignem exercentibus Euris,
Fertilis accenſis meſſibus ardet ager.

19. SIC JUVENI GRATA, &c.] Haec ſunt parum lucida, nec bene intelligi poſſunt etiam Scaligero explicante. Pulcre Heinſius:

Sic juveni gratis, veniet quum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adſit Amor.

VII.

TANDEM venit Amor, qualem texiſſe pudore,
Quam nudaſſe alicui, ſit mihi fama minor.

Ex-

1. QUALEM TEXISSE PUDORI] Decem libri *pudore* habent. id quod Ach. Statius, & Douza noſter jam olim probarunt. Deinde in verſiculo breviore, pro *fama magis,* ſcribe ex uno Heinſiano *fama minor.* In ſcriptura vulgata vix eſt ut bonam reperias conſtructionem. Vult autem dicere, majori ſibi honori fore, ſi furta ſua palam fateatur, quam ſi ore ad pudorem compoſito diſſimulet. fuiſſe enim dignam cum digno. Atque hoc ex diſciplina habet Catulli ſui, Carm. 52.

Si linguam clauſo tenes in ore,
Fructus projicies amoris omnes.
Verboſa gaudet Venus loquela.

Hujus

Exorata meis illum Cytherea camenis
  Attulit, in noſtrum depoſuitque ſinum.
Exſolvit promiſſa Venus. mea gaudia narret,
  Dicetur ſi quis non habuiſſe ſuam.
Non ego ſignatis quidquam mandare tabellis,
  Ne legat id nemo, quam meus ante, velim:
Sic peccaſſe juvat. vultus componere famae
  Taedet. cum digno digna fuiſſe ferar.

Hujus rei vivam imaginem nobis dedit in Chaerea ſuo unicus ille artifex morum & vitae Terentius Eunuch. Act. 3. Sc. 5. Sunt omnino multi mortales illo ingenio. Juſtinus L. 1. C. 7. de Candaule, Lydiae rege: *Hic uxorem, quam propter formae pulcritudinem deperibat, praedicare omnibus ſolebat, non contentus voluptatum ſuarum tacita conſcientia, niſi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorſus quaſi ſilentium damnum pulcritudinis eſſet.* Tacitus L. 13. Annal. C. 46. *Otho, ſive amore incautus, laudare formam elegantiamque uxoris apud principem; ſive ut accenderet, ac, ſi eadem femina potirentur, id quoque vinculum potentiam ei adjiceret. Saepe auditus eſt conſurgens e convivio Caeſaris, ſe ire ad illam, ſibi conceſſam dictitans nobilitatem, pulcritudinem, vota omnium, & gaudia felicium.*

5. EXSOLVIT PROMISSA VENUS] Cicero L. 3. de Offic. C. 2. *de duobus generibus primis* [Panaetius] *tribus libris explicavit: de tertio autem genere deinceps ſe ſcripſit dicturum, nec id exſolvit, quod promiſerat.* Petrus Lotichius Secundus L. 2. Eleg. 1.

Exſolvit promiſſa Venus: feliciter arſi,
  Inque meo nullum crimen amore fuit.

6. DICETUR SI QUIS NON HABUISSE SUA] *ſuam* libri ſcripti magno numero. Recte. Propertius L. 3. Eleg. 6. ℣. 22.

Inmorſo aequales videant mea vulnera collo:
  Me doceat livor mecum habuiſſe meam.

Albius noſter L. 2. Eleg. 7. ℣. 34.

Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
  Quisve meam teneat, quot teneatve modis.

Cicero Philipp. 2. C. 28. *Frugi factus eſt. illam ſuam ſuas res ſibi habere juſſit: claves ademit, exegit.* Venuſtiſſime noſter Secundus L. 2. Eleg. 9.

Tu mecum longa ludas licet, o mea, nocte,
  Et mecum longo delicioſa die;
Inclinata ſopor numquam mea lumina ſolvet.
  Qui dormit, ſecum non habet ille ſuam.
O nunc, o vigiles; illud ne protinus addam:
  Quae dormit, ſecum non habet illa ſuum.

9. SED PECCASSE JUVAT] Divinabat Heinſius, *Sic peccaſſe juvat*; in quo eſt exſultatio puellae voto potitae, inque eo gloriantis. Probo, & ſequor.

10. CUM DIGNO DIGNA FUISSE FERAR] Honeſta ac pudica oratio, qua olim antiqui illi non niſi in re matrimonii utebantur. Cicero Orat. pro Quintio C. 24. *Dicebam huic Q. Roſcio, cujus ſoror eſt cum P. Quintio, cum a me peteret,* &c. Sed ſatis mature migravit ad liberos amores. Plautus Amphitr. Act. 2. Sc. 2. ℣. 185.

AL. *Quid ego tibi deliqui, ſi, cui nupta ſum, tecum fui?*
AM. *Tun' mecum fueris? quid illac impudente audacius?*
  Saltem tute, ſi pudoris egeas, ſumas mutuum.

Mercat. Act. 1. Sc. 1. ℣. 101.

Diſcubitum noctu ut imus, ecce ad me advenit
Mulier, qua mulier alia nulla eſt pulcrior.
Ea nocte mecum illa hoſpitis juſſu fuit.

Naſo L. 2. Amor. Eleg. 8. ipſo fine:

Quoque loco tecum fuerim, quotiesque, Cypaſſi,
  Narrabo dominae, quotque quibusque modis.

L. 3. Art. Amat. ℣. 664.

Haec quoque, quae praebet lectum ſtudioſa locumque,
  Crede mihi, mecum non ſemel illa fuit.

Cicero Orat. pro Coelio C. 20. *Cum hac ſi quis adoleſcens forte fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator; expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluiſſe videatur?*

VIII. IN-

VIII.

INVISUS natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae,
Atque Eretino frigidus annus agro?
Jam nimium, Messala, mei studiose quiescas,
Non tempestivae saepe propinque viae.
Hic animum, sensusque meos abducta relinquo:
Arbitrii quoniam non sinis esse mei.

3. AN VILLA SIT APTA PUELLIS] *puellae* habebant Scaligeri codex uterque: quo modo & nos in multis aliis invenimus. Et sane de se una, non de aliis, loquitur Sulpicia.

4. ATQUE ERETINO FRIGIDUS ANNUS AGRO] Haec quoque Scaliger verissime restituit. *annus* disertis literis habent duo Anglicani; *Eretino* quatuor alii scripti. Atque ita jam olim correxerat Bernardinus Cyllenius; expressitque editio Brixiana A. 1486. *frigidus annus*, hiems anni. Maro L. 6. Aen. ℣. 311.

gurgite ab alto
Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris inmittit apricis.

Horatius Epod. 2. ℣. 29.

At cum tonantis annus hibernus Jovis
Imbres nivesque comparat.

Eretum autem fuit vicus Sabinorum in via Salaria, haud procul Tiberis ripa, in edito colle, distabatque Roma M. P. XIIII. hodie *Monte Ritondo.* Vide sis Philippum Cluverium L. 2. Ital. Ant. C. 9. quem tamen errasse in locorum intervallis contendit Lucas Holstenius Annot. Geograph. p. 104. sq. atque ex Antonini Itinerario reponit M. P. XVIII. quem numerum perperam mutaverat Cluverius. Totus vero tractus ille Ereto vicinus mirifice friget, etiam media aestate. Martialis L. 5. Epigr. 72.

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis Cancri mensibus alget ager,
Rura Cleonaeo numquam temerata Leone,
Et domus Aeolio semper amica Noto
Te, Faustine, vocant. longas his exige messes
Collibus: hibernum jam tibi Tibur erit.

Salmasius, raro Scaligeri inventis aequus, legebat Epist. 48.

Atque Aretino frigidus amnis agro.

Ita enim libros habere. se quoque multa observasse ad haec confirmanda. Talia esse solent magnidica Criticorum promissa, ubi adcredi sibi volunt ea, quae neque ipsi credunt.

8. ARBITRIO QUAMVIS NON SINIS ESSE MEO] Melius libri, *Arbitrii quoniam non sinis esse mei.*

IX.

SCIS iter ex animo sublatum triste puellae;
Natali Romae jam sinis esse tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui necopinanti nunc tibi forte venit.

2. JAM LICET] In libris omnibus est aut *sinis*, aut *sinit*, aut *sinet*. nullus *licet* agnoscit. itaque non male *jam sinis* reponemus.

4. QUI NEC OPINANTI] scribe junctis vocibus *necopinanti.* Ita enim veteres solebant. Lucretius, de Jove fulmina jacturo, L. 6. ℣. 407.

Si necopinanteis autem volt opprimere igni;
Cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus?

Cicero Philipp. 13. C. 8. *Quo tempore Dii immortales ipsi praesidium improvisum necopinantibus nobis obtulerunt.* Vide Zinzerlingum Promulsf. Crit. C. 23.

X.

GRATUM eſt, ſecurus multum quod jam tibi de me
Promittis, ſubito ne male inepta cadam.
Si tibi cura toga eſt potior, preſſumque quaſillo
Scortum, quam ServI filia Sulpicia:
Sollicìti ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,
Ne cedam ignoto, maxima cura, toro.

1. GRATUM EST] Ironia amara in teporem Cerinthi: quem ait minime dignum eſſe, qui amet virginem ingenuam ac nobilem, (quum de rivalitate adeo ſit ſecurus) ſed potius ſcortum aliquod alicarium ac diobolare, quod infimae plebis faeci promiſcue nuptum eat. Seria formula eſt apud Ciceronem & Livium. Interdum & flebilem laetitiam notat, quum in re triſti eſt tamen aliquid quod juvet. Seneca Med. ℣. 553.

Suprema certe liceat abeuntem loqui
Mandata. liceat ultimum amplexum dare.
Gratum eſt & illud.

Obſervavit Jo. Fred. Gronovius Diatr. ad Papin. Silv. C. 16. non intellexit Delrius Comm. in eum Senecae locum: ideo *frigidum* vocat.

1. MULTUM QUOD JAM MIHI DE ME PERMITTIS] Non *mihi*, ſed *tibi* erat in uno Anglicano, unde Heinſius recte, opinor, fecit *multum quod jam tibi de me Promittis*.

2. NE MALE INEPTA CADAM] Verbum nequitiae liberioris. quod inluſtratum dedit noſter Douza L. 4. Plautin. Explan. C. 11. & Taubmannus ad Plaut. Perſ. Act. 4. Sc. 4. ℣. 104.

3. SIT TIBI CURA TOGAE POTIOR] Ita libri: quod tamen male cohaeret cum ſubſequentibus. Recte Heinſius, *Si tibi cura toga eſt potior*. In libro Fulvii Urſini *toga* erat: verbum vero *eſt* coaluit cum ejus voculae litera poſtrema, unde factum deinceps fuit *togae*. Si tu (inquit puella indignabunda) libentius ureris in meretrice aliqua vili atque contemta: at non deſunt alii, quibus ſerio dolet Sulpiciam Servii filiam tam indignis a te modis haberi miſeram, & turpium ancillarum obſcaenis amplexibus poſtponi. De meretricibus togatis egit cum cura Laevinus Torrentius ad Horat. L. 1. Sat. 2. ℣. 63. & Thomas Demſterus ad Roſin. Antiq. Rom. L. 5. C. 32. De ancillis quaſillariis, Scaliger hic loci. Cicero Philipp. 3. C. 4. *Nihil humile de Tarquinio, nihil ſordidum accepimus. At vero hujus domi inter quaſilla pendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi Romani nundinabantur.* Petronius: *Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quaſillarias, familiaeque ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet.*

4. SERVI FILIA SULPICIA] Hinc colligunt, filiam fuiſſe Servii Sulpicii conſularis, & maximi jureconſulti, qui periit in legatione Mutinenſi, a ſenatu eo miſſus ad Antonium, Hirtio & Panſa Coſſ. Et tamen haec ipſa epigrammatia a Tibullo ſcripta volunt, eodem illo funeſto anno (ut quidem ipſi ſtatuunt) primulum in lucem edito. Igitur Tibullum verſus feciſſe oportebit tum, quum nondum natus foret. Nam profecto Sulpicia de utroque parente loquitur tamquam de viventibus. Sed fefellit eos praenomen *Servii*; quod praenomen gentis Sulpiciae viris omnibus commune fuit.

6. NE CREDAM IGNOTO, MAXIMA CAUSSA, TORO] *cedam* legebat Achilles Statius, probabili conjectura. deinde *maxima cura* habent editiones anteriores, & duo ſcripti e noſtris. Sic puta: Rivales tui non ita tepide de me anguntur; ſed maxima illis cura eſt & dolor, dum pro ſe quiſque timent, ne cedam in matrimonium felicioris, quem ipſi nondum norunt, & ſola metuunt ſuſpicione.

X I.

Eſtne tibi, Cerinthe, tuae pia cura puellae,
Dum mea nunc vexat corpora feſſa calor?
Ah ego non aliter triſtes evincere morbos
Optarim, quam te ſi quoque velle putem.
Nam mihi quid proſit morbos evincere, ubi tu
Noſtra potes lento pectore ferre mala?

1. Tuae placiture puellae] Melius Fulvii Urſini codex, *tuae pia cura puellae.* In verſu breviore *Dum* ſcribe cum Heinſio, pro vulgato *Qui.* ibidem *calorem* pro febre poni obſervavit Douza noſter Praecid. C. 13. a contrario effectu *frigus* dicitur Horatio L. 1. Sat. 1. ℣. 80.

At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te adflixit.

L. 2. Sat. 3. ℣. 288.

Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
(Mater ait pueri menſes jam quinque cubantis)
Frigida ſi puerum quartana reliquerit; illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi ſtabit.

5. Ah mihi quid prosit] Rectius duo mei, & praeſtantiores editiones, *Nam mihi quid proſit.* Voculae *Nam* ultimum elementum abſorpſit princeps litera voculae *mihi:* unde factum eſt *Ha*, ac deinde *A*, & *Ah.*

X I I.

Ne tibi ſim, mea lux, aeque jam fervida cura,
Ac videor paucos ante fuiſſe dies;
Si quidquam tota commiſi ſtulta juventa,
Cujus me fatear poenituiſſe magis,
Heſterna quam te ſolum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens disſimulare meum.

1. Aeque tam fervida cura] Duo ſcripti, & primitus cuſi, *aeque jam fervida cura.*

2. Ut videor] ſcripti complures, *Ac videor.*

XIII.

Nulla tuum nobis ſubducet femina lectum.
Hoc primum juncta eſt foedere noſtra Venus.
Tu mihi ſola places: nec jam, te praeter, in urbe
Formoſa eſt oculis ulla puella meis.

At-

' Tibulli carmen arbitror, ipſa dictione ita perſuadente, & numeris ad Albianum characterem artificioſe conformatis. Sed ſede ſua excidiſſe puto, & referendum ad pauculas illas libelli tertii Elegias. Neque enim plures libros ſcripſiſſe Equitem noſtrum, veteres nos critici docuerunt.

3. Tu modo sola places] Non placent

iſtae

Atque utinam poſſis uni mihi bella videri!
Displiceas aliis! ſic ego tutus ero.
Nil opus invidia eſt. procul abſit gloria vulgi:
Qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu.
Sic ego ſecretis poſſim bene vivere ſilvis,
Qua nulla humano ſit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in ſolis tu mihi turba locis.

Nunc

iſtae tabernariae blanditiae, nec deſultor in amore animus dicentis, Multas ego quondam amavi, nunc autem in te una haerere volo. Reponamus germanam ſcripturam, *Tu mihi ſola places.* Formula eſt, quae proverbii ſpeciem referat. Propertius L. 2. Eleg. *6.* ℣. *19.*

Tu mihi ſola places: placeam tibi, Cynthia, ſolus.

Naſo L. 1. Art. Amat. ℣. 42.

Dum licet, & loris paſſim potes ire ſolutis;
Elige cui dicas, Tu mihi ſola places.

ſecutus eſt Franciſcus Petrarcha in Etruſcis luſibus:

A cu' io diſſi, Tu ſola mi piaci.

5. ATQUE UTINAM POSSIS UNI MIHI BELLA VIDERI! DISPLICEAS ALIIS!] Hoc vero rus eſt merum ac ruſticum, optare ut tua puella ſoli tibi ſit formoſa, aliis autem omnibus deformis ac foeda habeatur. Quid enim poſſis crudelius inprecari mulieri, quam ut ne placeat niſi uni viro? aut quid aliud quaerunt operoſae illae molitiones, niſi ut formoſae videantur etiam iis, quos ipſae amare nec volunt, nec poſſunt?

Delectant etiam caſtas praeconia formae.

Et quam tu umquam vidiſti mulierem, etiam peſſimam, etiam turpiſſimam, cujus formam inpune contemneres? quaeve ſibi deformis videretur? Hoc unum eſt, quod vitae ipſi praeferre ſolent: nec mortem putabunt acerbam, modo forma integra atque inlibata liceat perire. Audi Europen Horatianam, L. *3.* Od. 27. ℣. 49.

Inpudens liqui patrios penates:
Inpudens Orcum moror. o Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque ſuccus
Defluat praedae, ſpecioſa quaero
Paſcere tigres.

Urbanius, ni fallor, quam noſter Eques, hoc ipſum votum puellae dedit, non autem amatori, Honoratus Urfaeus T. 1. Aſtraeae, L. 12. & eſt in hac commutatione perſonae dulciſſima ſignificatio affectus tenerrimi:

De honte elle alloit rougiſſant,
Qu'un berger pres d'elle paſſant,
Parlant à moi l'appella belle,
Et l'heur & l'honneur de ces lieux:
Car je ne veux, me diſoit elle,
Reſſembler belle qu'à tes yeux.

Neque minus decôre paſtor, dominae ſuae offenſus, ejusdem operis T. 2. L. 11. *Et voyez à quelle extremité mon mal êtoit parvenu, puisque au lieu d'aimer Phillis, je la haïſſois: j'euſſe voulu qu'elle euſt eſté laide & desagreable; & toutesfois j'euſſe eſté marry, ſi elle euſt eû moins de beauté & de grace.*

8. IN TACITO GAUDEAT ILLE SINU] Propertius meus L. 2. Eleg. *19.* ℣. *69.*

Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clauſa ſinu.

Seneca Epiſt. 105. *Sic vero invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere.* Vide ſis Eraſmum noſtrum Chil. 1. Cent. 3. Adag. 13.

11. TU NOCTE VEL ATRA LUMEN] argute Georgius Anſelmus L. 4. Epigr. 30.

Cuncta ſimul video, cum te video; omnia ſed ſi
Adſpiciam ſine te, Naevia, nil video.

Sed hoc ille debet poëtae incerto L. 7. Antholog. Epigr. 191.

Ἢν ἐσίδω Θήρωνα, τὰ πάνθ' ὁρῶ· ἢν δὲ τὰ πάντα
Βλέψω, τὸν δέ γε μὴ, τοὔμπαλιν οὐδὲν ὁρῶ.

Quando intueor Theronem, omnia cerno: quum vero omnia
Videbo, illum vero non, rurſus nihil video.

12. IN SOLIS TU MIHI TURBA LOCIS] Expreſſit

Nunc licet e caelo mittatur amica Tibullo:
Mittetur fruſtra, deficietque Venus.
Haec tibi ſancta tuae Junonis numina juro,
Quae ſola ante alios eſt mihi magna Deos.
Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
Juravi ſtulte. proderit iſte timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius ures.
Hoc peperit miſero garrula lingua malum.
Jam faciam quodcumque voles: tuus uſque manebo,
Nec fugiam notae ſervitium dominae.
Sed Veneris ſanctae conſidam vinctus ad aras.
Haec notat injuſtos, ſupplicibusque favet.

preſſit Aegidius Menagius in Epiſtola ad Jo. Franc. Saracenum:

Quo ſine, nam memini, populoſa Lutecia ſaepe
Viſa mihi Libya penitus deſertior ipſa;
Secretis qui turba fuit mihi plurima ſilvis.

15. Haec tibi sancta tuae Junonis numina juro] In libris quibusdam eſt, *Per tibi ſancta tuae.* id quod Nic. Heinſius probabat Not. ad Ovid. Amor. L. 3. Eleg. 2. ℣. 61. Probarem & ego, niſi me moveret neſcio quae majeſtas antiquae locutionis, Deam quaſi praeſentem teſtata. Virgilius L. 12. Aen. ℣. 195.

Sic prior Aeneas: ſequitur ſic deinde Latinus
Suſpiciens caelum, tenditque ad ſidera dextram:
Haec eadem, Aenea, terram, mare, ſidera, juro, &c.

inibi Servius Honoratus: *Et ornatior elocutio, & crebra apud majores, quam ſi velis addere praepoſitionem, ut dicas, Juro per maria, per terras.* Vere doctiſſimus Grammaticus. Sic Sibylla L. 6. Aen. ℣. 324.

Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cujus jurare timent & fallere numen.

Palinurus ibidem, ℣. 351.

maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne, ſpoliata armis, excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.

Naſo L. 2. Metam. ℣. 101. verbis Solis ad Phaëthontem filium:

Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita; dabitur (Stygias juravimus undas)
Quodcumque optaris: ſed tu ſapientius opta.

23. Veneris sanctae] Ita & Catullus Carm. 33.

Nam ſanctae Veneri Cupidinique
Vovit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemque truces vibrare iambos.

Carm. 65. ℣. 5.

Quem neque ſancta Venus molli requieſcere ſomno
Deſertum in lecto coelibe perpetitur.

Lapis Romanus in Theſauro Gruteri, p. CII. I.

M. AVR. PACORVS. AEDI
TVVS. SANCTAE. VENE
RIS. IN. SALVST. HORTIS.

itemque alius apud Reineſium Claſſ. I. num. 95.

VENERI. SANCTAE. MORPH - - -
SACRVM

23. Sed Veneris sanctae considam vinctus ad aram] bene *vinctus:* quum mancipium ſe dominae ſuae profiteatur. bene quoque *conſidam:* nam ſupplices apud aram ſedebant. Maro L. 2. Aen. ℣. 512.

Aedibus in mediis nudoque ſub aetheris axe
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens arae, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba & natae nequicquam altaria circum,
Praecipites atra ceu tempeſtate columbae,
Condenſae, & Divom amplexae ſimulacra ſedebant.

Vide quae Lipſius in hanc rem obſervavit Excurſ. in Tacit. L. 3. Annal. literâ F.

XIV.

RUMOR ait, crebro noſtram peccare puellam.
Nunc ego me ſurdis auribus eſſe velim.
Crimina non haec ſunt noſtro ſine jacta dolore.
Quid ſurdum torques, rumor acerbe? tace.

XV.

3. CRIMINA NON HAEC SUNT NOSTRO SINE FICTA DOLORE] libri ſcripti maximo numero, *noſtro ſine facta dolore.* unde Jo. Iſacius Pontanus *jacta* faciebat L. 3. Analect. C. 3. non nolente Heinſio.

4. QUID MISERUM TORQUES] Ingenioſe Barthius, *Quid ſurdum torques?* videbis ejus rationes L. 59. Adv. C. 16. Ceterum hic deſinunt omnes libri ſcripti; niſi quod epigramma quoddam e Priapaeis, (*Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli*) in antiquo Tibulli libro ſe reperiſſe teſtatur Muretus L. 1. Epiſt. 13. itemque Scaliger Comment. in Priap. p. 209. & in uno ſuo Achilles Statius. Quae ratio ſi valet, jam Naſoniana Sapphus Epiſtola Tibulli ſit auctoris oportebit: illa enim non in uno aut altero, ſed in multis Tibulli codicibus reperitur. Sed de iſto Epigrammate non fraudabo lectorem quid invenerim apud Petrum Bembum, nobiliſſimum ſuperiorum temporum ſcriptorem, in eo libro quem ad Herculem Strotium, ſive Strozzam, perſcripſit de Virgilii Culice & Terentii Fabulis. Credebant tunc fere homines eruditi luſus illos liberos in Priapum eſſe divini Maronis foetum: atque hoc ipſis adeo perſuaſum erat, ut evelli vix, aut ne vix quidem poſſet a ſapientioribus. Tam abſurdam opinionem non ferens Pomponius Laetus, vir inter primos doctrinae atque ingenii laude florens, ita iſtic loquitur cum Hermolao Barbaro: *Aſſentior iis, qui Priapeorum librum eſſe Virgilii non putant. Quid eſt enim magis ludicrum, quam illa carmina? in eo tamen ſepto & quaſi cavea Virgilii ludorum illa non ſunt. Quamquam quidem hujus etiam ſemper rei maximum mihi videri argumentum ſolet Virgiliana verecundia. Itaque magis audiendi ſunt ii, qui omnino a compluribus uno tempore poëtis interſeque familiaribus joci gratia compoſitos fuiſſe illos verſus exiſtimant: quorum quidem cum Naſoni magnam partem tribuant, quia is Virgilio familiaris non fuit, negant Virgilii eſſe ullum in eo libro verſum: qua in ſententia me Bernardi Bembi veſtri hominis mihi amiciſſimi etiam auctoritas confirmavit, dum is non multis ante te annis hac in urbe pro veſtra republica eſſet legatus. Nam cum in hunc fere ſermonem incidiſſemus, diceretque, nihil eſſe ejus libri auctoribus incertius, nihil obſcurius, unius epigrammatis teſtimonium attulit, quod quidem me juvene non habebatur: affirmavitque ſeſe illud primum omnium inveniſſe vir graviſſimus in Patavino quodam ſacello, lapide extra urbem tertio, ſi recte memoria teneo, in antiquo marmore inciſum, obrutumque ruderibus abjecto loco. Idque fuiſſe poſtea temere Priapeorum carminibus additum pro Virgiliano ab impreſſoribus, cupidis illis quidem fortaſſe viris ditandi augendique rem literariam copia numeroque librorum, ſed plane cum indoctis, tum etiam indiligentibus: nam perverſe tranſtulerunt. Quod ſi ea quoque, Hermolaë, quae noſtra aetate inventa ſunt, quaeque habemus ipſi ante oculos, depravari nobis ſentientibus pervertique videmus; non eſt jam profecto mirum, ſi, quae in lucem multis ante nos ſeculis prodiere, ea confuſa ſunt illuſionibus intolerabilibus.* HERM. *Nihil omnino id quidem, Pomponi, mirum. Sed velim verſus illos recenſeas, quos dicis.* POMP. *Tu vero audi, ſunt enim hi:*

AERARII. QVONDAM. CVSTOS. NVNC. CVLTOR. AGELLI
HAEC. TIBI. PERSPECTVS. TEMPLA. PRIAPE. DICO
PRO. QVIBVS. OFFICIEIS. SI. FAS. EST. SANCTE. PACISCOR
ADSIDVVS. CVSTOS. RVRIS. VT. ESSE. VELIS
IMPROBVS. VT. SI. QVIS. NOSTRVM. VIOLARIT. AGELLVM
HVNC. TV. SED. TENTO. SCIS. PVTO. QVOD. SEQVITVR

Quo quidem in epigrammate, officieis, *pro eo quod nos* officiis *dicimus*, *Nigidiana illa regula, de qua meminit Gellius, antique eſt in ipſo marmore inſcriptum. Sed haec alias.* Merito queritur Pomponius de celeri illa corruptela librorum. Nam ſane Bernardinus Scardeonius, quem ego opinor lapidem ipſum videre potuiſſe, L. 1. Claſſ. 4. de Antiquitate urbis Patavii, ſic edidit:

Villicus

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli. & deinde in tertio versu *officiis*, in quinto *violabit*, contra marmoris fidem. Hunc secutus Gruterus, in secundo versu *Hanc tibi* posuit Inscr. p. xcv. 3. nisi si hic error est operarum. Aliae editiones primum versum ita conceperunt,

Rusticus aerarii quondam, nunc rusticus horti:
aliae sic,

Villicus aerari quondam, nunc cultor agelli.
atque hanc ultimam esse veram lectionem adfirmat Scaliger Comm. in Priap. p. 210. & Salmasius Not. in Lamprid. p. 201. & Is. Vossius ad Catull. p. 141. Scilicet ea vera est lectio marmoris, quae in marmore nusquam legebatur. In ultimo versu habebant Scaliger & Statius, *Hunc tu, sed taceo*; lapide quidem invitissimo. Tamen Barthius ultro emendabat, *Hunc tu sex tento*, L. 27. Adv. C. 8. Adeo certa sunt atque explorata vel librariorum vel criticorum commenta. Vere quoque dixit Pomponius, se juvene hoc epigramma non exstitisse in Priapeis. Est penes me illorum lusuum codex manu exaratus, non ille quidem vetustissimus, qui finit in Epigr. 82, *Dum vivis, sperare decet.* &c. neque hoc ipsum, de quo agimus, carmen agnoscit, aut habet. Neque etiam Iambum illum,

Quid hoc novi est? quid ira nuntiat Deûm?
Sed nec ille in ullis Tibulli codicibus invenitur. Itaque demiror, Scaligerum hinc satis confirmari putare, Tibullum lusisse Priapea, idque clare testari Martialem L. 4. Epigr. *6.*

Credi virgine castior pudica,
Et frontis tenerae cupis videri:
Cum sis improbior, Malisiane,
Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellae recitat domo libellos.

Sane Tibulli metrum fuisse carmen Elegiacum, non vero purum Iambum, ipsi Tibullo adcredamus oportet L. 2. Eleg. 4. ℣. 13.

Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
& Nasoni Amor. L. 3. Eleg. *9.*

Flebilis indignos, Elegeïa, solve capillos:
Ah nimis ex vero jam tibi nomen erit!
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in exstructo corpus inane rogo.

Ut jam nihil dicam de tot aliis Tibulli praeconibus: quorum tamen nullus vel verbulo meminit aut Iambi puri, aut lusuum Priapeorum. Redeant igitur unde pedem huc attulerunt, quamvis bella sint & Latina, inprimis vero Iambus ille. qui, si sermonis res sit atque elegantiae, haud difficulter certare possit cum primis linguae Latinae poëtis. Sed per me quidem Eques noster rem alienam in armum non tollet, ipse in suo sibi aere satis locuples ac copiosus.

XV.

Domiti Marsi.

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

Domitii Marsi] Hujus quoque praeclari viri scripta omnia interierunt. Vixit autem temporibus Augusti, & epigrammatum scriptor habitus est in primis nobilis atque excellens. Certe Valerius Martialis, qui de suis ipse rebus praeclare sentire solet, quamquam se Valerio Catullo minorem fatetur, Marsum tamen saepe Catullo supparem facit, atque inter primos poëtas conlocat. Sic L. 2. Epigr. 71.

Candidius nihil est te, Caeciliane, notavi,
Si quando ex nostris disticha pauca legis.
Protinus aut Marsi recitas, aut scripta Catulli:
Haec mihi das, tamquam deteriora legas.
Ut collata magis placeant mea? credimus illud.
Malo tamen recites, Caeciliane, tua.

L. 5. Epigr. 5.

Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marsus, quaque Catullus erit.

L. 7. Epigr. 98.

Dicere de nobis, ut lector candidus aude:
Temporibus praestat nonnihil iste tuis.
Nec Marso nimium minor est, doctoque Catullo.

L. 8. Epigr. 56.

Quid

Quid Varos, Marsosque loquar, ditataque vatum
Nomina, magnus erit quos numerare labor?
Ergo ero Virgilius, si munera Maecenatis
Des mihi? Virgilius non ero; Marsus ero.

Ferebatur & Marsi Amazonis, quam putant fuisse historiam belli illius, quo Hercules Amazonum gentem comite Theseo superavit. Sed de eo opere tenuiter opinari videtur idem ille poëta Hispanus, L. 4. Epigr. 29.

Saepius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.

Atque ob hanc caussam hunc Marsum temporis Neroniani poëtam fuisse, diversum ab illo Augustaei aevi Marso, suspicantur eruditi. Quodcumque fuerit, certe Domitium Marsum inter nobiles epici carminis poëtas numerat Naso L. 4. Pontic. Epist. 16.

Cum foret & Marsus, magnique Rabirius oris,
Iliacusque Macer, sidereusque Pedo:
Et qui Junonem laesisset in Hercule Carus,
Junonis si non jam gener ille foret.
Quique dedit Latio carmen regale Severus;
Et cum subtili Priscus uterque Numa.

Erant & Marsi Amores, Melaenidis nomine cohonestati. Martialis L. 7. Epigr. 28.

Et Maecenati Maro cum cantaret Alexin,
Nota tamen Marsi fusca Melaenis erat.

Erant & Fabellarum libelli non pauci. Charisius L. 1. Instit. Grammat. p. 55. *Callum neutro genere dicitur. Sed Marsus Fabellarum nono, masculino sic:*

callum sibi pectore quemdam.

pars est posterior versus heroici. Fuit quoque Marsi Cicuta, unus fortasse Epigrammatum liber: nam singulos singulis titulis discretos prodiisse vero simile est. Sic enim & Martialis Xenia atque Apophoreta habemus. Hujus Cicutae meminit Junius Philargyrius ad Virgil. Eclog. 3. ℣. 90. *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Maevi*] *Duos sui temporis poëtas dicit pessimos, quorum carmina ob humilitatem abjecta sunt. Vult ergo notare, qui sunt inimici Virgilii, qui Bavium, id est pessimum poëtam, & Maevium, id est pejorem poëtam, ut duplum habeant malum. Ex quibus Bavius curator fuit. de quo Domitius in Cicuta refert:*

Omnia cum Bavio communia frater habebat,
Unanimi fratres sicut habere solent.
Rura, domum, nummos, atque omnia: denique, ut ajunt,
Corporibus geminis spiritus unus erant.
Sed postquam alterius mulier . . . . .
Novit, deposuit alter amicitiam.

postremus hexameter in Poëmatiis antiquis, a Petro Pithoeo in lucem editis, ita legitur:

*Sed postquam alterius mulier * concubitum **

unde vir doctus faciebat,

Sed postquam alterius mulierem concubitu alter
Novit.

mihi non placet commentum, quamquam sensum puto recte procedere. nam ut penultimam in *mulierem* produxerit poëta optimi temporis, cui quaeso persuadebitur? Paucula alia Marsi frustilla alii nobis conservarunt. Suetonius lib. de Inlustr. Grammat. C. 9. in Orbilio: *Fuit autem naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni sermone laceravit, sed etiam in discipulos, ut Horatius significat, plagosum eum appellans, & Domitius Marsus scribens,*

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit.

& C. 16. in Q. Caecilio: *Primus dicitur Latine ex tempore disputasse, primusque Virgilium & alios poëtas novos praelegere coepisse. quod etiam Domitii Marsi versiculus indicat,*

Epirota tenellorum nutricula vatum.

Diomedes Grammaticus L. 1. p. 304. *Oleo unguentum. Cicero in Antonium: Frustis esculentis, & vinum redolentibus. Et Marsus: Hircum & alumen olens.* Est opinor hemistichium posterius versus pentametri. Priscianus L. 5. p. 657. ubi de masculinis in *ps* desinentibus: *Adeps, τὸ λίπος, forceps, auceps. quae tamen veteres etiam feminino genere protulerunt. Varro in II. rerum rustic. Adipes illa. pro, adeps. Marsus: Adipis pondo viginti vetustae.* Sed & C. Plinius laudat Marsum poëtam in catalogo auctorum L. 33. Hist. Nat. & Sidonius Apollinaris Carm. 9. ℣. 257.

Non Getulicus hic tibi legetur,
Non Marsus, Pedo, Silius, Tibullus.

Atque haec sunt quae de Marsi rebus reperire licuit; aliquanto uberiora iis, quae Henricus Stephanus dedit in Fragmentis veterum poëtarum, quaeque Crinitus ac Gyraldus tradiderunt in Historia poëtarum.

VARIARUM LECTIONUM LIBELLUS.

L. S.

NOn fuit aequum tantam variantis ſcripturae farraginem Notulis inmiſcere: nec, ſcio, patienter tuliſſent homines delicati epulas tam faſtidioſas. Quotus enim quisque hodie curat, quid olim aberraverint ſcriptores librarii? Tamen cur perire noluerim quidquid hoc eſt rei, facile videbunt illi, qui in ſcriptoribus antiquis vel exponendis vel emendandis operam aliquando aliquam poſuerunt. Nihil invidemus illis, quorum ingenii felicitas eſt tanta, ut, citra opem codicum priſcorum, rem criticam praeclare gerant ac glorioſe. Nos iis conſultum voluimus, qui, quum aliter ſentiant, tamen a neceſſaria librorum ſupellectile deſtituuntur. Atque exiſtet aliquando acutior fortaſſe aliquis, quem amor capiat juvandi Tibulli. Is ſi hic praeſidii quidquam invenerit ad eruendum veram poëtae ſcripturam, vel ad excogitandum novam aliquam lectionem, dignam homine docto atque ingenioſo; jam nunc omne operae inſumtae precium ubertim mihi retuliſſe videbor. Tibi vero, quicumque eris, cui hanc opellam noſtram inſpicere non erit grave, quid quaeque codicis cujusque nota deſignet, exponamus neceſſe eſt. Nicolai Heinſii, viri ſummi, variantes lectiones ne cum noſtris confundas, cautum fuit lineola transverſa, ——, quae ſemper Heinſianas praecedit. Ejusdem excerpta codicum Anglicanorum uncinulis [ ] ſunt incluſa. Hae autem fuere noſtrae copiolae, quarum ſubſidiaria opera ad emendandum Tibullum acceſſimus.

A.	codex membraneus D. Joannis de Witt, bonae notae.
Ald.	editio Aldi Manutii Venet. 1515.
B.	codex alter membraneus ejusdem D. de Witt.
Br.	editio Brixienſis A. 1486.
C.	liber meus in charta ſcriptus.
Colb.	codex bibliothecae Colbertinae n°. 6479. MS.
Colin.	Pariſina Simonis Colinaei editio A. 1529.
Cyll.	Bernardini Cyllenii Veronenſis Commentarii in Tibullum. Venet. 1487.
D.	editio Veneta, omnium princeps, A. 1475.
FF.	bini codices mei, in charta exarati.
Gebh.	variae lectiones ſex codicum Palatinorum, & membranarum Comelinianarum, quibus uſus fuit Janus Gebhardus.
Gryph.	editio Seb. Gryphii A. 1551.
L.	variae lectiones ex libro ſcripto Gulielmi Laudi, Archiepiſcopi Canterburienſis.
Lipſ.	Juſti Lipſii varietates lectionum ex codicibus Romanis. Janus Douza P. ſua manu transſcripſit

 ad

ad oras editionis Plantinianae A. 1569.

MS. diverſae lectiones ex libro manuſcripto decerptae, quas vir doctus adlevit margini editionis Brixienſis.

Matt. variae lectiones, quas e vetuſto ſuo Tibulli libro eruditis examinandas propoſuit Jo. Marius Mattius L. 1. Opinion. C. 13.

P. Marci Antonii Pocchi variantes lectiones in Tibullo ex libris ſcriptis excerptae, & notatae ad marginem editionis Aldinae A. 1502.

Perr. Antonii Perreji Recognitiones collatis emendatiſſimis & vetuſtiſſimis Romae & Florentiae codicibus. Scriptae ſunt ad oras editionis Aldinae A. 1515.

Plant. editio Plantiniana A. 1560.

R. excerpta variantis lectionis ex editione quae Regii Lepidi prodiit A. 1481.

St. Achillis Statii Commentarius in Tibullum. Venet. apud Aldum A. 1567. uſus eſt autem Statius codicibus antiquis non minus decem.

Alberti de Eyb Margarita Poëtica.

Libri Heinſiani.

1. Editio Gryph. 1534. in Vatic. n°. 2813. collata cum MSS.

2. & Col. collationes Angeli Colotii Baſſi.

3. 4. 5. ſignificant diverſos Vaticanae collatos codices; inter quos 5 erat Fulvii Urſini.

V. exemplar ſcriptum Scaligeri, codex recens.

A. excerpta Scaligeri vetuſtiſſima.

CC. Codex Jacobi Cujacii, qui incipiebat L. 3. Eleg. 4. verſ. 65.

D. codex N. Heinſii chartaceus.

E. vetus editio Regii Lepidi edita A. 1481.

G. editio Veneta A. 1475, Hadriani Wallii. vir doctus varias lectiones adſcripſit.

F. excerpta ex veteri codice Gerhardi Falcoburgii.

Anglicanos codices ita deſcripſit N. Heinſius.

A. codex manuſcriptus bibliothecae Bodlejanae, ex dono Archiepiſcopi Cantuarienſis.

B. codex ejusdem bibliothecae, ex dono ejusdem Archiepiſcopi, qui Catullum habebat adjunctum.

C. codex Archiepiſcopi Eboracenſis.

D. ejusdem codex.

E. ejusdem codex, omnium, quos vidi, vetuſtiſſimus.

Lib. I. Eleg. I.

2. *Jugera multa*] *jugera magna*, A. B. Colb. Cyll. Gebh. D. Br. R. C. F. —— *magna*, D. E. G. *multa*, Col. V. A.

9. *Nec*] —— *Non*, 2.

9. *bidentem*] —— *bidentes*, D. Col. [C. D. E.]

9. *pudeat*] *pigeat* C. ſed in margine *pudeat*, pro diverſa lectione.

10. *Aut*] *Et* excerpta Lipſii.

11. *pigeat*] —— *pudeat* Col.

11. *agnamve, foetumve*] *agnamque, foetumque*, Colb. Br. —— *agnamve, foetumque*, 2. G.

14. *ſoleo*] *ſolito* Colb.

16. *florea*] *florida* F. C. A. D. —— *florea* D.

18. *agricolae Deo*] *Deum* F. D. P. R. Br. Cyll. St. Gebh. qui & in uno *Deos* habebat. —— *agricolam Deum* 2. 1. *agricolae Deum* V. D. G. [C. D. E.]

21. *hortis*] *ortis* A. B.

22. *ut*] *Et* St.

22. *ſaeva*] *ſceva* A. & in margine C. *ſeva* B. —— *ſcaevas* V.

23. *felicis*] *foelicis* B. *felices* C. *foelices* A. [*felices* C. D. E.]

23. *agri*] *horti* excerpta Lipſii.

24. *Cuſtodes*] *Cultores* B. pro diverſa lectione.

28. *Clamet*] *Clamat* St. C. utrumque in ſuis habebat Cyllenius. [*Clamat* C. D. E.]

31. *primum*] [*primus* C. D.]

36. *avo*] *agro* excerpta Lipſii.

37. *Parva ſeges ſatis eſt*] —— *Parva ſatis menſa eſt*, 2. [E.] leg. *Parca ſatis menſa eſt.* vel, *Parca ſatis meſſis.* vel, *Parca ſatis menſae eſt.* ſatis eſt menſae parca meſſis.

messis. [vel, *Parva seges satis est*, E.] *Parva satis mensa est* excerpta Lipsii.
37. *satis est requiescere lecto*] —— *uno requiescere* F. V. C. [*parvo requiescere* B.C.D.]
38. *Si licet*] *Scilicet* A. B. Colb. D. [A. B. C. D. E.]
38. *levare*] *referre* St. Gebh.
38. *solo*] *solito* o. l. & unus Heinsii.
40. *continuisse*] *detinuisse* Gebh. —— *detinuisse* Col.
41. *quum*] *quom* A.
41. *fuderit*] —— *effuderit* D.
42. *imbre*] Exc. Perr. —— *hymbre* V. A. F. —— *imbre* Col. 1. 2. [*igne* A.B.C.D.E.]
42. *juvante*] *levante* B. sed pro diversa lectione *juvante*.
46. *cui*] *quoi* C.
54. *hostiles*] *exiles* A. & pro diversa lectione C. —— *hostiles* 5. [*exiles*, vel *hostiles* D. E. *exiles* A. C.]
55. *vinctum*] [*victum* D.] *victum* Colb.
55. *retinent vincla*] *retinet cura* F.
56. *duras*] *diras* F.
59. *possim*] *possem* F. C. —— *possem* E. G. [*possum* E.]
60. *in solo*] [*insolito* A. B. C. D. E.]
61. *dum teneris liceat*] *dum liceat teneris* FF. A. B. C. D. & sic edidit Douza F. —— *dum liceat teneris* omnes & Italici & Anglicani.
62. *sit mihi*] *sit modo* C.
65. *tum*] *tunc* C. D. R. L. Cyll. *nunc* P. —— *tunc* E. G. [A. B.] *nunc* 1. 2.
65. *nec*] [*neque* C.]
66. *possit*] [*posset* A. *possit* D.]
67. *quum*] —— *quom* E. G.
69. *victas*] *vinctas* St. —— *vinctas* F. 5. [*victas* A. B. C. D.]
70. *capto*] —— *rapto* D.
71. *contextus*] —— *confectus* 1.
73. *Te spectem*] *Et spectem* A. B. C. —— [*Et spectem* D.]
74. *Te teneam*] *Et teneam* A. B. C. Colb. D. *tenear* A. —— *Te teneam* D. Col. 2. [*Et tenar* D. *Et tenear* B. C.]
77. *duro praecordia ferro*] *ferro praecordia duro* F.
78. *Vincta*] *Juncta* St. Lipsii excerpta. *Vincta* A. B. C. FF. —— *Juncta* 1. 2. Col. D. [B. C. D.]
80. *non virgo*] [*nec virgo* E.]
84. *Jam veniet tenebris*] *Jam venit in tenebris* C.
85. *subrepet*] *surrepet* A. B. [*surrepit* D.]
85. *nec*] *neque* B. C. [B. D. E.]
85. *decebit*] —— *licebit* 2. D. E. G. [C. D.]

Lib. I. Eleg. II.

4. *infelix*] *infoelix* A.
4. *amor*] sic excerpta Perreji, & Lipsii. *amans* 2. *amor* V. D. G. [C. D. & a manu secunda E.]
5. *nostrae*] *mater* pro diversa lectione C.
5. *saeva*] *scaeva* C.
10. *Neu*] *Nec* FF. *Neu* A. B. C. St. Lipsii excerpta. *Nec* D. R. Br. Cyll. —— *Non* V. *Neu* D. 1. 2. [*Nec* A. *Neu* B.C.D.E.]
10. *sones*] —— *soles* D.
13. *Te*] *Et* St.
14. *quum*] *quom* A.
14. *darem*] *dabam* St.
16. *Audendum* &c.] —— abest hic versus a Colotiano.
21. *nutus*] *vultus* F.
21. *conferre*] —— *proferre* 1.
22. *notis*] *modis* B.
23. *docet*] *decet* B. Br. Ald. Colin. Gryph. —— *docet* E. G. [*decet* D. E.]
23. *quos*] —— *quas* 1.
26. *Vulneret*] —— [*Verberet* C.] [totum distichon abest ab E.]
28. *Qualibet*] *Quolibet* Passerat. St. *Qua libet* quinque nostri. Gebh. —— *Quolibet* 1.
28. *non timuisse*] *non tenuisse* Gebh. —— *nec timuisse* D.
28. *decet*] *juvat* P. Lipsii excerpta. —— *juvat* 2.
31. *hic laedit*] —— *hinc laedit* D.
33. *fias*] *fiat* excerpta Perreji; A. B. FF. unus St. D. L. —— *fiat* E. G. [A. B. C. E.]
35. *Neu strepitu*] sic D. *Nec* C. Br. Cyll. *Ne* A. B. R. —— *Nec* G. [*Ne* A. C.]
37. *Si quis*] ita A. B. C. FF. *Si quid* Passerat. St. Gebh. —— [*Si quid* A.]
37. *ille*] —— [*Ipse* B.]
40. *rapido*] sic FF. A. B. C. D. R. Br. *rabido* P. —— *rabido* 1. 2. F.
40. *sentiet*] *sentiat* B. St. Br. Cyll. —— *sentiat* D.
44. *vertit*] *sistit* F.
46. *devocat*] *devorat* Br. Cyll. excerpta Perreji.
47. *Jam*] *Haec* Lipsii excerpta; & *catenas* pro *catervas*.
49. 50. *Quum libet*] —— *lubet* D.
50. *convocat*] *provocat* Mureti libb. & Guyetus. etiam Br.
53. *queis*] *quis* A. B. C. D.
54. *despue*] *expue* C. excerpta Perreji. *exspue* St.

 St.

St. Br. Cyll. *conspue* A. L. ——— [*exspue* C. D. E. *conspue* B.]

56. *si in molli viderit ipse toro*] vide Livinejum. *ille toro* F. *esse sinu* Ald. *esse thoro* excerpta Lipsii. ——— *esse toro* 1.

57. *Tu tamen*] *Tu tantum* nonnulli Statiani ——— *tantum* 1.

58. *de me uno sentiet esse nihil*] *ipse nihil* A. C. FF. excerpta Perreji. Livin. *ille* B. *ipse*, vel *ille* St. ——— *ipse* D. E. G. 2. [A. B.] *ille* 1. *ipse*, vel *ille* Col. vide Gebhardum L. 1. Crepund. C. 9.

59. *Quid credam*] *Quin* excerpta Perreji.

63. *Non ego*] sic FF. C. A. B. St. excerpta Lipsii.

64. *Orabam*] *Optabam* L. & pro diversa lectione B.

Lib. I. Eleg. III.

1. *Messala*] *Messalla* FF. C. D.

4. *mors modo nigra*] sic FF. C. St. quatuor Gebh. ——— sic V. D. [B. E.] *mors precor atra* Lipsii excerpta, unus Gebh. P. L. D ——— 2. 5. [B. E.] *mors violenta* A. B. Br. Cyll. excerpta Perreji. unus Gebh. ——— [C. D.]

7. *odores*] *honores* B. sed in margine, pro diversa lectione, *odores*.

9. *quum*] *quom* A.

11. *sustulit*] *substulit* L.

11. *illi*] *ille* St. F. Passeratii liber vetus. qui hinc *illae* exsculpsit, pro *illi*.

12. *Rettulit*] *Retulit* A. B. C. F.

12. *omina*] *omnia* A. B. D. Br. R. Cyll. ——— *omnia* D. E. G.

13. *tamen est deterrita nunquam*] *nusquam* St. FF. D. L. pro diversa lectione B. Colb. ——— D. E. G. [A. B.] *nunquam* C. *numquam* A. *quicquam* B. *tamen haud deterrita frustra est* P. ——— 1. 2.

14. *Quin fleret*] *Cum fleret* D. R. Br. Gebh. ——— E. G. Col. 2. *Quum* P. L. Passeratii liber. *Quom* Cyll. ——— [A. B. D. E.]

14. *respiceretque*] *despiceretque* L. ——— 5. [B.] *prospiceretque* [D.]

15. *quum*] *quom* A.

19. *quoties*] *quotiens* A. B. C. FF. D. L.

21. *invito*] [*invicto* D.]

21. *ne*] *neu* FF. B. tres Gebh. ——— *neu* D. Col. 1. 2. [A. E.]

22. *Aut sciat egressum*] *Aut faciat gressum* unus Gebh. ——— [*τὸ aut* non habent A. B. C. D. E.]

23. *tibi Delia*] sic unus F. *mihi Delia* F. A. B. C. Colb. P. L. omnes St. ——— *mihi Delia* V. D. Col. 1. 2. 5. [B. C. D. E.]

24. *toties*] *totiens* A. B. C. FF. D. R. Br. Cyll.

24. *aera*] *sistra* excerpta Perreji, Mureti codd. Br. Cyll. ——— Col. *aera* St. A. B. C. EF. D. R. ——— [*aera* C. D. *aera*, vel *sistra* E.]

25. *Quidve*] ——— *Quodve* 5.

25. *Pie*] *deûm* excerpta Lipsii.

29. *Et*] *Ut* A. F. Colb. D. *Et* F. B. C. L. unus St. ——— *Et* V. D. [B. C. D. E.]

29. *persolvens*] *persolvere* F. *persolvat* F. A. Colb. ——— V. Col. 2. [C. D.] *persolvens* B. C. D.

33. *patrios*] *primos* Cyll. ——— [D. manu prima]

36. *est*] *sit* C.

37. *contemserat*] *contexerat* F. L. ——— *contexerat* Col. 2. [B.]

38. *praebueratque*] *praebueratve* A. L. ——— [*ve* B. C. D.]

42. *Non*] *Nec* Colb.

42. *frenos*] *fraenos* F. C. D.

43. *non fixus*] ——— [*nec fixus* B.]

44. *regeret*] ——— [*tegeret* B.]

47. *non bella*] ——— *nec bella*. Col. 2.

51. *pater*] ——— *precor* E.

52. *Non dicta*] *Nec dicta* A. ——— [*Nec* B. C. D.]

54. *flet*] ——— [*fit* E.]

57. *quod*] *qui* excerpta Lipsii.

58. *in Elysios*] *ad Elysios* F. A. Colb. unus St. excerpta Perreji. ——— *ad* Col. [B. C. D. E.]

63. *Ac juvenum*] sic FF. C. *At* Colb. D. ——— D. E. G. [E.] *Hac* A. B. unus Gebh. ——— [*Hac* D.]

67. *At*] *Hac* A. B. ——— [*Hac* C.]

68. *nigra*] ——— *nocte* D.

71. *Tum*] *Tunc* D. R. *Nunc* Br. Cyll. *Hic* St. ——— *Hic* Col. *Tunc* D. *Nunc* G. [*Tunc* D. *Tunc*, vel *Tum* B.]

71. *in porta*] *in turba* vulgg. *in porta* excerpta Perreji, FF. A. B. C. D. L. Cyll. St. Mur. Scal. Passer. ——— *in porta* V. D. E. G. Col. 1. 2. [C. D. E.]

71. *serpens: tum*] *serpentum* FF. A. B. C. Colb. ——— sic omnes Heinsiani.

72. *Stridet*] *Stridit* St.

78. *poturi*] *potanti* Colb.

79. *quod*] *quia* L. ——— [B.] *quod* F. C. A. [A.] *quae* F. B. D. P. Cyll. omnes St. ——— *quae* E. G. Col. 1. 2.

86. *plena*] *pleno* F. Scalig. Passerat. *plena* F.

F. A. B. C.D. omnes Heinsiani.
87. *At circa*] *At circa* Colb. D. R. Br. —— E. G. *Ac circa* A. B. C. FF. Cyll. —— *Ac cura* V. [*Ac circa* C. D.] *Ac circum* Lipsii excerpta.
88. *opus*] *onus* liber Scaligeri. *opus* A. B. C. FF. D.
89. *nec*] *ne* St. Passerat. Gebh.
93. *nitentem*] *rubentem* Stat. Gebh.
94. *equis*] *aquis* F.

Lib. I. Eleg. IV.

3. *formosos*] *formosa* D. R. —— E. G.
5. *frigora*] *tempora* Br. Cyll. Gebh. excerpta Perreji.
7. *tum*] ita FF. A. St. D. *sic* Muret. *quom* excerpta Perreji. *cum* C. Gebh. *tunc* B. —— D. [B.] *quom* Col.
7. *respondet*] *respondit* A. B. F. D. R. Colb. St. *respondet* C. F. Gebh. Br. Cyll.
7. *proles*] *pubes* C. —— [C. D.]
9. *libebit*] *licebit* Colb. Br. Cyll. —— [A. B. C. E.]
10. *Cedas*] *Credas* B. St. —— [C.]
11. *ne te*] *te ne* Colb. St.
11. *capiant*] *cupiant* C.
17. *Nec*] *Ne* C.
19. *Jovi*] —— [*Jovis* C. D.]
21. *Dictynna*] *Diana* Colb. St. *Dictina* A. B. C. FF.
23. *transiet*] —— *transiit* V. C. F.
24. *Quam cito non segnis*] —— *Quam cito! non segnis* D. E. 2.
24. *remeatque*] —— [*remanetque* D.]
26. *ante*] *alba* Gebh. Br. cum suo sibi MS. Cyll. excerpta Perreji. *alta* F. C. A. Colb. D. R. St. *ante* B. —— *alba* D. 1.
27. *fata*] *facta* Br. Cyll.
29. *quum*] *quom* A.
32. *ullam*] *illam* FF. C. D. R Br. Cyll. St. Gebh. —— Col. D. E. G. *ullam* A. B.
33. *Phoebo Bacchoque*] *Baccho Phoeboque* D. St. F. C. —— E. G. [A. E.]
33. *juventa*] sic F. D. Br. Cyll. *juventus* F. L. —— [B. C. D. E] *juventas* C. R.
37. *picta*] *nigra* F. —— *picea* Col. D. 1. 5.
38. *admittat*] *annuntiet* A. unus St. unus Gebh. *amiciat* B. St. unus Gebh. —— *annutet* 2. [*amiciat* A. *annunciet* B. *ammittat* C. D. *admittat* E.]
41. *duros subiisse labores*] ita A. B. FF. D. Br. R. Cyll. St. Scal. Gebh. [A. B. C. D. E.] *duro labori* C.
42. *operi*] *opera* FF. C. unus Gebh. duo St. *opere* unus Gebh. [*opera* A. E.]
42. *adteruisse*] *attenuasse* Br. Cyll. excerpta Perreji [*attrivisse* A.] *aterruisse* F. *atteruisse* omnes St. F. C. D. R. P. L. Livin. —— *attenuasse* V.
46. *ille*] *ipse* A. F. L. —— [B. C. D.]
47. *rapias*] *capias* Br. Cyll.
47. *tum*] *tunc* D. Cyll.
49. *post*] *mox* A. B. L. St. —— Col. 1. [D. E.] *post* FF. C. D. *mox* Scalig.
49. *offeret*] ita Cyll. *offert* Comel. *adferat* omnes St. —— [D.] *afferet* FF. A. B. C. D. L. omnes Gebh. Scalig. —— D. E. G. [A. C. D. E.]
49. *ipse*] *ipsa* D. R. St. —— [*ille* D. *illa* E.]
49. *volenti*] sic A. D. *roganti* FF. C. B. Colb. St. Scalig. Gebh. —— [A. E.]
50. *volet*] *velit* St. —— [A.]
51. *artes miseras*] *miseras artes* C. *artes missas* D.
51. *tractant*] *damnant* D.
52. *Jam*] —— [*Nam* B.]
52. *velle*] *habere* F.
53. *Jam tua*] sic C. Gebh. *Jam tu* FF. B. Colb. St. *At tu* A. St. —— [B.] —— *Jam tua* D. Col. 1. *At tibi* St. P. —— 2.
54. *infelix*] *infoelix* A.
58. *nituisset*] —— *tacuisset* D.
60. *vehet*] *vehat* A. L. —— [*vehit* A.] *vehet* FF. B. C.
63. *tercentenas*] *tercentenis* Comelin.
63. *expleat*] *impleat* Br. Cyll. excerpta Perreji. St. —— *explicet* Col.
63. *urbes*] —— *urbis* E. G.
65. *Blanditis*] *Blanditiis* FF. C. D. R. Br. Cyll. St. *Blandiciis* A. B.
65. *locum*] —— *modum* E.
65. *ipsa*] *ista* F.
66. *fletibus*] *flentibus* FF. A. B. C. D. R. Br. Cyll. Gebh. —— A. B. D. *fletibus* St. —— [C. E.]
66. *favet*] —— *juvat* V. [*favet*, vel *juvat* C.]
68. *conjunx*] ita FF. A. B. C. D.
68. *vetat*] —— *negat* V.
69. *O fuge*] *Heu fuge* Colb. *Offuge* A. D. R. —— E.
69. *credere*] *tradere* Br. Cyll. excerpta Perreji. —— Col.
71. *compescit*] *compescat* F.
72. *Hic placidam*] —— *Hic placet ut* Col.
73. *Hic*] *Hunc* D. R. *Huic* Cyll. —— 1. 5.
74. *stat*] *stet* D. R.

79. *quum*] *quom* A. —— D.
79. *ferentem*] *canentem* St. —— D.
80. *Deducat*] *Diducat* F. Gebh. [A. C. D. E.] *Diludat* St. —— Col. —— *Seducat* D.
80. *sedula*] *credula* B.
81. *Eheu*] *Heu heu* FF. A. B. C. Colb. D. R. L. P. Br. Cyll. St. —— D. E. G. [B. C. D. E.]
83. *turbis*] *turpis* FF. A. B. Colb. omnes St. quinque Gebh. —— F. 1. [A. B. C. D.] *turbis* C. unus Gebh. —— *turbis*, vel *turpis* E. [*turpis*, vel *turbis* E.]
84. *Quum mea*] *Quom mea* L. —— *Quom me* D.

Lib. I. Eleg. V.

1. *dissidium*] *disidium* F. *dissidium* F. C. D. Cyll. *discidium* A. B. L. Gebh. —— F. [B. C.]
3. *Namque*] *Jamque* L. —— [B.]
3. *turben*] *turbo* FF. A. B. C. D. R. Br. Cyll. St. Gebh. —— [A. B. C. D. E.]
4. *celer*] *tener* Colb. unus St.
5. *libeat*] *liceat* F. C. D. R. Br. Cyll. Gebh. —— E. G. Col. *libeat* F. A. B. L. St.
5. *ne*] *nec* St. Gebh. *ne* FF. A. B. C. —— [*ne* A. C. *me* D. *nec* E.]
6. *posthac*] *post haec* St. F. A. B. C. D. R. Br. Cyll. —— V. E. G. [A. B. C. D. E.] *posthac* F. Gebh.
6. *horrida*] *aspera* Colb. —— *aspera* 1. [*horrida*, vel *aspera* E. *aspera* B. C. D.]
6. *verba*] *dona* F.
7. *per te*] *parce* FF. A. C. D. St. —— E. G. [A. B. C. D. E.] *per te* B. —— 5.
9. *quum*] *quom* A. —— D. [*cum* C. D. E.]
11. *Ipseque te*] *ter* C. Colb. Cyll. omnes omnium editiones ante Scaligerum. *te* F. F. A. B. D. R. Br. St. —— V. D. E. G. [A. B. C. E.] [*Ipse & te* D.] *Ipse ego te* Florentinus apud Statium.
12. *quum*] *quom* A.
12. *procubuisset*] Scalig. unus St. *pertimuisset* unus St. *praetimuisset* unus St. —— [A.] *praecinuisset* FF. A. B. C. Colb. D. Cyll. —— 5.
13. *saeva*] *scaeva* A. C. unus Gebh.
14. *Somnia*] *Semina* Br. Cyll.
16. *Triviae*] *Veneri* F. D. R. Br. Cyll. —— [A.] *circum* B. —— [E.] *Triviae* F. A. C. Muret. St. Scalig. Passer. V. D. G. Col. 1. 5. [B. C. D.] *circum* Lipsii excerpta.
18. *felix*] *foelix* A.
19. *felicem*] *foelicem* A.
21. *frugumque*] *frugum* secundus F.
22. *teret*] —— *terit* 4.
23. *Aut*] *At* unus Gebh. *Et*. A. L. St. —— Col. 1. [B. C. D.] *Haec* vulg. —— *At* 5. *Aut* FF. C. B. D. R. Br. Cyll. sex Gebh. St. —— [A. E.]
28. *Pro segete spicas*] *Pro segete & spicas* FF. B. C. D. Colb. R. St. —— E. G. [A. E.]
30. *Et juvet*] sic C. Cyll. *Adjuvet* FF. A. B. Colb. D. R. P. St. Gebh. —— D. E. G. vel *Et juvet* G. [*Adjuvet* A. E. *Adjuvat* B. C. D.] *Adjuvat* L. —— *At juvet* 1. Col. *Adjuvet* 1. Col.
31. *Huc*] *Nunc* primus F. —— [*Huic veniat* D.]
31. *cui*] *quoi* C. —— *quo* D.
32. *detrahet*] *detrahat* A. B. C. Colb. St. D. R. Br. Cyll. —— V. D. E. G. [A. B. C.]
35. *Caurusque*] *Eurusque* FF. A. B. C. Colb. L. D. R. St. septem Gebh. —— D. E. Col. 1. 2. [A. B. C. D. E.] *Chaurusque* Br. Cyll. *durusque* P.
36. *Jactat*] —— *Lactat* E. [*Jactet* B.]
37. *Num*] —— [*Quin* C. D.] *Num* FF. A. B. C. St. —— V. D. E. G. 1. 2.
37. *magnae*] —— [*magni* C.]
38. *nunc*] *num* B. —— V. D. E. G. 1. 2.
38. *luit*] *tulit* St. —— *tulit* V. [*luet* B. *tulit* C. D.] *Ut mea nunc poenas impia lingua luat* Col. 2. sic & Stat.
39. *Num*] —— [*Quin* C. *Quin*, vel *Num* D.]
43. *genibus*] —— *pedibus* V. D. ita citavit Turnebus L. 12. Adv. C. 5.
44. *sancto*] *tacto* Colb. unus St.
46. *Unus*] *uni* excerpta Perreji. *vanus* FF. A. C. —— 5. [A. D.] Gebh.
46. *saeviet*] *serviet* F.
46. *usque*] —— *ipse* D.
53. *arcta*] *arta* B. St. Gebh. *arcta* FF. C. A. *atra* St. —— 1. 2. Col. [*atta* A. C. *apta* B.
53. *circumstrepit*] *circumstetit* Colb. Ald. Colin. Gryph. Plant. —— *circumstitit* D. *circumvenit* F. Colb. unus Gebh. *circumterit* A. B. C. F. D. R. Br. P. L. excerpta Perreji. St. quinque Gebh. Cyll. —— V. E. G. 1. Col. [A. B. C. D. E.]
55. *dedita*] *debita* D. R. P. Cyll. vide Statium.
55. *serviit*] *servit* FF. A. B. C. D. Br. R. Cyll.

Eleg.

Lib. I. Eleg. VI.

1. *tentavi*] *temptavi* C. St. quem vide.
3. *quum*] *quom* A. ——— D.
4. *Admonuit*] *Ammonuit* A. ——— [*Admovit*, vel *Admonuit* B. *Ammovit* D.
4. *deseruitque*] *destituitque* A. ——— D.
5. *discedens devotum*] *devotum discedens* A. L. ——— [B. C.] *devotum descendens* D. R. unus Gebh. ——— E. G. [D.]
6. *Et, pudet heu, narrat*] *Et pudet & narrat* FF. A. B. C. Colb. St. D. Mattius L. 1. Opin. C. 13.
7. *verbis*] *herbis* St. ——— 1. Col.
7. *tenerisque*] *niveisque* A. ——— D. [B. C. D.]
9. *Aemonium*] *Hemonium* F. C. D. Cyll.
9. *Nereis Pelea*] *Nereis quae Pelea* FF. C. St. D. ——— E. D. G. [A. B. C. D. E.]
12. *exitium*] *exicium* A.
16. *strix*] *stix* A.
17. *herbasque*] sic St. Scalig. sex Gebh. FF. A. B. C. D. Cyll. ——— V. [C. E.]
20. *a*] *e* St. Passer. F. A. B. D. R. L. Cyll. ——— Col. 1. 2. D. E. G. [C. D. E.] *et* duo Gebh. *hanc* F. C. Br. *haec* P. *a* Lipsii excerpta.
24. *omnis amor*] *ipsa Venus* FF. ——— *omnis amans* D. Col.
26. *in tenero fixus erit latere*] ——— *in duro limine fixus erit* A. V.
27. *turbae*] *turmae* A.
28. *Subjicietque*] *Subicietque* D.
29. *deducit*] *deducet* FF. B. Colb. St. ——— [C. D.] *deducit* A. C. D. R. Br. Cyll. ——— E. G. [A. B.]
29. *amicos*] ——— [*amictus* C. D.]
30. *detrahit*] *detrahet* F. A. B. Colb. ——— 5. *detrahit* C. D. R. Br. Cyll. ——— E. G. *subtrahet* F.
33. *caveto*] ita C. duo Gebh. *timeto* St. quatuor Gebh. FF. A. B. Colb. —— V. D. E. 1. [*timeto* A. C. D. *timeto*, vel *caveto* E. *teneto* B.]
34. *cito*] *rotae* F. C. B. St. Colb. D. *rota* F. A. sex Gebh. ——— *cito* V. A.

Lib. I. Eleg. VII.

1. *inducas*] *inducar* FF. A. C. D. ——— V. *inducas* St. B.
4. *homini*] ——— *hominum* D.
5. *Jam mihi*] *Nam mihi* St. Gebh. FF. A. B. C. D. ——— V. D. E. G. [A. B. C. D. E.] *Jam mihi* P. quinque Gebh.
7. *durum est*] ——— *durum* D.
8. *Sic etiam de me*] ——— *Nam sic & de me* Col.
8. *pernegat usque*] *ipsa* unus Gebh. *usque* FF. A. C. *quod neget illa* B.
9. *quo posset*] *posset quo* A.
10. *eheu*] *heu heu* omnes Gebh. F. A. B. C. D. L. R. Br. Cyll. Lipsii excerpta. ——— D. E. G. [A. B. C. D. E.]
11. *nunc*] *tunc* F. Br. Cyll. vulgatae. *nunc* omnes St. omnes Gebh. F. A. B. C. D. ——— D. E. G.
11. *quur*] *ut* St. Gebh. FF. B. C. Colb. excerpta Lipsii. D. R. Br. Cyll. P. ——— Col. 2. E. G. *quo* A. L. [B.] ——— *qua* D. *cur* 5.
12. *fores*] *forem* excerpta Perreji.
12. *nunc*] *tunc* F. ——— *tum* D. [C. D.] *nunc* omnes St. A. B. C. D. F. ——— E. G. [A. B.]
13. *Tum*] *Tunc* FF. A. B. C. D. Cyll. *Nunc* R. ——— *Tum* D. [C. D.]
13. *queis*] *quis* A. B. C. D. R. Br. Cyll.
15. *conjunx*] *cojunx* Cyll. *conjunx* FF. A. B. C. vide Manutii Orthographiam.
15. *incaute*] *cautaeque* C.
16. *nihil*] sic FF. A. B. C. D. ——— *minus* St. Douza. ——— 5. Col.
20. *Ne*] *Neu* St.
20. *in*] ——— *ut* V.
23. *aram*] sic unus St. B. L. [B.] *aras* St. FF. A. C. D. Cyll. ——— [A. C. D. E.]
24. *Tunc*] *Tum* St.
31. *nec me jam*] *nec jam me* Florentinus St. ——— *nec me non* D.
32. *cui*] *quoi* D.
33. *perstat*] ——— *praestat* D.
34. *ac refugit*] *atque fugit* St. Gebh. Br. Cyll. P. ——— 2. Vide Gebhardum.
36. *usque*] *ipse* St. Gebh. A. B. C. ——— [A. C. D. E.] *atque* Br.
37. *Nescio*] ——— *Nescis* Col.
38. *nat*] *nam* Br ——— D. [A.] *jam* St. L. ——— V. [B. C. D.]
40. *frustra*] *a frustra* omnes St. A. *ah frustra* D. R. tres Gebh. ——— V. *ac frustra* excerpta Perreji Br. Cyll. unus Gebh. *heu frustra* C. ——— [*& frustra* B.] *frustra* Lipsii excerpta.
43. *servandam*] *servandum* Br. Cyll.
44. *detrecto*] *detracto* R. ——— E.
45. *Tunc*] ——— *Tum* D.

46. *Es-*

46. *Effluit*] *Et fluit* Gebh. ——— D. Col. [B. C. D.]
46. *laxa*] *lapsa* Colb. *lassa* FF. C. B. ——— D. *laxa* St. Gebh. A. D. L. P. ——— 1. 2. E. G. F. [C. D.]
47. *ne possit crimen habere*] ita F. C. *crimen possit* F. St. Br. Cyll. ——— 5. [A.] *crimen posset* D. R. ——— E. G.
52. *non & amans*] *non amens* St. FF. & sic optimae quaeque editiones: Aldina, Gryphiana, Mureti, Canteri, Douzarum. *non & amens* C. D. L. P. R. [*non est amens* B.] *non & amans* excerpta Perreji. A. Br. Cyll. [A. C. D. E.] *nec & amens* B. *nec amens* Colb. ——— *nec es amans* V. *nec demens* 5.
53. *suos*] *sua* A.
53. *violenta*] sic St C. A. L. ——— 2. 5. *violata* unus St. FF. B. D. Br. R. Cyll. ——— V. E G. [A.]
54. *Sanguineque effuso*] *Sanguine & effuso* Br. Cyll.
55. *Statque*] ——— *Satque* D.
55. *praefixa*] ——— *perfixa* F.
56. *eventus*] ——— [*invitus* E.]
56. *monet*] *movet* L. P. ——— D.
60. *hic*] *hinc* D. R. unus Gebh. ——— E. G.
60. *ventis*] *vento* B. ——— [*ventus* C. D.]
62. *admittas*] ——— [*admittat* D.]
63. *parco tibi*] *tibi parco* A.
64. *Me monet*] *Me movet* St. FF. A. B. C.
65. *Haec mihi te adducit*] sic F. A. B. C. [*Haec mihi te adjungit* A. *Haec mihi te abduat* B.] *Haec mihi te abducat* L. *Haec me deducit* St. Gebh. F. D. Cyll. R. Br. ——— 1. E. G.
66. *taciturna*] *tacitura* A.
69. *mi*] *mihi* FF. A. B. C. D. R. Br. Cyll. [A. B. C. D.]
70. *modo*] ——— *mihi* D.
72. *illa*] *ille* A. Colb. [D.]
73. *non*] *nec* F. Br. Cyll. excerpta Perreji. *non* A. B. C. D. F.
75. *sint*] sic A. B. C. FF. [C.] *sunt* St. D. R. B. Cyll. L. ——— E. G. 1. [B. E.]
76. *Possim ego*] *Possum ego* St. A. B. C. FF. D. R. Br. L. Cyll. ——— D. E. G. [A. B. C. D. E.]
77. *putor*] ita F. ——— D. *puter* St. ——— Col. *putet* P. ——— 2. *putem* A. L. [B. C. D.] *putat* F. C. B. Colb. D. R. Br. Cyll. [A. E.]
77. *ducterque*] *ducorque* FF. C. B. D. Cyll. ——— B. [A. E.] *ducarque* St. A. L. P. excerpta Perreji. ——— 1. 2. 5. [B. C. D.] *ducitque* Colb.
78. *properas*] *proprias* St. Gebh. A. B. C. FF. D. R. Br. Cyll. ——— V. E. [A. C. D.] ——— *properans* 4. *pronas* excerpta Perreji. St. P. ——— 1. 2. Col.
78. *proripiarque*] sic A. L. excerpta Perreji. ——— 1. 2. Col. [C. D.] *proripiorque* Gebh. B. C. FF. ——— V. E. 4. [A.] *praeripiarque* Gebh. *diripiarque* excerpta Lipsii.
78. *vias*] [*manus* C. D.]
79. *iste*] sic B. FF. D. Cyll. *ipse* St. Gebh. A. C. L.
80. *optarim*] [*optarem* B.]
81. *Ne*] *Nec* FF. A. B. C. D. Cyll.
81. *saevo*] ita quinque Gebh. St. FF. A. B. D. Cyll. *scaevo* C. unus Gebh.
81. *sed*] ——— *si* D.
83. *At*] sic St. F. A. D. *Ast* F. B. Cyll. ——— V. A. D. E. G. [E.] *Nam* St. C.
83. *fuit*] *manet* Colb. ——— *fuit*, vel *manet* V.
84. *Ducit*] ——— *Ducat* D.
84. *torta*] ——— *certa* D.
85. *adnectit*] sic A. F. D. *annectit* B. C. F.
86. *de niveo*] *sub niveo* Colb.
86. *ducta putat*] *dente putat* Aldina. Gryph. *fila parat* Colinaea. *dente parat* excerpta Perreji. Plantin. Gryph. *ducta parat* Cyll. *ducta putat* St. FF. A. B. C. D. Colb. Lipsii excerpta. P. L. R. Br. ——— V. E. D. G. 2. [C. D. E.] *texta parat* Col.
87. *animo*] *oculo* Colb. pro diversa lectione.
87. *juvenumque*] *juvenesque* F.
89. *Hanc Venus*] hoc distichon non habet codex Colbertinus.
90. *insidis*] *infelix* Cyll. [E.]
90. *quod*] sic FF. A. B. Cyll. ——— V. [E.] *quae* D. R. ——— E. *quam* St. C. P. Br. ——— 1. 2. 5.
92. *simus*] *flemus* excerpta Perreji, Gebh. F. a manu prima. Br. Cyll. ——— D. [E.]

Lib. I. Eleg. VIII.

1. *Hunc*] *Hanc* D. R. ——— E. G. [*Tunc* A.]
3. *Hunc*] *Nunc* B. ——— 4. *Hunc* Col.
3. *fundere*] *spargere* Scal. B. Colb.
4. *Atur*] *Atax* St. FF. A. D. R. Br. Cyll. *Athax* Colb. *Arax* B. *Arar* C. ——— *Atlas* V. *Atax* 1. [A. B. *Atax*, vel *Arabs* E. *Arax* C. D.]
5. *Evenere*] ——— *Et venere* D.
6. *evinctos*] *evictos* B. ——— *invinctos* Col. [*evi-*

[*evictos* E. *euntes* C. D.] *invictos* Lipſii excerpta.

8. *Portabat*] ſic St. FF. A. B. C. Br. Cyll. *Portabit* Scal. St. Gebh. Colb. D. R. —— V. D.

8. *nitidis*] ſic St. Gebh. FF. D. R. Br. Cyll. A. B. —— V. E. G. [C. D. E.] *niveis* St. C. —— Col. 5. Ald. Gryph.

9. *Non*] —— *Nec* Colot.

9. *Tarbella*] *tua bella* St. FF. A. B. C. Colb. D. R. Br. Cyll. —— V. D. E. G. [A. B. C. D. E.] *per bella* Gryph. Plant. Muret.

10. *Santonici*] ſic omnes St. F. A. B. C. D. *Sanctonici* C. F. R. Cyll. —— *Sanctonia* D. [*Sanctonici* C. D. E.]

11. *Arar*] ſic C. F. A. D. Cyll. —— [*erit*, vel *Arar* E.] *Atax* F. —— D. *Arax* B. Colb. —— [C. D.]

12. *Carnuti & fluvii*] *Carmoti & flavi* Br. Cyll. —— *Flavi & Carnuti* 1. *Carnoti & flavi* St. FF. A. B. C. D. R. —— V. D. E. G [A. B. C. D. E.]

13. *At*] *Et* L. [B.] *An* P. —— *An* Col. *Quid* 5.

13. *Cydne*] *Cidne* A. B. C. F.

15. *contingens*] ſic A. B. C. F. *contingis* F. —— *contingere* Col.

16. *arat*] ita St. Gebh. FF. A. B. C. Colb. D. R. Br. Cyll. [B. C. D. E.] —— *alat* 1.

18. *ſuo*] *Syro* St. Gebh. FF. A. C. Colb. Gyll. D. *Siro* B. —— *ſuo* V.

20. *docta*] *poſſe* A. ſed pro diverſa lectione *docta*. *recta* B.

20. *Tyros*] ſic St. *Tyrus* St. D. R. Br. Cyll. —— E. G.

19. *proſpectet*] —— *proſpectat* V.

19. *Utque*] *Atque* C.

21. *arentes*] —— *ardentes* Col.

21. *quum*] —— *cum* 5.

22. *abundet*] *habundet* A. *abundat* B. —— V. D.

23. *poſſum te*] ſic B. F. *poſſim te* St. Gebh. F. C. P. D. R. Br. Cyll. —— E. G. [A. E.] *te poſſim* A. [B.]

26. *ſupplicat*] *ſuplicat* B.

27. *pubes*] ſic St. FF. B. D. R. Br. Cyll. —— D. *proles* A. C.

28. *Memphiten*] *Memphitem* FF. C. B. D. —— D. E.

28. *plangere*] *plaudere* P. Br. Cyll. excerpta Perreji, & Lipſii. —— 1. 2. [A.]

30. *ſollicitavit*] *ſolicitavit* B.

35. *jucundos*] *jocundos* A. C. D. R. —— D. E. G.

35. *ſapores*] [*ſopores* E.]

38. *certos*] [*tritos* B.]

40. *dedit*] *dabit* B.

41. *afflictis*] *aflictis* A.

42. *compede*] *cuſpide* St. FF. A. B. C. D. R. Br. Cyll. L. —— V. E. G. [*cuſpide* A. B. C. D. *compede*, vel *cuſpide* E.] —— *compede* 5. & pro varia lectione G.

42. *pulſa*] ſic St. FF. A. C. [*pulſa*, vel *victa* E.] *preſſa* St. P. —— 1. 2. Col. *multa* B. —— V. [C.] *pulſa* L. *multa* Colb.

42. *ſonent*] ſic A. B. C. F. *ſonant* F. L. [*ſonant* B. *ſonent* C.]

43. *ſunt*] —— *ſint* D. [C. D.]

43. *nec*] *non* C. Ald. Gryph. Plant. *nec* St. Gebh. FF. A. B. D. R. Br. Cyll. —— D. E. G. [A. B. C. D. E.]

44. *chorus*] [*thorus* C.]

44. *& levis aptus Amor*] ita Scalig. St. Paſſer. Gebh. A. B. C. FF. D. R. —— V. 1. [A. B. C. D. E.] *levis &* Br. Cyll.

46. *ſed*] *quoque* Gebh. D. R. —— E. G.

51. *Illius & nitido*] ſic St. FF. C. D. [A. B. C. D. E.] *e nitido* Cyll. Muret. Scalig. Gebh. A. B. P. —— E. G. 2.

53. *venias*] ſic A. B. C. FF. *veniat* Br. Cyll. *venies* D. P. R. —— E. G.

53. *dem*] ſic A. B. C. D. FF. L. [A. C.] *det* Colb. —— *dein* D. [*dent* D.] *dum* Cyll. Ald. Colinea, Gryph. Plant.

54. *Liba &*] ſic omnes ſcripti —— *Libaque* 1. Col.

54. *Mopſopio*] ſic St. C. *Mopſopiae* Paſſer. *Meſopia* F. *Moſopio* F. *Moſſopio* A. *Meſapio* B. *Mopſopio* Cyll.

54. *melle*] *mella* FF. B. R. D. Paſſerat. unus Gebh. —— D. G. [A. C. E.] *melle* St. A. C. Cyll.

55. *ſubcreſcat*] *ſuccreſcat* B. D.

55. *proles*] *virtus* B.

56. *Augeat*] *Audiat* unus Gebh.

56. *circa*] [*contra* C.]

56. *venerata*] ſic St B. — V. D.

57. *Nec taceant*] ſic St. Scal. [C. D.] *Ne taceat* St. [A.] —— D. *Nec taceat* Gebh. FF. A. B. D. P. R. L. Br. Cyll. — E. G. 1. 2. [B E.] *Non taceam* C. — *Ne taceam* V.

60. *apta*] *acta* B.

61. *canit*] *canet* St. *colit* Gebh.

61. *e magna*] praepoſitio *e* abeſt a cunctis ferme libris.

61. *quum*] *quom* A.

62. *rettuleritque*] *retuleritque* FF. B.

64. *veni*] *redi* St. *veni* A. B. C. FF. D. R. Br. Cyll. [A. B. C. D. E.]

Lib. I. Eleg. IX.

1. *celari possim*] *celare possum* St. FF. A. B. C. —— V. D. 1. 2. [A. B. C. D.] *celarim possit* Ald. Colin. Gryph. *celari possum* D. L. P. Cyll. Plantin.
1. *amantis*] *amoris* St. B. Colb. D. R. —— V. D. E. G.
2. *lenia*] *levia* excerpta Perreji, B. Br. Cyll. duo Gebh. [A. D. E.] *dulcia* unus Gebh. C. qui pro diversa lectione *lenia* habet in margine.
4. *Praecinit*] *Exprimit* St. duo Gebh. [A.] *Premit &* unus Gebh.
5. *nodo*] *collo* C. sed pro diversa lectione *nodo*.
6. *Perdocuit*] [*Praedocuit* E.]
6. *multis*] *Marathum* St.
6. *verberibus*] *vulneribus* St. B. —— E.
8. *invitos*] *invictos* B. L. [B.]
9. *molles prodest*] *prodest molles* FF.
10. *Saepeque*] *Saepe et* unus St.
10. *mutatas*] *turbatas* MS. P. excerpta Perreji.
11. *fuco*] sic D. R. Br. Cyll. *fucco* FF. *suco* A. B. excerpta Perreji. *succo* unus Gebh. C. —— V. A.
11. *comas ornare*] sic A. B. C. FF. excerpta Lipsii. [A. B. C. D. E.] *genas ornare* unus St. excerpta Perreji. *genas ornasse* P. —— Col. 1. 2. 5. *comas redimire* Lipsii excerpta.
12. *subsecuisse*] *supposuisse* unus Gebh.
12. *docta*] —— *doctos* D.
13. *mutantur*] *mutatur* Colb. *portantur* C. sed pro diversa lectione *mutantur*.
13. *jam*] —— *nam* D.
14. *Ansaque compressos colligat arta pedes*] —— *Arctaque constrictos cogit aluta pedes* I. Sic olim Aldus edidit; ac deinde Colinaeus. *comprensos colligit arte* excerpta Lipsii.
14. *colligat*] ita C. *alligat* F. unus Gebh. Br. Cyll. *adligat* St. *collit* F. *colligit* unus St. unus Gebh. A. B. Colb. D. R. P. L. —— 2. D. E. G. [B. C. D. E.]
14. *arta*] sic St. *arcta* F. —— *illa* 1. *arte* unus St. A. B. C. F. —— D. [B. C. D. E.] *arcta* D. Cyll.
15. *Ipsa*] sic Florentinus St. & Colinaei editio. *Illa* omnes St. A. B. C. FF. Colb. D. P. L.
17. *Num, num*] *Non, non* A. [B.]
17. *pallentibus*] ita St. Gebh. A. B. C. D. FF. Cyll. *pellentibus* Br.
18. *Devovit*] *Devovitat* Br.
19. *fruges*] sic A. B. C. D. FF. Cyll. *segetes* unus St. Colb. *messes* unus Gebh. Lipsii excerpta.
19. *traducit*] sic FF. C. St. Gebh. D. Cyll. *deducit* A. B. Scalig. Colb. unus St. —— D. [B. C. D.]
19. *agris*] *arvis* A.
21. *e curru*] *e coelo* Br. Cyll. excerpta Perreji. *e cursu* Gebh. [*e coelo* manu sec. E.]
21. *Lunam deducere*] *deducere lumina* F. St. Cyll. excerpta Perreji. [A. E.]
21. *tentat*] *temptat* A. C.
22. *repulsa*] *recurva* Passeratii liber. Cyll. Perrejus ex libro Veronensi.
23. *queror*] *querar* B. —— D. *precor* A.
27. *tamen*] *memor* Colb.
28. *Persequitur*] ita B. C. FF. *Prosequitur* A. pro diversa lectione B. D. R. —— E. G. [B.]
29. *ne*] sic A. C. D. FF. St. —— E. G. [C. D. E.] *nec* B. Colb. St.
31. *laevia*] *levia* C. D. F. *lenia* A. [B. C. D.] *mollia* F. B. excerpta Perreji. St. Gebh. Br. Cyll. —— D.
32. *aspera*] ita A. B. F. [C. D. E.] *hispida* excerpta Perreji. C. F. St. Muret. Gebh. Br.
33. *Huic tu*] *Hujus* unus St.
35. *succumbere*] sic B. Colb. duo St. Scalig. *concumbere* F. A. C. D. Cyll. & pro diversa lectione Colb. *concurre* F. *concurrere* pro lectione diversa F. —— *succumbere* V. D.
36. *usque*] —— *ipse* E. G. Br. R.
37. *anhelanti*] *anhelantim* D. —— *anhelatim* E. G.
38. *figere*] [*fingere* E.]
39. *frigore*] —— *frigora* D.
39. *juvent*] *juvant* A. B. C. FF. D. Br. R. Cyll.
40. *Dormiet*] *Dormiat* A. B. C. FF. Colb. Cyll. St. D.
40. *cupienda*] *capienda* unus Gebh. unus St.
41. *juventa*] sic A. F. *juventus* B. F. —— D. [C. D.] *juventas* St. Gebh. C. D. R. —— E. G. [A. B.] & sic Mattii liber ubique.
42. *cana*] *curva* unus Gebh. Br. Cyll. Perreji excerpta.
42. *Quum*] *Quom* B.
45. *tunc*] ita St. A. FF. *nunc* C. D. St. —— E. G. [A.] *tum* B. [C. D.]
46. *demta*] *dempta* C.
47. *primi*] —— *primum* D.

48. *illa*] *ipsa* A.
49. *Neu Marathum torque*] ita FF. C. *Seu M. torque* St. *Heu M. torques* FF. Colb. D. R. St. *Seu M. torques* A. B. L. Br. Cyll. [B. C. D.]
50. *senes*] *sinus* A. & pro diversa lectione *senes*. [sinus B.]
51. *sontica*] sic A. C. *rustica*, vel *sentica*, pro diversa lectione A. *sentica* F. B. [C.] *scutica* St. F. [A.] *rustica* L. St. *sartica* St. [*rustica cura*, vel *sentica causa* D. *rustica cura* B.]
53. *Veh*] *Ut* Colb. —— D. *Vel* St. A. B. C. FF. D. R. Br. Cyll. [A. B. C. D. E.] — *Va* 1. Col.
54. *Conjicit*] sic B. Cyll. *Concinit* F. —— Col. *Conicit* A. C. D. F. St. Gebh.
55. *Quid*] *Cur* B. —— D.
55. *spernis*] sic A. B. FF. D. Cyll. *spernit* C. St. [A.]
55. *vinci*] sic omnes St. FF. A. B. C. D. Cyll. Colinaea. [C. D. E.] *falli* Ald. Gryph. Plantin. —— *falli* 5.
57. *lenis*] *levis* L. [B.]
58. *nec*] [*ne* E.]
59. *possum*] *possim* A. D R. liber Mattii I. Opinion. 13. —— *possim* E. G. [B. C. D.]
60. *strepitu*] *sonitu* unus St.
61. *prosunt*] ita St. A. F. P. L. & pro diversa lectione C. *possunt* St. B. C. F. Colb. D. R. —— E. G. [A. C.]
63. *quum*] *quom* A. B.
64. *modis*] *malis* St. F. A. B. C. Perreji excerpta. Colb. liber Mattii. D. R. Br. Cyll. P. L. —— *modis* 1. *malis* 2.
66. *pedem*] *pedes* A. C. FF. D. Cyll. —— *pedem* V. D.
67. *Ah*] *Vah* B.
67. *jura*] [*rura* E.]
68. *tegam*] *tegant* St. FF. A. B. *tegam* C.
69. *si clausa mea est*] *mea si clausa est* A.
69. *nulla*] *rara* A. B. C. FF. St. D. Cyll.
70. *Me*] *Heu* St. A. B. C. FF. D. Cyll.
70. *laxam*] *lassam* B. —— *lapsam* E.
70. *juvat*] [*juvet* E.]
72. *tument*] *tepent* L. [B.]
74. *tura*] *thura* A. B. C. F. D. *tura* F.
75. *miseros*] *miseras* B.
75. *amantes*] *amatos* P.
77. *lacrimas*] sic St. A. B. FF. D. —— D. E. G. [D.] *lacrimis* C. Ald. Gryph. Plant. Br. Cyll. [E.]
77. *dolentis*] [*dolentes* D.]
79. *omneis*] *omnis* A. C. D.
79. *illi*] —— *ulli* D.
80. *dura*] sic St. B. C. D. FF. —— D. E. G. *firma* St. A. —— 1. 5.
81. *nisi*] sic B. *ni* St. omnes Gebh. A. FF. C. D. R. —— G. Col. 1. [A. B. C. D. E.]
82. *Quam*] *Quod* Colb. f. *Quot*.
82. *revocare*] *remeare* B.

Lib. I. Eleg. X.

1. *miseros*] *teneros* Br. Cyll.
1. *amantes*] ita unus St. F. Br. Cyll. Perreji excerpta. *amores* St. A. B. C. F. L. P. R. D. —— 2.
3. *Ah*] ita B. F. D. Cyll. *A* St. *Ha* Gebh. A. C. F. [B. E.] *Hac* Colb. *A* Lutatius ad Papin. L. 5. Theb ℣. 689.
9. *petituras*] sic A. B. F. D. —— V. A. 1. 2. [A. B. C. E.] *petiturus* C. [B.] *petituros* F. Cyll. [C. D.] —— *perituros* G. & sic excerpta Perreji.
9. *freta per parentia*] ita A. B. FF. St. *per freta parentia* C. *parentia per freta* St. D. —— E. G. [D.] [*per vela patentia* C.] *per freta patentia* Cyll. Br.
10. *Ducunt*] [*Ducant* E.]
11. *at*] *ac* B.
11. *illa*] *ille* Colb. —— *illi* 5.
12. *vertat*] *vertet* Br. Cyll.
13. *persolves*] ita A. C. [B.] *persolvet* omnes St. FF. C. B. Colb. D. P. Cyll. [A. C. D. E.]
17. *quoties*] *quotiens* A. B. C. FF. D.
19 *Divitiis*] [*O vitiis* A. D.]
20. *illi*] *illis* A.
21. *terga*] [*membra* C.]
23. *celandi*] sic omnes Gebh. —— V. A. *celanti* FF. A. B. C. St. D. R. Br. Cyll. Colb. [A. B. C.]
23. *spes*] *fax* A. B. C. F. St. Gebh. D. R. Br. Cyll. [A. B. C.] *fax* F. *fors* Colb. —— *spes* V. A.
24. *Est*] *Sit* B. C. FF. Colb. D. Cyll. St. Gebh. *Scit* A unus Gebh. *Est* St. —— V. A.
24. *vetat*] ita Br. Cyll. Gebh. [B.] *vetet* FF. A. B. C. D. R. Colb. St. [A. C. D. E.]
24. *esse*] *ipse* Colb.
25. *vela*] *leva* Scaligeri cod. B. D E. L. [C. D. E.] *laeva* A. unus Gebh. *lena* unus St. Lipsii excerpta. *saeva* unus Gebh. unus Mureti; qui inde *saepe* facit. *saepe* MS. *lene* C. Br. Cyll. *leve* FF. Colb. —— *saepe* 1. *lene* 5. *leva* A. E. G. [*leve* A.]
25. *ministro*] *magistro* unus St.

26. *Ederet*] *Adderet* F. *Et decet* C.
26. *ut*] [*et* C. D.]
28. *invitos*] *invictos* A. *immites* B. Colb.
29. *ego*] *mihi* L. [B.]
29. *nunc*] —— *nec* D.
29. *flevisse*] *dixisse* C.
30. *Nunc*] *Non* D. R. —— *Non* E. G. *Nunc* 5.
31. *Tunc*) ita A. B. C. FF. —— 5. [A. B. C. D.] *Tum* Ald. Gryph. *Tu* D. R. Br. Cyll.
31. *nullo te*] *nullo tibi* St. FF. C. A. B. D. R. Br. Cyll. —— *nullo te* 5. *nullo tibi* D. E. G. [A. B.] [*nullius*, vel *nullo te* E. *nullius* C. D.]
32. *gemmis*] —— *geminis* E.
32. *vendere*] *frangere* D. R. P. —— *frangere* 1. 2. E. G.
33. *Campania terra*] *Campania tota* Perreji excerpta.
35. *eriperes*] *eriperet* A. C.
36. *fluminis*] *fulminis* A. D. R. P. L. Colb. Perreji excerpta. & liber Mattii I. Opin. 13. —— Col. D. E. G. [B.]
39. *Quid faceres*] sic F. P. plures Statiani. unus Gebhardi. *facerem* Scal. duo Gebh. Ald. L. D. R. Br. Cyll. *faciam* F. A. B. Ald. Colin. *facias* C. *Quid dicam, quod, ut ipse*, unus St. tres Gebh. —— *facerem* V. vel *faceres* G. *faceres* 1, 2. [*faciam* A. *facerem* B.]
40. *Sit sed*] ita FF. C. *Sed sit* A. B. Colb. D. R. Br. Cyll. —— 1. 5. Col. [B. C. D. E.]
41. *quoties*] *quotiens* A. B. C D. FF.
43. *venit tibi*] [*tibi venit* C.]
45. *Tum*] [*Tunc* B. C. D.]
45. *amari*] [*amori* D.]
46. *Non*] sic Colin. [B.] *Nam* St. FF. C. A. B. Colb. D. Cyll. —— *Nam* 2. Ald. Gryph.
48. *At*] *Et* A. B. C. FF. Colb. D. Br. R. Cyll. [A. B. C. D. E.]
49. *rapida*] *rabida* F.
51. *Sit procul a nobis*] *Tu procul hinc absis* St. Mur. FF. C. A. B. Colb. D. Cyll. & omnes Heinsiani.
51. *formam cui*] *cui formam* A. B. C. FF. D. Cyll.
51. *cura est*] ita St. Mur. A. B. C. —— D. E. G. [C. D.] *curae*, absque verbo *est*, FF.
53. *At te*] *At tu* B. Colb. Br. Cyll. —— D.
53. *puerum donis*] *donis puerum* F. unus St.
55. *quum*] *quom* A.
55. *lassaverit*] *lassaverat* L. *laxaverit* B. St. —— V. D.
57. *Sint externa tuo semper*] sic Br. Cyll. *Semper sint externa tuo* omnes St. FF. C. A. B. Colb. L. R. D. —— D. E G. *extrema* E. G. *externa* 5.
60. *vel*] sic B. C. FF. Lipsii excerpta. *quam* A. duo St. quatuor Gebh. D. Cyll. R. Br. P. —— *nec* V. *quam* E. G. 1. 2. [*vel* C. D. *quam* E.]
61. *ferunt*] *ferant* unus St. D. R. Br. Cyll. P. —— E. G.
63. *Illa nulla queat*] sic excerpta Perreji, Scal. St. duo Gebh. A. B. C. F. P. —— V. D. [A. C. D. E.] *Illa querat nullam* D. R. *Illa queat nullam* Br. Cyll. unus St. *Illa nullam queat* F.
63. *noctem*] [*nocte* D.]
64. *Atque*] sic St. Ald. Colin. Gryph. *Aut* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. Plant. —— D. E. G. 1.
64. *vices*] —— *vias* 5.
66. *Quum*] *Quom* A. —— D.
66. *movet*] —— *thait* D. [*monet* A.]
67. *putas*] sic A. B. C. D. FF. *putes* P. Colb. duo St. Br. Cyll.
68. *Aut*] *Et* St.
68. *pectere dente*] *pectine nocte* B. *nectere dente* F.
73. *Non*] *Nec* A. C. D. F. L. P. —— 2. *Hec* F.
75. *Huic*] ita F. C. St. D. Cyll. [C. D. E.] *Hunc* A. B. F.
79. *quum*] *quom* A.
80. *in gremio*] sic D. R. B. Cyll. *regno* Perreji excerpta, A. B. C. FF. Colb. duo St. —— *regno* 1. 2. 5. Col. *gremio* E. G. vel *regno* G. *regno* D.
80. *regna*] sic A. B. C. D. F. Colb. Cyll. *bella* F. duo St. *Et geret in regno regna* Sforτiae liber.
81. *tum me*] *dum me* omnes St. A. F. D. Br. R. Cyll. L. *me dum* B. —— *me dum* V. *dum me* D. E. G. [A. B. C. D.]
81. *Venerique merenti*] *Veneri ipsa merenti* unus St.
82. *aura palma*] —— *picta tabella* Col.

Lib. I. Eleg. XI.

1. *protulit*] [*pertulit* B. D.]
3. *tunc, tunc*] sic FF. *tum, tum*, St. A. B. C. —— *tum* D. [D.]
4. *dirae*] *durae* unus St.
5. *At*] *An* B. P. —— *An* 1. *Forsan & ille nihil* V. A. [*An nil* A. *An nihil* A. E.]
8. *Faginus astabat*] *adstabat* C. D. *Fagineus stabat*

stabat L. —— *Fagineus stabat* 5. [B. C. D.]
8. *quum*] *quom* A.
8. *dapes*] *pedes* Colb.
12. *micante*] sic omnes St. omnes Gebh. Lipsii excerpta. FF. C. D. Colin. [E.] *tremente* A. B. L. Colb. Ald. Gryph. [B.]
13. *jam*] —— *nunc* D.
15. *Sed patrii*] [*Dii patrii*, vel *Sed*, E.]
16. *quum*] *quom* A.
17. *Neu*] sic A. B. C. D. FF. *Heu* Br. *Nec* St.
18. *veteres aedes*] sic liber Sfortiae, & tres Gebh. *veteres edes* C. *veteres sedes* omnes St. quatuor Gebh. FF. A. B. D. R. Br. Cyll. P. L. —— *veteres aedes* V. 5. [A. B. C. D. E.] —— *veteres sedes* D. E. G. *veteris sedes* 2.
23. *voti compos*] *compos voti* F.
25. *aerata*] [*irata* B.]
26. *Hostiaque e*] sic omnes St. A. B. C. D. FF. *Hostia erit* Lipsii excerpta, P. & Perreji. —— 1. 2. Col.
26. *plena*] *plana* C.
26. *mystica*] ita A. D. P. Lipsii excerpta. —— E. G. 1. 2. [B.] *rustica* omnes St. B. C. FF. Colb. MS. Perreji excerpta.
26. *hara*] *ara* A. B. *aqua* Colb.
26. *Hunc*] *Hanc* omnes St. omnes Gebh. Lipsii excerpta. Scalig. A. B. C. D. FF. Colb. R. Br. Cyll. —— V. D. E. G. 1. [A. B. C. D. E.]
28. *Vincta*] *Uda* Sfortiae liber.
31. *potanti*] sic FF. A. B. D. Cyll. & pro diversa lectione C. *pacanti* St. unus Gebh. C. [A.] *pachanti* unus Gebh.
32. *in mensa*] *inmenso* Colb.
34. *illa*] *ipsa* F.
37. *percisisque*] *perscissisque* Scalig. *pertusisque* Douza, Livinej. *perculsisque* unus Gebh. *percussisque* unus St. D. —— *percissisque* A. V.
37. *ustoque*] *ruptoque* unus St. [*vastoque* B.]
39. *Quam*] *Quin* Lipsii excerpta.
39. *hic est*] —— *enim est* 2.
41. *at*] sic A. F. D. & pro diversa lectione C. *ac* F. *et* C. Colb. [C. D.] *ut* B. [E.]
42. *comparat*] —— *conparat* D.
46. *curva*] *panda* F. unus St. Lipsii excerpta.
48. *nato*] *natis* Colb. *gnato* Gryph.
49. *at*] *et* Colb. *ac* A. B. [C. D.]
51. *ipso*] *ipse* F. *uno* Lipsii excerpta. —— *ipse* 5. *uno* 2. Col. [*ipso*, vel *ipse*, E.]
53. *tunc*] *cum* A. [*nunc* B. *tum* C. D.]
54. *perfractas*] A. B. C. D. FF. R. Br. Cyll. *confractas* St. Gebhardus *praefractas* conjiciebat.
55. *subfusa*] *suffusa* A. duo Gebh. *subtusa* B. C. D. FF. Colb.
56. *tam valuisse*] *convaluisse* F. Florentinus Statii. *evaluisse* Sfortiae liber.
58. *lentus*] sic FF. A. B. C. D. Br. R. Cyll. *laetus* duo Gebh. L. [B.]
59. *Ah*] *Ha* F. & codices Mattii L. 1. Opin. C. 15. *At* Sfortiae liber. (Vide paullò supra ad Eleg. 10. ℣. 3.)
60. *e caelo*] *& caelo* A. Colb. [A. C. D.] duo St.
60. *deripit*] sic unus noster, & plures Statii.
61. *perscindere*] sic A. B. C. FF. D. *prescindere* Cyll. *praescindere* unus Gebh. & Passeratii liber.
62. *ornatus comae*] ita Scalig. lib. quatuor St. unus Gebh. B. FF. L. *ornatas comas* C. D. Cyll. quatuor Gebh. *ornatus comis* A. St. unus Gebh. —— *ornatus comae* 1. 5. D. V. [C. D.]
66. *gerat*] [*ferat* C. D.]
68. *Praefluat*] sic St. F. *Profluat* S. excerpta Perreji. *Perfluat* A. B. C. D. F. Br. R. Cyll. —— *Profluat* 1. 2. Col. [*Praefluat* A. B. C.]

Lib. II. Eleg. I.

1. *faveat*] *valeat* omnes Gebh. credo & omnes St. FF. A. B. C. D. Br. R. Cyll. *valet* Colb. [*faveat* A. B. C. D. E.]
4. *Ceres*] *senem* Br.
6. *cesset*] [*cessat* B.]
8. *stare boves capite*] *vertice stare boves* Scaligeri excerpta.
11. *discedite*] sic B. Br. Cyll. excerpta Perreji. *discedat* St. A. C D. FF. L. P. R. Lipsii excerpta. —— *discedat* 2. E. G. [*discedite* D. *discedat* C. D. E.]
12. *Queis*] *Cui* A. B. C. FF. Colb. D. Br. Cyll. Lipsii excerpta. —— *Quis* 1. *Qui* D. [*Cui* C. D. E.]
12. *hesterna*] [*externa* C. D. E.]
18. *pellite limitibus*] sic A. B. C. D. F. R. Cyll. MS. *tollite liminibus* liber Passer. *pellite liminibus* F. unus St. unus Gebh. Br. *tollite limitibus* unus St. *pellite fictilibus* unus Gebh.
19. *eludat*] *educat* unus Gebh.
19. *Neu*] *Heu* Br.
19. *messem*] *messes* Colb.
20. *segnior*] ita B. unus St. Perreji excerpta. —— V.

——V. D. [B. D.] *tardior* A. C. D. FF. Cyll.
21. *Tunc*] —— *Tum* D.
21. *confisus*] [*confixus* D.]
21. *areis*] *agris* St. Gebh. A. B. C. FF. D. Cyll. Br. R. [A. B C. D. E.]
22. *Ingerat*] sic quinque Gebh. B. D. R. Br. Cyll. *Ingeret* omnes St. A. C. FF. —— *Ingeret* 1. [*Ingerat* E. *Ingeret* B.]
24. *Ludet*] *Laudet* A. —— *Laudet* 1. [C.]
24. *ante*] *arte* A. C. D. *ante* Perreji excerpta. St. Scalig. Passer. B. FF. unus Gebh. P. —— *ante* V. D. 2. Col. [A. C.]
35. *Huc ades*] *Nunc ades* duo St. Colb. D. R. [A.]
36. *gratia*] *gloria* unus St.
38. *Destituit*] sic A. C. *Destituat* duo Gebh. Colinaea. *Defuerit* Colb. *Desuevit* B. FF. D. P. St. D. Cyll. & pro diversa lectione A. —— *Desuevit* 2.
38. *querna*] —— *quernam* D.
39. *primum*] *primi* B.
40. *domum*] *casam* D. MS. R. P. Lipsii excerpta, & Perreji. unus Gebh. —— E. G. 1. 2. Col.
41. *primum*] *primi* B Colb. D. P. —— 2.
41. *docuisse*] *domuisse* A. C. F. quinque Gebh.
45. *Aurea*] —— *Antea* G. [C.]
45. *tunc*] *nunc* D. —— *nunc* E. G. [*tum* C. D.]
48. *annua*] *arida* A. *arrida* L. *aurea* Br. Cyll. Perreji excerpta. [*annua*, vel *aurea* E. *arida* B. C. D.]
49. *ingerit*] *ingerat* B. D. R. —— D. E. G. [C. D. E.]
50. *ut*] [*et* D.]
51. *lassatus*] *satiatus* FF. A. B. C. D. St. Cyll. Gebh. *defessus* MS. —— 1.
54. *duceret*] sic duo Gebh. A. B. C. D. FF. Br. Cyll. R. *diceret* MS. duo St. —— *diceret* 1. 2. 5 Col. [*duceret* A. B. C. D. E.]
55. *minio*] *nimio* D. R. —— *e mimo* D.
56. *arce*] *arte* quatuor St. Muret. excerpta Perreji. A B. C. D. FF. L. P. B. R. —— *arte* D. E. G. 1. 2. Col. [A. B. C. D. E.] *urbe* Cyll. Ald. Colin.
58. *duxerat*] *auxerat* A. C. D. FF. R. Br. Cyll. *auferat* unus St. Colb. *hauxerat* B. —— *hauxerat* D. *auferat* V.
59. *puer*] *prior* B.
62. *lucida*] *lurida* Colb.
64. *apposito*] —— *opposito* V. [*ut apposito poll. verset* C. D.]
65. *Minervam*] *Minervae* Lipsii excerpta. —— *Minervae* 1. Col.
66. *adpluso*] *appulso* B. C. FF. B. *oppulso* A. *apulso* Colb. *a pulso* Cyll. Turnebus xxx. Adv. 19. *applauso* St. Gebh D. R. *a plausu* L.
66. *sonant*] ita duo Gebh. excerpta Perreji. *sonat* St. A. B. C. D. FF. Lipsii excerpta. Colb. Cyll. R. Br. L. [A. B. C. D. E.]
68. *dicitur*] *ducitur* unus Gebh.
70. *Hei mihi*] *Heu mihi* A. C.
71. *velut*] —— *veluti* D.
71. *puellas*] *puellam* Cyll.
72. *Gestit*] *Gaudet* B
72. *audaces*] *indomitos* Colb. & pro diversa lectione *audaces*.
73. *juveni*] [*juvenis* E.]
73. *hic*] & Colb.
73. *dicere*] *ducere* L. [*ducere* B.]
77. *praetentat*] *pertemptat* C.
78. *cui*] —— *quei* D.
79. *Ah*] *Ha* A. F. *A* St.
79. *ille*] [*illi* B.]
80. *cui*] —— *qui* D. [*qui* D.]
80. *leniter*] *leviter* Br.
80. *afflat*] *aflat* A. *efflat* B.
82. *hinc*] [*hic* C. D.]
82. *procul abde*] sic Lipsii & Perreji excerpta. *precor abde* A. B. FF. *precor adde* C. D. —— E. G. [C. D.]
83. *Deum*] —— *diem* D.
84. *palam*] *Palem* Colin. Gryph. Perreji excerpta.
86. *Obstrepit*] *Obstrepet* D R. —— G.
87. *jam*] *nam* B. unus St. —— D. 5.
88. *choro*] —— *thoro* D. [*toro* B. D. E.]
89. *tacitus*] *tacitis* B. —— D. [C. D.]
89. *fulvis*] sic A. B. C. D. FF. [*fulvus* C. D.] *nigris* Florentinus St. *fuscis* Perreji & Pocchi excerpta. S. —— 1. 2. Col.
90. *nigra*] sic A. B. C. FF. —— 5 [*nigra*, vel *vana*, E.] *vana* Florentinus St. D. Br. R. Cyll. *mera* L. —— *vana* E G.

Lib. II. Eleg. II.

4. *e*] *a* vulg. *e* A. B. C. FF. —— *e* E. G. *et* D. [*a* D. E.]
5. *Genius adsit*] sic A. B. C. FF. D. Br. R. Cyll. *adsit Genius* duo St. —— D. 5.
6. *Cui*] —— *Qui* D.
6. *decorent*] *decorant* E.]
6. *mollia*] ita omnes St. FF. A. D. P. L. —— Col. 1. 2. V. E. G. *molia* C. *florea* B. Cyll. Ald. Colin. Gryph. Plant.

7. *Illius*

7. *Illius puro*] sic A. B. F. D. Cyll. Br. R. quatuor St. Perreji excerpta. ——— E. G. *Illius pura* F. *Illius & pura* Colb. *Illius & puro* L. Mattii liber. [B.] *Illius e puro* C.
9. *Annuat*] *Annuit* L. [B.]
9. *Cerinthe*] *Chorinte* B. *Cornute* tres St. A. C. D. FF. R. ——— D. E. G. [*Cornute*, vel *Cherinthe* E.]
13. *quaecunque*] *quaecumque* B. ——— *quocunque* D. [*quodcunque* B.]
15. *undis*] *Indis* Pocchi excerpta, & Perreji. Br. Cyll. ——— 1.
19. *Vincula quae*] ——— *Vinclaque ne* D. G. [*Vinclaque qui* B.]
21. *Huc*] sic A. B. Cyll. ——— 5. *Hic* Lipsii excerpta. tres St. FF. C. ——— D. G. [C.] *Haec* P. R. D. ——— E. G. 1. 2.
21. *veniat*] *veniet* D. ——— D. G. E.
21. *natalis avis*] ——— *natalitius* V. natalis anus [E.]
21. *prolemque*] *floremque* Br.
22. *Ludat*] *Laudat* B. ——— *Ludit* D. [*Ludet* B.]
22. *et*] ——— *ut* 5.

Lib. II. Eleg. III.

1. *Rura tenent Cornute meam*] *Rura meam C. tenent* Lipsii excerpta. omnes St. A. B. C. FF. Colb. D. R. ——— D. C. E. G. [B. C. D. E.]
1. *Cornute*] *Chorinthe* B. *Cerinthe* Colb. *Chaerime* D. *Cherinthe* P. Perrejus. ——— *Cornute* 5. *Cherinthe* 1. 2. Col. C. E. G. [*Cornute* B. C. D. E.]
2. *eheu*] *heu* F. B. *heu heu* Lipsii excerpta. St. F. A. C. Colb. D. L. B. R. ——— D. E. G. [B. C. D. E.]
2. *quisquis*] *si quis* unus St.
3. *laetos*] sic Mureti codices. Lipsii excerpta. ——— V. C. F. *latos* FF. A. B. C. D. Colb. R. Br. ——— 5. [B.]
4. *discit*] *miscet* unus St.
5. *quum*] *dum* F. *quom* B. *cum* A.
5. *dominam adspicerem*] *adspicerem dominam* St. FF. A. B. C. D. L. R. Br. ——— Col. D. E. G. [B. C. D. E.]
6. *valido*] *calido* Cyll. D. St. Br. unus Gebh.
7. *curvum*] *curvus* Cyll. P. *crudum* Lipsii excerpta.
8. *serenda*] *colenda* F. unus St.
10. *&*] *aut* A. [B.] *&* Lipsii excerpta.
12. *profueruntve*] ——— *profuerintve* D.
17. *O*] *Ah* FF. Cyll. Ald. Colin. Gryph. Plant. *O* A. B. C. D. L. P. omnes St. omnes Gebh. ——— D. E. G. 2. [B. C. D. E.]
17. *quoties*] *quotiens* FF. A. B. C. D. R. Br. omnes St. [B. C. D. E.]
19. *dum*] *quom* A. *cum* Colb. [*cum* B.]
22. *e templis*] sic Br. *a templis* A. B. C. FF. D. R.
25. *Quisquis*] *Si quis* unus Statii.
29. *quum*] *quom* B.
30. *aeternos*] *aethereos* Colb.
21. *ille*] [*illi* C. D.]
31. *sua*] *nunc* unus St. quinque Gebh. R. B. C. D. Cyll. ——— E. G.
31. *puella est*] ita P. A. B. F. C. excerpta Perreji. ——— V. D. [C. D. E.] *puellae est* F. R. Br. D. *puellae* Cyll.
33. *Nemesin*] *Nemesim* omnes St. B. C. D. FF. Cyll.
33. *quae abducis*] ita excerpta Perreji. ——— 1. Col. *qui abducis* omnes St. A. B. FF. L. P. R. ——— D. E. G. 2. *quae ducis* MS. ——— V. *quae adducit* C. *quia ducis* Br. Cyll. [*abducis abunde* D.]
34. *Persolvat*] [*Resolvat* E.]
34. *semina*] [*rustica* C. D.]
34. *terra*] *certa* P. ——— 1. 2. Col.
35. *Et*] *At* Colb. Br.
35. *jucundae*] *jocundae* A. C. D.
35. *consitor*] *conditor* F. Colb.
36. *Bacche*] ——— *Phoebe* D.
36. *lacus*] *focos* excerpta Lipsii.
38. *Abdere*] *Addere* F. Br.
39. *ne sint modo*] *modo ne sint* A.
41. *&*] *ut* Br.
41. *amarunt*] *amarent* Br.
43. *Tum*] *Tunc* A. B. ——— D. [B. C.]
43. *aperte*] *aperta* Colb.
44. *valle*] [*nocte* C. D.]
45. *volentes*] *dolentes* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll.

Lib. II. Eleg. IV.

1. *Hic*] ita St. P. excerpta Lipsii. ——— Col. *Sic* A. B. C. D. FF. R. [B.] *Dic* Br. ——— D.
1. *servitium*] *servicium* A.
1. *video*] [*videor* B.]
1. *dominamque*] ——— *dominamve* V. D.
1. *paratam*] *parari* C. [*peractam* D.]
2. *vale*] *veni* Br. [*veni* manu secunda E.]
3. *Servitium*] *Servicium* A.
4. *Et*] *Ut* excerpta Lipsii. ——— 1. Col.

4. *re-*

4. *remittet*] ita St. A. FF. D. R. ——— V. D. E. G. [C. D. E.] *remittit* B. C. Colb. Cyll. *remittat* Lipſii excerpta. unus St. ——— Col.
5. *urit*] *uror* Cyll. Ald. Gryph. Plant. *urit* A. B. C. D. FF. L. R. omnes St. quinque Gebh. ——— V. D. E. G. Col. [B. C. D. & manu prima E.]
7. *poſſim*] *poſſem* Colb. L. Br. ——— D. [B.]
10. *vaſti*] *vitrei* excerpta Lipſii.
14. *precium*] ita C. *pretium* A. B. FF. D.
17. *& qualis*] ——— *aequalis* D. [*nec qualis* E.] *aequalis* Br.
17. *ubi orbem*] ita omnes St. excerpta Perreji. F. P. D. R. Br. ——— D. 1. 2. Col. *ut* A. B. C. F. Cyll. [*ut orbes* B. C. D.]
18. *recurrit*] ita B. FF. D. R. Br. Cyll. ——— D. E. G. [E.] *recurrat* A. C. Colb. [B.]
21. *At*] [*Aut* B.]
23. *focis inſignia ſacris*] ita Scalig. St. Gebh. B. excerpta Perreji. ——— V. D. *ſacris inſignia ſanis* A. C. FF. Colb. D. L. Cyll. [*ſacris inſignia donis* E.]
24. *Sed*] *Et* A. L. [B. C. D.]
24. *eſt*] [*ſit* C. D.]
24. *mihi*] ——— *Deos* Col.
26. *ſentiat*] *ſentiet* Colb. L. [B.]
27. *O*] *Ah* L. [B.]
28. *tingit*] *tinxit* P. MS. ——— 2.
29. *Hic*] [*Hinc* C. D. *Hic* E.]
29. *cauſſas*] *cauſas* A. B. F. D. *ſtimulos* complures St. F. Colb. unus Gebhardi. ——— *cauſam* D.
29. *& Coa*] *& Choa* D. L. [E.] [*hinc Coa* C. D.]
30. *rubro*] *rubeo* L.
31. *clavim*] *clavem* A. B. C. D. FF.
31. *ſenſit*] ita D. L. excerpta Perreji. unus St. FF. C. A. B. ——— D. E. G.
33. *precium*] *pretium* B. D.
36. *attulit*] ſic A. B. FF. D. R. Br. Cyll. [B.] *abdidit* C. Colb. Lipſii excerpta. ——— *addidit* 1. Col. *abdidit* Col.
36. *ipſe*] *ille* unus St. P. ——— 1. 2. *ipſa* Colb.
37. *Hinc fletus rixaeque*] ita FF. C. A. B. Colb. *Hinc rixae fletusque* D. R. Br. Cyll. ——— E. G.
37. *cauſſa*] *cauſa* A. B. C. D. FF.
37. *haec*] ——— *hinc* D.
38. *hic*] *hinc* unus Gebh. D. R. Br. Cyll.
39. *precio*] *pretio* B.
39. *victos*] *vinctos* unus St.
39. *excludis*] *abducis* unus Gebh. Br.
40. *Eripiant*] *Dirripiant* A. *Diripiant* L. [B. C. D.] ——— *Proripiant* 1.
40. *partas*] *parthas* D. *poſitas* unus Gebh. Br. Cyll.
41. *tunc*] *nunc* A. L. *tum* B. [*nunc* B. D.]
42. *Nec*] *Neu* Br.
42. *flammae*] *flamae* A. C. *flammis* Br.
42. *aquam*] *opem* C.
43. *veniat*] ſic A. B. MS. P. L. ——— D. [B. C. D.] *veniet* F. C. D. *venerit* F. *veniat* unus St. *venit* unus St.
44. *munus in exſequias*] *manibus exſequias* Lipſii & Pocchi excerpta. ——— 1.
49. *placideque*] *valideque* B. ——— D.
49. *quieſcas*] *quieſcat* Colb.
51. *proſunt quid*] *quid proſunt* B. Colb. ——— V. D. [C.]
56. *gerit*] *dedit* excerpta Perreji. D. P. R. Br. ——— 1. 2. E. G. [*gerit*, vel *dedit* E.] *dedit* unus Gebh.
58. *ſtillat*] *ſtilat* A.

Lib. II. Eleg. V.

3. *chordas*] *conchas* D. R. ——— E. G.
4. *Nunc precor ad laudes flectere verba meas*] ——— *Nunc opus* 5. *ad laudis flectere verba modos* liber Mattii.
4. *verba*] *plectra* P. excerpta Perreji, & Lipſii. ——— 1.
4. *meas*] ——— *tuas* 1. 5. *modos* Lipſii excerpta.
5. *triumphali*] *triumfali* A.
6. *aras*] [*curas* C.]
6. *ſacra*] *templa* D. P. R. unus Mureti. excerpta Perreji. ——— E. G.
6. *tua ſacra*] *mea ſacra* Colb.
8. *Sepoſitam*] ſic A. B. C. FF. Colb. ——— 5. [C. D.] *Depoſitam* D. R. ——— E. G. [B.]
8. *longas*] *& longas* A. L. [B. C. D.]
8. *nunc*] *&* F. Colb.
9. *memorant*] *referunt* B. L. unus St. ——— D. [B. C. D.]
10. *concinuiſſe*] ——— *continuiſſe* D.
11. *debitus*] ita liber Scalig. ——— V. D. *debditus* F. *deditus* St. F. A. B. Colb.
15. *Sibylla eſt*] verbum *eſt* non habent FF. A. B. C. multi St. D. R. Br. Cyll. ——— D. E. G. [B. C. D. E.]
16. *fata*] [*facta* B.]
18. *quod*] *quos* B. F. ——— D.
18. *canat*] *canit* C. ——— 2. [B.]
20. *raptos*] *captos* A. B. C. FF. R. Br. D. Cyll. [*captos* B. *raptos* E.]
20. *ſuſtinuiſſe*] *ſubſtinuiſſe* A. B.

21. *Haec*]

21. *Haec*] *Nec* omnes St. FF. A. B. C. D. L. R. Br. —— D. E. G. 1. Col. [B. C. D. E.]

22. *Deos*] *focos* F.

23. *formaverat*] sic A. B. F. St. D. R. Br.—— V. 2. *firmaverat* F. Cyll. *fundaverat* C. Colb. [B. C. E. & manu secunda D.]

27. *illic*] *illuc* Br. Cyll.

27. *umbrae*] ita plerique St. F. A. B. D. R. MS. *umbra* unus St. *umbram* quidam St. unus Gebh. C. F. Br. Cyll. —— *umbrae* 1. D. E. *umbra* G. [D. E.]

30. *sacra*] *facta* FF. liber Passerat. Colb. unus St. in Florentino *farta*.

31. *cui*] —— *qui* D.

32. *Nam*] —— *Et* 2.

34. *pulsa*] sic libri Passeratii. —— 1. *pulla* A. B. C. D. FF. Colb. *pulsa* excerpta Perreji.

35. *ditis*] sic A. B. C. D. FF. Cyll. —— *ditis* V. [C. D. E.] [*dictis* B.]

35. *placitura*] *paritura* libb. Passer. tres Gebh. Cyll.

35. *magistro*] *magistris* unus St. *ministro* unus Gebh.

37. *munera*] *numina* Colb.

39. *Impiger*] *Inpiger* unus St.

40. *Troica*] [*Troia* B.]

40. *profugis*] *profugus* A.

40. *ratibus*] *trabibus* F.

42. *lares*] *deos* Lipsii excerpta.

43. *tum*] *tunc* A. B. D. F. *nunc* F. C. Colb. Cyll.

43. *se*] —— *te* 1. Col.

44. *Vos*] *Nos* Lipsii excerpta.

44. *longa via*] *longam viam* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll.

47. *volitat*] *volitans* unus St.

49. *lucent Rutulis*] [*Rutulis lucent* B. C. D.]

51. *castrum murusque Lavini est*] *castris murisque Latini est* excerpta Pocchi, & Perreji. —— 2. Col. *castris* V. *Lavini* I.

55. *vittasque*] *victasque* D.

56. *ad ripas*] *ripas* R. —— G.

57. *de septem*] [*septem de* B.]

58. *jam*] *nam* A. C. Colb. [*nam* B. *jam* E.] *jam* Lipsii excerpta.

60. *Qua sua*] *Quaqua* unus St.

63. *cano*] —— *canam* D.

63. *lauros*] *laurus* unus St. A. B. C. D. FF. R. Br. —— D. E. G. [B. C. D. E.]

64. *Vescar*] *Noscar* unus St. F. —— D.

67. *Mermessia*] *Marpesia* A. B. C. D. FF. Cyll. Br. R. *Marpessia* Scalig. *Marmesia* St. MS. *Marinesia* P. —— *Marsepia* D. *Marmesia* 1. Col. *Marinesia* 1. 2. *Marpessia* Col. 5. [*Marsepia* D.]

68. *Herophile*] *Herisile* C. *Erisile* F. *Heryphile* F. St. *Heriphyle* D. R. Br. *Heriphile* A. B. Cyll. —— *Herophile* 1. Col.

68. *grata quod admonuit*] ita B. F. *grataque quod monuit* A. F. C. D. R. Br. St. Cyll. —— E. 1. [E.]

69. *Quodque*] sic F. B. *Quotque* unus St. *Quasque* F. C. R. D. Br. A. Cyll. —— *Quodque* V. *Quosque* D. [*Quas* B.]

69. *Albuna*] *Albana* A. B. C. D. FF. R. Br. Cyll. *Aniana* Lipsii excerpta. —— *Anlena* 1. Col. *Aniana* 2. [*Albana* B.] *Aniana* P.

69. *Tiberis*] sic A. B. Cyll. *Tybris* C. D. P. *Tibris* F. *Tyberis* F. —— *Tibris* 1. 2. *Tyburs* 1. 2. *Tiburs* Lipsii excerpta.

69. *flumina*] *fulmina* C.

70. *perlueritque*] sic A. C. D. FF. Cyll. *pertuleritque* B. duo St. Colb. —— D. *praetuleritque* Col.

71. *Hae*] ita FF. *Haec* A. B. C. D. St. Colb. P. Cyll. R. Br. [C. D. E.]

71. *cometen*] *cometem* FF. C. B. D. —— D. E. G.

72. *Multus ut*] Vaticanus Statii in margine *Plurimus*.

72. *in terras*] *in terris* unus St. —— *in terra* V. [B.]

73. *strepitantia*] sic A. B. C. FF. —— 5. *crepitantia* Colb. St. D. P. R. —— E. Col.

74. *praecinuisse*] —— *pertimuisse* D. [*percinuisse* C. *praetimuisse* D. E.

75. *defectum*] —— *defessum* D. Col.

76. *nubilus*] *nubibus* B. L. [B. C. D.]

76. *annus*] *amnis* P. R. —— D. E. G.

77. *tepentes*] —— *repentes* 1.

79. *fuerunt*] —— sic D. *fuerant* A. B. C. D. FF. R. Br. Cyll. Colb.

79. *tu jam*] *jam tu* A. [C. D.]

81. *Ut*] ita C. F. *Et* F. duo St. A. B. D. P. L. Br. Excerpta Perreji. *At* Cyll. —— *Et* 1, 2. D. E. G.

82. *Omine*] *Homine* D. *Nomine* R. —— E. G.

82. *eat*] *erit* A. B. tres St. FF. D. P. R. Excerpta Perreji —— D. E. G.

83. *At laurus*] sic sola Colinaeana. *Ut laurus* Br. Cyll. *Laurus ubi* A. B. C. D. FF. P. St. L. excerpta Perreji, & Lipsii. —— omnes Heinsiani.

85. *feriet*] sic A. B. C. FF. *feriat* D. R. Br. —— E. G.

86. *deficiuntque*] *deficiantque* A. B. FF. St. —— D.

D. [B. C. D. E.] *deficientque* C. D. R. —— E. G.
87. *At*] ita D. R. Br. *Ac* A. B. C. FF. —— D.
89. *solennes*] *solemnis* B. F. *solennis* A. D. F. R. *sollenis* C. —— *solennes* D.
91. *natusque*] *gnatusque* 2.
92. *comprensis*] *compressis* A. B. C. D. FF. Colb. D. R. Br. —— *comprensis* V. 1. [*compressis* B. E. *cum pressis* D.] *comprensis* duo St. & sic Livinejus.
93. *advigilare*] *vigilare* B. —— V. D.
95. *operata*] *adoperta* C.
95. *herba*] *umbra* P. excerpta Perreji. —— 1. 2.
95. *discumbet*] *discumbit* C.
96. *umbra*] *unda* P. excerpta Perreji. —— 1. 2. D.
96. *cadet*] *cadit* A. B. C. D. FF. St. Colb. R. —— D. E. G. [B. C.]
97. *sua*] sic A. B. D. FF. P. L. Lipsii excerpta. —— V. D. E. 1. 2. [C. D. E.] *sacris* C. Cyll.
98. *ipse*] *ante* duo St. A. B.
99. *At*] *Aut* unus St.
99. *extruet*] *exstruet* D. *extruat* B. Br. —— V. D.
99. *sibi*] —— *tibi* D.
101. *hic*] & B. —— D.
101. *Ingeret*] [*Ingerit* B.]
102. *velit*] *volet* vulgatae.
103. *Nam*] *Jam* St.
103. *plorabit*] —— *jurabit* D.
107. *sumsit*] *sumpsit* A. B. C. FF.
107. *sibi*] *sua* Colb.
107. *tela*] *tella* C. *bella* F.
108. *Eheu*] *Heu heu* A. B. C. D. FF. Colb. omnes St. L. R. Br. —— *Heu mihi* D. *Heu heu* E. G. [B. C. D. E.]
108. *illa*] ita C. F. omnes St. *ista* A. B. F. —— Col. 5. [B. C. D.]
109. *Et*] *At* C. unus St. & sic Livinejus conjiciebat. —— *Et* 5.
109. *jaceo*] *taceo* St. A. B. C. FF. D.
110. *quum*] *cum* A. B. C. D. F. Cyll. *dum* F. *tum* St.
110. *faveo morbo*] [vel *foveo morbum* E.]
110. *ipse*] —— *iste* 5.
111. *Vixque*] *Usque* A. B. C. D. FF. quatuor St. R. B. —— D. E. G. [B. C. D. E.] corruptum ex *Visque*, more Italicae scripturae.
111. *Nemesim*] *Nemesin* D. Cyll. A.
112. *justos*] *junctos* Colb.
112. *reperire*] *reperiisse* F. —— *reperisse* D.
114. *Si licet*] *Scilicet* A. B. C. D. R. Br. *Si licet* FF. [*scilicet* B. C. D. *Si licet* E.]
114. *adspiciamque*] *aspiciamque* A. B. C. FF.
115. *dira*] sic A. C. D. F. *dura* B. F. [E.] *cura* unus St. unde ipse *dura* faciebat.
116. *insana*] *in sana* R.
116. *nefanda*] *pudenda* Colb.
117. *poëtas*] [*poëtam* C.]
118. *sacro*] —— *tuo* Col.
119. *Ut*] *Et* St. C. F. P. Br. Cyll.
119. *celebrem*] *celebres* Br.
120. *suos*] [*tuos* D.]
120. *victa*] —— *juncta* D.
120. *feret*] *ferent* A. C. F. D. R. unus St. *forent* B. *gerent* unus St. *ferant* Br. *geret* unus St. —— *feret* 5. *geret* Col. *ferent* V. D. E. G. [C. D. E.]
121. *laurus*] sic A. B. C. D. F. Cyll. *lauros* F. Colb. —— D. 5. [B. D.]
121. *agresti*] & *ipse* Colb.
122. *canam*] *canet* A. B. D. FF. Colb. omnes St. R. Br. *canat* C. unus St. —— *canet* omnes Heinsiani.
123. *Tunc*] *Tum* St. R. Br. —— D. G.
124. *pater*] *parens* unus St.
126. *tua tibi*] [*tibi tua* B.]

Lib. II. Eleg. VI.

1. *Macer*] *mater* R. D. *Venus* Colb. —— *Venus* Col.
1. *tenero*] *misero* Colb.
2. *Si*] ita C. *Sit* A. B. D. FF. Colb. tres Gebh. —— omnes Heinsiani.
2. *geret*] *gerat* C. FF. Colb. D. tres Gebh. St. *ferat* A. B. unus St. Br. —— D. [C. D.]
3. *vaga*] *mala* unus St.
3. *ducent*] [*ducant* B.]
4. *ire*] ita omnes omnium libri. Muretus conjiciebat *ille*.
5. *otia*] *ocia* C. B. D. *octia* A.
5. *liquit*] *linquit* unus St.
6. *Atque iterum*] *Et verum* unus St. unde Passeratius faciebat *Et veterem*.
6. *erronem*] *heroëm* quatuor Gebh. *extorrem* unus Gebh. *errorem* unus Gebh. —— V. D. E. [B.] *erronem* G. 5. 6.
6. *signa*] —— *regna* V. [*castra* B.]
8. *levem*] *levi* unus St.
8. *portet*] *portat* B. *potet* Br. Cyll. —— 5. *portet* omnes St. A. C. FF. P. D. —— V. D. E. G. 1. 2. Col. [B. C. D. & manu prima E.]

10. *facta*] sic A.B.C.D.FF. Cyll. sex Gebh. [C. D. E.] *grata* P. MS. excerpta Perreji. —— 2. atque ita Muretus.
11. *magna*] *parce* excerpta Lipsii.
11. *locuto*] *loquenti* unus St. B. —— D.
12. *fortia*] —— *grandia* 1. Col.
12. *quoties*] *quotiens* A.B. C. D. FF.
14. *Quum*] *Quom* A. —— D.
14. *ipse*] *inde* B.
15. *cui tristi*] —— *tristi qui* D.
16. *Imperitat*] sic Br. *Imperat*, *ut* Lipsii excerpta. Gebh. A. B. FF. Colb. D. R. —— V. *Imperat*, *&* C. *Imperat*, *in* unus St. —— 1. [B.]
17. *Venerem*] —— *Pacem* V. A.
18. *operata*] sic A. B. D. FF. Cyll. —— V. [C. D. E.] *adoperta* unus St. C. —— 1.
19. *cinxit*] sic A. C. D. FF. Cyll. [C. D.] —— *cingit* 5. *tinxit* unus St. *finxit* B. *acuit* Colb.
19. *discordibus*] *crudelibus* B. L. [B. C. D.]
20. *cruor*] *furor* FF. B. unus St. *amor* D. P. R. —— E. G.
20. *mors propiorque*] —— *morsque propinqua* V. A.
21. *ponto*] *campo* B.
22. *quum*] *tum* D. R. Br. —— E. G.
22. *dedit*] [*dabit*, vel *dedit* D.]
22. *ratibus*] *manibus* B.
23. *obsistere*] ita B. FF. P. —— V. [E.] *obsidere* A. C. D. Cyll. *obsedere* pro diversa lectione F. —— *obsidere* 1. 2. G.
24. *Ut multa innumera jugera pascat ove*] ita omnes St. FF. B. Perrejus. —— V. A. D. *Ut mille* P. *Ut multo innumeram jugere pascat ovem* A. C. D. R. Br. Cyll. Gebh.
25. *Cui*] sic A. B. C. FF. —— 5. *Quid* D. R. tres Gebh. —— E. G. *Qui* D.
25. *externus*] *aeternus* B. —— V. D.
25. *urbisque*] *urbique* D. R. —— E. G.
25. *tumultu*] *tumultus* omnes St. B. D. F. R. Br. Cyll. —— V. D. G. [E.]
26. *mille*] sic omnes omnium libri, exceptis pauculis, in quibus *multa*.
27. *moles*] *montes* Colb.
27. *ut*] *et* F. D. —— E. G. *ut* 5. [*et* C. D.]
27. *intra*] —— *intus* Col. [*intra* C. D.]
28. *Negligat*] [*Negligit* C. D.]
29. *tibi*] sic A. B. C. D. F. St. Cyll. *te* F. *mihi* Scaligeri excerpta.
29. *trahant*] *trahunt* Colb.
30. *terra*] *testa* unus St.
31. *Heu heu*] sic omnes St. Lipsii excerpta. A. B. C. FF. D. L. R. Br. —— D. E. G. *Hei mihi* unus Lipsii, unus Gebh.
31. *divitibus*] —— *divitiis* 1.
32. *veniant*] *venient* F. Colb.
33. *urbem*] *urbes* L. [B.]
34. *conspicienda*] —— *inspiciunda* D.
35. *gerat*] *gerit* B. F. D. R. —— D. E. G. [D.]
35. *Coa*] *Choa* D. —— *Cea* 1. [*Choa* C. E. *Thoa* D.]
37. *sint*] [*sunt* E.]
37. *fusci*] *fusi* D. [E.]
37. *India*] —— *semita* 4. Col.
38. *equis*] *aquis* F.
39. *selectos*] *se lectos* FF. R. D. —— D. E. G.
41. *ipse*] *ipsa* Colb. excerpta Lipsii. —— D.
41. *quem*] sic unus St. F. A. excerpta Perreji. —— 1. 2. *quam* unus St. *qui* D. —— E. G. vel *quem* G. *quae* B. excerpta Lipsii —— V. *quia* F. *quod* excerpta Lipsii. [*quem*, vel *quae* E.]
42. *gypsatos*] *laxatos* excerpta Lipsii. *bissatos* B. —— V. *luxatos* excerpta Lipsii, & Mattii liber. —— *lapsatos* Col. [*gypsatos*, vel *luxatos* E. *lupsatos* C. D.]

Lib. II. Eleg. VII.

1. *Finirent multi leto mala. credula* &c.] *Jam mala finissem leto: sed credula* A. B. C. FF. Colb. St. Gebh. D. R. Br. Cyll. —— omnes Heinsiani. & *fovissem* D.
2. *melius cras fore semper ait*] sic D. R. Br. Cyll. *fore cras semper ait melius* A. B. C. FF. Colb. duo St. Albertus de Eyb in Margarita Poëtica p. 61. —— D. [C. D.] *semper cras fore ait melius* duo St. probante Douza.
5. *arundine*] *harundine* D.
6. *Quum*] *Quom* C. —— D.
6. *ante*] *arte*, pro diversa lectione, C.
8. *inter*] [*intus* B.]
10. *dura*] *bella* unus St. *lenta* L.
12. *parva*] —— *sancta* 1.
14. *feram*] *gerat* D. R. —— *gerat* E. G. *feram* 5.
16. *fata*] [*facta* B.]
18. *ut*] [*et* B.]
18. *lenta*] *dura* C. Ald. Gryph. Plant. *lenta* FF. A. B. D. Cyll. unus St. —— V. D. E. G. [C. D. E.]
19. *Ne*] *Et* Colb. *Nam* Br. *Non* D. R. —— E. G.
19. *tibi*] —— *mihi* D.
19. *nova*] sic unus St. B. *mala* A. C. D. FF. Cyll.

21. *fenestra*] *sagitta* unus St.
23. *Desino*] *Desine* duo St. Colb.
27. *vetat*] ——— *necat* Col. 1. 2. 5.
29. *diro*] *duro* D. P. L. R. Br. Lipsii excerpta. ——— Col. 2. E. G. [B. E.]
31. *nox promissa mihi est*] *nox mihi promissa est* B. C. duo St. [E.] τὸ *est* aberat ab F.
32. *extimuisse*] *pertimuisse* F. Colb. ——— D.
33. *mihi*] *mea* F. Colb. Br.
33. *tunc mens*] *sed mens* D. P. R. Perreji excerpta. ——— 1. 2. inde Heinsius faciebat *& mens*.
33. *fingit*] [*fugit* B.]
34. *teneatve*] *teneatque* F.

Lib. III. Eleg. I.

2. *hinc*] *hic* FF. C. D. B. *sic* A. ——— *hinc* V.
3. *nunc certa pompa*] ——— *non certae pompae* D.
3. *certa*] [*tecta* B.]
7. *precio*] *pretio* A. B. D.
8. *meis*] sic A. B. C. D. FF. Cyll. Scalig. *tuis* Muret. ——— Col. [*meis* C. D. E.]
10. *Pumex*] *Pumicet* A. B. C. F. D. Cyll. R. Br. plerique St. excerpta Lipsii. *Punicet* Pontanus F. unus Statii probantis. *Pumex* P. Perreji excerpta. ——— *Pumix* V. *Pumex* 1. 2. Col. *Puniet* 1. [*Pumicet* B. C. D. E.] Heinsius legebat *Pumice & incanas*.
10. *et*] ——— *sed* 1. Col.
10. *ante*] *arte* FF. MS. [B. C. D. E. vel *ante* E.]
11. *praetexat*] *protexat* unus St.
12. *facta*] sic libri omnes.
12. *ut*] *et* F. pro diversa lectione.
12. *tuum*] sic C. FF. A. B. qui tamen pro diversa lectione *meum*. *tuum* D. Cyll. *meum* L. ——— *suum* 5. [*meum*, vel *tuum* B. *meum* C. D.]
14. *etiam*] sic Br. Cyll. *etenim* C. FF. Colb. A. B. R. D. St. ——— 5.
15. *hujus*] ——— *ejus* D.
19. *referet*] ita B. P. unus St. ——— D. 2. 5. [C. D. E.] *referat* A. C. FF. D. R. Br. Cyll.
19. *si nostri*] *nostri si* B. ——— D.
20. *An minor*] *An maneam* unus St. & sic Pontanum legisse monent Pocchus & Perrejus. ——— *An maneam* 1. 2.
20. *an toto*] *e toto* unus Statii, *& toto* conjicientis.
20. *pectore*] *corpore* L. [*corpore* B. C. *corpore*, vel *pectore* D.]
21. *primum*] ——— *premium* D.
21. *meritam*] sic unus St. duo Gebh. F. P. Cyll. Perreji excerpta. *marathum* L. *myrtum* Lipsii excerpta. *nympham* C. F. sed hic pro diversa lectione *meritam*. *nympham* A. D. R. sed in A lacunam reliquerat librarius: quam alia manus alio atramento supplevit. ——— *meritam* Col. 1. 2. *meritum* V. [*marathum* B. *meritum* C.]
21. *longa*] ita unus St. duo Gebh. B. Perreji excerpta. *larga* A. C. D. Colb. FF. Cyll. ——— *longa* V. D.
24. *et*] *ut* Colb. Br.

Lib. III. Eleg. II.

1. *primum*] sic C. *primus* omnes St. FF. A. B. liber Mattii. Cyll. D. P. L. R. Br. ——— 2. D. E. G. [*Cui primus* B. *Qui primus* D. E.]
1. *carumque*] *carumve* Colb. ——— 5. D. [C. D.] *caraeque* D. R. ——— E. G.
2. *Eripuit*] ——— *Eripiunt* D.
3. *Durus & ille fuit*] *Ferreus ille fuit* Pocchi & Perreji excerpta. ——— 1. 2. Col.
5. *firmus*] *fortis* P. ——— 2. Col.
5. *non haec patientia nostro Ingenio*] sic F. Cyll. Ald. Colin. B. Gryph. *non hoc patiemur & aequo Ingenio* A. C. D. R. P. ——— E. G. 2. *non hoc patiemur e nostro Ingenio* F. *non hoc nostro patiemur* unus St.
7. *Haec mihi verba*] ita C. D. R. ——— E. G. 1. Col. *Haec mihi vera* Colb. *Non mihi vera* A. *Nec mihi vera* FF. B. Cyll. Douzae. ——— 5.
8. *taedia nota*] sic Scaligeri liber. unus Gebh. MS. *taedia nata* omnes St. A. B. C. FF. Colb. unus Gebh. Cyll. D. L. P. Perreji excerpta. ——— 1. 2. V. D. E. G. [C. D. E.] *tot superesse* unus St. Ald. Gryph. Plant.
9. *Ergo ego*] abest τὸ *ego* ab FF. ab omnibus St. A. D. L. a D. E. G. [C.] *Ergo ego* Br. C. & B. sed manu secunda.
10. *super*] *supra* B. C. F. Colb. P. MS. D. ——— E. G. [B. C. D.]
11. *veniat*] [*veniet* B.]
12. *moesta*] *casta* F. deinde pro diversa lectione *moesta*.
13. *veniet*] *veniat* A. B. C. D. FF. tres St. Cyll. ——— D. E. G. *veniet* L.

15.

15. *rogatae*] sic omnes St. quinque Gebh. A. B. C. FF. —— V. 5. *rogantes* Colb. duo Gebh. *rogate* D. [*rogate* B. C. D. *rogate*, vel *precatae* E.] *precatae* Cyll. P. Perreji excerpta. —— 1. 2. Col.

18. *legant*] *legent* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. R. Br. [B. C. D. E.]

19. *spargant*] *spargent* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. R. Br. [B. C. D. E.]

19. *collecta*] *perfusa* duo St. C. F.

20. *fundere*] *spargere* Colb. F. atque hic pro diversa lectione *fundere*.

21. *ventis*] sic omnes St. duo Gebh. A. B. C. D. FF. Cyll. R. Br. [B. C. D. E.] —— *velis* 1. *vittis* Col.

24. *dives*] *pinguis* duo St. B. —— 1. 5. Col.

27. *Sed*] *Et* Colb.

27. *demonstret*] —— *designet* 1. Col. *demonstrent* D.

27. *caussam*] *casum* unus St. Br. Cyll.

28. *notet*] *notent* Colb. —— D.

29. *caussa*] ita Scalig. omnes Gebh. Cyll. A. B. D. FF. R. Br. in Statianis erat compendio scriptum *cã.* quod possit tam *caussa* esse, quam *cura cura* Muret. C. tum Pocchi ac Perreji excerpta. —— *cura* 1. 2. Col.

29. *Neaerae*] *Neaera* A. B. C. D. FF. Cyll. Perreji excerpta. [C. E.]

Lib. III. Eleg. III.

3. *tecti*] sic omnes libri.

7. *satiarem*] ita Scalig. unus Gebh. Br. —— *satiarent* V. *sociarem* A. FF. St. D. R. MS. —— Col. *sociarent* B. duo St. quatuor Gebh. —— D. *sotiarent* C.

7. *gaudia*] *tempora* Colb. Br.

8. *Inque*] *Atque* Colb.

9. *quum*] —— *quom* D.

9. *permenso*] sic unus St. B. C. P. excerpta Perreji. —— 1. 2. D. *permensae* duo St. Gebh. Colb. A. D. R. Cyll. —— G. *praemensae* Ald. Colin. septem St.

9. *defunctus*] *perfunctus* Colb.

9. *tempore*] sic unus St. A. B. C. F. —— 1. 2. *tempora* omnes St. Gebh. F. D. R. Ald. Colin.

11. *Nam grave quid prodest pondus mihi*] *Quid prodesse potest pondus mihi* Scaligeri excerpta. *Nam grave quid pondus prodest mihi* unus Statii.

12. *findant*] [*scindant* B.]

13. *innixa*] *subnixa* Colb.

20. *Invidia est*] sic Pocchi & Perreji excerpta. 1. 2. Col. *Invida quae* A. B. C. FF. D. R. Br. [B.] *Invidiâ* unus Gebh.

21. *hominum*] sic A. B. F. D. Cyll. Lipsii excerpta. St. —— V. D. E. 1. 2. [C. D.] *homini* C. F. quatuor Gebh.

22. *regit*] —— sic 1. 2. Col. *gerit* omnes St. omnes Gebh. A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. R. Br. [B. C. D. E.]

23. *jucunda*] *jocunda* A. B. C. D. —— D. G.

24. *At*] *Et* A. Colb. D. P. L. R. Br. —— 2. [B. C. D. E.]

24. *munera*] *tempora* L.

24. *volo*] —— *velim* Col.

25. *quae te poterit*] *poterit quae te* B.

28. *aversa*] *adversa* D. L. R. Lipsii excerpta. F. A. C. —— D. E. G. [B. E.]

29. *Nec*] ita C. FF. D. R. Br. Cyll. *Non* A. B. L. [B. C. D. E.]

29. *juvant*] sic A. B. C. D. FF. St. D. R. Br. Cyll. — D. E. G. [B. C. D. E.] *juvent* vulgg.

29. *aurifer*] *aureus* L. [B.]

30. *sustinet*] *substinet* A. B.

31. *cupiant*] *capiant* Colb. D. R. —— E. G.

32. *cara*] *curva* unus Gebh.

33. *Adsis*] —— *Adsisque* D.

33. *et*] [*ut* D.]

35. *Aut*] *At* L. MS. [B.]

35. *reditum*] *reditus* Br.

37. *vastos*] —— *vestros* V.

38. *Dites*] *Ditis* P. MS. Perreji excerpta. —— *Dius* Col. *Ditis* 1. 2. Col. *Divis* D. [*Dives* B. C. D.]

38. *in*] [*et* B. C. D.]

38. *ignava*] —— *ignaram* D.

38. *Orcus*] *Orchus* A. B. C. F.

Lib. III. Eleg. IV.

1. *Di*] sic A. St. *Dii* B. C. FF. *Di* liber Mattii.

1. *insomnia*] ita C. F. St. *mihi somnia* A. B. D. F. L. R. —— 5. Col. E. G. [B. C. D. E.] *mea somnia* P. Br. Perrejus. —— 1. 2.

2. *extrema*] ita Scaligeri liber. *esterna* F. *externa* F. A. B. —— D. [D.] *hesterna* C. D. Colb. P. St. Cyll.

2. *proxima*] *pessima* St. A. B. C. D. FF. P. Cyll. —— *pexima* V.

3. *vanum*] sic B. F. Lipsii excerpta. —— V. D. [C. D. & manu prima E.] *vani* St. quinque Gebh. Cyll, A. C. F. Colb.

D. R. Br. Cyll. [A. B.]
4. *in vobis*] *in votis* omnes St. A. B. C. D. FF. R. Br. Cyll. —— *in somnis* 1. [*in votis* A. B.]
5. *monent*] *movent* B. —— V.
5. *nuntia*] *nuncia* A. B. D. *numina* unus St. Lipsii excerpta.
6. *monent*] *movent* B. —— V.
9. *Et vanum ventura*] sic unus St. sex Gebh. C. *At vanum in curas* Lipsii excerpta. *Et tantum metuens* unus St. *Et natum in curas* duo St. unus Gebh. F. *At natum in curas* unus Mureti. *Et natum metuens* F. *Et varium ventura* A. *Et vatum in curas* B. tum pro diversa lectione *ventura*. *Et vanum in curas* Perreji excerpta. P. *Et vanum in curam* D. —— *At natum in curas* 1. 5. *Et nata in curas hominum gens* 3. *Et vanum ventura* V. 3. *Et natum in curas* G. 3. *Et vatum metuens* D. [*Et natum metuens* A. *Et natum in curas* B. C. D. *Et varium* (manu secunda *vanum*) *ventura* (vel *metuens*) *hominum genus omnia* (vel *omina*) *noctis* E.]
9. *omina*] sic A. B. C. D. P. L. R. Br. Perreji excerpta. —— 1. 2. 3. [C.] [*agmina* vel *omnia* D.]
10. *placant*] *placent* R.
11. *utcumque*] *utrimque* C. *utrunque* F. —— V. D.
11. *moneri*] sic A. C. D. FF. R. *moveri* B. *monenti* duo St. L. P. Cyll. —— 1. 2. 6. [*moneri* C. *moveri* D.]
12. *volent*] —— *velint* D.
13. *Efficiat*] *Eficiat* A.
14. *immeritum*] *inmeritum* A. L.
15. *Si*] *Dii* C. Gebh. *Sic* D. F. R. —— D.
17. *emensa*] *dimensa* unus St. *emersa* D. FF. R. Br. [A. B. C. D.]
18. *caeruleas*] *caeruleo* A. B. C. D. FF. St. Colb. Perrejus. Cyll. *Lethaeo* L. [B. C. D.] —— *caeruleas* V.
20. *sollicitas*] *solicitas* A. B. C. F.
21. *quum*] *cum* C. F. D. —— E. G. *quum* F. —— *quom* D.
21. *summo*] *somno* unus St. D. R. Br. —— E. G. *somnos* F.
21. *prospexit*] *perspexit* B. [*despexit* A. *praespexit* B.]
22. *fera*] *fessa* B. tres St. —— 5.
26. *videt*] *fuit* unus St. *valet* F. & pro diversa lectione *videt*.
28. *Stillabat*] sic omnes St. A. B. C. D. E. R. Br. Cyll. plerique Gebh. *Spirabat* F. —— [*Stillabat* A. B.]
28. *Tyrio*] sic Scaligeri lib. Gebh. C. FF. D. R. Br. Cyll. *thirio* A. *tirio* B. —— *Syrio* 1.
28. *myrtea*] ita Scaligeri lib. F. omnes St. Gebh. *myrthea* C. D. R. *mirthea* F. B. *mirtea* A. *myrrhea* P. Br. Cyll. Perreji excerpta. —— 1. 5. E. G.
29. *praefert*] *profert* L. *perfert* P. MS. Perreji excerpta. —— *profert* 1. *perfert* 2 [*profert* B.]
31. *Ut*] *Et* R. Perrejus. —— E. G.
32. *Inficitur*] [*infecit* C. D.]
33. *Ut*] *Aut* P. MS. *Et* R. —— *Aut* 1. 2. Col. [*Et* A. E.]
33. *quum*] —— *quom* D. [*cum* A. *quam* E.]
35. *illudere*] *alludere* Cyll. [*eludere* B.]
38. *garrula*] *garula* A. B. atque ita passim.
38. *lyra*] *lira* A. B.
39. *veniens*] *Veneri* L. [& B.]
40. *Felices*] *Foelices* A.
40. *sonante*] *canente* P. Cyll. —— 1. 2.
41. *fuerant*] —— *fuerunt* D.
41. *fuerant digiti*] [*digiti fuerant* B.]
42. *tristi*] *dulci* Lipsii liber. Perreji excerpta. P. —— 1. 2. Col.
42. *modo*] *sono* unus St. A. C. Colb. —— D. 1.
45. *Semeles*] *Semelae* B. [& C. D.]
46. *hora sequens*] *ora frequens* Colb.
48. *Eventura*] *Et ventura* L. [*Et ventura patri* B.]
49. *quae dico*] *qui dicor* L. [sic & B.]
49. *accipe*] *excipe* unus St.
50. *Quodque*] *Quidque* duo St. F. D. —— D. E. 2. [D.]
50. *ferat*] *feret* F.
50. *nec*] [*non* C.]
53. *sollicitas*] *solicitas* A. B. [*Proh qua sollicitus* A.]
54. *ire*] *esse* A. [*esse* B. C. D.]
55. *quum*] *quom* A. —— D.
56. *fallit*] *ludit* F. sed pro diversa lectione *fallit*. *ludit* A. Colb. —— *ludit* 1. [B. C. D.]
58. *mavult*] —— *maluit* E. G.
59. *impia*] sic omnes St. omnes Gebh. A. B. C. FF. D. L. P. Lipsii excerpta. —— V. D. E. G. 1. 2. Col. [A. B.] *anxia* Cyll. Ald. Gryph. Plantin. Douzica.
61. 62. *Ah Ah*] *Ha Ha* A. MS.
63. *illis*] sic A. B. C. F. —— V. D. [C. D.] *illi* F. D. Cyll. —— E. G.
64. *fide*] *prece* P. excerpta Lipsii, & Perreji.
65. *validos tentare labores*] ita liber Cujacii, &

& Perreji ac Pocchi excerpta. *dominae fera verba minantis* A. B. D. F. Colb. Cyll. *fera bella* duo St. [A. B.] *Te victum placidumque tuae monstrato puellae* F. & pro diversa lectione alter F. —— *Flere nec ante pedes pudeat, dominamque vocare.* 1. 2. Sed hoc a Pontano esse repositum notat Perrejus. Videtur autem effictum ex illo, *Stare nec ante fores puduit*, &c. 1, 5, 51.

66. *saeva*] ita liber Cujacii. *posse* A. B. C. D. FF. St. Colb. Cyll.

67. *niveas juvencas*] *niveos juvencos* B. unus St. —— Col.

68. *ficta*] *facta* unus St. —— D.

69. *nec*] *non* C.

71. *cantus*] *cantum* A. C. F. D. Lipsii excerpta. —— D. E. G. [A. B. C. D.]

73. *ferre*] *forte* unus Gebh.

73. *recusas*] [*recuses* A.]

74. *dominam*] [*dominum* A.]

80. *hoc*] *atque* St. *ergo* P. Perreji & Lipsii excerpta. *ac* Colb. D. FF. *et* A. B. C. *hoc* Mureti & Scaligeri codd. —— *ergo* Col. *ac* 2. [*ac* A. B. C. D. E.]

81. *defluxit*] *deflexit* unus Gebh. D. L. P. —— E. G.

81. *pectore*] *corpore* Colb. D. L. P. quinque Gebh.

82. *non possum*] sic F. C. D. [& A.] *ne possem* A. *ne possim* B. F. L. P. —— 2. 5.

82. *Ah*] *Ha* A. F.

83. *Nec tibi*] *Non ego* duo St. *Haec ego* Colb. [*Non ego* A.]

84. *pectori*] *pectore* B. C. FF. D. Ald. Gryph. Cyll.

85. *te nec*] *nec te* A. *te non* Colb.

87. *canis anguinea*] sic A. B. D. *canis anguigena* F. *consanguinea* C. F. duo St. L. Cyll. [A. B. E.]

87. *caterva*] *catena* F. C. sed hic pro diversa lectione *caterva*.

88. *Cui*] —— *Qui* D.

89. *subcincta*] ita Scaligeri codd. *succincta* F. duo St. *subnixa* F. L. *inmixta* Colb. *submixta* A. B. C. D. Cyll. *conmixta* Colb. —— *comitata* D. *submixta* E. G. vel *subnixa* G. [*submicta* A. *subnixa* B. *redimita* C. D.]

91. *horrendave*] *horrendaque* D. —— E. G.

92. *duris*] ita Scalig. A. B. C. D. FF. P. [C. D. E.]

93. *alios omnes*] *alias* omnes libri. *omnes alias* unus St.

96. *irrita*] *impia* omnes St. B. C. FF. D. Perreji excerpta. —— 1. 2. D. E. G. [A.]

Lib. III. Eleg. V.

1. *Vos*] ita P. L. MS. —— 1. 5. *Nos* A. C. D. Colb. St. Cyll. R. Br. Nullas grandiores literas in initiis Elegiarum habet B. itaque illic legitur *os*, relicto spatio bene amplo. —— *Nos* V. [A. C. D. E.]

1. *fontibus*] *montibus* unus St. & pro diversa lectione C.

1. *quae*] *quo* Lipsii excerpta.

3. *maxima*] *numina*, *munia*, *moenia*, Perrejus. P. —— sic & 1. 2.

4. *Quum*] —— *Quom* D.

4. *hiems*] sic unus St. Lipsii excerpta. *hyems* F. —— 5. *humus* A. B. C. D. F. quatuor Gebh. Cyll. P. R. Br. [A. B. C. D. E.]

5. *At*] *Ah* D. R. —— D. G. [*Ac* B.] *Aut* F.

7. *virorum*] *deorum* A. B. C. D. FF. St. Colb. —— *virorum* V. *piorum* Col.

8. *laudandae*] *celandae* Perreji excerpta. —— 1.

10. *nec cuiquam*] *non umquam* unus St.

10. *tetra*] *taetra* unus St. *certa* A. B. C. D. FF. Cyll. Br. —— *tetra* 1. 5.

10. *dedit*] *dedi* Colb.

11. *sacrilegi*] ita B. unus Gebh. *sacrilegis* L. duo St. *sacrilegos* A. C. D. FF. Colb. R. Cyll. tres St. —— *sacrilegi* V. CC. *sacrilegis* D. [*sacrilegis* B. *sacrilegos* E.]

11. *admovimus*] sic omnes St. A. C. FF. Colb. Br. Cyll. *amovimus* B. unus Gebh. D. R. Lipsii excerpta. *damnavimus* L. —— *amovimus* V. D. E. G. [*amovimus* A. C. D. *admovimus* E. *damnavimus* B.]

11. *ergo*] *aegros* A. B. C. D. FF. Br. R. quatuor St. duo Gebh. *ignes* unus St. unus Gebh. Colb. MS. & pro diversa lectione C. —— *ergo* CC. *aegros* V. D. E. G. [A. B. C. D. E.]

12. *sollicitant*] *solicitant* A. B. F.

12. *facta*] *ulla* A.

13. *linguae*] sic A. B. Cyll. Br. *mentis* FF. D. P. R. C. Colb. unus Gebh. tres St. Lipsii ac Perreji excerpta; & pro diversa lectione B. —— 2. D. E. G. [A. E.]

15. *capillos*] *capilli* A.

16. *venit*] *venit in* A. [C. D.]

16. *tardo*] —— *tacito* F.

17. *primo nostrum*] ita B. C. D. Cyll. *primo nostri* unus St. FF. *nostri primum* A. —— *primo nostri* D. [*nostri primum* C.

C. D. *noſtrum primo* B.]
19. *vitem*] *vites* L. [B.]
20. *vellere*] *laedere* unus St.
21. *umbras*] *undas* omnes St. A. B. C. D. FF. L. P. R. Perreji & Lipſii excerpta. —— 1. 2. D. E. G. [A. B. C.]
25. *Quum*] —— *Quom* D.
27. *nequicquam*] *nec quicquam* A.
27. *terrear*] ita B. C. F. *torrear* unus St. *terreat* A. F. D. L. *tenear* P. —— *tenear* 2. *terreat* D. E. G. [A. B. D.]
28. *ſed*] *jam* A. Colb. & MS. [*jam* B. C. D.]
28. *mea*] *mihi* F.
29. *At vobis*] ſic A. B. C. P. Perreji excerpta. St.
29. *numina*] *carmine* Colb.
29. *lymphae*] *nymphae* vulgg. F. [E.]
31. *felices*] *foelices* A.
31. *et*] *ſed* Lipſii excerpta. *quoque* Colb.
32. *velint*] *volent* unus St. *nolent* F. *valent* unus Gebh.
33. *nigras pecudes*] *pecudes nigras* F.
33. *promittite*] *perquirite* F.
34. *miſta*] *mixta* A. B. C. D.

Lib. III. Eleg. VI.

1. *tibi*] *mihi* P.
1. *myſtica*] *miſtica* D. A. B. C. FF. *ruſtica* L. [B.]
2. *Semper. ſic hedera*] ſic plerique St. L. Br. Cyll. A. B. FF. Colb. Lipſii excerpta. —— D. *Sic hedera ſemper* quidam St. C. D. R.
2. *tempora*] *cornua* omnes St.
2. *feras*] *geras* unus St. —— 1. Col.
3. *dolorem*] [*dolores* B.]
6. *prona*] *plena* unus St.
6. *Et*] *I* Perreji excerpta.
7. *durum*] *dirum* unus St.
8. *Fulſerit*] *Fluxerit* unus St.
8. *niveis*] *nitidis* Lipſii excerpta.
11. *Aut*] *At* duo St. C. P. —— 2. 5.
11. *mite*] *dulce* L. [B.]
11. *recuſet*] ita C. D. R. quidam St. —— E. G. [A. E.] *recuſat* A. B. FF. P. quidam St.
13. *dites*] *mites* Lipſii excerpta.
13. *ferocem*] *feroces* duo St.
15. *Armenias*] *Armeniasque* D. R. Br. —— E. G.
15. *fulvas leaenas*] *fulvos leones* C. F. Colb. duo St.
17. *volet*] *valet* unus St. *dedit* unus St.
17. *Bacchi*] [*Bacchum* A.]
18. *veſtrum*] —— *noſtrum* 5.
19. *nec*] —— *non* 5. Col.
19. *in illos*] *in illis* A. B. C. FF. omnes St. unus Gebh. —— D. [A. B. C. D.]
23. *qualis quantusque*] ita Cujacii ſchedae. *quantas deus hisce* Br. Cyll. *deus hic quantumque* C. FF. Colb. St. D. R. *deus hic quantasque* A. B. —— 1. 5. [B. C. D.]
25. *nobis*] *vobis* Colb.
27. *ah*] —— *ha* D.
30. *felix*] *foelix* A.
30. *fata*] *facta* D. —— D. E. G. [E.] *vota* A. L. [C. D.]
30. *tua*] *tibi* unus St.
31. *tempora*] *pocula* pro diverſa lectione Colb. [*corpora*, vel *tempora* D. *corpora* C. hic eſt lacuna in B.]
32. *multos*] *multas* C. F. duo St. R. D. & ſic Albertus de Eyb in Margarita Poëtica. *Poſt veniet multos* Colb.
36. *ſollicitis*] *ſolicitis* B. F.
37. *queror*] *loquor* unus St.
37. *infelix*] *infoelix* A. B.
39. *Gnoſia*] ſic A. B. C. FF. D.
43. *quicumque*] *quaecumque* D. R. *cuicumque* Br.
44. *diſces*] [*diſcis* C. D.] *diſcet* Colb. & mox *ſuo*. *diſcis* F.
44. *carere tuo*] —— *cavere tuum* F. *cavere toros* C. C.
45. *aut capiant*] ita D. C. FF. A. B. St. —— *decipiant* V. F.
46. *Nec capiat*] *Aut fallat* C. FF. A. B. St.
46. *fide*] —— *prece* V. A.
47. *Etſi*] *Et ſi* D. R. FF.
47. *juravit*] *jurabit* Colb. Paſſeratii liber, *jurarit*.
49. *inerit*] *Veneri* Br. [E. manu ſecunda]
50. *Juppiter*] *Jupiter* A. B. C.
51. *Ergo qui toties*] *Ergo ego qui totiens* C. *quid* F. D. Cyll.
52. *ſeria*] —— *ſobria* 5.
52. *precor*] *procul* P. —— *procul* 1. 2. Col.
54. *longos*] *multos* F.
55. *inimica*] *nec amica* D. P. R. —— E.
55. *merenti*] *querenti* F. & pro diverſa lectione *merenti*.
56. *quamvis perfida*] *quamvis tu mihi* Lipſii excerpta.
57. *Naïda*] *Najada* C. F.
58. *Temperet*] *Temperat* C. [A. E.]
58. *Martia*] *Marcia* A. B.
58. *lympha*] *limpha* A. B. F.

59. *fu-*

59. *fugiat nostrae*] *fugiet nostrae* F. *nostrae fugiat* F. unus St. [*nostrae fugit* A.]
61. *Sollicitus*] *Solicitus* B.
63. *Tyrio*] sic A. B. C. D. FF. R. Br. —— *Tyria* D. *Syrio* quidam St. Lipsii excerpta. —— 1.

Lib. IV. Carm. I.

Panegyricus ad Messalam] *Epistola in laudes Messalae Corvini heroico carmine* A. *Laus Messallae* C. *Laudes Messalae* FF. *De laudibus Messalae* D. *Messalae panegyricus* Perreji excerpta, & Scaligeri fragm.
1. *me*] *mea* A.B. C. D. FF. Colb. Cyll. R. Br. *tua* unus St. —— *tua* 1. 2. Col. [*mea* A. C. D. E.]
1. *cognita*] [*vivida* C. D. *cognita*, vel *vivida* E.]
2. *nequeant*] *valeant* St. A. B. C. D. FF. Cyll. *nequeant* Colb. —— V. CC.
3. *at meritas*] *a meritis* A. B. C. FF. Colb. D. R. Br. —— V. A. G. [A. C. D. E.] *ac meritas* P. —— 1. 2. Col. CC.
3. *carmina*] *carmine* B. —— D.
3. *laudes*] [*laudis* A.]
4. *humilis*] *humiles* R. —— f. *tantisque humilis*, &c.
5. *praeter te*] sic A. C. unus St. —— V. D. [A. C. D. E.] *te praeter* omnes St. B. D. FF. Colb. Cyll. probante Passeratio.
7. *carmina*] ita unus St. —— V. *munera* A. B. C. D. FF. omnes St. Colb. Cyll.
8. *Respueris*] *Despueris* unus St.
9. *Cres tulit*] *Res* duo St. *Tres* duo St. unus Gebh. *Tros* tres Gebh. *Cras* unus Gebh. *Transtulit* unus Gebh. *Detulit in cunctis* unus St. —— totus versus abest a 5.
9. *jucundior*] *jocundior* A. B. C. D.
10. *ut*] *et* C. F. —— D. [D.]
11. *Erigoneque, canisque, neget ne longior aetas*] *Erigonemque canemque neget jam* quidam Gebh. *Erigonemque canisque neget jam* C. *Erigoneque canisque neget jam* F.
13. *tectis*] *terris* A. B. C. D. FF. Cyll. R. Br. —— V. [C. D. E.]
14. *pacavit*] *placavit* Br. Cyll. —— G. Col.
14. *coelestes*] *coelestis* D. R. —— E. G.
16. *sit*] *si* A. B.
17. *Inde alios*] —— *Inde aliosque* D.
18. *dictet*] —— sic 5. G. *dicat* C. FF. unus Gebh. *dictat* A. B. D. L. R. Br. libri Passerat. duo St. quatuor Gebh. —— CC. E. [A. B. E.] *Alter opus dicat* Pocchi & Perreji exc. —— 1. 2. F.
19. *in immensum aëra*] *in immenso aëre* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. P. Perr.
19. *desederit*] sic unus St. B. —— CC. 1. Col. *desedit in* unus Gebhardi. *descenderit* C. A. FF. D. Br. R. Cyll. unus St. quatuor Gebh. —— 2. [E.]
20. *confluxerit*] *defluxerit* A. B. L. —— D. [B. C. D.] [*conflixerit* A.]
22. *Huic*] *Hinc* duo St. FF. —— D. [B.]
22. *et*] *ut* P. —— 2. Col. atque ita conjecerat Livinejus.
22. *contextus*] —— *contextis* 1. Col.
22. *igneus*] *ignibus* Cyll. Br. —— 1. Col. V.
24. *At*] *Et* unus St. A. B. F. Colb. [A. B. C. E.] —— V. D. E. G.
24. *audere*] *audire* D. R. —— E. G.
25. *seu quod*] *sed quod* D. P. R. —— 2. *sed quid* D. [*sed quod* A.]
25. *ultra*] *ultro* Colb. Br. quatuor Gebh. [A.]
26. *vovemus*] ita omnes St. Scalig. B. D. L. —— CC. D. E. G. [C. D.] *monemus* C. *movemus* A. C. Cyll. tres Gebh. *novemus* F. *volemus* F. *movemur* unus Gebh.
27. *nec*] ita omnes St. FF. R. C. *ne* A. B. D. Br. Cyll. duo Gebh. [B.]
27. *mihi*] *tibi* Cyll.
27. *carmine*] sic novem St. omnes Gebh. A. B. C. D. FF. Colb. R. Br. Cyll. —— CC. Col. D. E. G. [A. B. C. D. E.] *pondere* unus St. *nomine* vulgg.
30. *index*] —— sic G. Col. CC.
31. *generis*] —— *gentis* Colot.
31. *vincere*] [*dicere* A.]
32. *futurus*] sic tres St. omnes Gebh. A. C. D. Cyll. *futuris* B. FF. liber Barthii. —— *futurus* 5. E. G. vel *futuris* G. [*futurus* B. E.]
33. *nomine*] *stemmate* P. excerpta Lipsii. *temate* libri Passerat. unde facit *stemmate*. *nomine* A. B. C. D. FF. Cyll. —— *stemmate* 1. 2.
36. *canent*] sic B. C. FF. Cyll. *canunt* D. P. R. —— 2. E. G. *canant* A. [B. D.]
36. *vincto*] sic A. C. F. *juncto* B. F. D. P. Br. Cyll. unus St. —— 2.
37. *Queis*] *Quis* A. B. C. D. FF. St. Colb. Cyll. —— B. G. D.
37. *potius*] ita Cyll. C. F. D. *potior* A. B. F. Colb. —— D. [B. C. D.]
37. *erit*] *eris* C. *Quis potior, certamen eris*, unus Gebh.
39. *Nam quis te*] *Quis tibi jam* A. *Quisque tibi*

tibi C. FF. D. R. Br. omnes St. quinque Gebh. *Quis te nam* Colb. *Qui te nam* duo Gebh. *Nec quisquam* Perrej. P. Lipsii exc. *Quis tibi nam* B. —— 1. D. *Nam quis te* CC. 5.
39. *castrisve*] *chartisve* omnes St. A. B. C. D. FF. Colb. —— 2. V. D. E. G.
40. *hinc aut hinc*] ita F. St. *haec aut haec* L. [B.] *hic aut hic* A. B. C. D. F. R. Cyll. omnes Gebh. —— CC. D. E. 2.
43. *utrimque*] *utrumque* St.
44. *natat*] —— *natat*, vel *nutat* G. forte, *Alterno instabilis nutat.*
44. *depressior*] sic A. B. FF. Cyll. *compressior* C. P. D. R. Perrej. —— 1. 2. E. G.
45. *diversi*] sic A. B. FF. Cyll. unus Gebh. *divisi* unus St. *dives si* D. R. unus Gebh. *dimissi* C. quatuor Gebh. [*dimisi* A.]
48. *aut*] *atque* Cyll. Br.
48. *genuisse*] *tenuisse* Colb.
49. *Ulyssem*] *Ulyxem* F. Cyll. *Ulissem* F. *Ulixem* A. B. C. —— D.
51. *decurrerit*] *decurreret* A. B. Colb. D. P. L. R. —— 1. D. E. G. [A. B.]
52. *erraverit*] [*erraverat* B.]
53. *includitur*] sic A. B. Cyll. *inducitur* F. *includitur* C. *includeret* F. *excluditur* D. P. —— E. G. 2.
54. *Nam Ciconumque manus*] *Namque manus Cyclopum* Colb. [*Non* A.]
54. *reppulit*] *repulit* A. B. F.
55. *Non*] *Nec* A. B. F. —— D. [B. C. D.]
55. *Lotos*] *Cyclops* A. B. C. FF. D. Colb. Cyll. —— 1. 2. *tempus* duo St. —— V. Col. *Lotos* CC. *lothos* 1.
55. *captos*] *coeptos* A. B. C. FF. D. Cyll. St. —— *captos* CC.
55. *avertere*] *convertere* unus St.
57. *Victa*] sic A. B. F. Br. Cyll. *Vincta* L. *Uncta* F. C. D. R. —— *Uncta* E. G. [*Untaque marmoreo* A. *Vincta Maroneo* B.]
59. *Antiphatenque*] *Antiphatemque* B. D. Cyll. —— D. E. G.
60. *Mobilis*] ita liber Mattii. *Nobilis* A. B. C. D. FF. Cyll. —— E. G.
60. *Artacie*] *Atraciae* A. B. *Artaciae* F. —— Col. 1. [B. C. D.] *Artacre* C. F. [A. E.] *Ataciae* Colb. *Artatiae* D. R. *Arsacidae* MS. —— *Arsaciae* 1. 2.
60. *gelidos*] sic A. B. C. FF. D. Cyll. *gelida* Colb. —— *gelida* 1. *gelide* 2. [*gelidos* C. D. E.]
61. *irrigat*] *erigit* lib. Scalig. *irrigat* A. B. FF. St. D. Cyll. Gebh. *irigat* C. —— *erigit* CC.
62. *foret*] *ceres* D. R. —— E. G.
64. *Cimmerion*] *Chimereon* D. R. *Cimmerion* MS. *Cymmerion* Cyll. Br. *Cimerion* B. F. *Crimeriô* C. *Cymerion* A. F. —— *Cimmerion* D.
64. *arces*] sic omnes omnium libri. *oras* primum habuit Br. unde transiit in vulgatas. in Veneta principe est *arces.*
65. *Queis*] *Quis* omnes St. A. B. C. FF. D. Cyll.
65. *ortu*] *aestu* unus Gebh. —— 1. Col.
66. *Sive*] *Seu* A. B. F. Colb. unus St. liber Mattii. —— 1. 5. [A. B. C. D. E.] *Sive supra* F. *Sive super* C.
67. *ut*] ita C. D. novem St. sex Gebh. *et* unus St. unus Gebh. A. B. FF. L. Cyll. Br. —— 1. D. [B. D.]
67. *Plutoni*] ita St. F. *Plutonis* A. B. C. D. F. Colb. Cyll. omnes Gebh. —— 1. E. G. [B. C. D. E.]
67. *regna*] sic F. D. St. —— 1. E. G. *regno* A. B. C. Cyll. omnes Gebh. [B. C. D. E.]
68. *levibus*] *magnis* F. *mediis* unus St. [A.]
68. *discurreret*] —— *dum curreret* Col. *cum curreret* 5.
68. *umbris*] *undis* A. B. C. FF. Colb. plures St. D. R. Br. Cyll. qui tamen *umbris* habet in expositione. —— *undis* Col. 5. [A.]
70. *Illum* &c.] [totum versum non habet A.]
70. *inter geminae*] *tergeminae* A. B. C. FF. D. St. *tergemini* Cyll. Br. *inter geminae* L. [totidem verbis D.] —— *tegemini* 1. G.
70. *mortis*] *montis* Cyll. Br. —— 1. G.
71. *ore*] *orbe* A. B. C. FF. Colb. omnes St. D. Cyll. R. Br. *ore* Lipsii excerpta. P. —— *ore* CC. 1. 2. [*orbe* A. B.]
72. *rapidas*] *rabidas* B. C. duo St. [B. E.]
72. *inter*] *sic in* D. R.
72. *freta*] —— *fora* 1. *fera* 2. lege, *rabidas inter fera ferveret.*
73. *more*] *in ore* A. B. FF. unus Gebh. L. Br. Cyll. —— 1. V. D. [B. C. D. E.]
75. *gurgite*] *aequore* A. [B. C. D.]
76. *violata*] *violenta* Cyll. Br. [A.]
78. *erroris*] *errorum* A. B. C. FF. D. Cyll. Colb. St. —— D. E. G. [A. B. C. D. E.] *erroris* CC.
78. *miseri*] *misero* C. P. *miseri* D. Cyll. FF. Colb. duo St. A. B. —— CC. D. E. G. [A. B. C. D. E.]
82. *Nam*] *Jam* P. [A. B.]
82. *artes*] *artem* F. L. —— Col. [B. C.]

83.

83. *praeducere*] sic A. B. C. F. St. —— CC. D. 1. 2. 5. *producere* F. L. St. Colb. Perr. —— 1. [A.] *perducere* D. R. S. —— 1. E. G. V. [B.] *deducere* Br. Cyll.
84. *desigere*] sic A. B. C. F. D. Cyll. St. *praefigere* F.
84. *cervos*] *nervos* A. B. C. FF. St. Colb. D. Cyll. R. Br. —— *cervos* 1. [*nervos* A. B.]
86. *erumpat*] *educat* unus St.
88. *et*] *ut* P. Perr. —— 1. Col. [*et* A. B.]
90. *perfregerit*] *praefregerit* A. [B.]
91. *Aut*] *At* B. *Et* D. R. —— *Et* E. G. 2. *At* D. *Ut* 1. [*At* A. B. C. D. *Et* E.]
91. *celeremve arcto*] *celerem arctato* Br. —— 1. Col.
91. *compescere*] *conpescere* D.
92. *permittere*] *committere*. A. [*promittere* A. *praemittere* B. *committere* C. D.]
93. *passu*] *cursu* A. B. novem St.
94. *melius*] sic A. B. F. Perr. Br. Cyll. St. *brevius* C. F. D. duo St. *levius* unus St. —— *brevius* 1. 2. E. G. [*levius*, vel *melius*, vel *brevius* E. *melius* B. C. D.]
94. *Seu*] *Nunc* Perr. P. —— 1. 2.
95. *Quis parma seu*] ita Perr. A. B. FF. L. Cyll. R. Br. St. *Parma seu quis* C. Cyll. Br. *Pervia seu quis* D. St. *Devia seu quis* R. *Parma seu quos* St. vulgg. —— *Seu parma quis* 1. 2. 5. *Pervia seu quis* E. G. [A.] *Quis parma seu* CC. D. [C. D. E.]
96. *veniat gravis*] *grandis venit* A. B. C. FF. Colb. D.
97. *Amplior*] *Amplius* plerique St.
97. *cita*] *velit* A. B. F. Colb. *velis* L. —— *velit* D. [C. D.]
98. *veniant*] *venient* St. Colb. D. P. R. —— 2. E. G. [*venient* A. E. *veniunt* B.]
99. *parent*] *parant* F.
99. *acies*] —— *acres* D. forte *alacres*.
100. *Tunc*] *Tum* A. B. F. Br. [C. D.]
100. *desit*] *desit* unus St. —— 1. F.
102. *ut aequatis*] *inaequatis* A. B. C. FF. Colb. D. R. Cyll. Br. St. qui tamen legebat *ut aequatis*. —— *an aequatis* 2. Col. *ut aequatis* 2. Col. [*inaequatis* B.]
102. *decurrat*] *concurrat* A. B. *seu currat* Perr. P. *consistat* Colb. —— *seu currat* 2. Col. *concurrat* 1. Col. [*decurrat* E.]
103. *seu junctum*] *sejunctum* A. *seu vinctum* D. R. Br. —— E. G. [*seu victum* B. *sejunctum* D.]
104. *Dexter uti*] *Dexterque ut* St. —— *Dexter uti* 1. Col. [*Dexterque ut* E.]
105. *gemini victoria casus*] *geminis victoria casstris* Colb. unus St. —— Col.
108. *lapidiae*] sic B. P. Br. Cyll. duo St. —— 1. D.
110. *Arupinis*] *& Alpinis* F. Colb. unus St. *& Arpinis* A. C. L. duo St. *& Aprinis* F. *& Hirpinis* B. *Arupinus* Br. *in Alpinis* D. P. R. unus St. *& Arapinis* St. —— *Arupinis* CC. *in Alpinis* 1. 2. E. G. *Harapinus* 5. *& Hyrpinas* V. [*& Arpinis* A. D. E. B. *& Hirpinis* C.]
110. *armis*] *arvis* C. FF. Colb. unus St. —— 1. Col.
113. *Titan*] *Phoebus* F. Colb.
113. *renovaverit*] *renovaverat*. A. B. F. Colb. D. R. plerique St. *revocaverat* L. unus St. —— *renovaverat* D. E. G. *revocaverat* 1. 5. [*renovaverat* A. B. C. E. *revoverat* B.]
115. *validisque*] *validusque* C. F. duo St. [B.]
115. *sedet moderator*] *moderatur* D. —— vel *sedens moderatur* G. [*moderamen* C.]
116. *domator*] sic A. B. C. FF. D. Cyll. *domata* P. *domator* omnes St. —— *comata* 1. Col.
117. *terga*] *colla* unus St.
120. *Queis*] *Quis* A. B. F. D. Cyll. omnes St.
121. *subtemine*] *subtegmine* A. B. C. F. St. Cyll. Br. *sub tegmine* D. R. *velamine* F. Colb. —— *subtemine* 1.
123. *quum*] *cum* A. B. C. FF. D. Cyll. *tum* unus St.
127. *Ulla nec*] sic St. A. F. D. *Nulla nec* B. C. F. *Nulla haec* unus St. —— *Nulla nec* D. [B. C. D.]
128. *densas*] *clausas* C.
129. *Quin*] [*Cum* A.]
129. *multa*] *muta* Perr. —— 1.
130. *Juppiter*] *Jupiter* A.
131. *Adfuit*] *Affuit* A. B. D. —— *Affluit* D.
133. *abditus*] ita F unus St. *additus* A. C. D. F. St. Cyll. R. Br. *aditus* B.
134. *Laetior*] sic A. C. F. Lipsii excerpta. *Purior* Lips. exc. B. F. Colb. D. Cyll. P. R. Br. Perr. *Latior* L. —— *Purior* 1. 2. Col. D. E. G. [*Latior* B. *Purior* C. *Litior eduxit fructus* A.]
134. *structos*] —— *stratos* D.
135. *hortante*] *orante* L. [D.] *ortante* Cyll.
135. *non*] *nunc* A. B. Colb. D. Cyll. P. R. Br. St. —— D. G 2. [C. D. A. B. E.]
135. *iidem*] *idem* D. Cyll. P. R. Br. St. liber Mattii. [A. B. E.]
135. *sint*] *sunt* A. B. C. D.
135. *triumphi*] *triumphis* D. R. —— E. [A.]
138. *audax*] *avidas* B. —— D.

138. *terris*] *terras* B. —— D.
139. *te Tyrio*] *tetereo* A. B. FF. duo St. D. L. R. *tyreno* C. *thereo* Cyll. P. *tereo* Br. *Rhetaeo* St. *terreno* unus St. *Threicio* unus St. —— *tetereo* V. E. *tartareo* D. *tetereo*, vel *Thereo* G. [*tetereo* C. D. E. qui manu secunda *Terêo*, ut Thraciam intelligas]
139. *obsessa*] *possessa* Cyll.
140. *lympha*] *nympha* F.
140. *Choaspes*] ita Cyll. *Diaspes* A. B. C. FF. *Coaspes* Br. *Dryaspes* D. R. —— *Driaspes* E. G. vel *Coaspes* G. *Choaspes* 1. 5. [*Driaspes* A. *Hiaspes* B.]
141. *Gindes*] *Gyndes* Cyll. *Cyrus* C. *Cidnus* B. FF. *Cydnus* A. D. P. L. R. omnes St. —— 1. 2. E. G. [A. B. C. E.]
142. *Ardet Arecteis aut unda perhospita campis*] *Crethcis ardet aut unda Caristia campis* FF. C. A. B. D. Cyll. R. L. Br. St. —— *Caristia* D. E. G. Col. *Carysia* 1. Col. [*Caistria* A. *Charistia* B.]
143. *Tomyris*] ita D. Br. Cyll. *Tamiris* A. B. P. L. R. MS. FF. *Tamyris* C. omnes St. *Thamiris* Colb. *Tanais* Lips. exc. —— *Tamyris* D. E. [*Tamirix* A. *Tamiris* C. D. *Camiris* B.]
145. *Padaeus*] ita B. FF. Cyll. *Pachaeus* A. C. D. R. *Phaveus* Colb. —— *Pachaeus* E. G. [*Padetus* B. *Padeis* D. *Patheus*, vel *Padeus* E.]
146. *Magynos*] sic unus Gebh. *Magiros* C. *Mosinos* D. F. R. St. *Maginos* A. B. F. Cyll. tres St. *Magaros* L. *Magistros* duo St. —— *Maginos* V. *Magistras* D. *Mosynos* 5. [*Maginos* D. E. *Magaros* B.]
147. *orbem*] *orbes* A. [D.]
148. *offeret*] *efferet* unus Gebh. *afferet* unus Gebh.
149. *Britannus*] *Britanus* A.
151. *consistit*] —— *pendebat* V.
152. *toto disponitur orbe*] ita FF. A. B. C. D. L. R. —— V. CC. D. E. [A. B. C. D.] *totus orbis* vulgg. Colb.
155. *incepto*] *in caepto* C. —— *nullo inrepto* D.
157. *ubi*] *ibi* Br. unus St. Cyll.
157. *superegerit*] *superingerit* F. D. Cyll. R. Br. St. —— E. G.
159. *terris*] [*terras* B.]
160. *properat decurrere luces*] *noctes* unus St. & *properet*. *properet deducere noctes* Cyll. Br. —— *deducere noctes* Col. [*decurrere noctes* E.]
161. *ergo*] —— *igitur* CC. [*ullo* B.]
161. *consurgit*] ita Cyll. *exsurgit* A. B. C. D. F. L. R. Colb. quatuor St. unus Gebh. *exivit* F. —— *exsurgit* CC. D. E. G. 1. [A. B. C. D. E.]
162. *nec*] *neque* B. C. P. R. —— D. E. G. [C.]
164. *Nulla*] sic omnes St. A. B. C. FF. D. Cyll. *Ulla* Colb.
164. *exustas*] [*exutas* A.]
164. *partes*] *terras* A. & in margine L. [*terras* C. D. *partes*, vel *terras* B.]
165. *rigentes*] *rigentem* A. B. FF. duo St. L. —— V. D. [B. C. D. E.]
166. *adversa*] *adnexa* F.
167. *Quas similis utrimque tenens*] *similes* Colb. [*utrique* E. *Quas utrimque tenens similis* A. C. D.
168. *necat*] *negat* omnes St. A. B. C. FF. D. Cyll. —— *negat*, vel *necat* G. [*neget* A.]
168. *Temperat*] [*Temperet* B.]
169. *vertitur*] *labitur* A. B. C. D. F. [C. D.]
170. *Hic*] *Hinc* Colb. omnes St. FF. C. D. R. [A. B. C. D.]
170. *summittere*] *submittere* FF. D. A. Colb.
171. *lenta*] [*laeta* E.]
173. *confinditur*] *confunditur* A. B. C. FF. D. Cyll. R. Br. Perr. quatuor St. *contunditur* vulgg. —— *confunditur* 1. D. E. G. [A. B. C. D. E.]
174. *structis*] [*estructis* D.]
174. *exsurgunt*] sic A. B. D. F. Cyll. *consurgunt* C. F. Colb. unus St. [*exurgant* A.]
174. *oppida*] *opida* B.
175. *per claros ierint*] *praeclaros poscent* FF. C. A. B. Colb. D. Cyll.
175. *tua*] [*sua* A.]
176. *magnus in orbe*] *maximus orbe* A. B. F. L. [B. C. D.]
178. *Ipse*] —— *Ipsa* D.
178. *praescribat*] *praestabit* C. & Alb. de Eyb in Margar. Poët. *perscribat* Colb. —— D. 1. Col.
179. *Est*] [*Et* A.]
181. *non*] *nam* Lipsii excerpta.
181. *peragit*] *pergit* D. R. —— E. G.
182. *me*] *se* Colb.
182. *fatiget*] *fatigat* D. R. [A.]
184. *flavi*] *alti* F.
184. *ditantes*] sic A. B. C. FF. D. Cyll. *dictantes* duo Gebh. Lipsii excerpta. [E.]
185. *foecundas ad deficientia messes*] *fecundis indeficientia mensis* A. B. C. FF. Colb. D. Cyll. R. Br. [A. B.]
186. *agmine*] *agmina* D.

189.

189. *Quum*] —— *Quom* D.
189. *anteactos*] *attritus* C. unus Gebh. *attritos* unus Gebh. *accitos* A. B. D. F. Br. R. Cyll. Colb. unus Gebh. *accitus* F. duo St. —— *accitos* D. *accisos* E. *attritos* I. Col. *accitus* D. [*attritus* A. *accutos* B.]
189. *admonet*] *admovet* FF. A. B. D. L. Cyll. Lipsii exc. tres Gebh. —— F. [B. C. D.] *Cum memor attritus semper dolor admonet annos* C. *Accito cum me semper dolor admonet annos* unus St. *Quom dolor accitos semper memor admonet annos* D.
190. *relictis*] *relictus* C. Colb. D. Cyll. R. Br. plerique St. —— 5. E. G.
191. *deficient*] —— *desient* D.
192. *Nec solum tibi Pierii*] *Nec tibi Pierii solum* liber Mattii.
193. *rapidas*] *rabidas* B.
193. *maris*] [*solus*]
195. *solus densis*] *densis solus* C. FF. A. B. D. plerique St. —— D. E. G. [A. B. C. D. E.]
195. *subsistere*] sic A. C. D. unus Gebh. —— CC. E. G. [E.] *obsistere*. B. FF. Colb. Cyll. quinque Gebh. [B.]
196. *Aetnaeae*] [*aeternae* B.]
196. *committere*] *submittere* unus St.
197. *Dum*] sic D. duo St. *Sum* A. C. FF. Colb. L. Cyll. duo St. *Seu* B. —— *Dum* E. G. D.
197. *quodcunque*] *quicunque* C. [*quidcunque* B. C.]
197. *tuum est*] *tuus* duo St.
197. *si*] ita FF. A. B. C. *sit* D. Cyll. R. Br. *seu* L. —— *sit* E. *seu* D.
198. *libet*] [*licet* B. D.]
198. *sit*] *sint* D. R. —— CC. D. E. G.
199. *Gylippi*] *Gelippi* F. omnes St. —— *Galippi* D.
200. *nec mallem vincere chartas*] *vincere* Scalig. *mittere* A. B. C. FF. Colb. D. Cyll. *emittere* MS. —— *emittere* I. *mallem committere* V. [*mittere tardas* A. *chartas*, vel *tardas* B.]
201. *totusve*] *notusve* Br. —— G.
202. *si totus*] ita F. *si notus* C. D. Cyll. R. Br. *sit notus* A. B. F. Colb. MS. unus St. —— *sit notus* I. [*si notus* A. B. *sit notus* C. D. E.]
202. *inerret in ore*] sic A. F. unus St. *meret* B. D. Cyll. R. Br. *moeret* C. F. —— *inerret in ore* CC. *inhaereat* Col. [*inhaeret in ore* A. B. E.]
203. *statuent finem*] *statuunt* F. —— *finem statuent* D.
204. *quum texerit*] ita C. F. *contexerit* D. —— *tumulus mea cum contexerit* I. Col. *contexerit* E. G.
205. *celerem*] *fato* A. B. C. FF. Colb. D. Cyll. R. Br. St. Gebh. —— *celerem* CC. [*fato* A. B.]
206. *figuram*] *figura* liber Scalig. FF. A. B. Br. tres St. —— V. D. [B.]
207. *finget*] *fingit* F. L. [B.]
210. *In quemcumque*] *quodcumque* A. B. *quaecumque* duo St. *Quandocumque* liber Scalig. —— *quodcumque* I. Col. [C. D.] *Quandocumque* CC. D.
210. *hominem*] *hominum* A. F. B. Lipsii exc. —— I. Col. D. [C. D.]
210. *aetas*] [*aestas* B.]
210. *receperit*] *retexerit* unus Gebh.
211. *carmina*] *nomina* unus St.

Lib. IV. Carm. II.

Epistola: Ad Martem: habet sulpitiae Laudes. A. *Laus Sulpiciae ad Martem.* St. Gebh. *Laus Sulpitiae ad deum Martem.* FF. D. *Laus sulpiciae ad Matrem.* C. In excerptis Pocchi & Perreji hic est titulus: *De amoribus Sulpitiae & Cherinthi.*

1. *Sulpitia*] *Sulpicia* B. C. St.
2. *sapis*] *satis* D.
3. *Hoc*] —— *Haec* I. [*Sed* E.]
5. *quum*] *quem* Br.
6. *lampadas*] *lampades* A. B. D. P. —— D. E. G. 2. 5. [C. D.]
7. *quoquo*] *quicquid* D. R. —— E. G.
7. *movit*] *flectit* A. L. Lipsii excerpta. —— *tendit* 5. [*flectit* C. D. *monstrat* A.]
10. *comsit, comtis*] *compsit, comptis* A. B. C. FF. D. C. St.
11. *procedere*] [*praecedere* A.]
13. *aeterno*] *aethereo* F. MS. —— *aetherio* D.
13. *Vertumnus*] *vertunus* A. *vertunnus* B. F. Cyll.
14. *Mille, mille*] *Mile, mile* C.
14. *habet*] —— *haec* D. [*hunc* A. *haec* B. C. D.]
17. *arvis*] *herbis* F. —— D.
19. *rubro*] —— *nigro* V.
19. *litore*] *littore* A. B. C. FF. D. Cyll.
19. *conchas*] sic A. *gemmas* B. C. FF. omnes St. Colb. Cyll. Lipsii exc. D. P. R. Br. Perr. —— I. 2. 5. Col. V. D. E. G. [A. E.]
20. *equis*] *aquis* A. B. C. FF. Colb. D. Stat. Cyll.

21. *calendis*] *kalendis* A. B. C. FF. D. St.——— D. E. G.

23. *consumet*] *hoc sumet* omnes St. FF. D. Cyll. ——— V. E. G. [E.] *hoc sumat* P. C. Perr. ——— 2. Col. *haec sumet* unus Gebh. ——— *haec sumit* CC. *hoc fumet* B. [E.] *fumabit* Colb. unus Gebh.——— Col. *celebretur* A. ——— 5. [B.] *hic servet* Lipsii excerpta. *celebratur* unus Gebh.

24. *vestro*] sic A. B. F. *nostro* plerique St. C. F. Lipsii exc. D. P. R. Br. Cyll. ——— E. G. ——— [A. B.]

24. *choro*] ita P. B. F. Lipsii exc. *thoro* A. C. F. ——— D. [D. E.] *toro* D. R. Br.——— E. G. [A. B.]

Lib. IV. Carm. III.

Epistola: Sulpitia ad Cherintum: de omittenda venatione. A. *Sulpitia ad Cherintum de venatione dimittenda* FF. C. D. *Sulpicia ad Cherinthum.* St.

1. *quis*] ——— *qui* 1.

1. *campi*] *carpis* C. *campis* St. [A.]

3. *praelia*] *pectora* St. D. Cyll. R. Br. *pectore* A. B. C. FF. Colb. Lipsii exc. ——— D. [A. B. C.]

5. *devia*] *Delia* A. B. C. FF. St. Colb. D. Cyll.

6. *pereant*] ——— *valeant* 1.

7. *Quis furor est, quae mens*] *o quae mens* A. B. C. *aut quae mens* Colb. [*o quae mens* C.]

8. *Claudentem*] *Claudentis* L. [B.]

10. *hamatis*] *armatis* Colb. Lipsii excerpta [C. D.]

11. *Cerinthe*] *Cherinthe* A. B. F. D. Cyll. R. Br. ——— D. *Cherinte* C. F.

19. *Tunc*] *Nunc* B. F. Cyll. L. Lipsii exc. ——— 5. [B. C. D.]

20. *tange*] sic omnes St. A. B. C. FF. D. Cyll. L. R. Br. *tende* Colb. vulgg. ——— *tange* V. CC. D. E. G. [A. B. C. D. E.]

21. *Et*] sic A. B. C. D. FF. Cyll. O P. *Aut* Perr. ——— *Aut* 2. Col. *At* CC.

21. *quaecumque*] *quodcunque* F.

21. *subrepit*] ita B. C. D. FF. Cyll. *subrepet* unus St. *surrepit* A. [*subjecit*, vel *subrepit* E.]

23. *parenti*] *parumper* C.

Lib. IV. Carm. IV.

Epistola: Cherinthi: vel Tibulli potius: ad phoebum pro puella languente. A. *Ad Phoebum pro Cherintho aegrotante.* FF. *Ad Phoebum de Cherinto aegrotante: & puella.* C. *Ad Phoebum pro Cherintho aegrotante, seu pro puella.* D. *Ad Phoebum.* St. Gebh.

1. *et*] *o* R. Perr. ——— 2. E. G.

1. *expelle*] *depelle* F.

5. *ne*] *neu* Lipsii exc. ——— 1 5. Col.

9. *sapores*] *sopores* A. *sopore* unus Gebh.——— *sopore* Col. [*sopores* D.]

10. *cantus*] *cantu* unus Gebh. ——— Col.

10. *levant*] *luent* unus Gebh.

13. *vovet*] *fovet* L. ——— *movet* D. [*movet* A. *fovet* B.]

14. *aspera*] *impia* Br. unus Gebh.

15. *amantes*] [*amantem* B.] & sic L.

17. *secum*] *semper* L.

18. *credula*] *sedula* A. unus St. [C. D.]

18. *sedet*] *canit* MS. [C.]

19. *tribuetur*] *tribuatur* L. [B.]

20. *servato*] ——— *servatos* 1. Col.

25. *felicem*] *foelicem* A. B.

Lib. IV. Carm. V.

Epistola: Sulpitia ad Cherintum amicum suum. A. *Ad Cherintum de ejus natali, atque amore.* C. *Ad Cherintum de ejus natali atque amore: & oratio ad Venerem.* FF. D. *Ad Cherinthum.* St. Gebh.

1. *Qui mihi te*] *Est qui te* A. B. C. FF. Colb. St. Cyll. D. R. Br. ——— *Qui mihi te* CC. [*Est qui te* A. B.]

4. *Servitium*] *Servicium.* A.

4. *dederunt*] *dederant* A. B. C. FF. D. R. Br. [A. B. C. D. E.]

7. *per te*] sic St. B. F. *te per* A. F. S. *tua per* C. Cyll. ——— *te per* E. G. 2. *per te* D. [*te per* D. *per te* A. B. E.]

9. *Magne Geni*] *Mane Geni* A. B. C. D. FF. Cyll. L. R. Br. [B. C. D. E.] *Mane veni* Colb. quatuor St. [A.] *Alme veni* MS. Lipsii excerpta. *Alme Geni* P. Perr. ——— 1. 2. Col.

9. *thura*] *tura* F. *vota* Lipsii exc. *dona* A. B. ——— D. [C. D.]

9. *votisque*] ——— *donisque* D.

10. *volet*] *valet* A. B. C. D. FF. Colb. Cyll. St. R. Br. [A. B. C. D. E.] *calet* P. vulgg. ——— 1. 2. Col.

11. *suspirat*] *suspiret* D. R. C. F. —— E. G. [A. E.]
12.] *Tunc*] —— *Tu* 1.
13. *Nec tu sis*] *Nec sis nunc* C. D. Cyll. R. Br. *Vel tu sis* Colb. *Nec sis* F. a quo abest istud sive *tu* sive *nunc*.
16. *nos soluisse*] sic tres St. C. B. FF. P. R. Br. Perr. *quae soluisse* unus Stat. *dissoluisse* L. *quam soluisse* Colb. *Nulla queat posthac nos soluisse dies* D. Cyll. [*Nulla dies posthac dissoluisse queat* C D.] & sic noster A. —— *vos soluisse* D. *nos soluisse* 1. 2. E. G. [E.]
17. *tutius*] *tectius* P. Lipsii exc. Perr. Mattii liber. —— 1. 2. Col.
18. *Nam*] *Ac* Perrejus.
20. *Adnue*] *Annue* A. B. Colb. FF. C.
20. *clamve palamve*] *clamne palamne* C. F.

Lib. IV. Carm. VI.

Ad Junonem. St. Gebh. *Epistola : Poëta ad junonem loquitur.* A. *Junoni puellam commendat.* D. *Ad Junonem commendatio puellae.* C. FF.
1. *acervos*] *honores* C. —— D.
3. *Tota*] sic Gebh. A. B. C. FF. D. Cyll. St.
5. *ornandi*] sic P. L. Br. Cyll. —— 2. *horandi* A. *orandi* B. C. FF. R. MS. D. —— V. D. E. G. [D.]
5. *caussas*] *casus* C. *causas* A. B. FF.
5 *diva*] [*dura* A.]
7. *ne quis*] *ne nos* A. C. FF. D. R. Col. *ne nox* P. duo St. Perr. *neve id* B. Cyll. Br. —— *ne nox* 1. *ne quid* Col. *neve id* 5. Col. D. [*ne nos* A. B. E. *neve id* C. D.]
9. *compones*] [*componas* B]
9. *ullae*] sic A. B. C. FF. P. D. Perr. *ulli* Colb. Cyll. *velle* L. *ulle* R. —— *ullae* CC. V. D. E. G. *ulli* 5. [*ullae* A. *velle* B.]
10. *Servire*] *Serviat* Perreji excerpta.
10. *cuiquam*] *cuidam* B. C. FF. —— D. [A.]
10. *viro*] *viro est* F. Colb.
11. *deprendere*] sic A. Cyll. St. *deprehendere* C. B. FF. D. R.
13. *Adnue*] *Annue* A. C. FF. D. Cyll. *An nunc* B.
13. *perlucida*] [*praelucida* B.]
14. *sit*] ita C. Cyll. P. —— 1. 5. *sit* F. St. —— V. E. G. vel *sit* G. *sic* F. D. L. R. tres St. [A. B.]
15. *quod optat*] ita FF. C. A. B. Cyll. *quod optet* duo St. D. R. & Scaliger secunda editione. *quid optet* Lipsii excerpta. —— *quid optet* D. [*quid optat* A. *quod optat* C. D. E.]
16. *jam sua*] ita Scalig. A. B. FF. Br. Cyll. —— V. D. [A. B. C. D. E.] *jam sibi* duo St. P. C. D. Perr. —— 1. 2. Col. E. G.
19. *Sic*] ita F. D. St. —— G. *Si* A. B. F. —— D. [A. B. E.] *Sit* C. Br. Cyll. [C. D.] *Hic* Colb.
19. *grata*] *grata est* unus St.
19. *veniet*] *ac veniet* Lipsii exc. *adveniet* Cyll. [E.]
19. *quum*] *quom* Cyll.
20. *esset*] *adsit* A. B. C. D. Colb. Cyll. —— *esset* V. *adsit* G.

Lib. IV. Carm. VII.

Epistola: Gratulatio ad Venerem. A. *Gratulatio ad Venerem de amoris obtentu, & loquitur Sulpitia.* FF. D. *Gratulatio ad Venerem de amoris obtemperatione.* C. *Ad Venerem.* St. Gebh.
1. *pudori*] *pudore* FF. duo St. Lipsii excerpta. —— 1. V. D. [A. B.]
2. *Quam*] ita C. D. FF. Cyll. *Et* A. B. —— D. [C. D.] *Aut* Colb. —— *At* V.
2. *fama magis*] *fama major* F. *fama prior* Lipsii excerpta. —— *fama minor* 2.
5. *Exolvit*] *Exsolvit* A.
6. *sua*] *suam* A. B. C. FF. Colb. D. St. Cyll. R. Br. [A. B.]
7. *mandare*] —— *mandabo* 1.
7. *tabellis*] [*tabellae* A.]
8. *Ne legat id nemo*] ita St. Cyll. Br. *Nec legat id nemo* unus St. *Me legat advenio* quatuor St. F. D. R. *Me legat ut nemo* Colb. *Me legat id nemo* A. B. C. F. L. *Me ut legat id nemo* Perr. —— *Me legat advenio* G. *Me legat id venio* D. *Me legat ut nemo* 1. 2. 5. [*Me legat id venio* B. *Me legat advenio* A. *Me legat id nemo* D.]
8. *ante*] [*esse* C.]
10. *fuisse*] *puella* F.

Lib. IV. Carm. VIII.

Epistola: Conquestio ad Messalam. A. *Ad Messallam: de absentia Cherinthi.* D. *Sulpitia Messalae.* FF. *Ad Messallam.* C. St.
3. *puellis*] sic A. B. *puellae* C. FF. Scalig. D.

D. Cyll. R. Br. quatuor St. ——— CC. E. [A. E.]

4. *Eretino*] ita Cyll. Br. P. ——— 1. 5. *Aretino* A. (est haec vocula istic interpolata, & videtur *Eretino* fuisse a manu prima) B. C. F. [A. B.] *Arretino* F. D. R. ——— E. G. [C.]

4. *annus*] *amnis* A. B. C. FF. Colb. D. Cyll. St. [*annus* C. D.]

5. *nimium*] ——— *minimum* 1. 2.

6. *viae*] *tuae* unus St. unde ipse faciebat *fugae*.

6. *Non*] *Nec* F. *Heu* Colb.

7. *Hic*] *His* C. unus St. [A.]

7. *relinquo*] [*reliqui* A.]

8. *Arbitrio meo*] ——— *Arbitrii mei* 5.

8. *quamvis*] *quoniam* unus St. Lipsii exc. P. MS. ——— 1. 2. Col.

8. *finis*] *finit* quidam St. unde ille disjunctim legebat, *Arbitrio quam vis non finit esse meo.*

Lib. IV. Carm. IX.

Epistola: Advocatum de natali die. A. *Ad Theoratum de natale die.* FF. *Ad Cherinthum de natali die suo.* C. *Ad Tostratum: de ejus natali.* D. *De natali die.* St. Gebh. [*ad Theostratum.* A. *ad Thestratum* B.]

2. *jam licet esse tuo*] sic Scaligeri liber potior. *non finet esse tuo* F. unus St. A. B. *non finit esse suo* Scaligeri lib. Cyll. Br. *non finit esse tuo* C. F. D. R. *tuo* erat in omnibus St. *non finis esse tuo* Colb. Lipsii excerpta. ——— *nunc finit esse tuo* 2. 5. *non finit*, vel *jam licet* G. *non finet esse tuae* V. *non finere esse tuo* 1. 5. [*non finis esse tuo* A. *non finit esse tuo* B. *non finet esse tuo* C. D.]

3. *dies*] [*deus* A.]

4. *nunc tibi forte*] *forte* D. P. R. Perr. ——— 1. 2. Col. *candidus usque* 5. [*forme* A.]

Lib. IV. Carm. X.

Epistola: ad Cherintum de Sulpitia. A. *Ad Sulpitiam.* C. *De Sulpitia* FF. D. *Ad Sulpiciam* St.

1. *securus*] *securis* D. Cyll. ——— E. G. [*securos* B.]

1. *multum*] *multa* F.

1. *quod*] [*quid* A.]

1. *mihi*] [*tibi* E.]

1. *de me*] *crede* F.

2. *Permittis*] *Permittas* tres St. A. C. D. P. R. ——— 2. G. [*Permutas* A.]

2. *ne*] *nec* unus St.

3. *togae*] ——— *toga* 5.

4. *quam*] [*quae* A.]

5. *Solliciti*] *Soliciti* B.

6. *caussa*] *cura* C. & pro diversa lectione B.

Lib. IV. Carm. XI.

Epistola: ad Cherintum. A. *ad Cherintum.* C. FF. D. St.

1. *Estne tibi*] ——— *Morsne tibi* 1. 2. Col. D. E. G.

1. *placiture*] ita Cyll. *placitura* A. B. FF. D. P. L. R. ——— 1. 2. Col. D. E. G. [A. B. D. E. C.] *placiturae* C. ——— *pia cura* 1.

3. *Ah*] *Ha* F. Perr.

4. *Optarim*] *Optarem* Colb.

4. *si*] ita F. P. ——— 1. *sic* St. A. B. C. D. F. Cyll.

5. *Ah*] *Ha* F. *A* omnes St. *Nam* vulgg. FF. ——— *At* CC. [B.]

5. *ubi tu*] *quod tu* A. *quid tu* omnes St. C. F. B. D. Cyll. R. Br. *si tu* F. Lipsii exc. ——— *quam tu* D. *nam tu* 5. *si tu* 1. 2. Col. [*quid tu* A. B. C. D. E.]

6. *lento*] *laeto* FF. St. A. B. C. Colb. D. Cyll.

Lib. IV. Carm. XII.

1. *Ne tibi sim*] ita P. ——— 5. *Ne tibi sit* A. C. D. Cyll. Br. ——— V. [A. B. C. D.] *Nec tibi sim* B. FF. Colb. R. ——— D. E. G.

1. *tam*] *jam* C. F. D. R. ——— E. [A.]

2. *Ut videor*] ita Cyll. *Ac videor* duo St. C. F. P. ——— CC. 1. D. [E.] *Ac videas* A. B. F. L. ——— D. V. [A. B. C. D.] *At videas* D. R. ——— E. G.

3. *Si*] ——— *Nil* 1. Col. *Nec* 1.

4. *Cujus*] ——— vel *Quojus* V. *Qujus* D.

4. *fatear*] ——— *fateor* D. [B.]

5. *quod*] [*sub* C. D.]

Lib. IV. Carm. XIII.

Epistola: ad amicam innominatam. A. *Ad amicam.* C. D. *Alloquitur innominatam Amasiam.*

ſiam. F. *Alloquitur praedictam amicam ſuam.* F. *ad amicam.* St. Gebh.
1. *nobis*] ita quatuor St. A. B. C. FF. D. R. *titulis* St. Cyll. Br. —— *titulis* vulgg. *donis* 2. *nobis* 1. Col. V. CG. D. E. G.
3. *Tu modo*] ita omnes St. A. B. C. D. F. P. L. R. Perr. *Tu mihi* F. Cyll. —— *Tu modo* D. E. G. 1. 2. [B. C. D. E.]
3. *jam te*] *te jam* A. B. C. L. —— D. E. G. [B. C. D. E.]
4. *ulla*] [*nulla* B.]
5. *poſſes*] *poſſis* F. Cyll. Br. —— G.
5. *uni mihi*] [*mihi tantum* B.]
6. *ſic*] *tunc* B.
8. *ille*] *ipſe* omnes St. C. FF. D. R. —— V. E. G. [B. E.]
9. *poſſum*] *poſſim* F.
13. *Nunc*] *Tunc* Colb.
15. *Haec tibi ſancta tuae*] ita omnes St. A. F. D. Cyll. —— E. G. *Nec tibi* V. [E.] *Hoc tibi* B. Colb. L. —— 1. 5. D. [B. C. D.] *Per tibi* C. P. Perr. —— 1. 2. Col. *Hoc tibi per ſanctae* F.
16. *mihi*] ita tres St. F. D. P. R. Perr. Lipſii exc. —— 1. Col. E. G. *tibi* St. A. B. C. F. Cyll. Br. [B.]
16. *magna*] —— *digna* D.
17. *heu heu*] ita omnes St. A. B. C. D. FF. Cyll. P. R. Br. —— 2. E. V. D. [D. E.] *heu cui* vulgg.
17. *cedo*] ſic duo St. A. B. —— 1. Col. V. D. [C. D.] *credo* St. C. FF. D. Cyll.
18. *proderit*] *prodeat* A. B. C. FF. Colb. St. D. Cyll. R. Br. —— *proderit* 1. *proderat* G. [*prodeat* B.]
20. *garrula*] *garula* A. B. Aldina.
22. *Nec*] *Ne* B.
22. *notae*] *noſtrae* Colb. *nocte* Cyll. Br.
22. *ſervitium*] *ſervicium* B.
23. *Sed*] *Si* B.
23. *conſidam*] *confidam* duo St. C. F. D. Cyll. *conſidam* A. B. F. —— *confidam* V. E. G. [C.] —— *conſidam* 5.
23. *vinctus*] *victus* P. L. Perr. Cyll. —— 1. 2.
24. *Haec*] —— *Nec* D.
24. *ſupplicibusque*] *ſuplicibusque* B.

Lib. IV. Carm. XIV.

Epiſtola: De infamia puellae tetraſticon. A. *Tetraſticum de infamia ſuae puellae.* C. *De infamia ſuae puellae.* FF. St.
1. *crebro noſtram*] *noſtram crebro* F.
1. *peccare*] *peccaſſe* C. & *peccare* pro diverſa lectione.
3. *Crimina*] *Carmina* A. [D. E.]
3. *ficta*] ſic unus St. —— 1. Ceteri omnes *facta*; etiam Heinſiani.
4. *tace*] *ſile* unus St.

NICOLAI HEINSII
NOTAE IN TIBULLUM.

MS. Schefferi) *excerpta* codicis Schefferiani, *quae ad me misit V. C. Johannes Columbus.*

Scaliger codice Cujacii *usum se testatur non antiquo, sed quo meliorem non putet exstare. erat autem paulo ante artem typographicam scriptus. Deinde dicit, excerpta pervetusta in manus suas pervenisse, & fragmentum peroptimum a quarta elegia libri tertii ad finem usque, quod a Cujacio acceperit utendum.*

Guyetus citat codicem Thuani; *& excerpta nescio quae rudi stylo descripta;* & codicem Regium.

Lib. I. Eleg. I.

1. 2. *jugera multa*] ed. Scal. & sic Diomedes Grammaticus citat libro III. ut & *conferat auro.* intelligit autem foenus. vide Salmasium de modo usurar. p. 89. apud Schoppium lib. V. Susp. Lect. Epist. X. in v. c. Diomedis hi versus sic leguntur, *sibi conferat auro:* & *jugera multa.*

4. *exiguo igne*] ita probat ex vetustis excerptis Scaliger. etsi Marius Victorinus alteram lectionem agnoscit. & sane τὸ *assiduus* paulo ante praecesserat. Guyetus tamen & Gebhardus *assiduo* tuentur, quia Martialis *focum perennem* quoque dixit.

6. *pinguia musta*] f. *spumea musta.*

13. *pastoremque meum*] Guyetus *pastorumque Deum,* ut Pan intelligatur. lege *pastoremque Deum.* in Adverſ.

15. *desertus in agris*] pro depactus. vide Vossium de Analog. III. C. 30. p. 124.

18. *libatum*] forte *Libandum.*

18. *agricolae Deo*] scripti quidam *agricolas Deos.* & sic Pricaeus ad Apologiam Apuleji p. 132. male. vide Vossium lib. IV. Instit. Orat. C. 1. §. 13. infra Eleg. V. 37. *Illa Deo sciet agricolae pro vitibus uvam,* &c. dixi ad Nucem Nasonis ℣. 10. Muretus per agricolam Deum intelligit Bacchum. Guyetus pro Dis agricolis poni putat. Ego Terminum intelligo: quod superiora evincunt.

19. *tibi sit*] forte *tibi fit.*

21. *ponatur in hortis*] forte *donatur in hortis.*

22. *saeva falce Priapus aves*] *scaevas aves* Gebhardus ex scriptis. & placet Guyeto: non mihi.

29. *Adsitis Divi*] *Vos quoque adeste Dei,* vetustissima excerpta Scaligeri.

30. *e puris*] hoc tuetur Guyetus ex codice Thuanaeo, & excerptis aliis, contra Scaligerum, qui *parvis* edidit. *pura patella,* Naso in Fastis lib. V.

37. *requiescere lecto Si licet*] lege, *requiescere fesso Scilicet. lento,* Guyetus, ut, *tu Tityre lentus in umbra.* idem, *solito.*

38. *Si licet, & solo*] sic excerpta Scaligeri. quod ille probat. vulgati, *Scilicet & solito.* sed *Si licet* puto ejus conjecturam esse. nam in codice ab illo collato nulla varietas erat illic notata.

39. *Quam juvat*] lege, *Quam juvet.*

42. *imbre juvante*] sic ex vetustis libris Scaliger. bene. alii *igne.* minus placet *juvante.* quia praecessit *quam juvat.* forte, *fovente.* v. Plinius L. XII. C. 1. de Muciano dormiente sub platano.

43. *sit dives jure,* &c.] *sit dives, rure furorem Qui maris, & caeli nubila ferre potest:* excerpta Scaligeri. sed cum in codice suo τὸ *rure* non habeat adscriptam literam A, qua designat passim illa excerpta, tum etiam quod linea subduxerit τὸ *rure,* quomodo conjecturas solet; dubito, an ita in excerptis exstet.

44. *tristes pluvias*] forte *tristes Hyadas.* nam *imbre* praecesserat.

47. *Jam*

47. *Jam modo non possum*] *Jam modo jam possum*, Guyetus ex vestigiis excerptorum Scaligeri, in quibus *Quippe ego jam possum.*

51. *pereat, potiusque smaragdi*] codex Regius, *potius pereatque.* lege, *pereat, pereatque smaragdi:* ut *potius* subintelligatur.

55. *vinctum vincla*] non placet.

56. *Et sedeo duras*] forte, *Et sedeo ut duras.*

57. *Non ego laudari cupio*] *quaero*, Guyetus: cum scripti omnes *curo* agnoscant. & sic MS. Scheff. non *cupio.*

59. *sim tecum modo*] ita Guyetus. vulgo *si.*

62. *Mollis & inculta*] *Mollis in inculta*, Guyetus ex codicibus Achillis Statii. ut alibi, *Et datur inculto tramite dura quies.*

67. *Ferreus ille fuat*] Scaliger. improbat Guyetus, qui *fuit* a *fuim* derivat. lege *sinu.*

86. *cano capite*] *capiti*, Aldina.

88. *rixas inseruisse juvat*] *conseruisse*, Schefferi MS. lege, *rixas inseruisse serae.*

Eleg. II.

3. *perfusum tempora Baccho*] *percussum*, codices fere omnes Ach. Statii. & placet Guyeto. qui alibi legit apud nostrum (1, 8, 50.) *tempora tunde mero*, non *funde. percussus vino*, Plautus Casin. 3. 5. ℣. 16.

—— *quid est, nisi haec meraclo*
Se uspiam percussit flore Liberi.

sic legit ad Justinum Bongarsius p. 15. sic *multo tempora quassa mero* Nasoni. Fruterius malit frustra *perfusum.*

6. *Clauditur & dura*] forte, *en dura.*

7. *difficilis dominae*] sic Guyetus. *domini* Scaliger ex veteribus libris.

19. *decedere lecto*] lege *descendere.* Guyetus *derepere*, ex antiquis Gruteri schedis apud Gebhardum. placet.

33. *fias*] *fiet* cod. Thuan. unde *fies* Guyetus. posset & legi *sitis Obvia.*

40. *rapido mari*] *rabido*, Guyetus.

49. *Cum lubet*] *Quom libet*, MS. Schefferi.

50. *aestivo convocat orbe nives*] *provocat orbe*, Guyetus. *convocat*, MS. Schefferi. lege, *aestivas convocat ore nives.*

52. *Hecates*] *Hecatae* mavult Guyetus, ex codicibus Gebhardi.

52. *perdomuisse*] forte *perdomat hisce.*

58. *sentiet esse nihil*] *ille nihil*, ex scriptis Guyetus. forte *ista nihil.*

63. *Non ego*] sic MS. Schefferi. alii, *Non ut.*

Eleg. III.

4. *mors violenta*] sic Guyetus.

11. *Illa sacras pueri sortes ter sustulit*] *puero*, Carrio in lib. I. Valer. Flacc. ubi & *e triviis* defendit, & *omina. Illa sacras pure*, Guyetus. *Illa manu pueri sortes ter sustulit*, Salmasius de Annis Climacter. p. 792. forte, *Illa sacras urnis sortes ter sustulit.*

12. *Rettulit e triviis omina certa puer*] quicumque de triviis puer. Vossius de Construct. cap. 66. *Rettulit e trinis omina*, Salmasius. & jam ante illum G. Canterus. quod Guyetus improbat. *omina trina*, Ausonius in Grypho numeri ternarii. sic Scaliger & Vinetus legunt.

23. *tibi Delia*] *mihi Delia*, Scaliger ex scripto.

29. *votivas persolvens Delia voces*] *votivas noctes*, Scaliger. cujus codex, *persolvat.*

47. *Non acies, non ira fuit*] forte, *Non acies ferrive fuit.*

54. *inscriptis notis*] Cod. Livineji, *his scriptis.* unde Guyetus, *his scriptus.*

69. *impexa*] *implexa*, Guyetus, ex Virgilio, *caeruleos implexae crinibus angues.* sic Pricaeus in Apul. Apolog. p. 10.

71. *Tum niger in porta serpentum Cerberus ore Stridet*] *Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore Stridet*, ex veteri libro Scaliger. lege, *Tum niger intorto serpentes*, pro serpentibus.

79. *Et Danai proles, Veneris quae*] *At*, Guyetus; et *quae*, pro *quod.* sic codd. Statii. & Regius, & Thuanaeus.

80. *in cava*] *in mala*, Guyetus.

82. *lentas militias*] *lentus*, Guyetus. male. forte *lentas delicias.* intelligit delicias amatorias. Propertius: *Ah pereat, si quis lentus amare potest.* quem locum Schoppius non bene interpretatur Verisimil. lib. III. cap. 14. *Lentum Cupidinem sollicitare*, Horatius Od. 13. lib. IV. sic noster lib. I. Eleg. IV. ℣. 81. Eleg. X. ℣. 60. ubi male mutant. lib. II. Eleg. ult. ℣. 36. Silius lib. V.

—— *lubrica mentem*
Nympha, nec Idalia lenta incaluisse sagitta.

86. *plena colo*] *pleno colo*, ἀρχαϊκῶς Scaligeri codex.

87. *circa*] *Circa*, vel *Cura*, ut vetus codex, nomen proprium Scaliger putat esse. frustra.

88. *opus*] *onus* legit ex veteri codice Scaliger. non placet.

93. *Hoc precor.. hunc illum*] forte, *Ocius hunc utinam.* forte, *Mox precor huc illum.* lege, *Hoc precor, hunc voveo nobis.* ineptissimum est *hunc illum.* videlicet *hunc nobis τὸ voveo* absorpserat ob cognationem. *huc illum*, codex Thuan.

Eleg. IV.

2. *Ne capiti soles*] *Sic capiti*, Guyetus. imo lege, *Nec capiti.*

7. *Sic ego. tum Bacchi respondit*] *Sic ego. sic Bacchi respondit*, Guyetus. nam in Mureti codicibus *sic Bacchi.* male. nam *sic* paulo post denuo sequitur. *quom*, excerpta Italica.

11. *Sed ne te capiant*] *Sed te ne capiant*, ex codice Thuani Guyetus. lege & *negarit.*

19. *pater ipse*] forte *ille.* ad Maronem.

20. *ineptus amor*] forte *amans.* Guyetus.

23. *At si*] *Ah si* legit Scaliger.

23. *transiet aetas*] Vossius de Analog. lib. III. cap. 38.

24. *Quam cito non segnis stat remeatque dies*] hanc lectionem defendit G. Canterus Nov. Lect. lib. IV. cap. 4. lege, *transiet aetas Quam cito! non segnis stat remeatve dies.*

26. *populus alta comas*] *ante comas*, ex vetere libro Scaliger. *alta* retinet Guyetus ex Horatio, lib. II. od. 3. *altaque populus.* sed illic scripti, *albaque.* & sic excerpta Italica, cum patre meo hoc loco.

28. *Qui prior Elaeo est carcere missus*] forte, *Victor ab Elaeo carcere.*

37. *picta ferrugine*] *picea ferrugine*, Guyetus. & sic codex quem habui a Carolo Dato. *obscura ferrugo* Virgilio.

38. *admittat*] *amiiciat*, Scaliger ex veteri codice. nolim factum. *adnutet*, pro annuat, Guyetus.

41. *duro subiisse labori*] sic Guyetus. contra Scaliger ex vetustis libris *duros labores.*

42. *Aut operi*] lege, *Aut opere.*

42. *atteruisse*] vide Vossium lib. III. de Analogia cap. 30.

48. *sed tamen*] *sic tamen*, Guyetus.

49. *post offeret ipse volenti*] *ipse roganti*, Thuan. aliique nonnulli. alii *ipsa. roganti* quoque Scaliger ex MS. & Schefferi MS. *mox & ferat ipse roganti*, Guyetus.

50. *Post etiam*] forte, *Mox etiam.*

50. *volet*] *velit*, Guyetus.

53. *Jam tu*] lege, *At tua. At tibi*, excerpta Italica.

60. *dum vehet*] *dum feret*, Guyetus. quia videlicet *coelum stellas vehere* non recte dicitur.

63. *expleat*] sic codex Thuani. & placet Guyeto. in aliis *impleat.* forte, *implicet.* unus codex, *explicet.*

67. *quae canerem*] *caverem*, Scaliger. quem vide ad Festum, in *Cavillare*; & Menagium Amoenitatib. Juris. & Vossium lib. III. de Analog. cap. 35.

68. *Sed Titium*] Horatius: *Quid Titius, Romana brevi venturus in ora?* male Scaliger de jurisconsultorum Titio.

83. *ne turbis*] *turpis* bene Guyetus ex codice Thuan. & Regio, & Achillis Statii. & sic MS. Schefferi.

Eleg. V.

3. *turben*] sic Scaliger ex Charisio monet legendum. vide Vossium lib. I. de Analog. cap. 35. [in Addendis ad p. 147. lin. 2.]

5. *Ure ferum*] hoc distichon spurium esse asserit Guyetus. Achilli quoque Statio suspectum est.

11. *Ipseque ter circum lustravi*] *Ipseque te*, Scaliger. male. *te circumlustravi*, Guyetus una voce. numerus ternarius in magicis usitatus, & in lustratione. Virgilius: *Idem ter socios pura circumtulit unda.* Propertius: *Terque meum tetigit sulphuris igne caput.*

12. *praecinuisset anus*] *procubuisset*, ex veteri libro Scaliger. male. Macrobius ad Somn. Scipion. lib. II. cap. 3. *Corporum quoque morbis medetur. nam hinc est, quod aegris remedia praestantes praecinere dicuntur.*

13. *saeva Somnia*] Rittershusius ad Phaedr. p. 118, *scaeva* legit. & Guyetus ex Gebhardi codicibus.

14. *salsa deveneranda mola*] *sancta mola*, codex Scaligeri. *salsa devenerata mola*, Guyetus.

16. *Triviae*] sic Scaliger; non *Veneri.*

23. *Haec mihi servabit*] sic Guyetus. *Aut mihi*, Scaliger.

29. *Illa regat cunctos*] *reget*, Guyetus.

33. *Et tantum venerata virum, hunc sedula curet; Huic paret*] *Haec tantum venerata virum nunc sedula curet, Nunc paret.* Guyetus. male.

37.

37. *magnae v. n. verbo*] *magno verbo*, Guyetus cum Passeratio. quomodo *magna loqui*; & *magna lingua* apud Horatium. forte, *vano verbo*.

40. *deripuisse*] *eripuisse*, MS. Schefferi.

43. *Non ego, si merui*] lege, *Non ego sic meritus*.

45. *At tu, q. l. r. m. n. caveto*] Scaliger:

At tu, qui laetus rides mala nostra, caveto
Mox tibi.

& sic codd. Reg. & Thuan. teste Guyeto.

46. *non unus*] sic Scaliger, & codex Regius, & Thuan. alii, *non vanus*. etiam *usque* est in Schefferi MS.

47. *miseros lusisset amores*] noster Eleg. IX. ℣. 75. *Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes*. Ovidius:

Sic hanc, sic alias silvis aut montibus ortas
Luserat hic nymphas, sic coetus ante viriles.

laesisset, codex Scaligeri. quem vide.

53. *circumstetit*] sic codex Thuan. *circumstrepit*, conjicit Scaliger. *circumterit*, Guyetus ex codice Regio, & Gebhardi libris. etiam unus ex meis.

Eleg. VI.

6. *Et pudet, & narrat*] *Et, pudet hei, narrat* &c. Scaliger.

7. *tenerisque lacertis*] *mutisque lacertis*, MS. Schefferi.

17. *herbasque sepulcris*] sic Scaliger ex veteri libro, & MS. Schefferi. alii *escasque*. quod servat Guyetus. male. vide Adverf. lib. I. cap. 2.

18. *saevis lupis*] *scaevis*, ex scriptis Gebhardus.

20. *e triviis*] sic Guyetus ex codice Regio, & Thuan. Scaliger *a triviis* ex codice suo.

21. *Eveniet*.] lege, *Evenient*. dixi ad Nasonem. & sic duo codices Gebhardi, & codd. Statii. sic noster Eleg. VIII. 5. lib. II. Eleg. I. 25. Eleg. V. 11. lib. III. Eleg. IV. 48.

25. *Pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit*] *Pauper erit praesto, semper te pauper adibit*, ex excerptis vetustis Scaliger.

26. *in tenero fixus erit latere*] *in duro limine fixus erit*, eadem excerpta Scaligeri.

31. *victa patescit*] *fatiscit*, ex Thuanaeo & Sfortiano Guyetus. *rimisque fatiscunt*, Virgil. ubi vide Servium. dixi ad Nason. Trist. lib. I. Eleg. IX. 8.

33. *mea furta caveto*] ita ex scripto Scaliger.

34. *orbe rotae*] *orbe cito*, ex veteri libro mavult Scaliger. quem vide.

Eleg. VII.

1. *ut inducar*] *inducas*, ex scripto Scaliger.

3. *Quid tibi saevitiae*] lege, *Quid tibi, saeve puer*, ex codice Statiano. Naso Amor. lib. I. Eleg. 1.

Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina juris?

11. *Fingere tunc*] *nunc*, Schefferi MS. & Scaliger.

12. *Cardine tunc*] *nunc*, Schefferi MS. & Scaliger.

13. *queis livor abiret*] *quo succus*, codex Thuan.

18. *laxo sinu*] *lapso sinu*, Guyetus ex codice Thuan. perperam. vide Epist. Parid. 247.

21. *seu visere dicet*] lege, *si visere dicet*.

23. *ad aras*] *ad aram*, Scaliger. male.

28. *victor aqua*] puto, *fictor aqua*.

38. *nat tibi*] *stat tibi*, Guyetus ex Propert. *Vel mea si staret navis in Oceano*.

39.] bene haec distinguit Guyetus: *Quid tenera tibi conjuge opus? tua si bona nescis Servare*, &c.

45. *quisquis colit*] *colis*, Guyetus. bene.

46. *Effluit*] *Et fluit*, Guyetus ex scriptis Gebhardi. & sic MS. Schefferi.

46. *toga laxa*] sic Scaliger, non *lapsa*. *toga laxa* MS. Schefferi. sic & Turnebus. *lapsa* non improbat Ferrarius, sic tamen ut magis probet *laxa*, lib. I. de re Vestiar. cap. 6. p. 15.

48. *Stet procul, aut alia stet procul ante via*] Guyetus, *Stet procul hinc, alia sed procul ante via*.

52. *non amens*] *non & amans*, Scaliger. *nec amens*, codex Thuan. unde Guyetus, *non amens*.

54. *Sanguineque effuso*] an *affuso*?

58. *post didicisse*] *post tetigisse*, cum Ach. Statio Guyetus.

59. *Attigeris*] sic Guyetus ex veteri libro Ach. Statii.

62. *Si tamen admittas*] malim, *Si tamen admittar*.

64. *Me movet*] sic codices Ach. Statii, & duo Guyeti. alii *monet*.

65. *Haec mihi te adducit*] *Haec tibi me*, mavult Pricaeus ad Apul. Metam. p. 516.

70. *annos contribuisse*] lege, *conteruisse*. dixi ad Epist. XIX. Nasonis ℣. 17. vide Vossium lib. III. de Analog. p. 108.

72. *Quicquid agit*] *agat*, Thuan. & Sfortianus Ach. Statii.
77. *ducarque capillis*] *ducterque capillis*, Scaliger.
78. *properas proripiarque vias*] *proprias vias*, codex Scaligeri. quod ille improbat. alii *pronas*. forte, *pronas per rapiarque vias*.
81. *Nec saevo*] *Ne saevo*, Scaliger ex scripto.
83. *At quae fida*] *Nam quae fida*, ex scriptis Guyetus.
85. *Firmaque conductis*] *Primaque conductis*, Guyetus.
86. *Tactaque*] *Tractaque*, ex scripto Scaliger; & *putat*, non *parat*. *Tracta*, vide nos ad Nason. Epist. Herus.
90. *quam sit acerba*] sic Guyetus ex Thuan. Scaliger, *quod sit*.

Eleg. VIII.

1. *Hunc cecinere diem*] forte, *Hunc cecinere ducem*.
3. *fundere gentes*] *spargere gentes*, codex Thuan. & plerique alii. unde Guyetus, *frangere*. quomodo & Bernard. Cyllenius, illo fatente p. 470. ed. Paris. [sane ibi legitur *spargere*, ad lib. II. Eleg. 1. ℣. 33. sed ad hunc locum Cyllenius nullam notavit varietatem. ita ut credibile sit errorem esse memoriae]
4. *Atur*] sic Scaliger, pro *Atax*. quem vide.
5. *pubes Romana*] *plebes Romana*, Guyetus. ut apud Statium, *anxia plebes*.
8. *Portabat*] *Portavit*, Guyetus; cum in plerisque scriptis, & Regio, ac Thuanaeo, sit *Portabit*. & sic codex Scaligeri.
9. *Tarbella*] sic Scaliger. alii, *tua bella*.
11. *Testis Arar*] *Atax*, codex Thuan. quomodo Guyetus legendum putat.
12. *Carnuti & flavi*] *Carnuti & fluvii*, Scaliger. improbat Guyetus.
13. *At te*] lege, *An te*.
13. *tacitis undis*] *tractis undis*. Guyetus. inepte.
14. *placidis aquis*] *placida aqua*, Guyetus.
16. *Taurus arat Cilicas*] id est, secat. Guyetus. Scaliger, pro Cilices arant Taurum.
17. *Quid referam*] *Quin referam*, Guyetus.
18. *columba Syro*] *columba suo*, male ex veteri libro Scaliger. dixi ad lib. I. Artis Nason.
19. *prospectat*] lege *prospectet*, ut aliae editiones.
20. *docta Tyros*] *dicta*, Guyetus. & sic MS. Schefferi.
23. *possum te dicere*] *possim*, Guyetus ex codice Regio, ac Thuan. & Achillis Statii libris.
25. *imbres*] *imbris*, Schefferi MS. & sic semper.
27. *pubes miratur*] *plebes miratur*, Guyetus.
29. *Primus aratra* sqq.] citantur hi quatuor versus a Scholiaste Juvenalis ad Sat. VIII. ℣. 28.
36. *incultis pedibus*] an *adductis pedibus*?
39. *confecta labore*] malim *constricta labore*, ut τῷ *dissoluenda* opponatur Naso:

Pectora dum gaudent, nec sunt adstricta dolore,
Ipsa patent.

40. *tristitiae*] lege *laetitiae*. dixi ad Epist. Nasonis XIII. ℣. 116. & sic cum Mureto Guyetus, & vetus codex Ach. Statii.
42. *compede pulsa*] forte *vulsa*. aut *trita*. sic *trita colla catenis*. *cuspide multa*, codex Scaligeri. quod ille improbat. *multa* tamen amplectitur. legit *cuspide* Salmasius ad Tertull. Pallium p. 375. quem vide. infra ad 2, 7, 7.
44. *cantus lenis, & aptus amor*] Scaliger, *cantus, & levis aptus amor*. improbat Guyetus.
45. *& frons*] lege, *sed frons*. deinde, *Sed Tyriae vestes*, *sed dulcis* &c. *Sed levis occultis*.
47. *dulcis tibia cantu*] *dulci cantu*, Guyetus. lege, *dulcis flatu*. *cantus* praecesserat.
49. *centum ludos*] *sanctum ludo*, Guyetus.
50. *tempora funde mero*] *tunde mero*, Guyetus. ut *mero quassa tempora* Nasoni.
51. *Illius e nitido*] *Illius & nitido*, Scaliger. *Illius nitido*, Guyetus.
53. *tibi dum thuris honores*] *tibi dem*, codex Scalig. & probat ille. sic ex codex Thuan.
54. *Liba & Mopsopio*] *Libaque*, codex Thuan. & probat Guyetus.
56. *quae facta parentis Augeat*] *Audiat*, Guyetus ex veteri codice Comelini apud Gebhardum.
57. *Nec taceant*] *Non taceam* codex Scaligeri. *Nec taceat*, nempe proles, Guyetus. tum *queis Tuscula*; &, pro *detinet*, legit *denitet*. insulse.
61. *Te canit*] *Te canet*, lego. & sic Guyetus ex codice Vaticano Achillis Statii.
64. *veni*] *redi*, Guyetus.

Eleg. IX.

9. *Quid tibi nunc*] *Quid tibi tum*, codex Thuan.

Thuan. & Sfortianus. unde Guyetus *tam.*
11. *Quid fuco splendente comas redimire*] lege *genas* ex scriptis, cum τὸ *comas* praecesserit. pro *fuco*, Scaligeri codices *succo.* unde ille, *succo splendente genas onerasse.* τὸ *redimire* unde Douza depromserit haud scio. Certe scripti omnes cum editis *ornare.* forte *relinire. genas* quoque Guyetus.
14. *colligat*] *colligit*, Guyetus, & sic scripti.
19. *traducit ab agris*] *deducit ab agris*, codex Scaligeri. quod tamen in exemplari ab illo collato non exstat. pro *fruges*, codex Thuan. *messes traducit.* sic & alii.
26. *sed femori*] *sed femini* Charisius videtur legisse. quem vide. haec Guyetus.
30. *Ut foveat*] lege, *Ut foveas.*
31. *Carior est*] lege, *Carior ast.* vel, *Carior esto.*
32. *aspera barba*] *hispida barba*, unus MS. sic in Priapeis. & sic editio Canteri.
35. *invenit concumbere*] *inveniet*, & *succumbere*, Scaliger ex veteri libro.
36. *Dum timet*] *Dum tumet*, Scaliger.
37. *anhelanti*] *anhelatim*, codex Regius.
37. *humida Oscula*] lege, *uvida Oscula.* sic *Osculum udum* apud Prudentium hymno Romani ỳ. 832. vide ibi notam.
38. *figere dente*] *fingere dente*, Schefferi MS.
39. *juvent*] sic Scaliger. *juvant*, Guyetus.
40. *Dormiat*] sic Guyetus. *Dormiet*, Scaliger.
41. *juventa*] lege *juventas*, ex scriptis. & sic Guyetus, & Schefferi MS.
42. *Cum vetus*] forte *Cum vietum* legendum.
45. *Tollere a stirpe*] forte *Vellere a stirpe.*
49. *Neu Marathum torque*] sic Scaliger.
51. *fontica caussa*] vide Scaligerum.
52. *luto*] sic Scaliger. *luteo*, codex Thuan. & alii. quod Ach. Statio probatur.
53. *Vah miser*] Scaliger, *veh miser.* lege, *Ah miser. Vel miser*, Edd.
54. *& lacrimis*] lege, *ut lacrimis.*
54. *Conjicit*] forte, *Congerit.*
66. *pedes*] *pedem*, ex scripto Scaliger.
67. *mollia jura colendi*] *mollis cura colendi*, Guyetus, & sic Scaliger in ora codicis sui. Lege, *mollia rura colenti.*
75. *ludebat amantes*] *ludebat amores*, Schefferi MS.
80. *opposita est janua dura sera*] *opposita janua dura sera est*, Guyetus. lege *apposita.* dixi ad Amor. III. Eleg. 14.

Eleg. X.

1. *laesurus*] lege *lusurus*: & *ludere* ỳ. 6. vide patrem ad Silium p. 329.
1. *amores*] sic Guyetus. *amantes*, Scaliger.
2. *clam violanda*] *jam violanda*, ex scriptis Scaliger.
3. *Ah miser*] forte, *Ah misero*, nempe *venit.*
20. *Asperaque est illi*] forte, *Asperaque esto illi.*
22. *Corpus*] *Pectus*, Guyetus.
23. *Nec tibi caelandi fas sit*] lege ex MS. *Nec tibi caelandi spes sit.* de sequentibus vide Scaligerum.
25. *laeva ministro*] sic Scaligeri codex. alii, *lene ministro.* Scaliger, *vela ministro. vela magister*, ut navis magister. Guyetus.
33. *vendere velle*] *vendere velle*, liber vetus.
36. *fluminis esse vias*] *luminis ire vias*, Guyetus.
39. *Quid facias*] *Quid facerem*, ex scripto Scaliger.
40. *sed levis*] *sit levis*, Guyetus. *Sed precor exemplo sit*, codex Thuan.
41. *O quoties verbis*] *O quoties vobis*, Guyetus cum Achille Statio.
44. *Sed latuit*] *Et latuit*, Guyetus.
46. *Nam poteram*] sic Guyetus. Scaliger, *Non poteram.*
50. *deleat*] forte *devehat.*
51. *Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est*] *curae est*, Guyetus ex codice Thuan. *Sit procul a nobis, formam cui vendere cura est*, excerpta Scaligeri.
55. *juvenem lassaverit*] *juvenes*, Guyetus. placet.
60. *vel plures emeruisse*] *quam plures emeruisse*, Guyetus ex codice Regio, & codicibus Palatinis. & sic Gebhardus, *quam plures haec meruisse*, editio Canteri. bene.
62. *provocet*] forte *provehat.*
62. *Illam nulla queat melius consumere noctem*] *Illâ nulla queat*, ex scripto Scaliger. *Illâ nulla queat melius producere noctem*, Heinsius ad Silium p. 443. [imposuit Heinsio sua memoria. *convivia ducere* modo praecesserat. deinde hoc tantum agit, ut vulgatum *illam* ejiciat, non ut mutet verbum *consumere.*]
80. *Et geret in regno regna superba tuo*] *reget*, codex Thuan. & Sfortianus. *in gremio*, Aldina. lege, *in gremio regna superba meo.* vel,

vel, *geret in regno sceptra superba tuo.* & sic Guyetus. nam duo codices Achillis Statii, *bella superba.*

82. *aurea palma*] *aurea lamna*, Scaliger; vel *parma. parma* probat Guyetus.

Eleg. XI.

1. *protulit*] forte, *protudit.*
5. *At nihil ille miser meruit*] *Forsitan & ille nihil meruit*, eclogae Scaligeri. quod ille probat.
6. *saevas feras*] *scaevas feras*, Guyetus ex Palatino codice.
9. *Non arces*] *Non acies*, Guyetus cum Ach. Statio.
10. *varias oves*] lege, *saturas oves.*
11. *Tunc mihi vita foret: vulgi*] lege, *Tunc mihi vita foret dulcis.* *dulgis* exaratum fuerat. Catullus: *Talia qui reddis pro dulci praemia vita.* Et: *Lux mea, qua viva vivere dulce mihi est.*
18. *veteris sedes*] *veteres aedes*, Scaligeri editio. *veteris aedes*, Guyetus.
23. *liba ipse*] sic Guyetus, non *ipsa.*
25. *aerata lares*] *exerta*, Schefferi MS. Lares Hostilios intelligit Guyetus.
26. *Hostiaque e*] lege ex scriptis, *Hostia erit.*
27. *Hunc pura*] *Hanc pura*, Guyetus ex codice Thuan. & codd. Pall. & ex codice suo Scaliger.
36. *navita puppis*] lege, *navita turpis.*
37. *percussisque genis*] *percisisque*, Scaliger. *perscissisque*, ex Scaligeri codice Guyetus. lege, *exesisque genis.* Statius epicedio Glauciae:

Gratum est, fata, tamen quod non mors lenta jacenti
Exedit puerile decus.

vide Adverf IV. cap. 1.

44. *referre senem*] lege, *referre seni.*
49. *vomerque vigent*] *vomerque nitet*, excerpta Scaligeri. unde Guyetus, *nitent.* pro *at*, Guyetus *sed.*
51. *Rusticus e lucoque vehit*] *e luco revehit*, lego. *sobrius ipse*, Scaliger.
55. *teneras subtusa genas*] *subfusa*, Scaliger. *tenebras subfusa*, Schefferi MS. *tenebris subfusa*, id est pallore, Columbus. male. *subtusa*, ut *contusa.* vide nos ad Claudianum.
58. *lentus sedet*] *laetus sedet*, ex Palatinis Guyetus. male.
61. *perscindere*] *rescindere*, nam unus Palatinus *praescindere.* Propertius: *Fac mea rescisso pectora nuda sinu.*
62. *ornatus comae*] sic codex Scaligeri.
68. *Perfluat*] forte, *Perpluat.* dixi ad I. Metam. 572.

Lib. II. Eleg. I.

1. *Quisquis adest, faveat*] lege, *Quisquis ades, faveas.*
4. *& spicis*] *at spicis*, Scaliger, & Guyetus.
8. *stare boves capite*] *vertice stare boves*, excerpta Scaligeri.
15. *fulgentes ad aras*] malim, *lucentes ad aras.*
21. *Tunc nitidus*] *Nunc nitidus*, Guyetus.
21. *areis*] sic pro *agris* Scaliger. forte, *horreis.* & sic Guyetus.
24. *arte casas*] *ante casas*, Scaliger. male. *Ludat*, & *exstruat*, Guyetus.
26. *nuntia fibra*] forte, *conscia fibra.* ut lib. I. Eleg. 9. *conscia fibra Deorum.* Propertius: *Nec sibi commissos fibra locuta Deos.*
27. *fumo Falernum*] *fumos Falernos*, Scaliger. qui mox *fumosum Falernum* probat cum Achille Statio. & sic Guyetus.
31. *Messalam*] *Messalae*, malit Guyetus. Scaliger dubitat.
34. *intonsis avis*] sic Scaliger, non *ades.*
35. *Huc ades*] *Nunc ades*, codex Thuan. & alii nonnulli.
38. *Desuevit*] *Destituit*, editio Scaligeri. Guyetus, *Desivit.*
41. *primi*] sic Guyetus, non *primum.*
49. *Rure levis —— alveo*] *Rure brevis*, & *alvo*, Guyetus.
51. *satiatus aratro*] *lassatus aratro*, Scaliger. contra Guyetus vulgatam tuetur ex Horatii illis, *Heu nimis longo satiate ludo.*
54. *ornatos Deos*] forte, *oratos Deos.*
54. *diceret*] sic Muretus. Scaliger tuetur *duceret.* quomodo apud Horatium: *forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit.* Guyetus *diceret*, ex codicibus Achillis Statii.
56. *duxit ab arte*] *ab arce*, Scaliger. perperam. ut & Guyeto videbatur, qui *ab urbe* cum vulgatis mallet. sed *arte* magis probat. & in versu sequente, *e pleno ovili.*
58. *duxerat hircus*] sic Scaliger.
62. *lucida ovis*] forte, *succida.*
64. *apposito*] lege, *appositum opus.*

65.

65. *textrix operata*] *textis operata*, Guyetus.

66. *a pulso tela sonat latere*] lege, *appulso latere*. quod Scaliger in *applufo* mutavit. sed recte vetus editio *applaufo*. Ovidius Metam. IV.

Ille cavis velox applaufo corpore palmis
Desilit in latices.

applaufa cervix, de equo, apud Silium lib. XVI. *plaufae sonitus cervicis*, Virgil. *colla plaufa*, Ovid. I. Art. Amat. *aquas natatu plaudere*, Statius I. Silv. 3. apud Apulejum Metam. lib. VIII. de apro: *dente comploso quem primum insiliat cunctabunda rimatur.* sic malo, quam *dente compulso.* sic *complosae manus*, de quibus ad Lucanum. possis & *dente conliso. Applodere anum terrae*, idem Apulejus Metam. lib. VI.

82. *hinc precor abde*] *hinc procul abde*, ex veteri libro Scaliger. quem vide. lege, *i precor abde.*

83. *celebrem Deum*] id est frequentem. *celerem*, Columbus.

87. *Ludite*] *Cedite*, Guyetus.

88. *Matris*] sic cum Mureto Scaliger, non *Martis.*

89. *fulvis alis*] lege *furvis alis.* dixi ad III. Metam. 272. *fuscis alis* malit Guyetus, ut lib. III. Eleg. 4. *Et cum te fusco somnus velarit amictu.* Virgilius lib. VII. de Alecto:

Protinus hinc fuscis tristis dea tollitur alis.

Silius lib. III.

Interdum adverso glomeratas turbine Corus
In media ora nives fuscis agit horridus alis.

atris nox circumvolat alis, Horat. II. Sat. 1.

90. *somnia nigra*] lege *pigra*, ne bis idem dicat.

Eleg. II.

1. Male haec vulgo distinguebantur, ut ad Livium suum Gronovius jam monuit. sic scribe:

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras.

5. *Genius adsit*] alii scripti, *adsit Genius.*

7. *Illius puro distillent*] *Illius & pura destillent*, codex Thuan. *Illius pura destillent*, Guyetus. lege, *Illius & Syria.* aut *Illius Assyria.* quomodo Horatius. vide infra ad lib. III. Eleg. 4. ℣. 28.

9. *quodcumque rogabis*] *rogaris*, Guyetus. pro *Cherinte*, alii codices habent *Cornute.*

10. *En age quid cessas? annuit ille, roga*] lege, *Eja age, quid cessas? annuet ille. roga.*

17. *Vota cadunt*] pro accidunt interpretatur Guyetus. lege *cadant.*

17. *utinam strepitantibus*] *ut strepitantibus*, codex Thuan. *trepidantibus*, Schefferi MS. *viden ut strepitantibus*, Guyetus.

18. *Flavaque vincula*] forte, *Firmaque vincula. Aurea*, Guyetus.

21. *Huc veniat natalis avis, prolemque ministret*] sic distingue:

Huc veniat natalis, avis prolemque ministret.

ministret avis prolem, non tantum parentibus. vel, *Hac veniat natalis avi.* ut Cupidinem innuat. sic *incerta avi* dixisse Ciceronem notant veteres Grammatici.

Eleg. III.

3. *latos agros*] *laetos*, Muretus. forte *Latios.*

5. *O ego cum dominam adspicerem*] *O ego conspiciens dominam*, Guyetus ex vestigiis codicum scriptorum, in quibus, *O ego quum aspicerem dominam.*

9. *Nec quererer quod sol*] *quum sol*, Guyetus.

9. *Ipse Deus solitus*] hos quatuor versus Scaliger adulterinos esse contendit, cui assentitur Guyetus.

22. *Venit & a templis*] *e templis*, Guyetus ex scriptis, Regio, & Thuan.

31. *cui sua cura puella est*] *cara puella est*, Guyetus. qui putat hos duos versus esse spurios. in Thuanaeo: *Fabula nunc illi est, sed si cui cura puellae.*

33. *At tibi dura seges*] lege, *At tibi dura Ceres.* sed vide Schottum Nodor. Ciceron. lib. I. cap. 8.

33. *quae abducis*] sic Scaliger, & Schottus loco laudato.

34. *terra*] hoc tuetur Scaliger contra eos, qui *tecta* legunt. forte, *semina certa.*

Eleg. IV.

1. *Hic mihi*] *Hei mihi*, Guyetus.

4. *Et remittit*] *Ut remittat* Schefferi MS.

5. *seu quid peccavimus*] lege, *seu nil peccavimus.*

5. *uror*] *urit*, ex scriptis Scaliger. & sic codi-

dices Guyeti, & Schefferi MS.

10. *tunderet unda*] *tunderet ira*, codex Thuan. & unus Achillis Statii. placet Guyeto. dixi ad XI. Metam. 729.

17. *& qualis, ut orbem*] forte, *nec qualis.*

21. *At m.p. c. e.f. ſunt*] forte, *An ſint.*

23. *ſacris inſignia fanis*] hoc Guyetus probat. *focis inſignia ſacris*, ex ſcripto Scaliger. lege, *tholis inſignia ſacris.* vide Adverſaria.

24. *ante alios*] *ante alias*, codex Thuanaeus.

31. *clavem*] *clavim*, Chariſius teſte Scaligero.

36. *abdidit ipſe*] *attulit ipſe*, editio Scaligeri. *addidit ille*, Guyetus.

38. *hic Deus*] forte, *ſic Deus.*

40. *partas opes*] *poſitas opes*, pro abditas, conditas, ex ſcriptis Gebhardi Guyetus. male. Naſo Amor. III. Eleg. 8. ℣. 66.

43. *neque erit*] *neque ſit*, Scaliger, & Guyetus. forte, *ne ſit.*

53. *Quin etiam ſedes*] *Quin aedes etiam*, Guyetus.

56. *terra gerit*] *terra genit*, Scaliger.

Eleg. V.

1. *novus ſacerdos*] quindecimvir ſacris faciundis. Guyetus.

4. *verba meas*] *plectra meas*, ſcripti quidam.

8. *Sepoſitam*] *Depoſitam*, editio Scaligeri. quod Guyetus improbat.

11. *tibi deditus augur*] *debitus augur*, ex veteri libro Scaliger. aliter Guyetus ſecutus MSS. ſupra, *tibi dedita ſervit Mens mea.* forte, *creditus.*

17. *Meſſallinum*] *Meſſalam nunc*, Guyetus. male. refer ad Meſſallae filium.

18. *quod canat*] lege, *quid canat.*

20. *raptos Lares*] ſic Scaliger.

21. *Haec fore*] *Nec fore*, Guyetus cum Achille Statio.

21. *moeſtus ab alto*] *moeſtus ab Ida*, Guyetus. male. ex mari.

22. *reſpiceretque Deos*] *domos*, codex Thuan. quomodo conjecit Paſſeratius. Guyetus improbat.

23. *formaverat*] ſic monet in ſcriptis libris eſſe Scaliger. & ſic Schefferi MS.

27. *Pan*] f. *cana.*

34. *pulla aqua*] *pulſa*, Scaliger, & Schefferi MS. Propertius lib. IV. *Remorum auditos per vada pulſa ſonos.*

36. *feſta eſt vecta puella die*] *feſta vecta puella die eſt.* Guyetus.

39. *Impiger*] Scaliger carpit eos, qui hic novam elegiam faciunt.

40. *Troica*] *Troïa*, codex Bodleianus.

44. *longam viam*] *longa via*, Scaliger.

58. *jam locus*] ſic MS. Schefferi.

59. *terris fatale regendis*] *rebus fatale regendis*, ex codice Gebhardi Guyetus.

60. *Qua ſua*] *Quaqua*, ex codice Florentino Guyetus.

63. *lauros*] *laurus*, ex codice Thuan. & Achillis Statii Guyetus.

66. *fuſa ſed caput ante coma*] ſic Scaliger.

77. *Marpeſſia*] Salmaſius ad Solin. p. 79. conjiciebat *Mermeſſia*, a Mermeſſo Phrygiae oppido. nam Marpeſſus eſt mons Pari inſulae.

69. *Quodque Albuna*] ſic Scaliger. vulgo, *Quaſque Albana.* forte, *Quotque.*

70. *perlueritque*] *pertuleritque*, Guyetus ex codice Thuan. & Achilles Statius.

72. *Multus ut in terras*] *Multus & in terra*, Scaliger.

73. *ſtrepitantia*] lege *crepitantia.*

76. *nubilus annus*] *nubilus amnis*, Schefferi MS. de Tiberi capit Columbus.

85. *feriet*] *feriat*, editio Scaligeri. aliter Guyetus.

86. *deficiuntque*] *deficiantque*, Guyetus ex codice Thuan.

94. *dicere verba*] forte, *diſcere verba.*

96. *umbra cadet*] *cadit*, Guyetus ex melioribus libris Achillis Statii, & ex Thuanaeo.

97. *veſte ſua*] ſic Scaliger, & ex ſcriptis Lipſius Ant. Lect. lib. III. vulgo *veſte ſacra.*

98. *ipſe calix*] *ante calix*, ex Florentino & Sfortiano Guyetus.

99. *exſtruet alte*] *conſtruet ante*, quidam codex teſte Scaligero.

107. *ſumſit ſibi tela*] *ſumſit tua tela*, Guyetus. nam in codice Thuanaeo *ſua.*

109. *Et mihi*] *Sed mihi*, Guyetus.

109. *jaceo*] ſic Scaliger. non *taceo.*

110. *cum juvat*] *dum juvat*, Guyetus. lege, *ceu juvet.*

111. *Vixque cano*] *Uſque cano*, alii.

112. *juſtos pedes*] forte, *juſſos.*

114. *Scilicet*] forte, *Ilicet.* & ſic MS. Schefferi.

122. *canam*] ita Scaliger. non *canet.*

Eleg. VI.

2. *Sit comes, & collo fortiter arma gerat*] *Si comes, e. c. f. a. geret*, Scaliger. quem vide. improbat Guyetus.

4. *ad*

4. *ad latus ille volet*] est Mureti conjectura. *ire volet*, editio Scaligeri. *ire velit*, Guyetus. lege, *ad latus usque volet.* τὸ *us* in *usque* neglexerat iterare ex proxime praecedente vocabulo *latus* librarius. hic fons erroris.

5. *tua otia*] forte, *sua otia.* & deinde *sua signa.*

6. *Atque iterum erronem*] *Et verum erronem*, codex Passeratii. unde ille, *Et veterem erronem.*

7. *Quod si militibus parces, erit hic quoque miles*] *parcis*, codex Florentinus. unde Passeratius, *par sis.* forte, *Quod si militibus parcis, sequar haec.* (ut, *Castra Macer sequitur*) aut, *feror huc.*

8. *Ipse levem galea*] *Ipse levi galea*, nonnulli codices Achillis Statii. unde Guyetus, *Ipse levis.* sed *leves aquae* poëtis passim. Ovidius Fast. *leves cursum sustinuistis aquae.*

10. *& mihi facta tuba est*] *grata tuba est*, Muretus. *flata tuba est*, Passeratius, *pacta tuba est*, Guyetus. male. *facta tuba est*, MS. Schefferi. Naso Trist. I. Eleg. 3.

Et mihi facta via est, & me capit ultima tellus.

15. *At tu quisquis is es*] *quisquis eris*, Guyetus. male. Naso Trist. *Ad te, quisquis is es, nostra querela redit.* Schefferi MS, *quisquis hic est.* unde Columbus, *hic es.* frustra.

16. *Imperitat*] *Imperat et*, MS. Schefferi. unde Columbus, *Imperat en.* vide nos Adverf. lib. II. cap. 8.

17. *saecula laudant*] *laudent*, Guyetus.

18. *operata*] sic Scaliger.

19. *acies cinxit*] *acies acuit*, codex Thuan.

20. *mors propiorque venit*] *morsque propinqua venit*, excerpta vetusta Scaligeri. aliter Propertius.

22. *Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus*] *Cum tribuit dubiae bellica rostra rati*, excerpta Scaligeri.

23. *obsidere campos*] *obsistere campos*, codex Scaligeri. improbat Guyetus.

24. *Ut multa innumera jugera pascat ove*] sic excerpta & vetus codex Scaligeri. bene. vide Adversar. II. 13.

26. *mille columna*] sic Scaliger. *mille columnia*, Schefferi MS. lege, *fulta columna.* vide Adversar. I. 4.

29. *At tibi*] *At mihi*, Guyetus ex membranis Scaligeri.

41. *regnum ipse tenet*] *regnum ille tenet*, Guyetus.

Eleg. VII.

2. *fore cras semper ait melius*] Scaligeri editio, *melius cras fore semper ait.*

6. *Cum tenues hamos abdidit ante cibus*] forte, *Cum tenues hamis subdidit ante cibos.*

7. *Spes etiam valida*] Salmasius sic citat ad Pallium Tertulliani p. 375.

Spes etiam dura solatur compede vinctum:
Crura licet longo cuspite vincta sonent.

& ait, ita omnes veteres libros scriptum exhibere. sed confudit duo diversa loca. nam ultimus legitur lib. I. Eleg. 8. ita emendare, est corrumpere bonos auctores.

18. *Illius ut verbis sis mihi lenta veto*] *lenta* est in MS. Schefferi. vide nos ad Nasonem. *Illius verbis sis mihi lenta peto*, Guyetus. perperam.

19. *mala somnia*] sic Guyetus ex codice Thuan. alii, *nova somnia.*

23. *Desino*] *Desine*, Guyetus ex scriptis Achillis Statii, & ex Thuan. male. vide Notas ad Nason. XVIII. Epist. 203.

29. *a limine diro*] lege, *a limine duro.* sic *durum limen amicae* Ovidius dixit.

35. *satis anxia vivas*] lege, *fati anxia vivas. anxius fati* & apud Silium Italicum occurrit. tamen Propertius L. I. Eleg. 9. *Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.*

Lib. III. Eleg. I.

2. *hic fuit*] *hinc fuit*, ex scripto Scaliger.

3. *Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa*] meus codex. *Et vaga non certae discurrunt undique pompae.* sic Propertius, *Cynthia non certis nixa caput manibus.*

6. *seu fallor*] lege, *seu falso*, h. e. seu cara tamen, si fallor.

8. *versibus illa meis*] sic scriptus Scaligeri, non *tuis.*

10. *Pumex & canas tondeat ante comas*] *Pumix &*, Scaliger. alii *Pumicet. Pumice &*, Schefferi MS. unde Columbus, *Pumice sed.* forte, *Pumice quae. arte* Guyetus conjecerat. sed τὸ *ante* Tibullo passim in usu.

12. *litera facta tuum*] *litera pacta meum*, Guyetus ex editionibus plerisque. vel *picta*, nempe minio. male. *facere literam.* Nasoni familiare.

14. *Sic etenim*] *Sic etiam*, editio Scaligeri. improbat Guyetus.
20. *An minor*] lege, *Anne amer.*
21. *meritam larga donate ſalute*] Scaliger, *meritam longa.* alii, *nympham larga. myrcum*, pro *meritam*, codex Thuan.

Eleg. II.

1. *Qui primum*] *Qui primus*, Guyetus ex codice Thuan. & veteribus omnibus. & ſic Schefferi MS.
7. *Nec mihi vera*] diſtichon ſpurium putat Guyetus.
8. *taedia nata*] alii, *taedia nota.* quomodo Scaliger. alii, *tot ſupereſſe meae.* forte, *taedia tanta.*
11. *incomta capillos*] *inculta capillos*, MS. Schefferi.
13. *Sed veniat*] *Sed veniet*, editio Scaligeri. improbat Guyetus.
15. *animamque precatae*] *rigatae*, Scaliger. male. *rogatae*, Schefferi MS. & ſic cum MSS. Scaligeri Pontanus ad Macrob. lib. V. cap. 7. qui & explicat. forte, *rogatam*; vel, *rogantes.* vide Notas ad VI. Faſtor. 303.
19. *ſpargant*] *ſpargent*, codex Regius, & Thuanaeus.
20. *fundere lacte*] *ſpargere lacte*, Guyetus ex codice Thuan.
21. *carbaſeis velis*] *ventis*, Scaliger, & priſcae editiones. ego *velis* praefero.
23. *Illic*] *Illuc*, cum Paſſeratio Guyetus. qui diſtichon tamen habet ſuſpectum.
23. 24. *dives Panchaïa, dives Aſſyria*] non placet. Guyetus, *mollis & Aſſyria.*
29. *cura Neaerae*] Scaliger omnino probat, *cauſſa Neaerae.* Guyetus aeſtuat in hoc loco.

Eleg. III.

7. *ſociarem*] male Scaliger, *ſatiarem.* & ſic codex Thuan. tamen improbat Guyetus.
11. *Nam grave quid prodeſt pondus mihi*] *Quid prodeſſe poteſt pondus mihi*, Scaligeri excerpta.
19. *miratur, in illis*] *miratur amatque*, Guyetus.
20. *Invidia eſt*] ſic Scaligeri excerpta. *volgus*, in iisdem. vide Scaligerum. Guyetus, *Inviſum falſo plurima vulgus amat.* lege, *in illis Divitiis falſo.*
24. *At ſine te*] alii, *Et ſine te.* lege, *Si ſine te.* Propertius: *Si ſine me, famae non ſine labe meae.*
28. *Audiat averſa*] forte, *Reſpuat averſa.*
36. *futura neunt*] lege, *futura canunt.* ſic lib. I. Eleg. 8. ℣. 1.
Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes Stamina.
37. *Me vocet in vaſtos amnes*] lege, *Me vocet in toſtos amnes, nigramque paludem in Stygis ignava.* Guyetus, *Livens ignava.* *Dives ignova*, codex Regius.

Eleg. IV.

2. *heſterna peſſima nocte*] *extrema proxima nocte*, Scaliger. quem vide.
3. *vanum*] ſic Scaliger, non *vani.*
4. *Deſinite in vobis*] ſic Scaliger. *in nobis*, Guyetus. alii *in votis.* forte, *in veris.*
9. *At natum in curas hominum genus*] *Et vanum ventura hominum genus*, Scaliger ex ſcriptis. lege, *At vanum in curas.* vel, *At pronum in curas.*
9. *omina noctis*] *agmina noctis*, Schefferi MS. probat Columbus. male.
11. *Et tamen, utcumque eſt, ſive illi vera monenti*] *Sed tamen*, Guyetus ex codice Thuan. Florentino, & Vaticano. *monenti*, non *moneri*, codex Thuan. *Illae*, Guyetus. videlicet *mentes.*
17. *emenſa quadrigis*] *evecta quadrigis*, codex Thuanaeus.
18. *caeruleo*] ſic codex Thuan. Scaliger, & alii, *caeruleas.*
20. *ſollicitas deficit ante domos*] lege, *deficit ille domos.* vel, *ſollicitos deſit is ante toros.*
22. *lumina ſera quies*] *lumina feſſa*, Schefferi MS.
26. *nec videt*] forte, *nec dedit.*
28. *Spirabat*] ſic ex ſcriptis libris Fabricius ad Terentium. male. vulgati *Stillabat.* bene. ſic *deſtillare* alicubi. lib. II. Eleg. 2. ℣. 7. *Illius & Syria deſtillent tempora nardo.* ita ſcribe: vel, *Illius Aſſyria.* quare & hic *Syrio rore* legendum. & ſic Scaliger. & infra Eleg. ult. *Jam dudum Syria madefactus tempora nardo*, pro *Tyrio*, legendum. Catullus: *Fragrantem Aſſyrio venit odore domum.* noſter lib. I. Eleg. 3. *Non ſoror Aſſyrios cineri quae dedat odores. Malobathrum Syrium*, Horat. *Orontea Myrrha*, Propert. lib. I. Eleg. 2. *Achaemium coſtum*, Horat. lib. III. Od. 1.

45. *proles Semeles*] *proles Semelae*, Guyetus.
50. *Quodque Deus*] *Quidque*, Guyetus ex scriptis Statii.
59. *Diversasque tuis*] *Diversasque suas*, editio Scaligeri.
63. *mens est mutabilis illis*] sic Schefferi MS. cum scriptis Geor. Fabricii, & Scaligeri, & Guyeti.
64. *brachia tende fide*] lege, *brachia tende prece*.
65. *dominae fera verba minantis*] *validos tentare labores*, Scaliger ex veteri codice Cujacii, qui hic incipit.
66. *verbera posse pati*] *verbera saeva pati*, codex Cujacii.
77. *sacris oracula templis*] *nostris oracula templis*, Guyetus.
80. *Felix. hoc alium*] *Felix hoc.* Scaliger. *Felix ac* Schefferi MS. vide de hoc versu Vossium lib. ult. operis Grammatici de Constructione cap. 14. p. 56. forte, *Felix ah.*
83. *Nec tibi crediderim*] *Non ego crediderim*, Guyetus ex scriptis Achillis Statii, & codice Thuanaeo.
85. *Nam te nec*] *Nam te non.* codex Thuan.
86. *Nec flammam volvens*] forte, *evolvens.*
89. *canibus succincta*] *subcincta*, ex antiquis libris Scaliger. alii, *submissa.* forte, *commissa.* Guyetus hoc distichon spurium habet.
92. *& duris*] sic veteres libri Scaligeri. alii, *diris.*

Eleg. V.

3. *Bajarum maxima lymphis*] lege, *Bajarum proxima lymphis.*
4. *hyems*] ita Guyetus. alii, *humus.*
7. *nulli temeranda Deorum*] lege, *virorum.* & sic Scaliger. de τῷ *temeranda* dixi ad Nason. Pontic. II. Epist. 2. ℣. 27.
8. *Audax laudandae sacra docere Deae*] forte, *sacra subire.* lege, *Audax celandae prodere sacra Deae.* sed vide Scaligerum de voce *laudandae.*
10. *tetra venena*] *trita venena*, Scaliger ex veteri codice. sic & Propertio restitue lib. II. Eleg. 1. ℣. 74. sic etiam Guyetus. qui & *dedi*, ex codice Thuan.
11. *sacrilegos templis admovimus ignes*] *sacrilegi templis admovimus ergo*, ex scripto Scaliger. vulgatum tuetur Guyetus.
13. *jurgia linguae*] *jurgia mentis*, codex Thuanaeus, & alii.
17. *Natalem*] Guyetus putat totum distichon esse adulterinum, & pentametrum ex Nasone sumtum.
25. *pallebunt*] forte, *squallebunt.*
27. *terrear aestu*] *torrear aestu*, Guyetus ex Achille Statio.
29. *numina nymphae*] *numina lymphae*, editio Scaligeri. forte, *flumina lymphae. carmina lymphae*, codex Thuanaeus. Guyetus, *At vos, queis Thuscae celebrantur limina nymphae.*

Eleg. VI.

2. *vincta feras*] *teras*, Guyetus.
3. *medicando*] *medicande*, Achilles Statius. probat Guyetus.
4. *Saepe tuo cecidit*] forte, *cedit.*
5. *Care puer*] *Carpe puer*, Schefferi MS. ut apud Petronium.
6. *Et nobis*] *I nobis*, Scaliger.
11. *Aut si quis*] *At si quis*, ex scriptis Guyetus; & *recusat*, non *recuset.*
17. *& majora velit*] *volet*, Scaliger. *valet*, Guyetus ex vetere libro Achillis Statii.
21. *Jam venit*] *Nam*, Guyetus: & deinde, *severis.* quomodo Gulielmius in Plautum, & Livinejus ante illum.
23. *quantumque minetur*] lege, *quantasque minetur.* huc alludit codex Cujacii apud Scaligerum, in quo, *Quales his poenas qualis quantusque.* transfer huc quae ad Valer. Flaccum notavi.
24. *praeda cruenta*] *turba cruenta*, Schefferi MS.
32. *post multas*] lege ex editionibus antiquis, *post multos.*
40. *Flevisti ignoto*] *Flevit in ignoto*, Guyetus.
44. *posse carere tuo*] *posse cavere tuo*, Guyetus cum Gulielmio. & sic unus Palatinus Gebhardi.
45. 46.] Scaligeri excerpta sic habebant:

Non vos decipiant pendentia brachia collo,
Nec capiat blanda sordida lingua prece.

& Guyetus probat. lege, *subdola lingua.*
57. *cessas o lente minister*] forte, *cessas quo lente minister?*
58. *Martia*] lege, *Marcia.* aquam Marciam innuit.
59. *Non ego*] *Numne ego*, Guyetus.
60. *Ignotum cupiens*] lege, *Ignotum subiens.*
62. *Tu puer huc*] lege, *Huc puer huc.* Scaliger ex vetere libro, *Tu puer i.* forte, *Tu puer huic.*
63. *Syrio nardo*] sic quidam codices Achil-

lis

lis Statii. lege, *Syria nardo.* & sic Guyetus. dictum supra.

Lib. IV. Carm. I.

Ad Messallam] *Panegyricus Messalae*, codex Cujacii. probat Scaliger. sic & alii codices.

1. *quamquam tua*] *quamquam me*, ex vetusto libro Scaliger.

2. *ut infirmae valeant*] *ut infirmae nequeant*, ex vetusto fragmento Scaliger. vulgatam tuetur Guyetus.

3. *ac meritas si*] *at meritas*, ex membranis Scaliger. & sic nostri. forte, *& meritas si*, pro etsi meritas.

5. *Nec tua*] *Non tua*, Guyetus.

5. *te praeter*] *praeter te*, Scaliger.

7. *nec munera parva*] *ne carmina parva*, Guyetus. & sic MS. Schefferi.

14. *pacavit*] lege, *placavit*.

18. *Alter dictet*] rectius Aldina, *Alter dicat*.

19. *desederit*] *desiderit*, MS. Schefferi.

21. 22. *Et vagus*, —— *Huic & contextus*] forte, *Ut vagus*. & mox, *Huic circumtextus*. vel, *Et vagus*. & deinde, *Huic ut contextus*. & sic MS. Schefferi. ibidem: *qua surgere nititur*] forte, *qua sursum enititur*.

26. *omne vovemus*] sic ex scriptis Scaliger, non *movemus*. etiam MS. Schefferi.

27. *nomine charta*] ex scriptis Scaliger. & MS. Schefferi. improbat Guyetus.

30. *quid quaque index*] ita ex vetusto codice Scaliger. & Lipsius lib. I. Elect. cap. 29.

33. *sub nomine facta*] *sub stemmate*, vetus codex. forte *sublimia facta*.

34. *Aeterno versu*] forte, *Alterno versu*.

36. *Quis potius*] lege, *Quis potior*.

39. *castrisve foróve*] *chartisve foróve*, ex scripto Scaliger. male.

40. *hinc aut hinc*] *hic aut hic*, ex scripto Scaliger.

54. *Nam Cyconumque*] *Non Cyconumque*, lege.

55. *Cyclops coeptos*] *lotos captos*, ex scripto Scaliger.

57. *Victa lumina*] *Vincta*, alii teste Scaligero.

60. *Mobilis Artaciae gelidos*] *Nobilis Artacie gelida*, Guyetus. Scaliger, *Mobilis Artacie gelida quo se exigit unda.* nam optima membrana, *erigit*, forte, *egerit*. forte & Plinio reddendi *Artacii* lib. XIIX. cap. 11. de alica. ubi *fontes Oaxi*; vel, ut in aliis codicibus, *Araxi*. puto *Artacii*. prope Neapolim & Puteolos ponuntur.

64. *Cimmeriων*] scribe, *Cimmeriôn*.

64. *arces*] sic Schefferi MS.

67. 68. *Vidit ut inferno* &c.] lege,

Vidit & inferno Plutonis subdita regno
Magna Deûm ut proles levibus discurreret umbris.

70. *Illum inter geminae*] sic Scaliger ex vetusto fragmento. & Canterus lib. IV. Nov. Lect. cap. 16. vulgo, *Illum tergeminae*.

71. *saevo ore*] lege, *saeva ira*.

72. *rapidas inter freta sorberet undas*] *rabidas*, & *fera*, MS. Schefferi. *rabidis inter freta sorberet*, Guyetus. vel *rabidas*; quod est in scriptis Achillis Statii. forte, *intorta resorberet*, de quo verbo dixi ad Nason. Amor. II. Eleg. 16. ℣. 26. vel, *intortis ferveret*. vide Adversar. I. 13.

73. *suo consumsit more*] ita Gevartius ad Statium p. 180. lege, *consumsit in ore*. sic MS. Schefferi.

84. *defigere cervos*] sic Pimpontius ad Virgilium, a Scaligero laudatus. alii, *nervos*.

85. *ducto vallo*] lege, *structo vallo*. nam *praeducere* praecessit. forte, *inducto vallo*.

90. *lento pilo*] an *tento? lato*, Guyetus.

91. *celeremque arcto*] *melius arcto*, Guyetus.

92. *Possit*] lege, *Par sit*.

94. *brevius contendere*] *levius contendere*, MS. Schefferi. lege, *Nunc subitum ad curvos brevius compescere gyros*.

95. *Quis parma, seu dextra velit*] lege, *Quid, parma seu dextra velis*.

96. *grandis venit*] *veniat gravis*, ex scriptis Scaliger.

97. *Amplior*] lege, *An prior*.

100. *Nunc tibi non desit*] lege, *Tunc tibi non desit*.

103. *Seu libeat duplicem, seu junctum cernere Martem*] lege, *Seu libeat duplici, seu juncto cernere Marte*, pro decernere. Catullus: *& potius germanum amittere crevi*. vide ad Virgil. XII. Aen. 709. possis &, *Seu libeat duplici se junctum cernere Marte*. rectius. nam de juncto Marte jam egit. possis &, *Seu jubeat duplici sejunctum cernere Marte*.

104. *Dexterque ut laevum teneat, dextrumque sinister*] *Dexter uti laevum*, Scaliger ex scriptis. lege, *Dexter uti laevam teneat, dextramque sinister*. forte, *Dexter nunc laevam ut teneat, dextramque sinister*.

108.

108. *Iapidiae*] sic Scaliger ex scriptis, non *Iapygiae.*

110. *Arupinis*] sic Scaliger, non *Arupinus.* idem tamen *Arupinas* mavult. *Arupinus pauper sed natus in armis*, Guyetus. *Testis & Arpinas*, MS. Schefferi.

112. *Centum*] veteres editiones inserunt versum, *Namque senex longae peragit dum saecula vitae*, *Centum foecundos.* nec scio cur omiserint recentiores.

114. *celerem super edere corpus Audet equum*] *celeri super addere corpus Gaudet equo*, sic malo.

116. *domator*] vox Scaligero & mihi de mendo suspecta. alii *comatus*, ut Gallus intelligatur.

118. *contentus eris*] lege, *contentus eas.*

124. *discordes venti*] lege, *dissortes venti.* quia praeter solitum eis hiberna tempestate interquiescere.

125. *egerunt flumina cursus*] lege, *egerunt flumina versus.*

126. *Quin rapidum*] *Quin rabidum*, Guyetus. male. vide infra ℣. 193.

129. *multa silentia*] lege ex scriptis, *muta silentia.*

133. *annuit*] *abnuit*, MS. Schefferi.

133. *abditus aris*] sic Schefferi MS. lege, *additus aris.* quomodo editiones nonnullae.

136. *Incipe, non iidem tibi sunt, aliisque triumphi*] lege, *non iidem tibi sint*; vel, *sunto.* refer ad sequentia, *Te manet intactus*, &c.

139. *tellus obsessa colono*] lege *insessa*, vel *possessa*; i. e. Africa.

140. *Choaspes*] sic Schefferi MS. *Diaspes*, omnes scripti teste Scaligero. *Choaspes*, Salmasius in Solin. p. 699. Vossius ad Justin. lib. XI. cap. 14, *Diaspen* pro *Idaspen* poni contendit. quem vide.

141. *Gindes*] sic Scaliger, & Aldina. al. *Cydnus*, ut MS. Schefferi, & Vossius l. c.

142. *Ardet*] lege, *Tardet.*

142. *Arectaeis aut unda perhospita campis*] Ausonius Popma ad Vellejum p. 254, legit: *Ardet Arectaeis aut unda par hospita campis.* de campis Arectae prope Babylonem. *unda hospita* dicitur *par campis*, eo quod profluens bituminoso e fonte divertebat in campos, & ibi advena pariter, quasi piscina, arderet. teste Strabone lib. XVI. haec ille. sed in voce *par* offendit contra metrum. Scaliger mavult, *Ardet Arectaeos aut unda per hospita campos. unda perhorrida*, Guyetus; vel, *Arectaeos aut unda perhorrida campos.* Salmasius ad Solin. p. 1194, legit, *Ardet Areccaeis aut unda perhospita campis.* ab *Arecca* Susidis oppido, ubi naphtae liquidae fontes. ut Tibullo *unda perhospita* sit naphtha. forte *ter hospita.* numerum ternarium pro multiplici ponunt poëtae: quibus Scylla ter epotat ter removit fretum.

143. *Nec qua regna*] *Nec quae regna*, MS. Schefferi.

145. *vicinus Phoebo*] forte, *qui junctus Phoebo.*

146. *magynos*] sic scripti Scaligeri. alii, *mosynos.*

147. *Oceanus ponto qua continet orbem*] *totum qua continet orbem*, Guyetus. forte, *Oceani, ponto qua continet orbem, Nulla tibi adversis regio sese offeret armis.* insulas intelligit.

149. *Te manet invictus*] forte, *intactus.* videlicet ante Claudium.

151. *consistit in aëre*] forte, *considit in aëre.*

153. *Atque duae gelido*] lege, *Aque duae gelido.*

155. *incepto perlabitur unda liquore*] *incerto liquore*, Guyetus. lege, *inserto*, vel *insepto delabitur.*

157. *superegerit ortus*] sic scripti Scaligeri; non *superingerit.*

157. *Quippe ubi non unquam*] forte, *Quippe cui haud umquam.*

161. *Non ergo presso*] forte, *Non aegra aut presso.* vel, *Ergo aegre presso.*

168. *Temperat: alter*] lege, *Temperat alteri.*

168. *necat aër*] *negat aër*, MS. Schefferi.

169. *labitur annus*] *vertitur annus*, vetus liber Scaligeri.

170. *Hic & colla*] *Hinc & colla*, MS. Schefferi.

175. *praeclaros poscent*] *praeclaros ierint*, vetus codex Scaligeri. unde ille, *per claros ierint.*

182. *Fortuna, ut mos est illi, me adversa fatiget*] *Fortuna ut mos illi semper adversa*, MS. Schefferi. unde Columbus, *Fortuna, ut semper mos illi, adversa fatiget.*

184. *flavi ditantes ordine sulci*] lege, *flavi ditantes horrea culmi.* sed & *sulci* ferri possunt.

185. *foecundas ad deficientia messes*] sic Scaliger ex veteri libro. forte, *foecundae vix sufficientia messi.* vel, *foecundas cui deficientia messes.* lege, *foecundas haud deficientia messes.*

189. *Cum memor anteactos semper dolor admonet annos*] sic Scaliger. alii, *accitos.* vel *acci-*

accisos. lege, *Cum memori*, & deinde *admovet.*

195. *subsistere turmis*] sic Scaliger ex scriptis. alii, *obsistere.* forte, *subsidere.* sed vide Gronovium ad Liv. XXVII. 7.

196. *parvum corpus*] non placet: praesertim cum sequatur *parvula cura.* forte, *par corpus*, quod par sit igni Aetnaeo ferendo.

197. *si parvula cura*] lege, *sit parvula cura.*

200. *mittere chartas*] *vincere chartas*, ex optimo libro Scaliger.

202. *Vel bene si totus*] *Vel bene si notus*, MS. Schefferi.

204. *mea cum tumulus contexerit ossa*] sic Guyetus. Scaliger, *mea tunc tumulus quum texerit ossa.*

206. *mutata*] forte, *mutanda.*

206. *figuram*] *figura*, ex codice suo Scaliger.

207. *Seu me finget*] forte, *fingat.*

207. *rigidos percurrere campos*] forte, *riguos.* sic *rigui horti. rigui saltus* Claudian. lib. II. de raptu Proserp. Columella lib. II. cap. 17. de prato: *Ejus igitur animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. Laeto pinguique campo non desideratur influens rivus.* sic *mollia prata* Propert. lib. III. Eleg. 2. Virgilius Ecl. 10. *Hic gelidi fontes: hic mollia prata, Lycori.* Statius epicedio Glauciae: *Mollibus in pratis alte flos improbus exstat.*

209. *volucris vehar aëra pennis*] lege, *volucri vehar aëra penna.*

210. *In quencunque hominem*] *Quandocumque hominem*, Guyetus ex optimo codice Scaligeri.

210. *receperit*] lege, *refecerit.* Pythagorica haec sunt.

Carm. II.

9. *fusis decet esse capillis*] *fusis decet illa capillis*, Pontanus ad Macrob. de Differentiis Graeci Latinique verbi. forte, *decet isse.*

13. *aeterno Olympo*] sic Scaliger. *externo*, codex Thuan. *aetherio Olympo*, cum Ach. Statio Guyetus. Virgilius I. Geor. *Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo.*

16. *succis*] an *fucis?*

20. *Indus aquis*] *Indus equis*, ex Propertio Scaliger.

23. *multos hoc sumet*] sic scripti. unde Scaliger *consumet*, pro *consummet.* alii, *celebretur. haec sumit*, Schefferi MS. lege, *multos o duret in annos.*

Carm. III.

3. *in proelia*] sic Scaliger ex Cujaciano. alii, *in pectora.*

5. *venandi Delia cura*] *devia cura*, Scaliger. lege, *abducit venanti Delia curas.*

7. *Quis furor est, quae mens*] f. *Quis furor est, demens*, &c.

15. *si, lux mea*] lege, *sic lux mea.*

19. *Tunc*] lege *Nunc.*

20. *tende manu*] *tange manu*, ex scriptis Scaliger. lege *pande.*

21. *Et quaecunque*] *At quaecunque*, ex libris Scaliger.

21. *subrepit*] lege, *subrepet.* & sic MS. Schefferi.

Carm. IV.

1. *& tenerae*] *o tenerae*, MS. Schefferi.

1. *expelle*] *depelle* conjicit Livinejus. & sic Guyetus ex codice Thuan.

3. *propera, nec te jam*] malo, *properum nil te jam.*

5. *pallentes artus*] forte, *tabentes artus.*

6. *pallida membra*] *tabida membra*, Guyetus. quia *pallentes artus* praecessit. placet.

8. *evehat*] lege, *devehat.*

19. *candida secum*] forte, *languida secum.*

24. *laetus uterque*] forte, *sospes uterque.*

Carm. V.

1. *Qui mihi te*] sic codex Cujacii. alii, *Est qui te.* Guyetus, *Et qui te*, ex codice Thuan. lege, *Quam qui te.*

7. *tua per dulcissima furta*] *per te dulcissima furta*, Cujacianus, & Ach. Statii codices. bene. alii, *te per.*

9. *Magne Geni*] sic Scaliger. alii, *Mane.* quod tuetur Ach. Statius. *Mane veni*, codex Thuan. *Alme Geni*, in tribus Italicis.

10. *ille calet*] *ille volet*, codex Cujacii.

12. *Tunc precor*] lege, *Tu precor.*

13. *Nec tu sis injusta*] sic MS. Schefferi.

16. *quam soluisse*] *nos soluisse*, editio Scaligeri, & Schefferi MS. forte, *quos. ut soluisse*, Guyetus.

17. *tutius optat*] *tectius optat*, Guyetus ex illo Nasonis, *Vir male dissimulat, tectius illa cupit.*

Carm. VI.

1. *sanctos thuris acervos, Quos*] lege, *sanctas thuris acerras, Quas.*
3. *Tota tibi est hodie*] *Tota tua est hodie*, Guyetus cum Livinejo. male. *Lota tibi*, Canterus.
9. *ulli non ille puellae*] *ullae*, ex scriptis Scaliger, ἀρχαϊκῶς. etiam Munckerus ad Fulgentium p. 139. male.
15. *Praecipit et*] *Praecipit ac*, & *quod optet*, Guyetus ex codice Florentino. lege, *Praecipit en*, & *quid optet.*
16. *jam sibi*] lege, *clam sibi.* sic supra V. ℣. 20. *quid refert clamne, palamne roget?* Scaliger, *jam sua*, ex veteri libro. bene. & sic Aldus, ac Schefferi MS. & probat Columbus.
19. *Sit juveni grata, ac veniet*] Scaliger, *Sic juveni grata, veniet* &c. lege:

Sic juveni gratis, veniet cum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adsit amor.

Carm. VII.

1. *pudore*] *pudori* Scaliger.
5. *Exsolvit promissa*] *Se solvit promissa*, MS. Schefferi.
6. *habuisse suum*] *habuisse sua*, Scaliger ex Cujaciano.
8. *Ne legat id nemo*] *Ne legat id quisquam*, Guyetus. *Me legat ut nemo*, codex Thuan. male.
9. *vultus*] forte, *cultus.*

Carm. VIII.

3. *an villa sit apta puellis*] *puellae*, ex scriptis Scaliger, probante Guyeto. sic & MS. Schefferi.
4. *Eretino*] sic Scaliger.
4. *amnis*] *annus*, Scaliger. *Arnus*, codex Thuan. vide Italiam Cluverii lib. II. p. 461. *frigidus* sic *Eurotas* Nasoni.
8. *Arbitrio quamvis non sinis esse meo*] *Arbitrio quam vis non sinit esse suo*, Guyetus. forte, *Arbitrii quam rus non sinit esse sui.*

Carm. IX.

2. *jam licet esse tuo*] sic ex codice Cujacii Scaliger.
4. *nunc tibi forte venit*] *sorte venit*, MS. Schefferi.

Carm. X.

1. *Gratum est*, &c.] forte, *Gratum est, securae multum quod jam mihi de te Promittam, subito* &c. vel, *securus multum quod jam tibi de me Promittis.*
3. *Sit tibi cura togae*] *Sit toga cura tibi*, Guyetus.
5. *Solliciti sunt*] *sint*, Guyetus.
6. *Nec credam*] *Ne cedam*, Achilles Statius.
6. *maxima cura*] *maxima caussa*, ex scriptis Scaliger.

Carm. XI.

1. *tuae placiture puellae, Qui mea*] lege, *tuae pia cura puellae, Dum mea.* dixi ad II. Trist. 514. *placitura*, scripti.
5. *ubi tu*] *quod tu*, Scaliger. *quom tu*, Guyetus. lege, *si tu.*
6. *laeto pectore*] *lento pectore*, ex scriptis Scaliger.

Carm. XII.

1. *aeque tam*] malim, *aeque jam*, ex MS.
2. *Ut videor*] *Ac videar*, MS. Schefferi. unde *videor* Columbus. probo.

Carm. XIII.

1. *Nulla tuum nobis*] sic Scaliger ex scriptis. alii, *titulis.*
3. *Tu mihi sola*] *Tu modo sola*, MS. Schefferi. & omnes antiqui.
5. *Atque utinam posses*] lege, *possis.*
15. *Haec tibi sancta*] *Nec tibi sancta*, MS. Schefferi. lege, *Per tibi.* & vide quae noto ad Nason. Amor. III. Eleg. 2. ℣. 61. & Advers. II. cap. 9. etiam sic Columbus.
16. *est mihi*] sic Scaliger. alii, *est tibi.*
17. *heu, cui mea pignora credo*] *heu heu, mea pignora cedo*, Scaliger, & Guyetus. male.

le. Ovidius: *Pignora nec juveni credite vestra novo.*

18. *proderat iste timor*] sic Guyetus ex Scaligeri codice. bene. proderat mihi puellae meae timor, dum putat aliam a me amari. Scaliger, *proderit. prodeat*, codex Regius, & Thuanaeus.

Carm. XIV.

3. *ficta dolore*] *facta dolore*, scripti Scaligeri. quod ille non probat. lege, *jacta. jacta probra*, Livius XXV. 18. *conditionum jacta mentio*, (non *facta*) V. C. Paterculi lib. II. cap. 65.

Carm. XVI.

(quod nos ejecimus illuc unde venerat)

4. *Venus fuit quieta*] lege, *vieta.* & vide Adversi. lib. III. de eo vocabulo ad Prudentium complura. Columella lib. III. cap. 11. *Tum rursus vel stercore vieto, quia non gignit herbas, vel de vepribus egesta humo pastinatum large contegi.* sic scribe. nam pervetustus codex S. Germani; *veto.* unde *vetusto* vulgati. idem lib. XII. cap. 15. *Ficus neque nimium vieta, neque immatura legi debet.* pari modo corruptus lib. XII. cap. 50. *Eoque facto videtur plus olei quieta, quam recens bacca reddere, cum longe plures modios acceperit.* codex S. Germani vetustissimus: *Eoque facto videtur plus sequietae, quam recentis baccae reddere.* scribe: *Eoque facto videntur plus semivietae, quam recentes baccae reddere.* idem lib. XII. cap. 16. *alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt.* Hinc *viescere.* idem Columella lib. III. cap. 21. *nam ut quaeque viescere incipiunt, tempestive leguntur, & quae nondum maturitatem ceperunt uvae sine dispendio differuntur. Nec pariter vietus atque tempestivus fructus praecipitat vindemiam.* sic perplexissimus in vulgatis editionibus locus ex vestigiis membranae optimae constituendus, in qua, *nam ut quae quiescere incipiunt.* vulgo, *nam & quae maturescere incipiunt.* Idem lib. XII. cap. 15. *Tunc ficus injicitur, & crates pastorales ex utroque latere super terram planae disponuntur, ut cum sol in occasum fuerit,* [*in occasu fuerit*, V. C. lege, *in occasum vergit*] *erigantur, & inter se acclives* [lege cum V. C. *acclines*] *testudineato tecto more tuguriorum viescentem* [V. C. *viscentem*] [vulgo *inarescentem*] *ficum a* [V. C. *ab*] *rore, & interdum a pluvia defendant.* mox lege, *meridiano tepore calentem ficum*; non, *tempore.* nam sequitur: *quas deinde bene siccatas meridianis teporibus, cum calore solis emollitae sunt, colligunt.* ibidem paulo post legendum ex veteri codice: *deinde cum peraruerunt*, [non, *peraruerint*] *picatis vasis eas condunt. nonnulli hanc ipsam farinam fici orcis sine pice includunt.* vulgo, *hanc ipsam formam.* post: *alii pinguissimam quamque viridem ficorum eligunt, & arundine vel digitis divisam dilatant, atque ita in sole viescere patiuntur.* sic disertim V. C. *non arescere.* post ibidem: *tum rursus in sole assiccant, & ita in vasis* [delet *in* V. C.] *recondunt.* vetustissimus codex, *in sole atque siccant.* lege, *aeque siccant.*

16. *Canisque scaeva*] sic & Guyetus. Gruterus, *foeda.* lege, *foeta.*

18. *oblitum latus*] forte, *hispidum.*

20. *Gravi*] *grave* praecessit. lege, *Rata.*

21. *imminente qui toro*] *ingemente qui toro*, cum Grutero Guyetus. forte, *intremente.*

22. *Juvante*] forte, *Subante.*

25. *lubricum femur*] sic editio Scaligeri. *lucidum*, Gruterus. ut supra, *lucida ovis.*

29. *Vagaque pelle tectus*] forte, *Cavaque pelle. vagum* sequitur.

37. *Vagum sonante merseris caput luto*] forte, *Glabrum inquinante.*

41. *Simul sonante senseris iter pede*] *Iter sonante senseris simul pede*, Guyetus. male.

[Exstat hoc carmen in Priapeis num. 84. nos autem certis de caussis in editione nostra non expressimus.]

EX

EX ADVERSARIIS NICOLAI HEINSII.

Lib. Caput I.

Mira profecto in Tibullianis carminibus venustas est atque orationis elegantia, ut illi non immerito, aeque ac Nasoni, principatum Elegiaci carminis adjudicarit Paterculus Vellejus. Atque utinam scriptorem longe suavissimum suo in omnibus loquentem ore nunc audiri detur! Quod quia per librarios antiquos haudquaquam contingit nobis, resarciamus age, quantum in nobis, vetustatis hoc damnum, ac sollertia nostra si non omnem injuriam poëtae mellitissimo factam amoliamur, leviorem praestemus certe ac magis ferendam. Elegia operis prima sub finem ista occurrunt:

Nunc levis est tractanda Venus, dum frangegere postes
Non pudet, & rixas inseruisse juvat.

inseruisse, posti nimirum. sed τὸ *juvat* intempestive reor huc loci inculcatum a sciolis, cum claudicantem offendissent versum, nihil a librariis addito post τὸ *inseruisse*, ultimoque pentametri vocabulo ob praecedentis verbi, quod fit frequentissime, cognationem ac litterarum similitudinem absorpto. Sic ut dedisse possit videri Tibullus, *& rixas inseruisse serae.* Ejusdem Elegiae ℣. 45. [℣. 39.] malim, *Quam juvet.* est enim optantis. ℣. 50. [℣. 44.] *tristes ferre potest pluvias.* atqui imbres jam vovebat sibi in praecedentibus: *Securum somnos imbre juvante sequi.* ita enim ex scriptis codicibus vere castigatum ab hominibus esse eruditis ad Nasonem pluribus adstruximus Artis Amatoriae primo. Reponunt exemplaria ex scriptis nonnulla,

Qui maris & caeli nubila ferre potest.

Sed hoc quoque interpolatorum esse arbitror, ac relictum ab optimo poëta,

Qui maris & tristes ferre potest Hyadas.

quomodo & Hyades Horatio dictae Ode III. libri I.

——— *nec timuit praecitem Africum*
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti.

quibus nomen ἀπὸ τοῦ ὕειν, a pluendo. quod *pluvium nomen* Plinio: *Suculas Graeci pluvio nomine Hyadas appellant.* *tristes* igitur illae, vel quod *inserenae* ac *nimbosae*, ut cum Papinio ac Claudiano loquar, vel quod fratris mortem deplorare creditae. Sic ut *pluviae* in *Hyadum* nomen successisse potuerint ex interpretamento Graeci nominis. nam *Hyadum* apud Papinium Tiburtino Manlii Vopisci etiam castigandum,

Haec per & Aegaeas hiemes, Hyadumque nivosum
Sidus, & Olenii dignum petiisse sub astri.

ubi *Pliadumque* adversus legem metricam legebatur. nec recte *placidumque* in primis editionibus. perperam etiam *Oleniis astris* edebatur. *Olenii* enim *astri* subintelligendum *sidus*, quod proxime praecesserat. vocabulum in antiquis codicibus mendosum saepe occurrit. fors & dederit Tibullus, *pluvias ferre potest Hyadas.* sic enim illae Maroni, Ovidio, aliis poëtis dictae.

Elegia II. [I.] ℣. 67.

Ferreus ille fuit, qui te cum posset habere,
Maluerit praedas stultus & arma sequi.

Ferreus ille fuat, vir maximus. sed nobis cum Accio Pacuvióve res non est. Guyetus *fuit* a *fuim* derivabat. nihilo felicius. Eadem opera *cluit* refinxisse potuit, tragicis familiare, & quo Christiani poëtae plurimum ex illo sunt delectati. Sed voluit puto Tibullus,

Ferreus ille, sinu qui te cum posset habere.

apud Cajum I. C. *omnem formam & substantiam, si quam a matre susceperat, in sinu meo habui sine ulla cautione.* in sinu enim nummos nonnumquam recondebant. hinc sumtus videtur is loquendi modus apud Cajum, pro, in mea habui potestate.

Elegia III. ℣. 71.

Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, & aeratas excubat ante fores.

sic ex veteri libro Scaliger. non *in turba.* quod & in excerptis apud me Italicis occurrit. recte etiam apud Achillem Statium codices *Stridit.* praeterea idem Scaliger in ora exemplaris sui,

Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore.

 sed

sed restituendum utique, si quid video,

Tum niger intorto serpentum Cerberus ore
Stridit.

apud Catullum,

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

intortae serpentum fauces, apud Plinium Naturali Historia. Naso in Ibin, de Furiis:

Quasque ferunt torto vittatis angue capillis
Carceris obscuras ante sedere fores.

videantur quae de torto Furiarum verbere diximus hujus operis libro I. capite XVII.

Elegia IV. ℣. 28. [℣. 24.]

At si tardus eris, errabis: transiet aetas,
Quam cito non segnis stat remeatque dies.

distingue, *transiet aetas Quam cito! non segnis stat remeatve dies.* dies enim non stant, cum sint velocissimi, nec revertuntur semel peracti. apud Claudianum Nuptiis Honorii Augusti,

tardique videntur
Stare dies, segnemque rotam non flectere
Phoebe.

Elegia VI. ℣. 63. [VII. ℣. 70.]

Vive diu mi dulcis anus: proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim.

conteruisse ad Nasonem diu est quod castigabam, nec poenitet instituti. sic supra,

Aut operi insuetas atteruisse manus.

non *attenuasse*. videndus Vossius Operis Grammatici libro III. Apulejus in Apologia, qui ejusmodi archaismos captat anxie: *nec ille exotico pulvere dentes emaculet, quos justius carbone de rogo obteruerit.* sic enim veterrimae membranae Medicaeae, non *obtriverit*.

Elegia VII. [VIII.] ℣. 13. opinor, *An te, Cydne, canam?* non *At.* ut designet in Cilicia quoque bellum a Messalla gestum, uti & in Syria. ubi forte sub Pompejo militavit. nec recte vir maximus, in illis paullo post,

Alba Palaestino sancta Columba Syro,

ex mendoso codice corrigebat *columba suo.* nam cum una Syriae pars ex tribus dicta sit Palaestine, cur non & Syri Palaestini? Plura nos ad Nasonem Artis Amatoriae libro primo.

℣. 47. *Sed Tyriae vestes, sed dulcis tibia cantu*) praestiterit puto, *dulcis tibia flatu.* nam *cantus* jam praecesserat. vel, quod propius ad receptam lectionem accedit, *flanti. furiosaque tibia flatur*, apud Nasonem in Fastis.

℣. 53.

Sic venias hodierne, tibi dum thuris honores
Liba & Mopsopio dulcia melle feram.

Libaque in aliis. sed parum interest. excerpta apud me Vaticana Fulvii Ursini,

Liba & Mesopio dulcia mellis avo.

Forte,

Sic venias hodierne, tibi dum thuris honores
Libem, & Mopsopio dulcia mella favo.

libandi verbo & *favis* simili significatione usus est infra Elegia X. hinc *favus Atticus*, & *mel Atticum*, pro Graeca eloquentia. Auctor Panegyrici ad Pisonem:

Quin etiam facilis Romano profluit ore
Graecia, Cecropiaeque sonat favus aemulus
urbi.

sic utique castigandum. *gravis aemulus* sensum commodum vix efficit. *Hyblaeus favus*, pro eloquio, apud Papinium Epicedio Glauciae:

Et mixtae risu lacrimae, penitusque loquentis
Hyblaeis vox mixta favis.

ubi quem non offendat *ταυτολογία*, *mixtae*, *mixta?* Opinor igitur, *Hyblaeis vox pasta favis.* Licentius carmine ad Augustinum,

Scripta salutiferi sermonis, & illa priorum
Aequiparanda favis.

Elegia VIII. [IX.] ℣. 31. *Carior est auro juvenis*) Ni fallor, *Carior ast auro juvenis.* nam *esto* duriusculum sit. Sed & superiori versu legendum, *Ut foveas molli frigida membra sinu.* non *foveat.* vult enim cani amatoris frigida membra sinu puellae esse fovenda, non puellae membra frigida sinu cani amatoris.

Elegia IX. ℣. 25. [X.] ℣. 23.

Nec tibi caelandi fas sit. peccare paranti
Sit Deus, occultos qui vetet esse dolos.

celandi spes sit, & *Est Deus*, & *vetat*, scripti codices complures. Omnino corrigendum:

Nec tibi caelandi spes sit. peccare paranti
Est Deus, occultos qui vetet esse dolos.

℣. 80. *Et geret in regno regna superba tuo*) *in gremio tuo* verum est haud dubie: & sic priscae editiones. tum deinde, *Fixa notet casus aurea palma meos*) *parma* Scaliger, & Guyetus. idem Scaliger etiam *lamna* conjiciebat. opinor, *aerea lamna.* ut tabella aerea designetur.

Elegia X. [XI.] ℣. 9.

—— *somnumque petebat*
Securus varias dux gregis inter oves.

praestiterit, *saturas inter oves.* variae oves, sive versicolores, raro inveniuntur; caprae frequenter. quo trahendus jocus Plautinus Epidico Act. 1. Sc. 1.

EP. *Quid ais? perpetuon' valuisti?* Th. *varie.*
EP. *qui varie valent,*
Caprigenum hominum non placet mihi neque pantherinum genus.

Propertius: *Dux aries saturas ipse revexit oves.*

sic

sic & *saturae capellae* Maroni, aliisque passim poëtis.

ỳ. 36. *Cerberus & Stygiae navita puppis aquae*) *navita turpis* maluerim. & sic codices nonnulli. Tum versu proximo, *Illic percisisque genis*, vel *percissisque* codices non pauci. *percisis* Scaliger. sed lego *exesisque genis*. sive morbo longiore intelliguntur *exesae genae*, sive rogo. quo & *ustus capillus* referendus. Quintilianus Declam. X. de spectro: *Nescio ubi totam reliquerat mortem. non igni torridae comae, nec favilla funebri nigra facies, nec vix cinere bene composito umbrae recentis igneus squalor.* Tales enim ad inferos umbrae credebantur descendere, eaque ipsa forma, quam sub horam mortis exhibuissent. sic Deiphobus *lacer* apud inferos Maroni. apud Valerium quoque Flaccum *lacera umbra* obtruncati Phryxi libro I. ỳ. 44. ut recte scripti. & *lacera Regulus umbra* apud Papinium Soteriis Rutilii Gallici. *Exedere*, ut apud Silium libro II. ỳ. 465. *jam lumina retro Exesis fugere genis. exesa ilia* Senecae Agamemn. ỳ. 763. est enim *exesum obeso* contrarium. Quintilianus Declam. XII. ubi agit de fame: *Figura tibi exesos vultus, decrescentem populum, jam praemortuas vires.* Lucanus lib. II. *mox vincula ferri Exedere senem.* Papinius Epicedio Glauciae ad rem quoque:

Gratum est, Fata, tamen, quod non mors lenta jacentis
Exedit puerile decus, manesque subivit
Integer, & nullo temeratus corpora damno:
Qualis erat.

nempe incolumis & valens. *exedit cura medullas* Catullo de Coma Berenices: *Cum penitus moestas exedit cura medullas.* Maroni etiam, *est mollis flamma medullas.* & Catullo: *ex eo misellae ignes interiorem edunt medullam.* Hinc castigandus Horatius in Epodis carmine V.

Exerta uti medulla & aridum jecur
Amoris esset poculum.

scripti complures *Exsucta*. quod Lambino & Faërno se probavit. alii libri *Exuta*. in vetertimo Leidensis bibliothecae exemplari *Exsecta*. Scribo *Exesta*. *exestum* & *exesum*, quomodo *comestum* & *comesum* dici observant veteres Grammatici. apud Valerium Flaccum, *quam te Exedit labor, & miseris festina senectus!* apud Catullum, *cujus me magnus edebat amor.* & *peresus languoribus* apud eundem. sic *exesa ossa* Plinio lib. VII epist. XXVII *inveniuntur ossa inserta catenis & implicita, quae corpus aevo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerant vinculis.* Sulpicius Servatus in Avaritiam:

Ambusti torris species, exesaque saeclo
Abduntur priscis corpora de tumulis.

Exedit febris artus, Prudentius Hymno Romani ỳ. 488. sic Hercule Oetaeo ỳ. 914. *exedit artus virus.* uti & ỳ. 1226. *vestis atri funeris Exesa cingit ilia* Agamemnone Senecae ỳ. 763. *exedere animum dolor iraque demens*, Papinio Theb. II. *non exedisse nefandis Urbem odiis satis est*, Maroni Aeneidos quinto. sic & *cor edere*. vetus auctor apud Tullium de Bellerophonte,

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

vide libro III. cap. VII.

versu ultimo: *Perfluat & pomis candidus ante sinus:* ad Nasonem Met. I. ỳ. 572. monui scribendum *Perpluat*.

Libro II. Elegia I. ỳ. 57.

Huic datus a pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus. duxerat hircus oves.

vel *pecori est*. Puto, *Dux pecoris. hirtas duxerat hircus oves.* neque enim *hirtus caper*, & *hirtae capellae* tantum dictae, sed *hirtae* quoque *oves*, quas opponi existimo ovibus pellitis ac nitidioribus, quales Tarentinae. Varro RR. lib. II. cap. II. ubi agit de Tarentinis & Atticis ovibus: *Harum praesepia ac stabula ut sint pura, majorem adhibeant diligentiam, quam hirtis.* cap. X. *Ego in octogenas hirtas oves singulos pastores constitui, Atticus in centenas.* nam ad Tarentinas Atticasque pascendas major pastorum numerus requirebatur. haec pellibus ut plurimum integebantur, ne lana ad vepres fruticesque offenderet atque evelleretur. eas *pellitas* dicebant. hinc Horatio *Dulce pellitis ovibus Galesi Flumen.* quae & *tectae* nonnumquam dictae. uti Plinio lib. VIII. cap. 47. Laërtius Diogenes refert in vita Diogenis, eum, cum in Megarensi agro pelle contectas vidisset oves, ipsosque Megarensium pueros prae mendicitate nudos incedere, Malle se Megarensem esse arietem dixisse, quam filium familiae. πρόβατα δέρμασιν ἐσκεπασμένα sunt Laërtio. Festus: *Solox lana, crassa, vel pecus lana contectum.* (lego, *lana crassa contectum.*) *Titinius: lana soloci ad purpuram data. Lucilius: Pascali pecore ac montano, hirto atque soloce.* videndus Scaliger ad Varronem d. LL. de Osca lana. Mox ỳ. 64. malo,

Fusus & appositum pollice versat opus,

quam *apposito pollice*. tum ỳ. 66. *& appulso tela sonat latere*) *applauso* vetus editio. recte. in Ciri:

Non Lycio molles plauduntur pectine telae.

apud Nasonem Met.

Ille cavis velox applauso corpore palmis
Desilit in latices.

applausa cervix apud Silium lib. XVI, de equo. versu ultimo:

Postque venit tacitus, fulvis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

immo *furvis alis* scribendum; &, ne bis idem dicatur, in pentametro *somnia pigra.* nam in excerptis Italicis, *fuscis alis.* sic libro III. El. IV.

Sed cum te fusco somnus velarit amictu.

Elegia II. ℣. 7. *Illius puro destillent tempora nardo*) *Illius & puro*, codex Thuanus. Aldinus codex, *Illius e puro.* Forte, *Illius & Suria destillent tempora nardo.* sic *Suria* pro *Syria* in antiquis marmoribus non semel. Noster lib. III. Eleg. ult. *Jam dudum Syria madefactus tempora nardo.* sic & illic pro *Tyrio nardo* scribendum. Catullo, *Lectulus Syrio fragrans olivo. Assyria nardus* apud Horatium occurrit. libro III. Eleg. IV. ex castigatione Scaligeri, *Spirabat Syrio murrhea rore coma.* quo modo *Orontea murrha* apud Propertium, apud Horatium *malobathrum Syrium.* Theocrito Adoniazusis Συρίον μύρον. ubi adeundi interpretes. plura nos ad Nasonem Epist. XV. mox malo, *annuet ille, roga*; quam *annuit.*

℣. 17. *Vota cadunt. utinam strepitantibus advolet alis,*
Flavaque conjugio vincula portet Amor.

Vota cadunt ut strepitantibus, in Thuano codice. Scribendum, ni fallor, *en ut strepitantibus advolat alis:* ni mavis, *viden ut strepitantibus advolet alis.* uti Guyetus quoque. sic superiori Elegia, *viden ut felicibus extis.* quod Catullo usitatissimum. *cadere* pro evenire. sic panegyrico Messallae, *Sed licet asperiora cadant.* de *cadendi* verbo vide Schioppii Verisimilia. sed & *Flava vincula* in *Fausta vincula* videntur mutanda. sub finem:

Huc veniat natalis avis, prolemque ministret,
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

Haec veniet, in nonnullis codicibus. opinor,

Hac venias natalis avi, prolemque ministres.

hac avi, hoc auspicio. apud Nasonem Met. VI.

Hac ave conjuncti Procne Tereusque; parentes
Hac ave sunt facti.

sic *incerta avi* dixisse Ciceronem notant veteres Grammatici pro *ave incerta.* Tibullus infra lib. III. Eleg. VI. *Fulserit hic niveis Delius alitibus.* Catullus, *bona cum bona Nubit alite virgo.* Plautus Epidico: *liquido exeo foras Auspicio, avi sinistra.* & Pseudolo Act. III. Sc. I. *sub signis ducam legiones meas Avi sinistra, auspicio liquido, atque ex sententia mea.* Apulejus Met. II. *peragrata cuncta Thessalia fuscis avibus Larissam accessi. Avi sinistra* apud Varronem de LL. libro VI. ubi vide Scaligerum; & Schoppium Susp. Lect. lib. I. epist. XI.

Eleg. III. ℣. 65. [℣. 33.]

At tibi, dura seges, Nemesin quae abducis ab urbe,
Persolvat nulla semina terra fide.

scribendum *dura Ceres:* ut respondeant his subsequentia, *Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.* tum & mox corrigendum reor, [L. I. Eleg. IX. ℣. 67.]

Ah pereant artes, & mollia rura colenti.

vel, *& mollis cura colendi*; quod Scaligero & Guyeto annotatum in ora codicis. Elegia IV. [℣. 5.]

Et, seu quid merui, seu quid peccavimus, uror.

opinor, *seu nil peccavimus.* tum ℣. 23. ex suo codice magnus Scaliger, quod & Achilles Statius invenerat in suis, *Aut rapiam suspensa focis insignia sacris.* pro quo vulgati, *sacris insignia fanis.* Forte, *suspensa tholis insignia sacris.* ut apud Maronem, *si qua ipse meis venatibus auxi, Suspendive tholo. Suspendere postibus arma* Silio.

℣. 36. *Quale bonum multis abdidit ipse malis*) *addidit ille*, alii codices. & recte. sic mox, *flammae aquam addere.* Plura nos alibi de hoc loquendi modo.

Eleg. V. ℣. 21. *Haec fore credebat Romam*) *prodebat* puto. & sequitur ipsum Sibyllae vaticinium mox infra, cujus initium, *Impiger Aenea.* & paullo ante, *quid canat illa, doce.*

℣. 83. *Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.* Opinor, *Laurus io bona signa dedit.*

Libro III. Eleg. I. ℣. 19.

Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

An maneam, an toto pectore deciderim, Pontanus. Sed puto, *Anne amer.*

Eleg. III. ℣. 35.

Aut si fata negant reditum, tristesque sorores,
Stamina quae ducunt, quaeque futura neunt.

forte, *Stygiaeque sorores*; vel, *trinaeque.* Sed *neunt* ut dixerit pro *nent* cultissimi ingenii vates, haud quaquam sit credibile. Scribendum utique, *Quaeque futura canunt.* nam & Parcarum est canere. supra libro I. Eleg. VII.

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina.

& libro IV. epigr. IV.

Te nascente novum Parcae cecinere puellis
Servitium.

monui

monui jam ad Nasonem. apud Catullum quoque nuptiis Pelei Parcae canentes introducuntur. mox:

Me vocet in vastos amnes, nigramque paludem
Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Opinor ego,

——— *nigramque paludem*
Ditis, & ignavam luridus Orcus aquam.

vel,

Lethes, ignavae luridus Orcus aquae.

nam in codice Regio Gallicano *Dictes ignava.*

Eleg. IV. ℣. 19.

Nec me sopierat menti deus utilis aegrae
Somnus. sollicitas deficit ante domos.

rectius, ni fallor, legemus, *sollicitas desit is ante domos.* sic & Panegyrico Messallae ℣. 100. scribendum,

Tunc tibi non desit faciem componere pugnae.

Eleg. V. ℣. 3. *Nunc autem sacris Bajarum maxima lymphis) proxima lymphis*, si quid video. proxima Bajis salubritate. in scriptis, *numina, munia, maenia.* mendose.

℣. 22. *Duraque sortiti tertia regna Dei)* malim, *Furvaque sortiti.* de quo vocabulo pluribus nos ad Nasonem.

Eleg. VI. ℣. 23. *Quales his poenas Deus hic quantumque minetur) quantusque* codex Scaligeranus. scribe, *quantasque minetur.*

Eleg. VII. ℣. 14. [VI. ℣. 46.] *Aut fallax blanda sordida lingua prece)* dederat Tibullus, si quid video, *subdola lingua.* forte & *pellax.*

Caput II.

Reliquum est, ut Tibulli librum percurramus quartum, cujus partem majorem occupavit Panegyricus Messallae Corvino dictus. versu igitur 67. haec occurrunt de Ulixe,

Vidit ut inferno Plutoni subdita regna.

Puto,

Vidit, ut inferno Plutonis subdita regno
Magna Deûm proles levibus discurreret umbris.

sed & ℣. 14. praestiterit, *coelestes placavit mica*, quam *pacavit.* deinde excerpta Italica ℣. 33. *capiet sub stemmate facta*, non *sub nomine.* & ℣. 56. scribe,

Non Cyconumque manus adversis reppulit armis.

Ulixen nempe. nunc circumfertur *Nam Cyconumque manus.* denique ℣. 85. malim *structo vallo*, quam *ducto*: quod *castris praeducere fossam* jam paullo ante praecesserit.

℣. 95. *Quis parma seu dextra velis seu laeva tueri,*
Sive hac sive illac grandis venit impetus hastae,
Amplior?

ita ex scriptis restituerunt homines eruditi, cum mendosissime vulgati codices exhiberent,

Parma seu quos dextra velit seu laeva tueri.

sed & recte Scaligeri, *veniat gravis impetus hastae.* at ne sic quidem persanatus est locus. Scribe:

Quid, parma seu dextra velis, seu laeva tueri,
(Sive hac sive illac veniat gravis impetus hastae)
An prior, aut signata cita loca tangere funda?

Paullo ante etiam *Par sit* pro *Possit* repositum eo.

Quis tardamve sudem melius celeremve sagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celeremque arcto compescere freno
Par sit, & effusas tardo permittere habenas?

(Guyetus non bene, *Aut quis equum meliusque arto.*) saepe mendosum id vocabulum, ut ex variis Senecae locis jam manifestum fecimus. apud Statium Genethliaco Lucani sic corrigebam:

Tu par es Latio, memorque gentis
Carmen fortius exseris togatae.

nunc ibi legas in scriptis editisque exemplaribus:

Tu carus Latio, memorque gentis
Carmen fortior exseris togatum.

Carmen togatum pro Romani argumenti carmine durius ac insolentius videtur dictum; etsi *togatas* Afranii ac aliorum comoedias a *palliatis* hac de causa distinctas haud ignoro. Sic Silii *carmina digna Latia toga* dixerat Martialis. Idem Papinius Via Domitiana:

His par vix (Lechiae nihil vetarent)
Inous freta miscuisset Isthmos.

par vis pro *par vix* exaratum erat. id in *parvus* mutatum. ni mavis, *His impar*: vel *Vix par his.* Carum poëtam amicum suum Naso Herculi canendo, cujus apotheosin moliebatur, parem sic facit:

Prodent auctorem vires: quas Hercule dignas
Novimus, atque illi, quem canis, esse pares.

His parvus minus concinne nunc ibi legitur loco vexatissimo, cui viri summi in ceteris feliciter sunt medicati. His manibus fuisset Isthmos impar perfossus. vulgatum si quis praefracte tuetur, dictum accipiat licet, quomodo Claudiano,

Illa manus, cui parvus Athos angustaque Thrace,
Cum transiret, erant.

℣. 100. *Nunc tibi non desit faciem componere pugnae*) in aliis *Tunc.* Scribendum, *Tunc tibi non desit.* & paullo post, lege *ut aequatis frontibus.* mox,

Seu libeat duplici sejunctim cernere Marte.

cernere, pro decernere. de quo copiose nos Maronianis Lectionibus. recte etiam *sejunctim* castigamus, ni fallor. nam de juncta & quadrata acie jam praecesserat. vulgati,

Seu libeat duplicem, seu junctum cernere Martem.

sed & deinde opinor, *sitque duplex geminis victoria castris*, non *gemini casus.* idque excerpta Italica Colotiana apud me unius codicis vetusti confirmant. *castra* pro exercitu. de quo supra lib. III. hujus operis cap. X.

℣. 113. *Namque senex longae peragit dum saecula vitae,*
Centum fecundos Titan renovaverit annos.

Versus prior nescio quo modo in castigatissima Douzarum editione fuit omissus. deinde scribo, *celeri superaddere corpus Gaudet equo:* non *celerem super edere corpus Audet equum.* sic & paullo post corrigendum, mutata distinctione,

additus aris
Laetior eluxit structos super ignis acervos.

perperam Achilles Statius *abditus:* quod alii etiam perperam arripuerunt. Vide nos libro III. cap. XIV. ad ℣. 171. Octaviae.

℣. 124. *Et fera discordes tenuerunt flamina venti*) opinabar *dissortes venti*, quia praeter morem iis solitum hiberna tempestate interquiescebant. τὸ *dissors* compluribus locis nos restitutum ivimus Animadversis ad Nasonem. deinde ex scriptis *muta silentia*, non *multa.*

℣. 139. *tellus obsessa colono*) *possessa.* Africam designat. Tum paullo post vetustissimae Scaligeri schedae:

Ardet Arectaeis aut unda perhospita campis,

cum in aliis aliter codicibus exprimatur hic versus. forte,

Radit Arectaeos haut una per hostia campos.

de *radendi* verbo jam actum libro II. capite primo.

℣. 151. *Nam circumfuso consistit in aëre tellus*) *considit.* sic in Fastis Nasonianis,

Sederunt medio terra fretumque loco.

& ipse Tibullus supra,

Qualis in immenso desederit aëre tellus.

tum mox,

Aque duae gelido vastantur frigore semper.

praeterea,

Et nulla inserto perlabitur unda liquore.

incoepto haud ferendum. nec Guyeti illud *incerto* satis approbarim. Avienus descriptione orbis terrarum de Tanai:

procul hinc Maeotida Tethyn
Intrat, & inserto freta pellit vasta fluento.

sic & alibi non uno idem Avienus loco. Papinius Tiburtino Manlii Vopisci:

Cernere facundi Tibur glaciale Vopisci
Si quis, & inserto geminos Aniene penates,
Aut potuit sociae commercia noscere ripae.

℣. 168. *alter & alterius vires negat aër*) Muretus, *necat.* sed puto, *alteri & alterius vires negat aër.*

℣. 184. *Cui fuerant flavi ditantes ordine sulci*
Horrea fecundas ad deficientia messes.

sic magnus Scaliger ex scriptis. vulgati, *fecundis indeficientia mensis. sulcos* pro satis frugibus ponit. possis tamen & *flavos culmos* admittere. Totus locus sic videtur constituendus,

Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flavi ditantes horrea sulci,
Horrea fecundas haud deficientia messes:
Cui pecoris denso pascebant agmine colles
Et domino satis, & nimium furique lupoque.

satis & nimium pecoris. minus concinne vulgo *Cuique pecus. Deficere* etiam cum quarto casu conjunxit initio Panegyrici, *meritas si carmina laudes Deficiant.* quod nos Nasoni aliisque reddidimus locis compluribus ex veteri scriptura. Videtur autem Maronis ista cogitasse, Geor. II. ℣. 517.

Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.

& ex primo:

Illius immensae ruperunt horrea messes.

quod si sic sese habet, rectius fortasse legas,

Horrea fecundae non sufficientia messi.

& hoc malim. in Priapeis:

Magnaque fecundis cum messibus area desit,
In Cereris crines una corona datur.

ubi & forte rectius legas, *horrea desint.* quod *horrea quaerere messi* Manilius dixit libro V. p. 121. ed. Jun. loco corrupto. Idem lib. III. Maronis exemplo:

Seu Cererem plenam, vincentemque horrea messem,
Aut reputat Bacchum per pinguia musta fluentem.

saturare horrea, auctor Aetnae: &, *Annua cum saturae complerunt horrea messes.* hinc *plena horrea* eidem Tibullo lib. II. Eleg. I.

Tunc nitidus plenis confisus rusticus horreis.

sic

ſic enim malo, quam *areis* cum Scaligero. ejusdem libri Eleg. V. idem Tibullus:

Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

Paulo poſt etiam corrigendum videtur,

Nunc deſiderium ſupereſt. nam cura novatur,
Cum memori anteactos ſemper dolor admovet annos.

memori admovere, in memoriam revocare. elegantiſſimum loquendi modum pluribus jam aſſeruimus hoc in opere. Paullo poſt etiam reponi amem,

noſtri ſit parvula cura,
Sit tibi quanta libet, ſi ſit modo.

denique,

Sive ego per liquidum volucri vehar aëra penna.

volucris vehar aëra pennis minus concinnum.

℣. 202. *Vel bene ſi totus, ſummo vel inerret in ore*) Scribe ex veſtigiis veterum librorum, *Vel bene ſit notus.* nam codices nonnulli *ſic notus.* Tum *rigidos percurrere campos* non concoquo. nec *riguos campos* Achillis Statii admitto. [bene *rigui campi.*] Quid ſi caſtigemus?

Seu me finget equum gyro percurrere campos
Doctum.

ſic Papinius Epicedio patris:

non toties victorem Caſtora gyro
Nec fratrem caeſtu virides plauſere Therapnae.

Tum, *In quodcumque hominum me longa redegerit aetas.* nam Colotianus liber ſic ex parte. *redegerit*, pro *receperit*, noſtrae conjecturae debetur.

Epigrammate primo, verſu penultimo: *Hoc ſollemne ſacrum multos hoc ſumet in annos*) ſic ſcripti praeſtantiores; vel *hoc ſumat. haec ſumit* codex Scaligeri. in aliis *celebretur*, *fumabit*, & ſimilia. Reor a Tibullo relictum,

Huic ſollemne ſacrum multos o duret in annos.

vel,

Haec ſollemne ſacrum multos conſummet in annos.

Epigrammate ſecundo, *Sed procul abducit venandi Delia cura*) *devia cura* Scaliger. poſſis *in devia.* ſed *umbroſi devia montis* jam praeceſſerunt. ſi quid video, dignius ſit Tibulliana elegantia,

Sed procul abducit venanti Delia curas.

Delia, pro Diana, abducit curas venanti: quomodo apud Claudianum lib. III. Raptus Proſerpinae:

Abduxere meas iterum mortalia curas
Jampridem neglecta mihi.

tum & paullo poſt maluerim, *Quis furor eſt, demens?* dictum a nobis alibi. Mox ex ſcriptis,

At quaecumque meo furtim ſubrepet amori.

Epigrammate tertio,

Effice ne macies pallentes occupet artus:
Neu notet informis pallida membra color.

tabentes occupet artus ſcribendum, *ne pallentes artus* & *pallida membra* per ταυτολογίαν odioſam concurrant. Mox *devehat amnis*, non *evehat.* nihil enim fluvii poſſunt evehere, niſi ad fontes & juga, ex quibus originem trahunt, revertantur: quod ſit pro miraculo. unde & apud Papinium Thebaidos primo, ℣. 356. videtur caſtigandum,

ruit agmine facto
Inachus, & gelidas vergens Eraſinus ad Arctos.

non *ſurgens.* quod nunc circumfertur.

Epigr. V. ℣. 9. *Magne Geni*) *Mane* tuetur Achilles Statius. ſed excerpta trium codicum Italorum apud me, *Alme Geni.* nec auſim damnare. Deinde paullo poſt ex uno codice placet,

Tu precor infidos ſancte relinque focos.

Epigr. V. ℣. 15.

Praecipit & gnatae mater ſtudioſa, quod optat:
Illa aliud tacita jam ſibi mente rogat.

jam ſua Scaliger ex ſcriptis. quomodo & Aldinus codex. *non ſua* Achilles Statius. praeterea *quod optet*, Muretus; uti & Guyetus ex Florentino codice. Putabam ego:

Praecipit & natae mater ſtudioſa, quid optet.
Illa aliud tacita clam ſibi mente rogat.

apud Naſonem quoque *clam* non ſemel in *jam* degeneravit.

℣. 19. *Sit juveni grata adveniet*) *Sic juveni grata veniet*, codex Scaligeri. Scribo:

Sic juveni gratis, veniet cum proximus annus,
Hic idem votis jam vetus adſit Amor.

gratis juveni votis adſit Amor iterum anno proxime venturo.

Epigr. VII. *Atque Aretino frigidus amnis agro*) *annus*, & *Eretino agro*, Scaliger ex ſcriptis, aliique ante Scaligerum. Legebam ego,

Atque Aretino frigidus Arnus agro.

quod Thuaneae bibliothecae confirmat codex. verſu ultimo malim, *Arbitrii quoniam non ſinis eſſe mei. quoniam* enim ſcripti nonnulli, non *quamvis. arbitrii* etiam *mei* excerpta codicis Italici unius, non *arbitrio meo.*

Epigr. IX. *Gratum eſt, ſecurus multum quod jam mihi de me Permittis*) videtur legendum hoc modo epigramma:

Gratum eſt, ſecurus multum quod jam tibi de me
Promittis, ſubito ne male inepta cadam:
Si tibi cura toga eſt potior, preſſumque quaſillo
Scortum, quam Servî filia Sulpicia.
Solliciti ſint pro nobis, quibus illa dolori eſt;
Ne cedam ignoto maxima cura toro.

tertio verſu codices *cura togae potior:* quod a

ſubſequentibus damnatur. *cedere toro*, ut apud Naſonem Arte Amatoria a nobis reſtitutum,

Et cedat lecto quamlibet aegra ſuo.

& ſic Achilles Statius. Scaligeranum *maxima cauſſa* non placet.

Epigr. X. *Eſtne tibi Cherinte tuae placiture puellae*) *placitura* in aliis. quidam *Morsne tibi placitura.* Sed *i* in *l* temere immutatum loco corrumpendo anſam videtur dediſſe. *placitura*, *pia cura.* Scribe,

Eſtne tibi, Cherinte, tuae pia cura puellae,
Dum mea nunc vexat corpora feſſa calor?

deinde ex ſcriptis, *ſi tu Noſtra potes lento pectore ferre mala.* non *laeto.*

Atque hiſce in Tibullum annotatis corollarii loco accedat emendatio Catulliani loci unius atque alterius. Quem ſcriptorem majore cura alibi caſtigandum nobis proponemus. Epithalamio Thetidis & Pelei ℣. 208. de Theſeo:

oblito dimiſit pectore cuncta,
Quae mandata prius conſtanti mente tenebat.
Dulcia nec moeſto ſuſtollens ſigna parenti
Soſpitem & ereptum ſe oſtendit viſere portum.

Verſus ultimus haud dubie interpolatus eſt. nec multum in membranis praeſidii hic nobis. niſi quod codices nonnulli *Soſpitem & erectum.* Scribe meo periculo,

Soſpitem Erechtheos ſe oſtendit viſere portus.

portus Athenarum innuit, ſic dictos ab Erechtheo rege Athenarum: uti & ipſae Athenae *arces Erechtheae.* Apud Papinium libro XII. Thebaidos ℣. 481. corrigatur ex optimis membranis,

Omnis Erechtheis effuſa penatibus aetas
Tecta viasque replent.

vulgati illic hactenus *Omnis & Actaeis.* Naſo Ibidis ℣. 335.

Utque novum paſſa genus Hippomeneïde leti,
Tractus Erechthea fertur adulter humo.

quomodo & illic ſcribo. nam veteres *Tractus & Actaea.* vulgati:

Utque novum paſſa eſt genus Hippomeneïa leti,
Tractus in Actaea fertur adulter humo.

Erechthidae & *cives Minervii* pro Athenienſibus apud Macrobium. Vide annotata noſtra ad Metamorphoſes Naſonianas libro VIII. ℣. 547. paullo ante apud eundem Catullum ſcribe,

Annuit invito coeleſtum numine rector.

utpote qui Theſeo fratris Neptuni faveret filio. paullo poſt in eodem Catullo ſcriptis annuentibus,

Namque ferunt olim, caſtae cum moenia Divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus.

Caſta diva, Minerva: cujus urbs Athenae. perperam nunc circumfertur, *claſſi cum moenia Divae.* Virgilius in Ciri, de peplo Minervae Atticae,

Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita cum caſtae ſolvuntur vota Minervae.

hinc *caſtum* Deae pro templo. ſic *caſtum Iſidis* Tertulliano. *caſtum Cereris* apud Feſtum in *Minuitur.* ubi vide Scaligerum. Tum mox puto,

Sed primum mutas expromam mente querelas.

non *multas querelas.* apud Claudianum Raptu Proſerpinae, *abrumpit mutas in fila querelas.* & *muta ſuſpiria* Papinio Theb. XI. 604.

℣. 55. *Necdum etiam ſeſeque ſui tum credidit eſſe*) ni fallor,

Necdum etiam ſeſe ipſa ſuam tum credidit eſſe.

ſuam, mentis ſuae compotem. Adeantur, quae nos curis ſecundis ad Metamorphoſes Naſonis libro III. ℣. 687. & libro XI. ℣. 723. ubi ſcribendum, *Hoc minus & minus eſt jam mens ſua*, ex Oxonienſi libro. non *amens ſua*; quod olim arridebat. Licinius in carmine ad B. Auguſtinum:

Annue, ſic nobis verum ratione pateſcat:
Sic ſuus Eridanus fluat, & contagia mundi
Nequicquam volitent noſtri circum arva coloni.

ſic ſcribo. vulgo peſſime, *Nec plus Eridanus fluat. ſuus Eridanus*, ſui juris & liber a Geticis catervis. Claudianus:

ſed Marſya velox
Dum ſuus eſt flexuque carens: mox flumine mixtus
Mollitur, Maeandre, tuo.

Papinius Thebaidos quarto de Lagia amne:

neque enim tibi cana repoſtas
Bruma nives, raptasque alio de fonte refundit
Arcus aquas, gravidive indulgent nubila Cori:
Sed tuus, & nulli ruis expugnabilis aſtro.

Avienus deſcriptione Orbis terrarum, de Tanai:

Hic ſe Sarmaticis evolvens finibus arte,
Sciſſus Araxeo prius aequore, jam ſuus udam
Effluit in Scythiam.

ſic caſtigandum: non *jam ſuus unda.* apud Naſonem Epiſtola Hypſipylae, *a Tanai Scythiaeque paludibus udae.* uti & illic olim caſtigavimus, cum legeretur *Scythiaeque paludibus undae.* Pomponius Mela de Nilo: *cum diu ſimplex ſuusque deſcendit.* non *ſaevus.*

hactenus.

JANI

JANI DOUSAE NORDOVICIS SCHEDIASMA SUCCIDANEUM

nuperis ad Tibullum Praecidaneis addendum.

Schediasmatis Summa.

De Galli, Virgilii, Horatii, Tibulli, Propertii, ac Ovidii aetate denique distincte ac dilucide, cumque antiqua adeo tum cura tum fide dissertum. Tibullum omnium Collegarum suorum (de Elegiae scriptoribus loquor) si Gallum unum excipias modo, quantum Eroticorum cluit, antiquissimum; contra receptissimam illam, ne dicam praejudicatam tam hujus, quam superioris saeculi opinionem, qua inter Tibulli ac Ovidii Natales nullum hactenus discrimen factum. in quo tantus Chronologorum error fuit, ut ante egressum ex ephebis Equitem istum Sulmonensem haud aetate provecta atque adultus modo, verum & justo quoque militiae sacramento auctoratus pro acri & strenuo ad legionem bellatore laudatus fuerit Tibullus noster: donis insuper militaribus virtutis ergo ab Imperatore suo meritus cohonestari. Id argumentis ac rationibus multo evidentissimis firmatum, ad furcillandam suppostitii illius Pentametri fidem scilicet, cujus de Ovidiano penu Tibullo condonati communio omnes ad unum Antiquarios nostros frustra ac falsos habuerat antea. Eam in rem Horatiana auctoritas ad partes adducta, etiam Ovidii, nusquam inter aequales, sed vero ubique inter superioris aetatis Poëtas Albium Tibullum recensere visi. Gallum solido, quam alii volunt, sexennio grandiorem, hoc est, non ternos, sed octonos annos supra quadragesimum natum fuisse, quum a communis lucis usura sese abjudicaret. Ejus Memphitici Regni procurationem, per quadriennium unum continuatam modo, non in annum V. C. DCCXXI. *verum potius* DCCXXIV. *incurrisse, praeter mentem Interpretis Horatiani. Lilianae frustrationis castigatio a Dionis verbis minus caute & cogitate perpensis (ut apparet) natae. Maecenatem annum unum modo aut alterum Horatio supervixisse, funusque adeo Poëtae sui lugubri Epicedio prosequutum unde illorum pariter hominum denudatur inscitia, qui vitam Satyrici hujus supra quartum ac sexagesimum annum producere conati. De Propertiani tum obitus, tum Natalis anno conjectura. Tibullum eadem fere tempestate, qua Maronem fatis concessisse, oculato quoque Marsi testimonio probatum, & quidem quadragenario majorem: nimisque frustra esse eos, quibus in ipso juvenilitatis flore exstinctum atque ante diem properato funere elatum placet, cum Horatiano indicio, tum indubitata Tibulli ipsius confessione argutis convictisque. Juvenum, sive adeo Juniorum appel-*

latione insignitos jam inde a Regiis temporibus quorum aetas annum nondum XLVI. *supergressa; neque alia ratione Juvenem quoque Tibullum a Marso perhibitum videri. Odam Horatianam Albiano nomini inscriptam ad alium neminem, quam ad Elegiographum nostrum pertinere: neque eos audiendos, qui nescio quem Tibulli avum nobis consomniarunt: multo minus Crinitum, qui Poetae hujus familiarem Propertium faciat, quo argumento inductus, nescio. Alia quaedam monetae haud vulgariae.*

TEmpus esse jampridem videtur, ut de Tibulli, deque primorum ac signiferûm aliquot felicissimi illius Octaviani saeculi Poëtarum aetatibus unum insuper etiamnum Caput coacervemus, quod Praecidaneis in Tibullum nostris colophonem imponat denique. Sciendùm igitur Seviris illis, quos in Syntagmatis hujusce frontispicio nominatim recensui singulos, omnibus aetate superiorem fuisse Cornelium Gallum, quippe cujus Poëtae Natales in C. Cassii Vari, ac M. Licinii Luculli Consulatum incidisse tum de Servio, tum ex Eusebianis Chronicis docemur, anno Urbis conditae DCXXCI. eo ipso scilicet, quo a Germanis duce Ariovisto occupatas Gallias, in Italia vero bellum Servile à Spartaco conflatum, fidem Romani nobis faciunt Annales. Quem intra non totius quadriennii vertentis spatium Heroicus ille divinissimi Maronis Genius consequutus, anno DCXXCIV. ipso inquam Iduum Octobrium die, M. Licinio Crasso, & Cn. Pompejo Magno Coss. Nec plus singulari lustro interposito exortus nobis Horatius, ad VI. Idus Decembr. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato supremum illum Magistratum gerentibus, anno nimirum DCXXCIX. biennio autem ante Augusti Caesaris Natalem, & famosissimam illam L. Sergii Catilinae conjurationem a M. Tullio Cicerone, & C. Antonio anni sexcentesimi nonagesimi primi Consulibus detectam pariter oppressamque. Atque ut haecce omnia in confesso, ita diem annumque, quo Sex. Propertio lucis hujus tuendae copia data, usque ampliare porro, & velut in suspenso habere cogimur. suspicari tamen possumus haud inani utique aut languidae fidei conjectura, eumpse anno post plus minus octavo, nonone, an decimo?

Vitales hausisse auras ac lumina prima.

Argumentum, quod dico, nullum sane aliud, quam Poëtae ipsius indicium habemus; apostrophen istam scilicet, qua ex persona Hori illius Babylonii idem semet ipsus affatur postremo demum Elegiarum suarum volumine:

Ossaque legisti, non illa aetate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam, tua quum multi versarent rura juvenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, ubi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumta toga;
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Ecce ut statim, aut non multo certe post acerbissimam illam Octavianae Perticae metationem, municipaliumque agrorum (quos subinde a Philippensi bello veteranis in Italiam reductis assignandos dispartiendosque de communis Triumviratus sententia ad se receperat Augustus Caesar) patratam iniquissime divisionem, Praetextam depositam sibi, vicemque ejus Virilem Togam assumtam, aureaeque Bullae ornamenta Dîs Penatibus ex more majorum suspensa ac religiose consecrata, disertis de semet verbis profiteatur Propertius noster: uno post Nasonem editum anno scilicet (qui jam inde ab Urbe primum condita septingentesimus porro ac duodecimus numeratur) eo ipso inquam, quo Tiberium Imperatorem natum prodidit Suetonius. Quam quidem Togam, hariolari

lari licet, Umbrum illum XVII. demum aetatis anno accepiſſe:

Secli nempe ſui morem atque exempla ſequutum
Vergilii inprimis, Donato ut teſte probâre eſt.

Tametſi de Lipſio meo didicerim nuper, legitimum Tyrocinii diem apud Romanos annum XV. fuiſſe; atque exinde praetextatos de ritu priſco in viros ex ephebis referri occoepiſſe primitus: neque quenquam ante XIV. annum vertentem jus porro habuiſſe liberae ac Purae veſtis ſumendae. A qua mente non nimium diverſa Vetus Horatii Commentator, qui pueros nobiles praetexta veſte ſub diſciplina ad annum uſque decimum quintum uſos, apertiſſime agnoſcit. Cujus inſtituti rationem quamobrem migraſſe Callimachum illum Romanum planiſſime perſuaſerim mihi, faciunt ipſius verba ſupra a nobis poſita hoc exemplo:

Tum tibi pauca ſuo de carmine dictat Apollo,
Et vetat inſano verba tonare foro.

Probabilius enim, ut Propertium ſeptemdecennem Genii atque ingenii maturitatem ad Elegiae ſcriptitandae ſtudium contuliſſe opinemur, quam ut vix pene etiam tum puberem, necdum pennis plane enatis ſcilicet, praecoci nimium ac temerario conatu Pegaſeiam illam volaturam auſpicatum comminiſcamur,

Icari ritu, vitreo daturum
Nomina ponto:

atque (ut cum Petronio dicam) cruda adhuc ſtudia non in Forum, ſed vero in penitiſſima illa Callimachi ac Philetae nemora, praecipiti ſane, ne puerili dicam, impetu potius, quam judicio aut ratione ſuffultum propuliſſe. Quid enim? Aliter

Heroës illi, ſeu Graeci, ſive Latini vetuſtiores,

atque nos hodie vix trioboli, imo vix ſemiſſis verſificatores, quibus totum iſtud, quod Poëtari vocamus, Scholaſticum neſcio quid, ac modo non puerorum naenia; neque pol aliud ſane, quam nugarum atque ineptiarum exoletus quidam ludus videtur. Praepoſteri homunciones (nam quo potius nomine honeſte iſtos appellem, dubito) qui ſecretiſſima ſacratiſſimaque illa Muſarum penetralia unis puerulis modo, vel neſcio quibus de trivio Magiſtellis patere, credi poſtulant ſibi: in quorum aditu pertentando graviſſimos quondam, maturrimæque tum ætatis, tum prudentiae viros ſeque ac ſpes ſuas corrupiſſe, irrito ſaepe eventu comprobatum videmus. Propertius ergo non Ovidio modo, verum ipſo etiam (ſi Dîs placet) Tibullo antiquior. quorum utrumque Hirtio ac Panſa Coſſ. natum, uno ante Ciceronem denatum anno ſcilicet, Urbis vero conditae DCCXI. ipſis de ſe ſcribentibus fides communiter, & quaſi praejudicio quodam habita uſque adhuc. Ac de Ovidio verum fateor, eumpſe nimirum altero Quinquatruum die, qui quidem ſextus poſt Idus Martias numeratur (uti primitus a Lipſio noſtro ratio iſthaec putata examuſſim rectiſſime)

Dias productum in luminis auras.

De Tibullo ne inducar, temporum obſervatio repugnat planiſſime. Nam quid amabo abſurdius, quam eundem cum Sulmonenſi illo annum Natalitium Quiriti aſſignare huic noſtro? quem utique ex relatu Elegiae ipſius VII. apertiſſime conſtet jam tum in re praeſenti oculatum potius, quam auritum teſtem fuiſſe, qua tempeſtate M. Valerius Meſſalla cognomento Corvinus Aquitanas gentes Proconſulari poteſtate praeditus ſubjugarat. unde Triumphus eidem merito de victis Gallis ab Auguſto quoque Caeſare citra invidiam conceſſus. Ait enim Poëta ipſus de ſe, nec mentitur in gloriando:

Non ſine me eſt tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani littora Sanctonici.

Quo etiam pertinebit vetus illa & quidem Italica Inſcriptio, Tibullo ac nobis haud injuria ſane a principe illo Scaligero commendata in Catalectis ſuis:

M. VALERIUS M. F. M. N. MESSALA
A. DCCXXVI. CORVINUS. PROCOSS.
EX GALLIA VII. K. APR.

Nisi si forte Equitem nostrum adhuc praetextatum, necdum etiam ex ephebis plane, id est, statos puerilis Tyrocinii annos egressum (Lipsianam computationem sequi me scito) haud quidem castra, sed vero Tabernaculum Messallae sui pro culcitella officii caussa comitatum cavillemur: ut esset, quo Proconsul (ut fit) conquiniscens incubitare posset scilicet. Atqui haud stipendia modo (quae quidem ex prisco Romanae militiae more non nisi decimum septimum annum supergressis legitime primum ac sollenniter procedebant) Tibullum ipsum fecisse, verum hercule donis etiam militaribus hoc ipso bello Aquitanico ob rem gnave, haud ductarie gestam, ab Imperatore suo donatum, ornatumque insuper, fidem porro abunde fecerit nobis vetus illa Vitae Albianae commemoratio, calamo exaratae, non typis inquio. cujus inibi gustum quoque aliquantum nobis praebuit idem ille, quem dico, Imperator noster Musicus;

Nunc etiam Corvina ingens de stirpe propages,
Scaligeris condignus avis & Caesare patre.

Ecce nunc alterum quoque non minus utique persuasibile ab Horatio argumentum, Poëtam hunc nostrum ita I. Carminum lib. Oda XXXIII. de Glyceres ejus insolentia ac fastu amiciter sane consolante:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glycerae; neu miserabiles
Decantes Elegos, cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.

Nam qui pote obsecro, ut Tibullus id aetatis Elegos istos miserabiles decantare potuerit, quem (si bene calculum ponimus) hoc temporis vix trilustrem ad summum, id est, quindecim annorum Poëtastrum fuisse comperiemur? Doceo ab aetate ipsius Horatii, qui proximo ab hoc volumine, tot tantisque interjectis Odarum struicibus, quadragenarium sese professurus primulum, hacce ad suspiciosissimum Sodalem suum clementi sane deprecatione:

Fuge suspicari,
Cujus octavum properavit aetas
Claudere lustrum.

Ut enim biennii unius vertentis spatium intercessisse demus modo, inter prioris illius, atque hujus, quem postremum laudavimus, Horatiani Carminum libri compositionem, effici tamen nullis argumentorum probationibus potest, ut grandaevitatem istiusmodi Poëtæ huic nostro Arithmeticorum exculcet quispiam, quae vel Glycerae malacissandae pro tenellae adeo aetatulae captu opportuna satis; nedum ut Elegiae apte scribendae tempestiva esse aut haberi potuerit. Huc quartae ab hac Odes insuper auctoritas si accedit, victoriam illam nobilem vereque Augustam, qua apud Actium cum collega Antonio & Cleopatra Aegypti Regibus de summa Imperii actum, ac debellatum denique, Caesari congratulantis; vix erit, ut vel duodecim annos modo argutulo isti Glyceres amatorculo, adde Elegiarum cantori,

Unde unde, aut ullis rationibus extricemus.

si quidem superiorem illam in vulgus receptam de Albianis Natalibus opinionem, ne haeresin dicam, alere porro obstinate ac fovere pertendimus.

Atqui diversum longe sonat Appula Pitho.

Quo enim clausula illa jam laudata a nobis modo?

Cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.

nisi, ut vel hinc saltem sic tanquam in speculo Tibulli amatoribus diluceat, Poëtam eum alia re magis nulla aemulo ac rivali suo ab amica postpositum, quam quod alter iste plenus adhuc succi ac sanguinis, viridiorque haud paulo ac nervosior, id est, Veneriam ad palaestram valentior robustiorque; noster contra maturioris aevi indidemque languentior fortasse, quam virosae illi contemnificaeque ac fastidii plenae expediebat, haud obscure oppido videretur. tantum abest, ut vel adolescentulus,

Vel adhuc florente juventa
Fervidus officium Dominae suaque arma probare

Posset

Posset Eques, genuumque hac tempestate virorem.

Satin' certum, ac tot testimoniis in unum constipatis illustre factum denique Tibullum nihil minus, quam Pansa Hirtioque Coss. nasci potuisse? & Pentametrum illum,

Cum cecidit fato Consul uterque pari.

ex Peligni vestiarii synthesibus Romano huic Elegiographo perperam ac praeter omnem Chronologiae fidem assutum? Certissimum utique, & confirmat hariolationem nostram idem Triumvir iste, quem dico Sulmonensis suffragio perpeti, uno Cornelio Gallo tantum (cujus diem Genitalem in annum Urbis DCXXCI. incurrisse, demonstravimus jam antea, sex minimum ante Nasonem editum Lustris, id est, totis annis XXX.) Tibullum inter Elegiographos Latinos natu faciens posteriorem: haud quidem sibi modo, sed vero ipsi Propertio quoque hac aetatis praerogativa diserte praelatum non semel: nusquam tamen evidentius, quam libri Tristium V. Elegia X. quem locum, huicce proposito meo haud sane disconducere videtur, totum porro integrumque lecturis proponere, ad conjecturae nostrae stabilimentum:

Temporis illius colui, fovique Poëtas:
Quotque aderant vates, rebar adesse Deos.
Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
Quaeque nocet serpens, quae juvat herba, Macer.
Saepe suos solitus recitare Propertius ignes,
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.
Ponticus Heroö, Battus quoque clarus Iambo
Dulcia convictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Vergilium vidi tantum: nec avara Tibullo
Tempus amicitiae Fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi Galle, Propertius illi,
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Utque ego majores, sic me coluere minores;
Notaque non tarde facta Thalia mea est.

Ubi rite ordineque ordinem ab Ovidio conservatum videmus, in eorum praesertim Poëtarum commemoratione, quos typo ipsius atque adulescentior Musarum candidatus modo,

Spectatos satis & donatos jam rude pridem,

quasi veteranos emeritis stipendiis, Romae cognitos olim habuisset sibi: egregiis ingenii facinoribus potius, quam effoeti senii canitudine, vel calvitii nota venerabiles: quorum adultae ac maturae gloriae novellus ipse veluti surculus succresceret. Quo in numero Eroticorum illum Poëtarum principem (Cornelium Gallum dico) desiderari, quid mirum vero, aut grave? quando is octavo supra quadragesimum aetatis anno (quoniam in conjurationis suspicione apud Augustum positus fuerat) sua sibimet manu condemnatum eliserit spiritum. quo quidem tempore ex ephebis primum excesserat Naso. Quae computatio eo pressius a nobis exiliusque annales ad calculos revocata, quod in hac ipsa & vitae & praefecturae Cornelianae terminatione Crinitum, Lilium, Cruquium, caeterosque quantum est calculatores

Longius a vera videam ratione vagatos.

nemine non istorum sic quasi pro confesso adseverante, Gallum nostrum matura jam inde aetate, anno nempe tertio & quadragesimo, gladio jus dixisse jactantiae, ambitioni, atque insolentiae suae, hoc est, manufacta morte decretam advorsum se Senatus damnationem in tempore praevenisse, vel potius ante tempus. Perperam (uti dictum est prius) imo vero contra compertissimam Romanae historiae fidem. quippe quem ex Fastorum Consularium subductione certo certius constet, anno post Aegyptiis denique, tum primum Provincialibus factis, cum Caesariano imperio praefuisse, non quidem ab Urbis conditae (uti Horatiano interpreti placet) anno DCCXXI. usque ad DCCXXIV. (intra quod annorum spatium Regni Memphitici summa adhuc penes Antonium & Cleopatram, vel ipsi quoque Augusto formidolosos. tantum abest, ut vel Corne-

nelianae Praefecturae, vel Octavianis decretis per eam tempestatem locus aliquis in Aegypto esse potuerit, superstite etiam tunc, imo dominante triumviralis Imperii collega) verum hercule sub ejusdem, quem postremum nominavimus, anni exordium, vel potius anni DCCXXV. sequentis exordium: in vacuam scilicet Regiam impetum faciente Octavio. quam solitis praesidiis destitutam, & sine vindice, victoris impotentis libidini, hoc est, praedae ac poenae expositam obitu suo reliquerat Antonius: mandandam porro exinde (suspectis ac praeteritis Senatoribus) Equestris ordinis homini, novo huicce Forojuliensi Procuratori, qui eampse nomine Caesaris in Provinciae formam redactam per quadriennium unum modo, nec id tamen totum, tractasse princeps atque administrasse creditur. Cujus quoniam & aetatis, & annorum quibus apud Niliacas gentes cum publico imperio fuit, plus satis superque ratio à nobis expensa ac disputata, quid prohibet eundem una quoque opera à manifestæ calumniae ignominia, qua praeter omne meritum suum à Lilio nescio quo Gyraldo indignissime affectus, quantum quidem in me est, vindicare porro atque defendere? Nec enim aequum esse arbitror, ut Poëta tantus, tamque omnibus modis lepidus alienae improbitatis atque malitiae piaculari ritu succidaneus fiat: utque in insontem expetant, quae ab altero maligne, imo vero injuriose patrata nobis commemorat Dio lib. Rom. Hist. LIII. ubi postquam Cornelianum nomen a Valerio Largo, qui socius ei & convictor fuerat, ad Caesarem per summam perfidiam, atque injustitiam delatum posteris prodidisset, subdit exempla nonnulla denique, quae ad ingenium & mores ingratissimi criminatoris propius penitiusque percognoscendos facere cum primis visa. e quibus illud nimis me hercule prae caeteris festivum ac memorabile de Proculeio: qui cum aliquando accusatori isti quem dico, Poëtae nostri eversori, fortuito obviam factus esset, objecta manu os & nares ipse compresserit sibi. iis qui secum erant hoc quasi signo innuere volens scilicet, parum tutum esse Largo praesente vel loqui, vel respirare. Item alterum de nescio quo testiculante, ac responsum Largi, quo palam ignorabilem se illi objectum professus fuerat antea, superstitibus arbitris in Tabellas publicas referente. Quae certissima utraque malignantis, & quadruplatoris animi indicia, tanquam de ipso Cornelio Gallo, non autem de criminatore ejus Valerio Largo narrata, ex Dione porro nobis obtrudit Lilius. Os hominis. at quid simile? quasi vero inter Accusatoris & Rei vocabula discrimen nullum? At ego duo ista non minus diffidere inter se,

Frigida quam calidis duco, atque humentia siccis.

Qua quidem in re utrumne incuriam Lilianam magis, an inscitiam, an vero madidam memoriam potius demirer, nescio. Sed nos, silicernii hujus affaniis valere jussis, ad Galli praefecturam denuo convortamur, qui (id quod memorare occoeperam modo) in hac provincia sua multorum millium intervallis dispretus,

Ac procul Urbe Remi, fallacis ad ostia Nili,

quasi extra terminos sepositus, quid mirum inquam, si Ovidio, Romae per ea tempora degenti, praesto esse non potuit; nedum familiariter uti puero etiam tum investi quadragenarius? At vero de Horatio, item Propertio, quibus per aetatem uti potuit, quorumque adeo Musicis recitationibus Romae aliquamdiu sese haud sane indelectatum significat, diversa prorsus ac dispar ratio: e quibus alterius senecta (Horatii puta) quinquagesimum septimumne, an nonum annum supergressi (quando alii Julo Antonio & Fabio Africano Coss. alii autem C. Marcio Censorino, & C. Asinio C. F. Gallo denatum ipsum videri volunt) ad tricesimum usque sextum, vel quartum saltem Ovidianae juventae Autumnum pertinuit. Enim Horatiano interpreti auscultes cave, vitam Poëtae ejus haud paulo longius, imo supra annum

annum etiam quartum ac ſexageſimum producenti. Quod an refutatu difficile ſit, vel ipſum *Maecenatem atavis Regibus editum* interroga, condignum illum Horatiani Epicedii conditorem: cujus adeo Fragmentum nos nuper in noſtro ad Venuſinum illum Commentariolo ex Iſidori Centonibus productum priſtino nitori reſtituimus tandem. unde perſpicue, ac quaſi de plano dilucet, Flacco alumno & convictori ſuo Cilnium Equitem ſupervixiſſe: verumque ac fatale nimis eveniſſe vaticinium illud, quo eundem patronum ſuum lamentantem Vates iſte biformis conſolatus fuerat jam antea, Oda XVII. libri ſecundi ſcribens ſcilicet:

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Diis amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus columenque rerum.
Superſtes ergo, poſtumusque
Tuſcus Eques Calabro Poëtae.

Neque id tamen longum. quippe qui annis duobus modo poſt C. Marii Cenſorini, ac C. Aſinii Galli emortualem Horatio Conſulatum (qui annus conditae Urbis ſupra ſeptingenteſimum ſextus ac quadrageſimus cluit) Ti. Nerone, Cn. Piſone Coſſ. in Libitinae cenſum relatus denique, ſi quid Caſſianae fidei fidendum. De Propertiani vero obitus tempore parum liquido nobis explorata veritas: niſi quod credibiliter augurari poſſumus juvenem ipſum, poſteaquam Tibullo & Virgilio Poëtis paene aequalibus, ac Cynthiae deliciis ſuis (quae amanti ratio eſt maxima) aliquantiſper modo ſuperſtes vixiſſet, Orcivo porro theſauro traditum, etiam Horatii ac communis Maecenatis mortem (quamvis haud paulo ſane minore natu, quam illi) immiti atque ante diem properato funere anticipaſſe. Indicio fuerint totque ac tanta Propertii ipſius teſtimonia, quibus ut viridiſſimo flore ephebus paſſim, ac velut in primis adhuc illis adoleſcentiae fretis Euripi in morem aeſtuabundus ſcilicet ab ſemetipſo depingitur: nuſquam non a juvenilitatis gratia Veneri ſuae commendabilem facere ſtudens ac ſatagens ſeſe. quam & Martialis inſuper auctoritate comprobare facultas eſt nobis, ita lib. XIV. de hoc ipſo teſtantis:

Cynthia, facundi carmen juvenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

Ut ut eſt, omnium, quos ſupra recenſuimus ſcilicet, Octaviani temporis Poëtarum funera Forojulienſis Equitis caedes antevertit. quippe quam A. V. C. DCCXXIIX. non autem (proinde ut Criticis placet) DCCXXIV. eveniſſe, ſatis antea jam nobis ex Caſſianae Hiſtoriae fide declaratum. ejus inquam Forojulienſis, cui ſucceſſor in ſcribunda Elegia Romanus hic noſter, paulo poſt Virgilii exceſſum & ipſe funeratus. Clarum id ex Epigrammatio, quod Marſo Domitio adſcribitur:

Te quoque Virgilio comitem non aequa, Tibulle,
Mors juvenem campos miſit ad Elyſios.

Quod poſtremum de Tibulli ipſius ſententia adumbratum apte in ejuſdem funeris laudationem convertit Epigrammatarius iſte quem dico, Martiali utique non illaudatus. Sic enim Marſo antea praeiverat Poëta noſter, quaſi praedivinans:

At me, quod facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus campos ducet ad Elyſios.

Atqui Virgilium C. Sentio Saturnino, Sp. Lucretio Veſpillone Coſſ. pauſam vitae feciſſe cognitum nobis ex Chronicorum ſcriptoribus: anno Urbis nimirum DCCXXXV. intra quod ſpatium, funeſtumque illum Hirtii cum Panſa Conſulatum quatuor modo & viginti annos interceſſiſſe reperiemus. quibus Conſulibus ſi in oras luminis editus primum Tibullus noſter,

Non eſt, quod multa loquamur,
Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Quid enim aliud quaeſo relinquitur nobis, quam ut ocellum illum Triumviratus Erotici ante annum aetatis ſuae XXV. ad plures ſeſe penetraſſe fateamur? contra tot tantasque rationes poſitas à no-

nobis ſupra, & (in quo arx hujus cauſſae) locupletiſſimum illud Ovidii teſtimonium, quo Horatium, Propertium, Virgilium ipſum, ac Tibullum denique, non quidem inter ἡλικιώτας vel συγχρόνȣς, hoc eſt, coaevos ſibi, verum hercule inter veteranos ſenioresque ac praeteritae quaſi aetatis Poëtas recenſitos videmus. Unde & Virgilium de facie modo cognitum habuiſſe teſtatur; Tibullum vero Fatorum avaritiam invidiſſe ſibi, quo minus in familiaritatem ejus, *communia ſacra colentis*, inſinuare potuerit in tempore. credo, quandoquidem Ovidio herbeſcente primulum, eodem quo Virgilius (uti dictum eſt) anno, aut certe non nimio poſt

Intempeſtiva conſumtus morte Tibullus,
Atque Equiti praereptus Eques collega Poëtae.

Neque ita intempeſtive tamen, ut non vel ad legitimam uſque mediae aetatis plenitudinem eundem proceſſiſſe perſuaſerim mihi. & eo quidem fidentius, quod praeter argumenta illa ſuperiora, partim ab Inſcriptione Veteri, Faſtisque Conſularibus: partim ab Horatio, & Ovidio nobis adeo uſque *Largiter*, *ac plena ſuppeditata manu*; etiam hic ipſe Sulmonenſis noſter in Elegia illa vere Elegiaca, ne dicam, lachrymis Simonideis mœſtiore, qua Collegae eidem ſuo tantum non leſſum lamentando facere viſus, & quidem ex profeſſo Albianae vitae ſummam colligens, de hac tanta obitus ipſius cruditate (illud, immaturitate, dicere volui) ne verbum quidem. quam profecto tacitam uti haberet, *Deûm* (opinor) *haud meruiſſet divitias ſibi.* haud magis utique, quam praematuram illam Catulliani funeris praecocitatem, in eapſe Elegia obiter quidem, ſed tamen ſignificantiſſime notatam his verbis:

Obvius huic (ſ. Tibullo) *venies hedera juvenilia cinctus*
Tempora, cum Calvo docte Catulle tuo.

Quibus ſubjicit deinceps e veſtigio:

Tu quoque, ſi falſum eſt temerati crimen amici,
Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.

ubi Gallum falſo Majeſtatis crimine à Valerio Largo (ut diximus) circumventum, Ovidiano quoque patrocinio defenſitari videmus. Gallus proinde Tibulii ac Virgilii exſequias morte ſua ſeptennii unius vertentis ſpacio anticipavit. quem quidem poſtremum (Maronem dico) haud dubie quoque hoc loco nominaturus fuerat Naſo, tanquam Tibulliani fati praecurſorem, niſi is extra Eroticorum Poëtarum numerum (in quibus nomen ſuum Catullus, Calvus, Gallus, ac poſt hunc Tibullus noſter legitime jampridem profeſſi) experientiſſimo huic Amoris conſulto habitus judicatusque, ad Heroicos potius Epicosque Poëtas ablegandus. Addatur hiſce omnibus vel mantiſſae loco inſuper, honeſtiſſimum illud ipſius Flacci de Tibullo Elogium, quo eumpſe haud indignum habuit, quem *Candidum Sermonum ſuorum judicem* palam ac publicitus depraedicaret. Quae judicii maturitas a Thalete illo Venuſino Poëtae huic noſtro caute ac circumſpecte tributa, an in rudem iſtam vicenarii adoleſcentis juvenilitatem, ut is ad judicium de tam elucubratis omnique ex parte politis Poëtae quadragenarii ſcriptis ſerio faciundum, ſententiamque libere pronuntiandam, pro arbitro, vel quaſi Cenſore adhibeatur ſcilicet, convenire aut locum ullum habere poſſit, illi viderint porro, quibus inter Tibulli atque Ovidii Natales nullum hactenus diſcrimen factum. A quo tempore uſque ad M. Lollii & Q. Lepidi Conſulatum (quo haec ipſa ad Tibullum ſcripta ſub ejuſdem Epiſtolarum libri exodium diſerte Flaccus ipſe agniturus eſt poſtea) Faſtorum enumerationem rite inſtituere qui volet, illum quidem (Horatium inquio)

Temporis id quater undenos impleſſe Decembres,

Tibullum vero vix majorem duobus ac viginti annis fuiſſe planiſſime eſt deprenſurus. Huc biennium praeterea ſi accedit, intra quod comitem quoque Maronianae Libitinae Tibullum additum commonſtravimus, quid? an non idem ille, (uti dictum eſt modo) ante quinti

quinti luſtri vorſoriam ad Campos ſuos illos Elyſios ſine viatico commigraſſe invenietur

Illuc, unde negant redire quenquam?

Quod ſi quis, non dico verum, at ſaltem veriſimile eſſe, fidem unquam fecerit nobis, eadem opera mero meridie tenebras eſſe, ipſi credo Lynceo eſt perſuaſurus. Sed quid ſi ipſius Tibulli confeſſionem ad partes advocemus inſuper: ac ne ipſum-quidem met aevi ſui granditatem (quam eidem aſſignavimus ſupra) clam aut diſſimulanter habere voluiſſe, diſtinćte ac dilucide doceamus, nonne cauſſa iſta perorata? Panegyricum ejus, ſi vacat vel lubet, conſule, quo loco haud fortunas ſuas acciſas modo; ſed vero & juvenilem quoque illum vernae aetatulae florem penitus emarcuiſſe, ſerio hercule ac dolenter apud patronum ſuum conqueritur his verbis:

Nam cura novatur,
Cum memor acciſos ſemper dolor admonet annos.

Sed Adulterinus ille (ut diximus) atque a mala manu Tibullo aſſutus Pentameter omne iſtud turbamentorum Chaos peperit Scholiaſtis. Neque vero eſt, quod Marſicum Epigramma nobis objećtet quiſpiam, juvenem Tibullum deceſſiſſe confirmans, haud magis utique, quam antiquum illud ac Salluſtio quoque frequentatum dicendi genus, quo C. Caeſarem in animoſa illa, ne ambitioſa dicam Pontificatus Maximi petitione Catulo competitori ſuo haud obſcure praelatum, *Adoleſcentulum* vocat, qui ſex ac triginta annorum Candidatus cluebat. neque id ſine rivali tamen, ſcin' cujuſmodi? ipſo inquam M. Tullio, qui Curionem, qui Craſſum, qui Ser. Sulpicium denique, annum item triceſimum, & quod excurrit, ſupergreſſos, nunc *Juvenes*, nunc *Adoleſcentes* appellitet. Compertum enim habeo, quam & Adoleſcentiæ & Juvenilitatis iſtius terminandae liberi ne dicam exleges fuerint Romani illi veteres, ſollennem illam Servitulliani, ut opinor, Luſtri rationem ſequuti, qua lib. x. cap. xxiix. ex Tuberone docet Gellius, primitus ab Rege illo inſtitutum, ut *Juniores* ad annum uſque XLVI. ſupraque eum annum *Seniores* appellarentur. Tibullus igitur, tametſi (uti ego judico) circiter quadragenarius vita defunćtus, tamen ex Serviani inſtituti ratione *Juvenis* Marſo perhiberi potuit: neque in eo Latinitatis leges migratae. Quinimo ut ipſum quoque Horatianis propemodum Natalibus ſupparem faciamus, hoc eſt, annis quinis, priuſquam moreretur, aut quaternis ſaltem etiam quadragenario majorem, Romanus Callimachus ſubigit nos: quem duobus minimum Luſtris, vel certe ſeſquiluſtro juniorem fuiſſe oportuit; ſiquidem is Elegiographo noſtro Romano ſervata temporum ſerie ſucceſſor. qui ordo ipſi, in hoc ſane Poëmatis genere, & Ovidii haćtenus, & omnium ſaeculorum ſuffragiis conceſſus. Ex quibus tum univerſis tum ſingulis illorum pariter errorem eſt denudare, qui Epiſtolam illam Horatianam Albiano nomini inſcriptam non ad hunc, qui in manibus nobis eſt, verum potius ad neſcio quem avum ejus pertinere ſomniant, cujus

Hic fuerit porro nomine reque Nepos.

atque ego nunc me una quoque ibidem traho, qui in exempli illius Satyrici enarratione:

Nonne vides, Albi ut male vivat filius?

Scholiaſtarum priorum ſententiis ſuffragatus nuper, cenſuerim id ipſum in Poëtam hunc noſtrum à Satyrographo illo maligne nimis ac criminoſe detortum, qua in re quam nauci non fuerim, nunc ſentio denique, poſteaquam ad veri inveſtigationem converſus ſero quidem, ſed tamen ſerio animum advortere inſtiti tandem, Horatium de ſeſe id temporis puero familiarem ſerere ſermonem: cui parens ſuus exemplum iſtud Albianum, quo filium alieno opprobramento maxime a luxuriae ac prodigalitatis vitio deterreret, inante poſuerit ſcilicet. Qua quidem tempeſtate, tantum abeſt, ut paternis maternisque bonis abliguritis ad inopiam iſtam redaćtus fuerit Tibullus noſter, ut aetatula ipſius

id temporis non magis, quam Horatiana huic vitio opportuna, aut ulli luxuriae probro obnoxia per puerilitatis captum esse potuerit. nisi si tamen ea ratione prodigum fortasse dicamus,

Qua talos Aulum correptum a patre nucesque
Ferre sinu laxo, donare, & ludere, Vates
Idem alibi in Satyra ridentis imagine narrat.

Ut ut est, Ode certe illa libri Carminum prioris XXXIII. se non ad avum Tibulli, (quem quidem ego nullius sane coloris novi) verum hercule ad ipsissimum Elegiographum hunc nostrum peculiariter pertinere ipsamet clamitat. quippe in qua Pholoës etiam mentio occurrat tibi. ejus inquam Pholoës, a qua Marathum delicias suas torqueri Elegia IX. libri I. idem gravissime lamentatur quasi expostulans, eandemque, ne puerum usque adeo formosulum ac delicatulum nimia asperioris repulsae indignitate pervicaciaque ac fastidiis suis perditum eat porro, deprecatur sedulo. Non igitur Hirtiani anni foetus Albius noster, neque ea (ut cum Catullo dicam) genuum viriditate, quae eidem illi à Crinito, Lilio, caeterisque Poëticarum aetatum Finitoribus assignata hactenus. Quorum subidissimas frustrationes flagellare non est meum: Criniti praesertim, qui inter Poëtae nostri familiares, & quidem intimos, nominatim etiam Propertium inculcet nobis; quum neque hic Tibulli, neque ille item Propertii, in tanta tamque benigna mutui faciundi opportunitate, aliquam vel tralaticiam saltem in scriptis suis mentionem uspiam fecisse inveniantur. aemulatione, opinor, studii communis, vel nescio qua ingeniorum dissimilitudine potius; qua factum, ut alter alterum contemtum prae se fortasse minore, quam decebat, in pretio atque honore habuerit scilicet. Scitum enim Martialis est illud:

Qui volet ingenio cedere, rarus erit.

Quam item Horatio caussam fuisse suspicor, cur Propertiani nominis memoriam invidioso carminum suorum silentio, vel dissimulatione certe praepostera suppresserit callidus. quem tamen propter Augustam illam Principis sui, & (quae ratio maxima est) ipsius adeo Maecenatis faventiam, frequentemque, imo domesticam cum communi illo doctrinarum ac lepôrum omnium patrono consuetudinem, invisum sane,

Ignotumve sibi non est habuisse putandus.

INDEX

INDEX

OMNIUM VERBORUM

quae habent

ALBII TIBULLI

POEMATA.

Ex numeris, Romani *sive* majores *notant* libros; *ex* minoribus illi *qui* comma (,) *post se habent*, Elegiam *sive* Carmen; *reliqui* puncto (.) *stipati*, *ejus Elegiae vel Carminis*, versum. *Ita ut* I. 2, 3. 15, 20. 22. &c. *significet illud verbum extare* libro primo, elegia secunda, versibus tertio, decimo quinto, vigesimo & vigesimo secundo, &c.

aman-

B.

bi-

cogni-

D.

dor-

F.

I.

ju-

libe-

M.

ma-

mos

N.

num-

O.

P.

per-

pro-

Q.

R.

regat

tre-

V.

vias

Z.

INDEX II.
AUCTORUM,
qui
in NOTIS ad TIBULLUM
laudantur, illustrantur, corriguntur, notantur.

C.

D.

E.

F.

G.

269,

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Pigno-

Q.

T.

V.

Victo-

W.

X.

Z.

INDEX III.

RERUM & VERBORUM,

quæ

in NOTIS ad TIBULLUM

explicantur.

Amor

B.

C.

Cauſſa.

Fer-

G.

Livo-

 Mi-

N.

O.

P.

Py-

Sub-

Vitta,

Z.

FINIS.